Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III 18. e

RODOLPHI

HOSPINIANI

HISTORIÆ SACRAMENTARIÆ

PARS PRIOR.

RODOLPHI HOSPINIANI HISTORIÆ SACRAMENTARIÆ PARS PRIOR.

Exponens

CŒNÆ DOMINICÆ PRIMAM INSTITVTIONEM;

EIVS VERVM VSVM ET ABVSVM IN PRIMITIVA & Veteri Ecclesia;

TVM

ORIGINEM, PROGRESSVM, CEREMONIAS & RITVS MISSÆ, TRANSSVBSTANTIATIONIS,

Aliorúmque ERRORVM, *quibus procul à prima Institutione in Papatu discessum est.*

Cum Refutatione Argumentorum ROB. CARD. BELLARMINI & Aliorum.

CVM TRIPLICI INDICE, QVORVM PRIOR, RES ET VERBA; Alter, Locorum S. SCRIPTVRÆ *expositiones: Tertius verò,* PATRVM *& aliorum* AVCTORVM *Testimonia ab Auctore citata & explicata, continet.*

EDITIO NOVA, ex Auctoris ante obitum recognitione variis observationibus Auctior.

GENEVÆ,

Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.

M. DC. LXXXI.

NOBILISSIMIS VIRIS,

PIETATE, VIRTVTE, PRVDENTIA, FORTITVDINE ET GENERE PRÆSTANTISSIMIS,

D. D. CONSULIBUS,

PROCONSVLIBVS, QVÆSTORIBVS,

CÆTERISQVE SENATORIBVS ET TRIBVNIS PLEBIS, Totique adeò Ampliſſimo Senatui inclytæ VRBIS TIGVRINÆ *Dominis ſuis Clementiſſimis Gratiam & Pacem per Chriſtum.*

QVæ me cauſa, Magnifici Ampliſſimiſque Viri ac Domini Clementiſſimi, in primis movit, ut magnum quidem, difficile & arduum, utile tamen toti Chriſtianæ Reipublicæ, Opus, de Origine, Progreſſu, Incrementis & Confirmatione Papatus in manus ſumerem: eadem etiam movit me, ut hanc illius Operis partem præcipuam, de Sacroſanctæ Cœnæ Domini ac Servatoris noſtri IESV CHRISTI, prima inſtitutione, ejuſque vero uſu & abuſu in Primitiva & Veteri Eccleſia: Tum de Origine, Progreſſu, Ceremoniis & Ritibus Miſſæ, Tranſubſtantiationis & aliorum circa hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum infinitorum errorum, Clariſſimo Veſtro Nomini conſecrarem, atque etiam Clementiæ Veſtræ humiliter offerrem. Quemadmodum enim Ethnici ab initio Chriſtianiſmi Antiquitatem ſuæ Religionis ſubinde Noſtris objiciebant, & Symmachus urbis Romæ præfectus ac Gentiliſmi propugnator acerrimus dicere ſolebat, ſicut Ambroſius Lib. 4. Epiſtolarum teſtatur: Præſtate oro vos, ut quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus: Servanda eſt tot ſeculis fides, ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. Vtamur obſecro ceremoniis avitis: Et Iudæi idololatræ ad Ieremiam Prophetam dicebant: Ita fecimus nos, & Patres noſtri, Reges ac Principes noſtri, & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat: Sic hodie quoque Pontificii, nullo ferè alio, quàm Antiquitatis argumento, ſucum ſimplicioribus facere conantur: Nam plenis, quod dicitur buccis vetuſtatem ſuæ Religionis ſubinde crepant, imò ad ravim uſque clamant, non eſſe aliam hodie ſua Religione antiquiorem, ut quæ tot ſeculis confirmata & à Majoribus etiam noſtris approbata, ſervatáque ſit. Inde verò

mox inferunt, Veram hanc suam esse Religionem, Veterumque consuetudines, ritus ac cæremonias simpliciter retinendas, ac Parentum nostrorum vestigiis firmiter insistendum, qui feliciter etiam suos secuti sint. Esse autem hanc insulsissimam ineptissimamque consequentiam, ipse Dominus apud Ieremiam apertissimè docet, sic inquiens: In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare, &c. Ego enim Dominus Deus vester. Et sanctissimus vetustissimusque Martyr Cyprianus ait: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis faciendum ante nos putaverit, sed quid qui ante omnes est, Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cùm per Isaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes: Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetit, dicens: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Et ad Pompeium, Consuetudo, inquit, sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem. Augustinus quoque libro Quæstionum Veteris ac Novi Testamenti, quæst. 114. & 115. multis docet, Antiquitatem præjudicare veritati nec posse nec debere: posse enim homicidas, molles & adulteros hoc modo sua etiam scelera defendere, quòd nimirum antiqua sint, & ab ipso mundi initio cœpta. Et lib. 3. de Baptismo contra Donatistas scribit, In Evangelio Dominus, Ego sum, inquit, Veritas: non dixit: Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Item: Cùm Christus veritas sit, magis veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus; quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Eutyches hæreticus dixit etiam, ut in Actione 1. Chalcedonensis Concilii videre licet: Sic à progenitoribus meis accipiens credidi, in hac fide genitus sum & consecratus Deo, ac in ea opto mori. Ea tamen fides hæresis fuit, non vera fides. Sic Auxentius Arianus, Quemadmodum, inquit, ab infantia edoctus sum, ita credidi & credo. Antecedens quoque in hoc Pontificiorum argumento falsissimum est. Nam si ad Apostolorum & Christi æterni Filii Dei tempora usque, quibus in terris juxta humanam naturam fuit, tanquam ad veram antiquitatem retrospicias, & cuncta animi oculis diligenter perlustres, videbis Pontificiorum dogmata, decreta, placita, instituta, consuetudines, ritus, cæremonias & superstitiones toto illo tempore ignotissimas fuisse. Postquam autem sacer Apostolorum Chorus differentem sortitus est finem, ut Eusebius lib. 3. Ecclesiast. historiæ cap. 32. ex Egesippo refert, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam suis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quoniam nemo ampliùs superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam, ex adverso prædicare conati sunt. Loquuntur hæc quidem illi ex professo de hæreticis, qui mox post Apostolorum ex hoc mundo discessum, caput suum extulerunt, & Orthodoxis Ecclesiis venenata sua & pestifera doctrina plurimùm nocuerunt: Sed nihil prohibet, quò minùs hæc eadem de ipsis etiam Ecclesiæ Doctoribus ex parte quoque intelligamus. Fuerunt hi quidem præclara Ecclesiæ lumina, & fidelissimi Christi Domini servi, ideoque doctrinam à Christo, sanctisque Apostolis traditam, nec non & ritus à Christo institutos & ab Apostolis observatos, ipsi quoque utcunque retinuerunt: nihilominus tamen, ut nihil in tota rerum natura, præsertim verò inter miseros mortales, ex omni parte beatum est, sic etiam sensim sub his ipsis magnæ obscurationes in multis fidei articulis inciderunt. Id verò

hac

hac potiſſimùm ratione accidit, quòd ſummi iſti in Eccleſia Doctores, ſuas quaſdam opiniones parùm commodas, non ex limpidiſſimis & ſaluberrimis Verbi Dei fontibus, ſed ex Philoſophorum lacunis hauſtas, habuerunt, quibus etiam ſequentibus ſeculis Eccleſia magis magiſque quaſſata & turbata fuit. Et ne de ſingulis dicendum ſit, omnibus ferè hoc vitium fuit, quòd viribus humanis nimium tribuerent. Etſi enim interdum aſſeverent, Sola nos fide in Chriſtum juſtificari, ſubinde tamen Operum fermentum ſimul aſpergunt, & eis juſtificationem ſive partialiter, ſive formaliter, ſive denique totaliter, ut in Scholis loquuntur, attribuunt. Et quamvis Auguſtinus aliique pauci huic errori acriter poſtea ſint reluctati, parum tamen obtinuerunt: tam altas ſemel hæc concepta opinio in animis hominum radices egerat. Hoc pacto autem ſummus fidei articulus de gratuita peccatorum remiſſione per fidem in Chriſtum obſcurari & vitiari cœpit. Hac etiam occaſione factum eſt, ut mox in admiratione cœperint eſſe variæ ἐθελοθρησκείαι, ſeu fictitii & ab hominibus excogitati Cultus, & Ceremoniis Ritibuſque accumulandis homines mirum in modum occupati fuerint, nec minimam pietatis partem in iis collocârint. Hæc tamen circa Gregorii M. adhuc tempora tolerabilia fuerunt: progreſſu verò temporis deteriora ſubinde facta ſunt, ut creſcentibus ſuperſtitionibus, erroribus & abuſibus, ſequentibus ſeculis minùs ac minùs indies priſtinæ ſynceritatis integritatiſque remanſerit, donec tandem Aper ille Calydonius Eccleſiam Dei occuparet, & in ea pro libidine ſua graſſaretur, cultumque Dei ſui Mahuzim, quem Patres ignorârunt, inſtitueret, & omnibus Eccleſiis obtruderet. Quemadmodum igitur de Catone referunt, quòd, cùm Græci per incredibilem arrogantiam ſe omnium mortalium primos eſſe ſalò dicerent, & artium liberalium, aliarumque rerum honeſtarum & utilium inventionem non ad veram ſuam originem referrent; eoque omnium gentium hiſtorias pervertere, & antiquiſſimam doctrinam abolere conarentur; peculiarem Librum de ORIGINIBVS ſcripſerit, ne Romani facilè in errores abducerentur: Ita ego quoque, quum Pontificii Antiquiſſimam ſuam eſſe doctrinam, ritus & ceremonias ſubinde glorientur, collegi ex Patrum ſcriptis, & veris approbatiſque hiſtoriis, atque etiam ex ipſorum Pontificiorum libris ORIGINEM Papatus, aliorumque errorum veram, hoc eſt, Opus de inclinatione & depravatione doctrinæ cœleſtis, deque Ceremoniarum ac Rituum variorum in Eccleſia initio, mutatione & progreſſu, iis ſeculis, quæ Chriſtum & Apoſtolos primùm, deinde Conſtantinum M. Imp. tertiò Gregorium I. Rom. Pontificem, quartò, Carolum M. Imp. inprimiſque fatale illud mille annorum tempus ſequuta ſunt, de quibus Ioan. in Apocal. 20. cap. ſcribit, quòd tunc Draconem vel Satanam ſolui, & quoddam quaſi ſuperſtitionum, idololatriæ, errorum & abominationum Diluvium in Orbem Chriſtianum inundare oportuerit. Ejus verò ſumma hæc eſt, Pontificiam Religionem, ſi quàm longiſſimè retroſpicias, intra 800. proximè elapſos annos natam, in apricum deductam, & Pontificum Rom. dolis, fraudibus, impoſturis, vi denique & tyrannide confirmatam ac longè lateque propagatam eſſe, eoque temporis ſpatio Pontifices priſca ſuſtuliſſe, & nova ſubrogaſſe, quæ nunc pro vetuſtiſſimis venditent.

Hujus Operis mei Quatuor Tomi jam antea ſunt editi, quos nunc ſubſequitur Quintus: quem inquam, eadem de cauſa ſub Clariſſimo veſtro, Magnifici Viri, nomine in lucem nunc emitto, qua de totum Opus aggreſſus ſum. Nam non ſolùm eo tempore, quo Eccleſias Chriſti in Urbe Veſtra celeberrima, & Ditione ampliſſima ab erroribus & ſordibus Papatus, ceu Augiæ ſtabulum, re-

purgâstis, sed etiam post, atque etiamnum hodie, Defectio ab Ecclesia Christi catholica, Novitas item Religionis, & similia, Vobis vestrisque Civibus & subditis ab adversariis magis magisque objiciuntur, quasi Reformata Religio & à sordibus Papisticis expurgata, vel sexaginta, vel ad summum septuaginta annis non sit antiquior. Insignem verò hanc calumniam non solùm Oratione hac, quam ad Vos habeo, breviter diluere & coercere, sed etiam toto hoc Libro, quem vestræ Clementiæ offero, prolixè à cervicibus vestris depellere, & falsum hoc crimen, quasi telum quoddam venenatum in Vos jactum, in ipsosmet hostes retorquere conabor.

Cùm adhuc floreret in Ecclesia Christi, quamvis sub immani persequutione, vera ac sana doctrina de pœnitentia & remissione peccatorum, à Christo Apostolis & ab his toti Mundo tradita, ac Ceremoniæ numero pauciſsimæ, & ab omni superstitione remotiſsimæ obſervarentur: Quum illud doctrinæ & Ceremoniarum genus, quod hodie in Romana Ecclesia regnat, nondum excogitatum & inventum esset: Quum Rom. Pontifex nondum haberetur pro Vniversali omnium Ecclesiarum per totum Orbem Christianum Pastore, summo capite militantis Ecclesiæ & Vicario in terris Filii Dei Iesu Christi: Quum etiam Bonifacius, Vunifridus antea dictus, nondum natus, nedum missus in Germaniam esset, quod postea circa annos demum Christi 720. à Gregorio II. Papa factum est, ut ex Rom. Ecclesiæ doctrina informaret Germanos, & in eadem fide eos permanere instituerent: unde etiam Germanorum Apostoli nomen vulgò meruit: Quum, inquam, hæc omnia nondum accidissent, TIGVRINA Ecclesia veram Religionem ac fidem Christi didicerat, à fidelibus Christi Iesu Servis, sub Thebeæ Legionis signis quondam militantibus. De hac Legione, ut ea, quæ dicimus, meliùs ac rectiùs intelligantur, in veteri quodam Martyrologio, itemque Petro de Natalibus, Vincentio & Metaphraste sic scribitur. Evocatus à Maximiano, qui Rom. Reipub. cum Diocletiano Collega Imperium tenuit, circa annos Dom. 290. venit ex Orientis partibus, Dux Mauritius cum ea Legione, quæ Thebæa dicitur, à Thebis Ægypti celebertima Vrbe; ut ingenti exercitu, quem undiquaque conscripserat, Bagaudas Imperio rebelles opprimeret Maximianus: qui Christianos propterea rebelles judicabat, quòd fidem Christi abjicere & idolis immolare recusarent, atque in hos faciliùs in Occidente, quàm in Oriente sævire se posse existimabat. Erant autem in hac Legione Viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores, ut qui Christianæ Religionis ritum ab Hierosolymitanæ urbis Episcopo susceperant. Hi exercitum Imperatoris per Alpes in Galliam usque secuti sunt. Castra autem Cæsar constituit non procul ab Octodoro, quod oppidum in Valesia situm 60. ferè millibus à Genevensi urbe distat: ibique dæmonibus suis Maximianus sacrum instituit, convocavitque omnes ad id tum Orientis, tum Occidentis milites; ferò mandans, per Deorum aras jurarent, pugnare velle se, & adversùs Bagaudas rebelles, & Christianos Diis Imperat. inimicos persequi. Nunciatur mandatum Imperatoris Thebano exercitui quoque, qui ad Rodanum amnem, in loco quem Agaunum dixêre, confederat: sed Octodorum accedere non vult: & secum singuli certò constituunt, animosque obfirmant, eò loci extingui se, quàm aut Diis sacrificare, aut contra Christianos arma sumere, malle. Quod & animo intrepido Maximiano, accersenti eos, sacramenti militaris nomine & religione religione respondent: hoc insuper addentes, mississe quidem Thebæos ad Imp. electam militum Legionem, verùm cum hoc man-

mandato, ut in bellis juſtis Imperatorem juvarent: contra Chriſtianos nequaquam arma moverent, ſed ipſos potiùs defenderent contra injuſtam violentiam. Ibi tum ira percitus tyrannus, decimum quemque ejus Legionis gladio cædi juſſit: cui illi certatim ingenti cum lætitia cervices objecêre ſuas. Addidit hoc ipſum factum, magnum & animi & fidei robur Mauritio, qui milites confeſtim graviſſima concione ad conſtantiam & fortitudinem exhortatus eſt. Qui rurſus acceſiti, Imp. reſpondere juſſerunt: Suſcepiſſe ſe arma pro Reip. defenſione, non contra Chriſtianos. Quod ad ſacra verò idolorum attineret, vitam eripi ſibi potiùs commiſſuros, quàm Deum ſuum ſe pernegaturos, aut dæmonum ſacrificiis Religionem ſuam contaminaturos. Iubet igitur ad ſupplicium poſtulari tyrannus iterum decimum quemque, & cæteros nihilominus adhæc, quæ ſpreverant, compelli. Quibus mandatis denuò in caſtra perlatis, ſegregatus eſt atque percuſſus qui decimus ſorte obvenerat; reliqua verò ſe militum multitudo mutuo ſermone inſtigabat, ut in tam præclaro opere perſiſterent. Maximiano igitur inſaniâ adhuc æſtuanti hujuſmodi mandata mittunt: Milites ſumus, Imperator, tui, ſed non tam ſervi, quàm liberi confitemur Deum: tibi militiam debemus, illi innocentiam: à te ſtipendium laboris accipimus, ab illo exordium ſumpſimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam poſſumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem noſtrum, Dominum velis nolis & tuum. Sed non in tam funeſtam rem compellimur, ut in hoc eum offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus: ſin aliter, illi parebimus potiùs quàm tibi. Offerimus noſtras in quemlibet hoſtem manus, quas ſanguine innocentum cruentare nefas dicimus. Dexteræ iſtæ pugnare adverſus impios atque ~~inimicos~~ ſciunt, laniare pios & cives neſciunt. Meminimus nos pro civibus potiùs quàm adverſus cives arma ſumpſiſſe. Pugnavimus ſemper pro juſtitia, pro pietate, pro innocentum ſalute. Hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conſervàmus tibi, ſi hanc Deo noſtro non exhibemus? Iuravimus primùm in ſacramenta divina: juravimus deinde in ſacramenta regia. Nihil nobis de ſecundis credas neceſſe eſt, ſi prima perrumpimus. Chriſtianos ad pœnam per nos requiri jubes, jam tibi ex hoc alii requirendi non ſunt. Habes hîc nos confitentes Deum Patrem & Filium ejus Ieſum Chriſtum, & Spir. S. credimus. Vidimus laborum noſtrorum ſocios, nobis quoque eorum ſanguine aſperſis trucidari ferro, & tamen ſanctiſſimorum commilitonum mortes, & fratrum funera non flevimus, non doluimus, ſed potiùs laudavimus, & gaudio proſequuti ſumus, quia digni habiti eſſent pati pro Domino Deo eorum. Non nos verò vel hæc ultima neceſſitas in rebellionem cogit; non nos adverſum te Imperator, armavit ipſa, quæ fortiſſima eſt in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma, & non reſiſtimus tibi, quia mori, quàm occidere malumus; & innocentes interire, quàm noxii vivere præponimus. Si quid in nos ultra ſtatueris, ſi quid adhuc juſſeris, ſi quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum, ſubire parati ſumus. Chriſtianos nos confitemur, perſequi Chriſtianos non poſſumus. Cùm hæc Maximianus audiſſet, obſtinatoſque in fide Chriſti cerneret animos Thebæorum, deſperans glorioſam eorum conſtantiam poſſe revocari, omni bellua cruentior, iterum ad ingenii ſævitiam redit, atque una ſententia interfici omnes decernit: Immiſit igitur in Legionem hanc exercitum ſuum omnem, tam pedeſtrem quàm equeſtrem, ac cinctam undiquaque jugulari præcepit. Cædebantur itaque paſſim gladiis non reclamantes, ſed & depoſitis armis cervices perſequutoribus vel intectum corpus offerentes, non

vel

vel ipsa suorum multitudine, non armorum motione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam, sed hæc solùm reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque, tanquam grex dominicarum ovium, laniari se, tanquam ab irruentibus lupis, passi sunt. Nec ulla unquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit. Ex hac tamen laniena cruenta nonnulli, Dei singulari beneficio & consilio, elapsi sunt, nempe Vrsus & Victor, qui postea Salodori, nunc urbe Helvetiæ capitis supplicium propter Christum sunt passi: & inter hos etiam Felix, cum uxore Regula, & Exuperantio. Hi ut vetus est, & quidem Annalibus nostris confirmata narratio, superatis Alpibus Leponiis, per agrum Glaronensem, Tigurum venerunt circa annum Domini 295. Hujusque urbis incolis vel civibus, tum quidem Ethnicis & idolatris, veram Religionem prædicarunt, eósque per decennium integrum ferè in vera agnitione Christi fideliter instituerunt, & prædicationem hanc fidémque suam in Christum, sub Decio Præfecto veteris Castri, vel Arcis Tigurinæ, sanguine fuso, per Martyrium & ipsi constanter anno Domini 308. obsignarunt & confirmarunt. Tigurina igitur Ecclesia originem Christianæ & veræ Religionis (siquidem ad loca & homines referre oporteat) quam à sanctis illis Martyribus primò didicit, ad S. Marcum Evangelistam, qui primus, Hieronymo Auctore, Ægyptiis Evangelium annunciavit: & ad Alexandrinam, Thebæámque primariam Ecclesiam, imò ad ipsam Hierosolymitanam, ex qua primùm S. Marcus, Legatus Christi: prodiit, quæque Thebæos pleniùs in fide instituit, adeóque ad ipsummet Christum Dominum meritò refert. Horum autem trium fervorum Christi Martyrio non fuisse Christianam Religionem in Vrbe hac vestra, Magnifici Domini, prorsus extinctam, sed Christum Servatorem ab isto tempore Ecclesiam ibi habuisse, id argumento est evidentissimo, quòd circa annos Domini 503. sub Anastasio Imperatore, Dux militum Sueviæ Rupertus, Ludovici Regis Francorum, quem Ludovicum Pulchrum cognominant, consanguineus, Tiguri Christianorum cœtum non exiguum reperiit, cui & Templum Parochiale extruxit, in quo annos circiter 298. pura Verbi Dei doctrina fideliter tradita fuit. Post ea verò tempora, circa annos videlicet 810. Carolus M. Episcopi sui Theodori consilio, hanc Tigurinæ Ecclesiæ Parochiam vetustissimam, in Præposituram & Collegium Canonicorum Regularium mutavit: ex quo sequentibus aliquot annis multi Viri pii & docti prodierunt, qui Ecclesiæ hujus Vrbis & Ditionis prædicatione Evangelii & Sacramentorum administratione fideliter inservierunt. Hoc institutum Collegiorum Canonicorum à S. Augustino originem sumpsisse videtur. Scribit enim in ejus vita Possidonius, habitasse Augustinum in Monasterio, à se intra Hipponensem Ecclesiam extructo, sed cum doctis & Theologiæ studiosis: (dicebantur autem Canonicorum Collegia olim Monasteria: Quod nomen adhuc in celebrioribus nonnullis Collegiis retinetur, ob eámque causam in antiquioribus Conciliis Monasteria Monach. & Cleric. distinguuntur: atque his præerat Episcopus, ut illis Abbas: hodie tamen Episcopi loco Præpositum habent:) vixisséque cum illis secundùm regulam Apostolorum, & ex suo illo Collegio dedisse primò Hippon. Ecclesiæ Clericos: deinde verò aliis quibusdam Ecclesiis rogantibus Episcopos, Viros undiquaque doctissimos & piissimos. Hoc si semper in Ecclesia observatum, & Collegia studiosorum bene rectéque instituta fuissent, meliùs sese res ejus sequentibus seculis habuissent. Felix revera fuit Ecclesia Christi, quandiu in hoc institu-

to

ſtituto permanſit: felices etiam fuerunt Civitates Regionéſque, quæ talia olim Collegia habuerunt, unde perpetuò valebant eruditis Viris abundare, illóſque pro neceſſitate ad Eccleſias regendas evocare.

Hîc tamen non negaverim in hac Eccleſia, ſicut etiam in aliis Germanicis & Gallicis, ceremoniarum & rituum ſub Carolo M. inclinationem quandam factam eſſe. Is enim Imperator, quemadmodum Iacobus de Voragine in Lombardica Hiſtoria de eo refert, adulandi & teſtificandæ gratitudinis ſuæ cauſa, quòd Zacharias & Leo Pontifices Romani Patrem ejus Pipinum, ad Regni Galliæ faſtigium evexiſſent, in primis autem quòd ipſum Adrianus Papa Imperat. Roman. proclamaſſet, eíque Inveſtituræ jus, hoc eſt, privilegium & poteſtatem eligendi Papam & omnes reliquos Epiſcopos, confirmaſſet; Non ſolùm publicis edictis mandavit, ut Ceremoniæ & ritus, itemque Miſſa Latina Rom. Eccleſiæ, aliaque decreta, placita & inſtituta Rom. Pont. per totum Imperium obſervarentur; ſed ipſemet etiam per diverſas diſcurrens Provincias, minis, carceribus ac variis pœnarum & ſuppliciorum generibus ad hoc ipſum cogebat Eccleſias. Doctrina ſana tamen nihilominus in præcipuis capitibus, utcunque his ipſis temporibus integra, pura & incorrupta manſit: quæ demum appropinquante fatali periodo mille annorum, quorum ſuprà meminimus, paulatim non tantùm in Tigurina Eccleſia, ſed etiam in omnibus totius Orbis Chriſtiani Eccleſiis horribiliter obſcurari cœpit. Tunc enim verè bona opera, quæ Deus in Verbo ſuo præcipit & à nobis requirit, non ſunt ampliùs commendata hominibus, ſed exhortationes tantùm fieri cœperunt ad populum de ornandis ſacris ædibus & imaginibus veſtiendis; de ſacrilegiis, uſuris, furtis, raptis, Clero & ædibus ſacris, ſub reſtitutionis ſpecie, conſecrandis. Sed & Ethnico more magis magíſque in dies invocari cœperunt ſancti mortui, Statuæ, Altaria & Sacella ſine numero eis ſunt extructa. Hujuſmodi idololatricis & ſuperſtitioſis cultibus, Ceremoniis denique ineptis & inutilibus omnia Templa, Sacella & Fana repleta ſunt. Haberi tum cœpit Roman. Pontif. pro Vicario Chriſti; imò adorari cœpit, tanquam plenariam habens poteſtatem in Cœlo & Terra. Mutavit hic, pro ea poteſtate, quam ei Romanæ culinæ Magiſtri affinxerunt, æterni Dei leges, ritúſque Apoſtolicos; & à ſe inventos ſubſtituit, omnibúſque Eccleſiis ſub anathematis pœna obtruſit. Ejus auſpiciis cœpit per Indulgentiarum negotiationem ſeu mercaturam venum exponi & divendi meritum Chriſti: auxit in diem numerum Ceremoniarum, Feſtorum, Iejuniorum, nulluſque ſuperſtitionis vel finis vel modus fuit. Simul etiam crevit Sacrificorum & Monachorum iners turba, quæ Monaſtica vota, vitam, inſtituta & impurum ſuum Cœlibatum ſupra Cœlos extulit, atque etiam in his fictitiis cultibus & ceremoniarum pompa meritum conſtituit, quaſi ejuſmodi operibus gratiam & favorem Dei, adeóque peccatorum remiſſionem & vitam æternam homines promereantur. Vnde factum eſt, ut Imperatores, Reges, Principes & opulentiſſimi quique, omnes ſuas facultates, vel magnam earum partem Cœnobiis & Eccleſiis conſecrarent: qua ratione Opes totius Orbis Chriſtiani, cenſus, fundi, prædia & dominia majori ex parte Papæ, Cardinalibus, Epiſcopis, Sacrificis, Monachis & Nonnis ceſſerunt: promiſcua autem Chriſtianorum turba Sacrificulis & Monachis, eorúmque juſſis & mandatis obſequentiſſimam ſeſe præbuit. Doctrina interim ſyncera Verbi Dei, & Scripturæ Canonicæ legitima expoſitio, quæ primas meritò in Eccleſia Chriſti partes obtinere debet, vel prorſus jacuit neglecta, vel ſtriguit, vel ſpinoſis & Philoſophicis

quæſtio-

quæſtionibus hominúmque argutiis & traditionibus valde fuit obſcurata. Nam rariſſima fuit in concionibus publicis mentio Meriti, Hoſtiæ, Mediationis, Redemptionis gratuitæ & Iuſtificationis Ieſu Chriſti D. noſtri per fidem, ſed obſcurabantur hæc per immodica humanarum virium, earúmque meritum præconia. Quæ maximam ſecum ruinam traxerunt etiam in aliis fidei articulis. Nam preces, invocationes & gratiarum actiones non tantùm Deo Opt. Max. per Ieſum Chriſtum oblatæ ſunt, ſed communicatæ quoque creaturis, quas ut interceſſores & mediatores invocarunt: imò plures per Sanctos mortuos, quàm per Ieſum Chriſtum Deum Patrem invocarunt. Adhæc preces ad certum numerum redactæ, & plebi divenditæ ſunt. Lectæ ſunt Monachorum Legendæ pro S. L. Cantus item operoſus, & ſtrepitus Inſtrumentorum Muſicorum, prædicationem Verbi Dei & preces fidelium in Templis impedivit magis quàm juvit. Denique, quod omnem inſaniam ſuperat, omnia Clerici in Templis peregrinâ, adeóque incognitâ & nemini notâ linguâ tractarunt, unde nihil utilitatis ad auditores redire potuit.

Durarunt hæ denſiſſimæ & plùs quàm Cimmeriæ tenebræ in toto Orbe Chriſtiano, juſto ſuo judicio ſic puniente Deo peccata hominum, ſexcentis proximè elapſis annis. In primis autem ab Innoc. III. ſeu ab origine Mendicantium Monach. hoc eſt, ab anno D. 1200. uſque ad Annum 1515. veluti diluvio quodam altiſſimo atque validiſſimo Sponſa dilecta, ſeu Eccleſia Chriſti miſerè oppreſſa jacuit. In hoc tamen caliginoſo rerum ſtatu, & obſcuriſſimis tenebris, vera lux Verbi Dei ſubinde animis ſanctiſſimorum Majorum noſtrorum nonnihil affulſit: cujus aliqua ſaltem, ſed certiſſima argumenta & indicia in medium adducam. Toto hoc temporis ſpatio, quo Monachatus in Orbe Chriſtiano viguit, in Vrbe tamen veſtra, quamvis magna & ampla, nullum annis minimùm ſeptingentis à Monachatus exordio, vel Benedictinorum, vel Cluniacenſium, vel Camaldulenſium, vel Carthuſianorum, vel Ciſtercienſium, vel Præmonſtratenſium Cœnobium, ſed unicum Collegium Canonicorum Regularium, qui pleríque Verbum Dei ab initio prædicabant, à Carolo M. & aliud Canoniſſarum, à Ludovico Germanico, Bavariæ & Oſtrofrancorum Rege, Ludovici pii F. inſtitutum & fundatum fuit, in quo ipſo tamen Principum, Comitum & Baronum filiæ liberæ & ab omni voto immunes vivebant, ut quandocunque libitum fuiſſet, prodire & honeſtas nuptias contrahere licuerit eis: uſque ad tempora Monachorum Mendicantium, hoc eſt, ad annos Chriſti 1220. Tunc enim locuſtæ illæ demum catervatim hanc quoque Vrbem ingreſſæ, aliquot in ea locis, licèt invito Magiſtratu & Canonicorum Collegio, domicilium & ſedem, procurante hoc Pontifice Rom. ſibi pararunt. Quæ res ſatis magno documento eſt, Majores noſtros, quamvis religioſiſſimos homines, Monachatum non approbâſſe. Deinde, quum Chriſtianiſſimi Imperatores Henrici, Friderici & Ludovicus IV. omnibus perfidiæ, crudelitatis & ſævitiæ modis à Pontificibus Roman. oppugnarentur, excommunicationis fulmine ferirentur & bellis feralibus peterentur, Majores tamen noſtri Pontificibus nunquam, ſed contra immanem eorum tyrannidem Imperatoribus ſemper, tanquam legitimo ſuo, & à Deo ordinato Magiſtratui, & juſtiorem cauſam defendenti, adhæſerunt, eorúmque cauſam armis defenderunt, quamvis à Pontificibus ipſi, non minùs quàm Imperatores, tertiò anathemati ſubjecti fuerint, indéque non levia damna acceperint. Vnde certò colligi poteſt, eos ne in tetris quidem iſtis tenebris Papam magni unquam feciſſe. Accedit his tertiò, quòd plurimi in his tenebris non

ſolùm

solùm ex Vestro Amplissimo Ordine, quorum aliquos nominare possem, sed etiam ex promiscua plebe optimi quique de Ecclesiæ tristissima facie, & omnium Sacrorum horribili profanatione, corruptione & vastatione graviter multoties conquesti sunt: illud subinde ingeminantes, Scire se quidem; Veritatem sepultam jacere, & horribiliter oppressam obscuratamque esse, sed quo modo, aut à quibus in Lucem revocari possit, se planè nescire; ideoque cœperunt non sine suspiriis & gemitibus divinum implorare auxilium, & querelas consiliaque sua cum fidis conferre communicareque amicis. Inter ipsos Clericos quoque non pauci lugubrem Ecclesiæ statum deplorarunt: in primis verò Huldrichus Zvinglius, cùm adhuc ageret in Mariæ Helvetiorum eremo, circa annos Christi 1516, conferre cœpit ac disputare cum D. Matthæo Cardinali & Episcopo Sedunensi, tum in Helvetiis agente, de Ecclesiæ corruptione, de Humanarum Traditionum fœdis erroribus, deque gravissimo Ceremoniarum pondere, pios tantùm non opprimente, simulque monere ut ceremoniarum, superstitionum, abusuum & errorum ingentem vim, paulatim tollere aggrediantur, qui clavum Ecclesiæ teneant, & ad gubernacula ejus sedeant. Hoc enim nisi maturè fiat, illam aliquando nimio pondere nutantem ac depressam, maximo cum fragore ruituram. Ejus zelum, studium & fervorem, cùm omnes qui liberationem Ecclesiæ exspectabant, vehementer probarent, Tigurum vocatur legitimè ad Pastoralem Ecclesiæ curam suscipiendam. Eò cùm venisset, ipsis Calen. Ian. anni 1519. Incœpit publicè è Sacra Cathedra Ecclesiæ, jam suæ fidei concreditæ, Evangelium Matthæi enarrare, & beneficium Redemptionis nostræ in unico Filio Dei Iesu Christo demonstrare. Id cùm magno animi studio, & frequenti totius Ecclesiæ concursu, omniumque Ordinum gratulatione summa ac lætitia faceret, venit Tigurum etiam Româ à Pontif. missus Franciscanus quidam Monachus, Samson nomine Mediolanensis, Indulgentiarum Pontificiarum præco impudens. Prædicabat hic, Sanctissimum ac beatissimum Papam gratiarum aperuisse fontem, plenariamque peccatorum remissionem ad Helvetios derivâsse, ad eos, inquam, qui oblatam salutem recipiant, & prompta redimant pecunia. Prædicabat etiam, animas jam olim à corpore solutas, nunc proximè Indulgentiarum beneficio ex Purgatorio evolare ad Cœlos; his etiam additis clamoribus, Ecce volant, volant jam. Non difficile quoque idem nugivendus se iis præbebat, qui committendorum in posterum scelerum postularent veniam: Imò quicquid petiisset sceleratissimus quisq; ab eo impetrabat, modò in promptu haberet pecuniam. Huic verò pro munere sibi concredito, opposuit se omnibus viribus Ecclesiæ Tigurinæ Pastor Zvinglius, gregem suum fideliter monens atque adhortans, ab hoc sibi, velut à Lupo atroci & famescenti, ut caveat. Remissionis enim peccatorum beneficium non deberi acceptum referri vanissimis Pontif. Indulgentiis, sed morti ac merito Christi, cœlumque ipsum nullâ pecuniâ emi, sed verâ in Christum fide recipi. Ea cùm audisset D. Hugo Constan. Episc. literas ad Zvinglium dedit per Vicarium suum Ioan. Fabrum, quibus hortabatur eum, ut, quod feliciter cœperit, fortiter exequeretur & absolveret: se nusquam defuturum periclitanti. Hac occasione divinitus oblata, cœpit Zvinglius publicè & privatim, debitâ reverentiâ & modestiâ, petere ab Episcopo, vehementissimeque urgere, ut Evangelicæ veritati ex animo faveret, & renascenti adesset, quam cerneret magno cum successu emergere. Apud Antonium Puccium quoque, Romani Pontificis apud Helvetios Legatum, idem conatus, hoc diserte adjecit, se posthac per synceram Evangelii doctrinam omnibus modis regnum

& errores Papatus impugnaturum, ut Verbi Dei & Evangelicæ Veritatis Lux poſtliminio in Eccleſia Chriſti luceat : Quod etiam fideliter præſtitit : Nam cùm Epiſcopi aliique Prælati Eccleſiaſtici, quorum maximè intererat horum curam gerere, ſecurè in utramvis aurem dormirent; Zvinglius tamen ſuo non defuit Officio, ſed in cœpto ſemel ſancto Opere ſtrenuè perrexit. Nam Evangelicæ Hiſtoriæ ſecundùm Matthæum ſubjecit expoſitionem Actorum Apoſtolicorum, & ex iis Tigurinam Eccleſiam docuit, quæ Apoſtolicæ Eccleſiæ facies, quomodo fundata & conſervata fuerit, quibuſve rebus ſeſe maximè exercuerit: Hoc Libro ad finem perducto, priorem Pauli ad Timoth. Epiſtol. in manus ſumpſit, quòd ea pulcherrimam veræ Chriſti Eccleſiæ œconomiam contineret, & non ſolùm Laicorum, ſed etiam Clericorum vitam moreſque informaret. Ne quis autem à vero fidei ſcopo aberraret, finita hac Epiſtola eam, quæ eſt ad Galatas ſcripta, interpretatus eſt, quæ brevi Compendio veram Doctrinam de Fide Iuſtificante, de Lege Dei, ejuſque uſu & abrogatione, de Libertate Chriſtiana, & veris Operibus bonis, officiiſque fidelium tradit. Et ne dubitaret aliquis de Apoſtolorum in Doctrina conſenſu, adjecit illis utramque Epiſtolam D.Petri, veram Chriſtianam Religionem breviter comprehendentes. Quibus mox ſubjecit Sanctiſſimam Pauli ad Hebr. Epiſt. ex qua docuit ſuam Eccleſiam, Ieſum Chriſtum verum eſſe Deum & hominem, Salvatorem & Redemptorem mundi, quem ideo Angeli & omnes creaturæ meritò adorent; ſummum item Eccleſiæ ſuæ Principem, Caput, Pontificem & Paſtorem, qui unico in terris oblato pro peccatis Sacrificio, aſcenderit in Cœlos, conſederitque ad dexteram Patris, ut ibi ſolus jam pro nobis in æternum intercedat apud Patrem: hunc igitur vera fide recipiendum eſſe iis qui ſalvari cupiant. Nec caruit ſuo fructu vera hæc & Apoſtolica fidelissimi Paſtoris Doctrina, Cœpit enim ab hoc tempore Vrbs Tigurina ſuperſtitiones relinquere, & ſoli Chriſto per veram fidem adhærere, adeò ut multi dicerent, Helvetiorum Metropoli idem omnino accidiſſe, quod Corintho & Epheſo, celeberrimis Græciæ urbibus, ſed idololatriæ & luxui deditiſſimis, eveniſſe omnibus conſtet, quæ ad Pauli prædicationem ad Chriſtum converſæ ſunt. Ne quid tamen temerè, aut privato affectu geri hîc videretur, placuit Coſſ. Senatui, totique populo Tigurino, Majoribus Noſtris prudentiſſimis, Synodum convocare in Vrbem ad diem 29. Ian. anno 1523. quod & factum eſt. Ad eam igitur undique ex Ditione Tigurina & vicinis Eccleſiis confluebat magna Cleri & populi multitudo. Veniebat & Epiſcopi Conſtantienſis Legatus, D. Ioannes Faber, cum Doctore Tubingenſi & aliis viris Doctiſſ. Zvinglius ſummam doctrinæ ſuæ 67. Articulis vel Concluſionibus comprehendit & Typis vulgavit, eaſque huic Synodo examinandas propoſuit. D. Faber multis conabatur Synodo perſuadere, negotium Religionis graviſſimum non debere Diſputatione publica in præſentiarum diſcuti, ſed ad futurum uſque Concilium differri. Cumque urgeret Zvinglius, quandoquidem certò conſtaret, Libros utriuſque Teſtamenti Canonicos, unicam & certiſſimam eſſe regulam, ad quam omnia in Eccleſia componi & inſtitui debeant, demonſtraret ex iis, ſi quid contra Scripturas, contra Religionem & veram fidem in his Concluſionibus contineri videretur : Reſpondebat Faber, ſe non in hac Synodo, ſed coram Vniverſitate aliqua diſputaturum: pollicebatur etiam, ſe contra Articulos iſtos ſcripturum, & oſtenſurum eos non eſſe Orthodoxos: ſed neutrum præſtitit. Poſt Fabrum nullus erat in tota Synodo, licèt frequentiſſima, qui Scriptura Sacra Concluſiones propoſitas

refutare

refutare, vel erroris redarguere vellet. Magistratus igitur sub finem Synodi omnibus Pastoribus & Ministris Vrbis & Ditionis suæ mandavit, ne quid posthac aliud Ecclesiis suis proponant & annuncient, quàm purum putum Dei Verbum, Prophetarum & Apostolorum Libris comprehensum. Iam ergo non solùm in Vrbe, sed etiam passim in agro Veritas prædicabatur populo, quam etiam tanto zelo ac studio arripuit, ut illa, quæ contra & præter Verbum Dei in Ecclesiam superioribus seculis introducta intelligebat, simul inde omnia expelli, exterminari & ejici cuperet. Id cùm intelligeret Magistratus, ne quid rursus immaturè, aut zelo quidem bono, sed non secundùm scientiam ageretur, Synodum alteram indicit, & ad eam vocat Episcopos Constantiensem, Curiensem & Basiliensem cum Academia. Confœderatosque omnes: non tamen omnes venerunt, nec quenquam miserunt Episcopi. Nihilominus posterior hæc priore longè fuit celebrior. Convenerunt enim in Vrbem circiter 600. Sacerdotes, aliique viri docti & clari. Disputabatur de præcipuis fidei articulis, imprimisque tribus continuis diebus de Imaginibus & Missa: vicit autem Veritas, ac soluta est Synodus. Magistratui autem visum est, tempus jam esse, ut pro suo officio ea tolleret, quæ jam didicerat apertissimè pugnare cum Verbo Dei. Primò igitur omnium mandavit Sacerdotibus & Monachis, ne posthac ullas publicas Processiones instituant, & præsertim ne consecratum panem in pompa per Vrbem & agrum circumferant, aut in Templis adorandum proponant, quòd hæc manifestè primæ Institutioni Cœnæ adversentur. Præterea delecti è Senatu unà cum Ministris, è præcipuis Vrbis Templis tumbas, in quibus dicebant, corpora Martyrum, vel reliquiæ eorum esse reconditas, sustulerunt, & his apertis, vel nulla prorsus ossa, sed nescio quas quisquilias reperierunt in quibusdam, vel in aliis aliqua sunt inventa, quæ reverenter terræ mandata, non, ut multos dicere non puduit, abjecta, aut contumelia affecta sunt. Sacerdotibus quoque mandatum est, ne Organis posthac ludant in Templis, ne Campanarum pulsu funera plangant; aut tempestates averruncare seu arcere conentur; ne palmarum ramos, sal, aquam, cereos & similia consecrent; néve morituros oleo inungant, quem novissimum Baptismum vocare solent: esse enim hæc omnia superstitiosa, & cum expresso Dei Verbo pugnare. Interea adhuc & Missæ celebrabantur, & Imagines publicè in Templis prostabant: Quamvis enim duabus publicis Disputationibus Zvinglius hæc impugnans vicisset, Magistratus tamen cautè admodum in his tollendis quæ tanto Consensu reliquarum Ecclesiarum probabantur; agendum existimabat. Dehortabantur reliqui omnes Helvetii & Confœderati Majores nostros, ne quicquam in Religione immutarent: ab aliis occinebatur nomen Concilii, temerarium esse dicentes, si pauci homines tot seculorum consuetudinem immutare & abrogare conentur: Nostri è contra his Verbi Dei authoritatem opponebant, quod nullius hominis & ne Vniversalis quidem Concilii judicio & authoritati subjectum sit: adhæc annis jam octoginta Pontifices Concilii expectatione ludificasse fromines, neque quicquam interea emendasse: itaque nisi Verbo Dei aliter edocti fuerint, constituisse se in cœpta Reformatione progredi. Constituto igitur termino elapso, ex omnium tam Clericorum, quàm Laicorum sive Civium numero, Ecclesiarum in Vrbe Ministros primarios, cum duodecim Senatoribus è singulis Tribubus desumptis, Magistratus delegit, addito simul Ædili Vrbis; Hi omnes assumptis secum fabris, aliaque servorum manu ad id opus idonea, unà ingressi Templa, & his clausis, citra omnem tumultum, Imagines omnes sustulerunt, atque Tem-

pla ab his expurgarunt. Deinde per reliquas Vrbes, Comitatus & Præfecturas universi Agri Tigurini, singulæ Ecclesiæ, præsente loci Præfecto, interrogatæ suam sententiam, omnes ferè agnoverunt Imaginum cultum à Deo prohibitum esse, ideoque Magistratus exemplo eas communi consensu sustulerunt. Atque hæc quidem facta sunt mense Iunio anni 1524. Sublatis autem Imaginibus Missa adhuc restabat, cujus authoritas quotidie vilescebat, neque enim quisquam ampliùs ad Missas cogebatur, & plerique ex Concionibus & Disputationibus Zvinglii abominationes ejus agnoscere didicerant. Sed tamen quia Missa, tanquam medicato quodam poculo omnes terrarum Reges, Principes & populi hucusque ab annis proximis sexcentis ita fuerunt inebriati, ita stuporis & vertiginis spiritu impleti, ut salutis suæ proram ac puppim in hac una collocarint; quia etiam propitiatorium seu expiatorium esse Sacrificium credita fuit hactenus pro peccatis vivorum ac mortuorum, ideo Magistratus noluit eam abrogare, nisi priùs plebe bene edocta de Institutione ac vero usu Cœnæ Dominicæ, quæ in locum Missæ substituenda erat. Interea in lucem prodiit Constant. Episcopi Theologorum Liber, in quo sui Episcopi nomine Tigurinis suadent, eosque monent atque hortantur, ne Missæ Sacrificium aboleant. Lectus est Liber in frequenti Senatu; quumque ad eum Responsio gravis & solida conscripta & Episcopo missa esset, expectatum est mensibus aliquot, si quid fortè contra prodiret in publicum: Id quum non fieret, Senatus publico Decreto 12. Apr. an. 1525. Missa cum omnibus ei cohærentibus in Vrbe & agro abrogata est. Quia verò non satis est aliqua ejicere & abrogare, nisi alia, & quidem meliora in eorum locum subrogentur, ideo Impensæ & sumptus immodici, vel in sculpendis & vestiendis imaginibus, vel extruendis sacellis, fanis, & altaribus, iisque exornandis, vel in dotandis Cœnobiis facti, in pauperes & egenos collati sunt. Cœnobia vel in Xenodochia & Nosodochia, vel in Collegia Studiosorum & Scholas immutata sunt. Singulis Collegiis, Cœnobiis, Ædibusque Sacris Oeconomi, Apostolicæ Ecclesiæ ritu, præfecti sunt, à quibus Magistratus Oeconomiæ administratæ rationem quotannis reposcit. Norunt isti ex Decreto Senatus quibus expendere debeant opes concreditas. Et cedit quidem pars illarum mendicis, quibus ad eum morem eleemosyna adhuc erogatur, sicut fieri consuevit dum adhuc in iis regnarent Monachi: Orphanis item, pupillis, viduis, aliisque miseris, & calamitate aliqua prægravatis hominibus. Pars publicis Templorum, Scholarum, Ædiumque ad Cœnobia & Collegia pertinentium ædificiis impenditur. Quædam bona permissa sunt Parochiis, ut inde publicis necessitatibus subveniatur. Pars cessit Ecclesiarum Pastoribus & Concionatoribus, pars Scholæ Magistris & publicis Professoribus. Alterum, vetustissimorum illorum Collegiorum, quorum suprà mentionem fecimus, totum ferè Studiis sacris destinatum est: In altero bonarum Artium, Linguarum & Theol. Studiosi 15. cum Pædagogo liberalissimè aluntur. Si quid verò post hos & similes usus sanctos & necessarios supereſt Opum Sacrarum, publicis servatur necessitatibus & calamitatibus levandis. Habet enim Ecclesia suos Thesauros, in quibus bona residua conservantur. Iurisdictiones autem Clericorum Magistratus suscepit gubernandas, & quidem ex liberali eorum resignatione in quorum fuerant potestate. Sacrificis & Monachis, quorum ingens turba fuit permissum est suis beneficiis & facultatibus uti, & honestè sub Disciplina publica & vera Religione vivere. Proscripta est autem fœda eorum fornicatio, & vagæ libidines; Conjugium contrà sanctum, omnibus instituto Domini uti volentibus, concessum est.

Abjectis

Abjectis Legendis Monachorum, aliisque Traditionibus humanis, Magistratus Amplissimus in earum locum veram, puram, sanam & incorruptam Verbi Dei, in libris Canonicis Veteris & Novi Testamenti comprehensi, subrogavit. Preces & orationes ad Sanctos mortuos antea factæ, in veram invocationem Dei per Filium ejus Iesum Christum mutatæ sunt. Et quamvis nemini ampliùs liceat preces suas vendere, oratur tamen assiduè ab omnibus & pro omnibus afflictis ex charitate fraterna & officio. Horæ Canonicæ sic sunt sublatæ è templis, ut in locum earum Lectio Canonicorum librorum sacræ Scripturæ, eorumque genuina & diligens interpretatio seu expositio substituta sit. Nec tantùm abrogavit Missam Christianus Magistratus, sed in locum ejus restituit Cœnæ Dominicæ verum sub utraque specie usum, mysterium inquam salutis & ritum ab ipso Christo institutum, ab Apostolis, eorumque successoribus in primitiva Ecclesiæ diutissimè usurpatum, quàm minimùm habentem ceremoniarum, proximeque ad primitivæ Ecclesiæ ritùm accedentem. Celebratur etiam hæc sacrosancta Cœna à fidelibus maxima cum religione, devotione & desiderio: agunt in ea gratias Redemptori, peragunt memoriam mortis Domini, quam fide ceu præsentem contemplantur, percipiunt fideli corde ingentia dona, exercent & proferunt certissima partæ salutis testimonia, sigilla & pignora à Christo Servatore suæ Ecclesiæ instituta. Atque sic Christianissima Reformatio rituum & doctrinæ à sanctissimis Vestris Majoribus tandem ad felicem finem, Dei benignitate & gratia immensa, deducta est. Hoc autem, quod in hac Reformatione fecerunt Majores Vestri, ut hactenus à nobis commemoratum est, non est à Catholica Ecclesia ad falsam deficere, sed Ecclesiam malignantium, ut etiam ille ante annos quingentos de Romana Ecclesia dixit, relinquere, & ad gremium veræ Christi Ecclesiæ redire: Non est veritatem deserere, & falsam, impiam, erroneamque doctrinam amplecti; sed est mendaciis, dolis, imposituris, fraudibus, ἐθελοθρησκείαις & humanis traditionibus valedicere, oblatamque veritatem gratis animis recipere: Non est Christum Servatorem deserere, sed potiùs eum unicè sequi, & vocem ejus audire: Non est tenebras amare, sed potiùs eas fugere, & in clarissima splendidissimaque luce ambulare: Non est novo doctrinæ generi, noviisque dogmatibus adhærere; sed magis ea relinquere, quum quæ in Papatu pro vetustissimis habentur, recentia, & pleraque intra proximè elapsos septingentos aut octingentos annos conficta sint, & eam doctrinam restituere, quam Christus annunciavit, Apostoli mundo tradiderunt, S. Martyres Majoribus nostris ante annos 1300. prædicarunt, ab iisque diutissimè retenta fuit, antequam à Papistico fermento inficeretur & inquinaretur.

Sic igitur satis probatum esse arbitror, Amplissimi Viri, iniquissimè injustissimeque Vestris Ecclesiis Reformatis Religionem non sexaginta vel septuaginta annis antiquiorem affingi & objici. Idipsum autem hoc toto Opere, quod Clementiæ Vestræ offero, solidissimè etiam ac fusissimè quinque Lib. probo & confirmo: videlicet Ritus, quibus in Tigurina Ecclesia hoc Sacramentum Eucharistiæ celebratur Institutioni Christi, nec non Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ quàm proximè accedere. Deinde sanam & synceram nostrarum Ecclesiarum doctrinam de hoc ipso Sacramento ad annos mille à nato Christo in plerisque Ecclesiis viguisse, & ab eo demum tempore horribiliter depravatum Domini institutum, & violatam doctrinam Apost. fuisse. Sed hæc modò attigisse tantùm satis sit: nam speciem ipsam & res gestas in hoc ipso Opere inspiciendas & evoluendas Lectori prolixè exhibemus.

Habetis igitur, Viri Prudentissimi, causam, ob quam præcipuè Vobis hunc Librum dedico & offero; nimirum, ut Vos, aliique omnes, qui nullo pravo præjudicio fascinati sunt, ex eo intelligant, Majores Vestros, non proprio aut humano aliquo affectu, sed Spiritus Dei instinctu, non tantùm Missam, sed etiam Ritus, Ceremonias & superstitiones Papisticas alias, ut Verbo Dei contrarias, in Ecclesiis suis abrogasse; eoque laudabili & prorsus Christiano facto non à vera Christi Ecclesia defeciſſe, sed ad eam rediisse, nec novam aliquam, sed antiquissimam Patriarcharum, Prophetarum, Christi & Apostolorum doctrinam recepisse. Accedunt jam huic causæ etiam aliæ: Quòd videlicet hanc puram Verbi Dei doctrinam, quam à Majoribus Vestris accepistis, quæque in Vestra Vrbe & Ditione hodie splendidissimè per Dei gratiam lucet, non solùm magni facitis ipsi & constanter retinetis, sed etiam tanta animi fortitudine, tantoque studio in aliis quoque locis extra Vrbem & Ditionem Vestram defenditis & propagatis, ut majori, omnium judicio, vix fieri possit: Quòd si in eo strenuè & fortiter perrexeritis, Deum omnipotentem remuneratorem experiemini liberalissimum, nec is vestro studio, laboribus & conatibus sanctis unquam deerit; apud cunctos verò mortales æternam laudem ac gloriam consequemini. Deinde quum apud omnes Nationes Nomen vestrum magnum sit ac celebre, & Resp. quoque Vestra multis ornamentis eximiis ac singularibus emineat, & propter ea in magna authoritate ac admiratione sit non tantùm in tota Helvetia, sed etiam apud exteros, videlicet judiciorum & gubernationis justitia, gubernatorum prudentia, Civium humanitate, Artificum industria, totius denique Civitatis ordine; non dubito quin Liber hic noster, qui sub Clarissimo V. Nomine in lucem prodit, multis propterea gratior futurus sit. Denique multa & magna beneficia per totam meam vitam in me meosque contulistis, pro quibus quandoquidem aliter non possum, Chartaceo hoc munusculo gratiam Vobis aliquam saltem, referre volui, ut homini non omnino ingrato vos benefeciſſe intelligatis. Accipite igitur, Ampliſſ. V. levidense hoc munusculum ab homine Vestri observantissimo profectum, & me, meosque porrò commendatos habete. Ego vicissim commendo Ecclesias, Scholas, Remp. Amplissimumque Ordinem Vestrum, æterno ac propitio Deo, eumque toto pectore oro per Filium suum Iesum Christum, ut ingentes tempestates, quæ Orbi Christiano imminere videntur, clementissimè discutiat avertatque, Vobis autem in gubernatione difficili ac plena laborum Spiritu suo Sancto adsit, virosque suppeditet, Civibus Vestris benedicat, Vos in diutissima pace incolumes conservet, & sibi in Vrbe Vestra, totaque Helvetia & Germania Ecclesiam colligat, celebraturam ipsum in omnem æternitatem Amen. *Tiguri in Vrbe Vestra, totiusque Helvetiæ Metropoli 16. Cal. Sept. A. C. 1598.*

VESTRÆ AMPLITVDINIS

Observantissimus,

RODOLPHVS HOSPINIANVS Tigurinus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

CVM in his de Historia Sacramentaria Libris, Author non tantùm verum verborum Christi sensum, Ritumque celebrandi Cœnam ex Sacris Literis & Orthodoxis Patribus probet, verùm etiam ex Pontificiorum Libris, varios abusus & errores circa Doctrinam & Ceremonias demonstret: Totusque adeò in eo versetur, ut Patrum testimonia, ex ipsorum manibus eripiat & verum sensum indicet: Pontificiorum verò corruptelas, dolos malamque fidem, quam in suis ipsorum & aliorum libris edendis & citandis committunt, in lucem producat: Sic ergo Indicem hunc in gratiam studiosi Lectoris, ex voluntate Authoris, distribuimus, ut prior Res & Verba: Alter locorum S. Scripturæ expositiones: Tertius verò Patrum & aliorum Authorum testimonia, à nostro Authore citata & explicata, contineat: ejusdemque majoris lucis & commoditatis gratia tres partes esse voluimus. *Vale*.

INDEX PRIOR.

A.

AARONIS *Offertorium.* 188
commemoratio Sanctorum. 196
thurificatio. 177. 178
Aaronicus *vestitus in sacris Pontificiis.* 169. 170. 171.
Abelis *sacrificium quomodo placuerit Deo.* 236. *typus cujus* ibid.
inter Abelis & Cainis Sacrificia differentia. 503
Ablutio *prima manuum.* 173. *Secunda.* 190
post Eucharistiam. 206
Abstemii *quomodo debeant communicare.* 11
non propter eos sustulerunt veteres usum Encratitæ 148
de iis quid statuendum. 389. 393
Accessus *Sacerdotis ad altare.* 175
de Accidentibus *sine subjecto Papistarum absurda opinio.* 300. 301. 302. 303. 306. 307. 310. 353
Accipere *debemus in manus Eucharistiam 5. olim usitatum.* 27. *ejus significatio.* 5. *cur,* 29
Accipere *& offerre differunt.* 490
Aculuthi *officium.* 180
Adelmannus *Episcopus Brixiensis.* 286
ejus ad Berengarium Epistola. ibid.
Status causæ inter ipsum & Berengarium. 287
non asserit transubstantiationem. 288
Vide versum Indicem.
Adorare *quid.* 411. 412
Adoratio *Eucharistiæ quando instituta.* 319
adorare Symbola est Idololatria. 410
incommoda quæ inde sequantur. 411
ob quas causas in Sacramento non sit adorandus Christus. 409. 410. 411
ADORATIONI *Eucharistiæ non patrocinantur Patres.* 407. 408. 409
de ea quomodo loquuti sint Patres. 430. 431
qua conditione sit adoranda Eucharistia. 411
Ædituorum *apud Gentes officium.* 174
ad Ægrotos *deportatio Eucharistiæ, quando instituta.* 319
olim aliter usitata quàm hodie. 325
Ægrotorum *communio unde orta.* 35. *ejus author.* ib.
non quibusvis ægrotis Cœna data. 36
discrimen inter veterem ritum communicandi lapsos ægrotos ad hodiernum usum. ibid.
communio ægrotorum viaticum vocatur. ibid.
Ægrotis *Eucharistiam deferre Laicis non licet.* 162
quomodo ad ægros deferenda sit. 341
Ægrotorum *communio in quibusdam reformatis Ecclesiis retinetur hodie.* 36
cur in aliis sit abrogata. 36. 37
ægroti quomodo admonendi sint, ne ægrè ferant, si eis negatur Cœna. ibid.
Ægyptii *non jejunè communicarunt.* 42
Aerius *hæresiarcha cur damnatus.* 141
Æthiopes *infantibus Eucharistiam dant.* 51
Κυριακὴ dicta est Cœna Domini. 150
Agapæ *Corinthiorum.* 18. 49.
Agathon *primus Latina lingua sacra celebravit Constantinopoli.* 215
quomodo id approbarint Græci. ibid.
Agnus *quis instituerit.* 165. 203
quando dici debeat. ibid.
Agnus *Paschalis an figura fuerit Eucharistiæ.* 482
post Agnum Paschalem alia cœna fuit instituta. 16
Alba *quid* 169
Albericus *Diaconus, disputavit & scripsit contra Berengarium.* 298
Albertus *M. aliquot sequentiarum author.* 184
& media Scholastica Theologia. 344
Alexander *ab Ales, in lib. Sententiarum commentatus est.* 345
Algerus *monachus Corbeiensis scribit contra Berengarium.* 291
Alleluia *quid.* 182
unde. ibid. *ejus author.* 164
à Damaso institutum. 116
qu ndo cantatum. 182
à quibus c ntrariu m. ibid.
nota unica dicitur. ibid.

Almaricus *Parisiensis D. Idololatriam Papisticam & Transubst. improbavit.* 375
Almaricum *Albiensium authorem damnavit Concilium Lateranense.* 310
Altare *corporale statuunt Pontificii in cœlo.* 362
Altari *non est usus Christus in Cœna.* 6
ea non fuêre in usu in primitiva Ecclesia 46.47.105
non fuerunt ante tempora Constantini. 504
à Carolo Mag. non fuerunt primò constructa. ibid.
Lapideorum altarium author Sylvester. 113
in honorem Sanctorum erigi cœpta. 132
eorum abusum tollere conatur Carthaginense Concilium. ibid.
qui Altaria erigunt evertunt Crucem Christi. 504
Altaria *vocarunt Patres mensas.* ibid. *cur.* 47
de Altarium *Pallis.* 102
per Altare *quid intelligatur ad quod oblatio nostra perferri debeat.* 238
Altare *& Sacrificium esse relativa docuit Bellarminus.* 504
Ambrosij *an sint libri de Sacramentis non certò constat.* 425
Ambrosius *excommunicavit Theodosium Imp.* 28
Ambrosiana *Missa abrogatur ab Adriano.* 167
qua occasione. 212
Ambarvalia *festa.* 334
Amen *respondere quid.* 413
Americani *petunt consilium quid illis agendum, quibus vinum non sit.* 11
Amictus *quid.* 169
Anacletus *de ritibus Cœnæ.* 102.103
Ἀναφορὰ *quid.* 188
cur dicta sit Cœna Domini. 151
Andronicus *Imp. per Eucharistiam jurat.* 244
Angelorum *cibus quomodo dicatur Manna.* 254.273
Angeli *quomodo dicantur corpus Domini deferre in cœlos.* 363
Anglia *Romanam Missam quamdiu non habuerit.* 215
Animas *defunctorum eleemosynis & oblationibus anjuvari possint.* 133.134
eas in certo quodam loco custodiri docuerunt Irenæus & Tertullianus. 144
Annua *communio Laicorum à Lateranensi Concilio statuta.* 311
Alberti *M. de hoc decreto sententia.* ibid.
reprehendit annuam communionem Cluniacensis. 312
damna & incommoditates ejus. ibid.
Vide Communio.
Annuæ *parentationes mortuis institutæ.* 132
Annulus *Episcopalis.* 171
Anshelmus *Havelburgensis à Lothario Imp. Constantinopolim missus.* 243.247
axiomm persinaciter defendit. ibid.
Antichristus *quando conceptus & in lucem editus sit.* 162.
Antiphona *quid.* 169
Antiphona post Communionem. 206
ejus mysterium. 207
author ignoratur. 190.207
Antropomorphitarum *sententia de reliquiis Eucharistiæ.* 56
Aperire, *indicare significat etiam apud probatos authores.* 420
Apostoli *ritum Christi in cœna observarunt.* 12.13
Orationem Dominicam adhibuerunt. 12.13.270
quo die celebrarint. 12.13
omnibus dederunt. ibid.
integram. ibid.
panem fregerunt. 12.13
non dixerunt Offero ac Sacrifico pro vivis & mortuis. 270
nec orarunt pro mortuis, mentis intentione ut vult Bellarminus. 141
non jejunè communicarunt. 13.42
in privatis ædibus. 13. *Cur.* ibid.
vulgari lingua usi sunt. ibid.
in verbis Cœnæ tropum agnoverunt. 13
usitatis in lege loquendi verbis usuntur. 484
non adorarunt Eucharistiam. 319
in prima Cœna non fuerunt Ministri sed communicantes. 111
typum totius Ecclesiæ gesserunt. 392
carnerunt instrumentali Musica. 169
non sunt usi vestibus Sacerdotalibus. 172
Apostolicam *simplicitatem in administratione Cœnæ non retinuerunt Pontifices teste Gregorio.* 247
Apostolos *fuisse Cardinales docuit Eccius.* 392
Apostolis *Scholastici nomen tribuit Bellarminus.* 424
de Apostolorum *canonibus judicium.* 102
Apostolicæ *traditiones non sunt statim recipiendæ.* 424.
Aqua *baptismi non est nuda aqua, manet tamen vera aqua.* 45
Aquæ *in baptismo vis unde.* 25
Aquam *vino admiscendam in Cœna statuit Alexander.* 104.190
& confirmavit Constantinop. 6. Synodus. 159
Aqua *vinum mixtum in Cœna.* 49
liberum fuit. ibid.
pro ea mixtione Pontificiorum argumenta examinantur. 382.383
non est Apostolica traditio. ibid.
ritus hic improbatur ab Aurelien. Concilio. 4.384
& à Scholasticis. ibid.
Aquam *pro vino dederunt Ebionita.* 147
Aqua *an transubstantietur in sanguinem vel vinum.* 353.361.
Aquarii *dicti sunt Encratitæ.* 148
Aquarii *qui solam dant aquam reprehenduntur.* 38.39
Aquæ *benedictæ in Missa institutio.* 173.104
ejus consecratio & aspersio. 173
Aquæ *lustrali quam vim tribuerint Ethnici.* 174
Aquilas *appellat fideles Chrysostomus & cur.* 81
Armeniorum *legati ficta apparitione ad obedientiam Romani Pontificis convertuntur.* 371
Arnolphus *Lugdunensis Archiepiscopus damnat Cœnæ mutilationem, ideoque suspensus est.* 375
Aristotelis *Philosophia sua curiositate fœdavit Theologiam teste Trithemio.* 344
non eam aquavit tantum sed & præstat sacræ Scripturæ Albertus M. ibid.
Ἄρτος *quid.* 246
Artotyritarum *error circa Cœnam.* 148
unde dicti. 149
Asaph *Hebraum verbum quid significet.* 491
Ascensio *Christi oratem manducationem confutat.* 82.
de Assevatione *Eucharistiæ.* 325
longus Catalogus eorum qui id fecerunt. 399
refutatur. 400
an rectè asservata sit Eucharistia. 401
cum damno asservata est. ibid.
pugnat cum Verbo Dei. ibid.
non fuit universalis olim. 402
Patres illam asservationem & inclusionem improbarunt. ib d.
judicium de iis qui eam asservarunt. 403

INDEX.

de iis qui donum deportarunt & in ciſtis aſſervarunt. 403
de aſſervatione apud Veteres in templis. 404
jure abrogata eſt. 405
in alium finem quàm in Papatu eſt inſtituta. ibid.
Aureis *vaſis an ujus ſit Chriſtus.* 7
Donata ſunt aurea vaſa. 107
Vide V.
Aulberti *Rothomagenſis Epiſcopi factum.* 162
Azymo *pane an uſus ſit Chriſtus.* 1.2.3.4
nec nos tenemur iis uti. 4
Azymum *panem inſtituit Alexander.* 104
confirmavit Conſtantinopol. Synodus. 159.160
ejus uſus tempore Gregorii liber. 164
de Azymo *pane certamen inter Græcam & Latinam Eccleſiam.* 246
rationes pro azymo. ibid.
contra azymos. 246.247
de Azymo *pane certamen inter Anſelmum Havelbergenſem & Nechitem Nicomedienſem Archiepiſcopum.* 247

B.

BAculus *Epiſcopalis qualis.* 171
cur Poniſex non utatur, fabula. ibid.
baculum Petri habet Trevirenſis Eccleſia. ibid.
Baptiſmus *fons vitæ.* 253
quomodo dicatur fides. 426
mors dicitur. 67
ſine fide per ſe nil prodeſt. 370
lavacrum regenerationis eſt. 77
ablutio duplex. 57
exterius aqua forma cernitur, interius verò regeneratio deſignatur ait Bertramus. 253.254.265
in illo nulla fit Elementorum tranſmutatio. 465
non fit aqua mutato. 25.67.73.77
ſuper Baptiſmum *non certa verba pronunciantur.* 358
nec faciunt Sacramentum. ibid.
Baptiſmi *aqua ceſſat eſſe Sacramentum, extra legitimum uſum.* 405
ut in Baptiſmo ſic in Cœna nobis præſens eſt Chriſtus. 84
in Baptiſmo quomodo adoretur Chriſtus. 407
ſi recte baptizantur infantes an eis Cœna quoque danda ſit. 53
ritus immergendi & aſpergendi indifferens. 30
Baptiſmi *& Cœnæ diſcrimen.* 418
Baptiſmus *ſurdis collatus non eſt irritus.* ibid.
Baptiſmus *ab indocto Sacerdote barbarè adminiſtratus non iterandus.* 108
Baptiſmo *cur non tam inſidiatus ſit Satan quàm Cœnæ.* 18
Baptiſmo *crucis ſignatio addita.* 18
Baptizandi *poteſtatem non habent mulieres.* 162
Baptizare *ſine Epiſcopo olim non licuit.* 147
Baptizare *mortuos antiquus error.* 224
Baptiſmus *Clinicus damnatur.* 370
Barbarus *quis & quid.* 37
Barſanianis *fuit pro pane in Euchariſtia exhibebant.* 148.
Benedictio *novarum frugum.* 201
Benedictio *Sacerdotalis.* 201
de Benedictione *noviſſima Miſſa.* 203
de Benedictione *primitivæ Eccleſiæ ſententia.* 207
Benedicere *in Cœna quid proprie ſignificet.* 25
Benedicere *poculo quid.* 4
Benedicendi *verbo Sacerdos impiè abutitur.* ibid.
Benedicti *ſæculum ponentis Euchariſtiam ſuper petitum mortui, examinatur.* 354
Bibendi *verbo quoties uſus ſit Chriſtus in Cœna.* 400
Blandinæ *confeſſio, de Eſu carnis Chriſti.* 393
Bohemorum *de Cœna doctrina.* 69
Bonifacius 8. *Sextum Decretalium confirmavit.* 375.376
Brazutus *Diaconus Victoris 2. miſit in calicem clam venenum.* 344
Breviaria *unde dicta.* 283.336
Britannicis *Eccleſiis obtruſit Azatho Papa Romanum Miſſandi ritum.* 186
Berengarius *quis.* 283. *illius laus.* 168
doctrina de Cœna. 284. *Palinodia.* 284.343
ejus mors. 291. *Vide tertiæ indicis partem.* 289
Bernæ *prædicatores hoſtiam veneno tinctam novitio exhibuerunt.* 2
Bernenſium *Monachorum impoſtura.* 336
Berramus *quis.* 372
Vide tertii indicis partem. 251.269
Berrandus *Dominicanus pro defunctis Miſſam celebrare noluit.* 2
Bulla *Urbani 4. de corporis Chriſti feſto.* 372

C.

CAlendarium *Romanum Ægyptiis Dioclesianus obtruſit.* 327
Calice *abſtinere ſacrilegium.* 215
Calicibus *ligneis uſi ſunt Orientales.* 56
Calicis *hiſtorica tractatio. 190. elevatio.* 271
quibus Ceremoniis ſumatur. 198
Calix aureus donatus ab Henrico. 205
Caligæ *ſacerdotales.* 107
Clementinæ. 170
Clementis *Romani Conſtitutiones ſuppoſititiæ.* 344.
Cleon *inſtituit χαλαζοφύλακας.* 399
Clerus *Romanus in voto cælibatus imitatur Ethnicos Sacerdotes.* 333
à populo diſcerniturin templis à Felice. 116
eorum diſcretio in communione à quibus inſtituta. 119
ibidem.
improbatur. ibid.
Clerici *excommunicati Miſſam non celebrent.* 340
lapſi cum laicis communicabant. 21
Clerico *in adminiſtratione morbo correpto, alius ſuccedat.* 158
Canones *Apoſtolorum ſunt apocryphi.* 102
Canoniſtæ *in evehenda Rom. Pontif. auctoritate ſtrenuè laborarunt.* 344
Canon *Miſſæ.* 193
unde dicatur. 194. author. ibid.
Canon *minor.* 188
de Canonis *antiquitate.* 421
non eſt Apoſtolica traditio. ibidem. 422
Scholaſticus author Canonis. ibid. 424. *Eſt* 500
amplius annis poſt Chriſtum conſcriptus. 423
rationes Bellarm. pro antiquitate Canonis refutantur. 425
non uno tempore nec ab uno author conſutus eſt. 196
non eſt de Evangelio. 146
eum auxit Gregorius M. 164
& Gregorius III. 167. quid contineat. 194
Diviſio. ibid. *Forma.* ibid.
de ejus neceſſitate. 421
præferunt eum inſtitutioni Chriſti. ibid.
ſine ejus verbis conſecrationem non fieri. ibid.
Partes ejus explicantur à fol. 195. uſque. 201
Canonis *ſecunda pars non de corpore Chriſti ſed de fidelium oblationibus intelligenda eſt.* 224
Tertia. 230. quarta. ibid.

Quinta. ibid. *Sexta & septima.* 233
Octava. 234. *Nona.* 235. *Decima.* 237
Decima-tertia. 239
Canonis *Latini falsa & nova Scolasticorum interpretatio, ejusque violenta ad transsubstantiationis dogma, detorsio à fol.* 354. *usque.* 364
prima partis depravatio. 354. 355
2. partis depravatio. ibid.
4. partis. 356
5. partis. ibid.
6. partis depravatio. 357. 358
Octava partis corruptio. 361
9. partis. 361
10. partis. 362
11. partis. 363
13. partis. ibid.
Canon *an secretè legendus.* 417
quando taciè & cum silentio legi cœperit. 145
fabula ob quam taciè legi cœperit. 146
lectio Canonis cum silentio Ethnicismum refert. ib.
argumenta contra submissam vocem. 417. 418. 419
argumenta Bellarmini pro murmure refutantur. 419. 420.
Canonis *hæc verba, Petimus ut accepta habeas hæc dona, hæc munera, quomodo intelligenda sint.* 227. 228.
Canonem *non recitatum fuisse, super reale corpus Christi, sed super eleemosynas, probatur à fol.* 224
usque. 240
est frequens in Canone, tautologia. 424
prepositerus ordo. ibid.
In Canone *nomina offerentium recitantur.* 230
ex Canone *probari non potest Missam esse Sacrificium.* 474. 475.
Canon *nil facit pro Transsubstantiatione.* 224. 226. 229. 230. 232. 235.
Cappa *quid.* 170
Capella *unde dicta.* ibid.
Capellani *qui.* ibid.
Capernaitarum *error.* 16
Capitis *compositio in sacris.* 173
Captivis *& non-dum plectendis hodie in aliquibus Ecclesiis Eucharistia datur.* 36
Χαῦνιμα *quid.* 110
Caro *Christi duobus modis consideratur secundum se,*
in proprio subjecto, Relative vero in alieno subjecto. 78. 79
Caro *Christi post passionem apta fuit ad cibum.* 80
Caro *nostra quomodo dicatur ali spirituali cibo.* 435. 436.
Carolus *M. edictis adjuvit Romani Pontificis potestatem.* 213
ebrarsit Romanam Liturgiam aliis Ecclesiis. ibid. 214.
incommodis phrasibus usus est in negotio Cœna. 251
ad mensam communicaturus, in medio templi collocatam, accessit. 139
in ejus coronatione Leo Papa non traditis sed confirmavit Imperium. 168
Caroli Calvi *tempore liber fuit ritus celebrandi.* 214
Casei *oblationem Deo gratiorem quàm vini dixerunt Aristotrita.* 148
Castè *sumenda est sacra Cœna.* 40. 41
Patrum sententia. ibid.
Casula *quid.* 179
ejus elevatio. 199
Catechumeni *olim ad sacram Cœnam non admittebantur.* 32. 35
quoties Cœna celebranda erat, exire jubebantur. 155.
Cathedra *Episcopalis in loco sublimiori erat olim collocata.* 181
Catinus *Genuensis supposititius.* 7
Cautelæ. 21
superstitiosæ & ridiculæ Presbytero Missam celebrare volenti observandæ. fol. 357. *usque.* 340
Cantus *opera Hieronymi introducius in Romanam Ecclesiam.* 178
de eo Patrum sententia. 24
Cantum *instrumentalem quis instituerit.* 168
refutatur. 169
Centuriatores *Magdeburgenses, falsò objiciunt Bertramo quòd Transubstantiationis semina sparserit.* 269.
Ceremoniis *quibus usus sit Christus in Cœna à fol.* 1
usque. 12
quibus Apostolica Ecclesia. ibid. 14.
inclinatio Apostolorum temporibus. 16
post illa tempora. 19
Ceremoniæ *circa Cœnam Domini.* 158. 162
in immensum auctæ. 158
vide R. divinos effectus tribuere sine Dei præcepto horribilis est idololatria. 358
Character *indelebilis.* 110
Chirothecæ *Episcop.* 171
Chorus *clericis tribuitus.* 119
CHRISTVS, *quibus ceremoniis sacram Cœnam instituerit.* 1
congregavit discipulos. ibid.
assedit mense vestè honestâ. ibid.
panem accepit triticeum suis manibus. ibid.
Non fermentato pane suum Pascha celebrasse probatur. 1. 2
anticipasse suum Pascha probatur ex Verbo Dei. 2
ex Patribus. 2
rationibus. 2. 3
benedixit in Cœna. 4
fregit panem. 5
distribuit. ibid. *jussit edere.* ibid.
poculum omnibus distribuit. ibid.
lingua nota instituit. 6
peculiari genere poculi non est usus. ibid.
an lumina adhibuerit. 7
quando crucifixus sit. 2. 4
non sacrificavit panem & vinum. 5
quomodo consecrarit in Cœna. 359. 360
non super panem pronuntiavit hæc verba sed discipulos alloquutus est. 358. 360
mandavit clara voce uti in Cœna. 417
non in silentio peregit oblationem in Cruce. 421
seipsum non obtulit in Cœna. 490. 493
quomodo se Patri obtulisse intelligendum. 491. 492
Christus *quomodo abrogarit Sacrificia.* 507
omnia absoluit quæ ad offerendum pro peccatis pertinebant. 508. 509
consummasse quomodo dicatur omnia. ibid.
Christus *mactatus propriè adesse dicitur in Cœna.* 57
quomodo adsit. 72
in Cœna quomodo adoretur. 407
Christus *in hostia an sit surdus mutus cœcus necne.* 353
circumscriptus necne. ibid.
an nudus, vestitus. 354
non egit Sacerdotem qualem Pontificii requirunt. 111
Christi *ascensio oralem manducationem evertit.* 82
ejus caro dupliciter consideratur. 78
non fructum tantum ejus sed ipsum Christum percipimus. 79
Christi carnis cum Helia melote comparatio. 452

ejus in Cœna præsentia quomodo miraculosa dicatur. 431
ejus corpus Patres cœlo quærendum hortantur fideles. 81
ejus corpus impii non edunt à 86. usque. 90
Christi *corpore nostra corpora aluntur Irenæi phrasis explicatur.* 435
Christi *sacrificium non Missa sed fide nobis applicatur.* 512
Christianis *nullum vetus Sacrificium habent.* 507. 508.
Chrismatis *consecratio.* 202
Circumgestationis *Eucharistiæ Urbanus & Clemens nullam faciunt mentionem, sed recentius est inventum.* 330
Dianæ sacris comparatur. 329
Persicæ Pompæ similis. ibid.
Cistercienſis *à Sequentiis abstinet.* 184
Cœlibatus *voto Orientales Sacerdotes non erant astricti.* 117
nec Occidentales. 118
Causa cœlibatus Sacerdotum. ibid.
Cœna *Domini quibus nominibus primis sexcentis annis appellata sit.* 150
nimirum Agapè. ibid.
Anaphora. 151
Cœna Dominica. 150
Collecta. 37. 152. *communio.* 34
Corpus & sanguis Domini. 150
Eucharistia. 4. 150. *cur sic dicta.* 500
Fractio panis. 5. 150. *Immolatio.* 151
Liturgia. 37. 151. *Mensa Domini.* 13
Missa & quando. 152
vide Missa, Mysterium. 152. 252. 263
Oblatio. 151. *Pacis Symbolum.* 32
Sacrificium. 4. 5. 151
quo sensu sic dicta sit à Patribus. 151. 222. 495. 496
Vide S. Synaxis. 37. 151
Viaticum. 157
Cœna *vera quæ.* 10. 12
illegitima vera quæ. 10. 11
quibus cæremoniis primò sit instituta. 1. 2. 3. 4. 5
ritus accidentarii. 6. 7
Ritibus promissio à Christo annexa. ibid.
ritus in Romana Ecclesia usque ad Gregorium M. à 99. usque ad
Vesperi instituta & cur, quando sit sumpta. 42
alicubi quotidie celebrata. 43
alibi bis in septimana. ibid.
alicubi die Dominica tantum. ibid.
in festis majoribus. 44
observatio temporis libera fuit. ibid.
quotidie celebrata Romæ. 100
quater in hebdomade celebrata fuit. 33. *vbi.* 46
non licet alibi quam in templis celebrare. 46. 162
cur in privatis ædibus celebrarint. 37
non in altaribus celebravit primitiva Ecclesia. 46
ea celebrata super aris lapideis & mensis. 159
in Cœna *sacra pane communi nobis uti licet.* 4
nil nisi panis & vinum offerendum. 113
aquam vino miscendam statuit Alexander. 104
vinum aquâ in Cœna mixtum. 49
de vasis sacris. 47. 48
Vide V.
Cœna *clara & lingua vulgari olim peracta fuit.* 145
qui eam administrarint in primitiva Ecclesia. 19. 20. 101.
quando eam administrare cœperint Monachi. 158
eam administrantes simul communicare debent. 158. 242.
quomodo sumpta fuerit in primitiva Ecclesia. 40. 41. 42.
Qui ad eam admittendi. 31. 159
omnibus & singulis data quotiescunque celebrata fuit. 33
non solis Sacerdotibus olim dabatur. ibid.
qui non admittendi sint. 31
primitivæ Ecclesiæ mos. ibid.
Catechumeni. ibid.
Concubinarii. 53. *Demoniaci.* 21
Energumeni. 32. *Excommunicati.* 101
Histriones. 32. *Hæretici.* 31
Hypocritæ. 31. *qui religionem ignorant.* ibid.
lapsi pœnitentes. 32. 33
non ritè data est mortuis. 50
infantibus. 51
non quibusvis ægrotis. 36
quibus olim injustè denegata. 53
qui non ritè sumpserunt. 54
qui domum deferebant. ibid.
qui calicem aversabantur. 56. 119
qui panem in vinum intingebant. 56
crebrior ejus usus in contemptum eum adduxit. 45
contra variorem usum. ibid.
Est aliis quoque distribuenda. 5
Cœna *integra data.* 37. 161. 242
Sacrilegium est mutilatio. 39
omnibus communis debet esse. 6. 242
fuit apud Veteres communio. 238
Cœna *non est mutilanda ob quædam incommoda.* 388
laici Cœnam sub utraque specie sumpserunt temp. Urbani. 108
Iulii. 115. *Ludovici Pii.* 108
Leonis. 119. *Gelasii.* 120
Vide Utraque specie. Ea nos certos reddit Resurrectionis nostræ. 436
in Cœna *quomodo martyrum memoria apud veteres celebrata sit.* 112
in puro lineo panno celebranda. 113
non est instituta ad probandam innocentiam. 245
reliquiæ custodiendæ. 101
jubentur consumi. ibid.
Cœnæ *& baptismi eadem ratio.* 84
cur magis Cœnæ quam Baptismo insidiatus sit Satan. 18
Sanam & veram doctrinam de Cœna Domini Præcipui doctores tertiæ Classis retinuerunt à usque. 215
223
Inclinatio sanæ doctrinæ hujus classis. 239
vera doctrina in quarta classe reperta, ejusque inclinatio à fol. 248. usque. 252
doctrina sanæ de Cœna Domini inclinatio ab anno 1050. usque ad A. 1200. 294. & seq.
sanæ doctrinæ declinatio à fol. 124. usque. 146
invocatio Sanctorum. 124
preces pro mortuis in Cœnam introductæ. 129
hæreticorum de Cœna Domini errores. 147. 148. 149
Verba Cœnæ *sunt figuratè accipienda.* 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15.
cur non dixerit. Est figura corporis mei. 10
Cœnæ *verba per mille annos per figuram interpretati sunt.* 281
Clemens. 120. 121. 235
Iustinus. 121. 122
Irenæus. 58
Tertullianus. 58. 62. 65
Origenes 63. 69. 76. 84
Cyprianus. 58. 70. 71. 79. 90

Theophilus Alexandrinus. 58. 70
Innocentius. 123
Leo I. ibid.
Gelasius. 124
Athanasius. 71
Hilarius. 65. 90
Gregorius Emissenus. 80
Hesychius. ibid. 84
Basilius. 62. 65
Macarius. 65. 79
Maximus. 65
Cyrillus Hieros. 61. 79
Hieronymus. 58. 64. 78. 84. 90
Chrysostomus. 60. 62. 63. 69. 76. 82. 85
Gaudentius. 79
Ambrosius. 59. 66. 84. 87. 89
Ephrem. 65
Augustinus. 60. 62. 63. 64. 68. 79. 83. 87
Dionysius. 65. 69
Cyrillus Alexand. 58. 63. 78. 85. 89
Theodoretus. 61. 64
Eusebius Cæsariensis. 62
Fulgentius. 79
Gregorius M. 216
Isidorus. 216
Beda. 218
Damascenus. 218
Amalarius. 221
Alcuinus. 220
Christianus Druthmarus. 220
Haymo. 222
Rabanus. 221
Bertramus. 252
Paschasius. 271. 272
Theophylactus. 277
Nicephorus. 44
Bernhardus. 291
Cœlibatus *Sacerdotum author Syricius.* 116. 117
refutatur. 116
Nicænum Concilium abrogavit. 117
de Collecta. 179
nomen Collectarum quid significet. 180
Collecta impari numero fiunt. ibid. *author.* 180
Collecta *quo sensu dicta sit Cœna Domini.* 152
Collectarum *nomen quomodo sacræ Cœnæ conveniat.* 37.
de Collectis *fidelium, Patrum testimonia.* 188. 189
Collyridianorum *error.* 147. *refutatur.* ibid.
Collobium. 171
Commixtio *corporis & sanguinis Christi est absurda & pugnat cum sacris Literis.* 355
Communio *vocata est sacra Cœna.* 34. 35. *cur.* 34
Communio *egrotorum unde orta.* 35. 36. 37
Communicandum *quoties.* 241
Communio *annua in Concilio Lateranensi statuta.* 311
improbatur. 312
à Communione *qui prohibiti.* 243
de Communione *per 40. dies ad Sacerdotium promotorum.* 247
de Communione *Sacerdotis.* 205. 206
Communio *laicorum quæ.* 21. 22
Communionis *inter laicum & Sacerdotem discretio à quibus instituta.* 119
improbatur. ibid.
Communio *sui ipsius in privata Missa.* 332
Communio *privata abrogata est.* 37
Communicare *qui debeant.* 242
Communicare *nolentes seipsos excommunicant.* ibid.
Communicarunt *olim laici sub utraque specie.* 37. 38. 39. 40
Communicantium *& Ministri actiones sunt distinctæ.* 111
Concilia *posse errare.* 315
non esse præferenda sacræ Scripturæ. ibid.
Concomitantiæ *author Thomas.* 353. 354
refugium Papistarum. 361
Concomitantiæ *figmentum refutatur.* 389. 390. 391
labefactat Transubstantiationem. ibid.
à Concubinatio *Missam non audiendam.* 241
Lucius 3. concessit. ibid.
Concubinariis *non rectè datur Eucharistia.* 53
de Concubinis *Bellarmini sententia refutatur.* 54
Confessio *auricularis ante Cœnæ sumptionem non fuit in usu in primitiva Ecclesia.* 312
ejus origo. 313
ab Innocentio III. instituta. 312. 313
non præcepta à Christo & Apostolis. 312
eam non esse ex jure divino sed humano. 313. 314
est carnificina potius quàm probatio. 314
à Muris gestibus fieri debere. ibid.
quàm necessaria sit & quomodo fieri debeat. ibid.
Confessio *Sacerdotis in Missa non fit soli Deo sed Sanctis.* 175
de Confessione *facienda in Missa* ibid. *origo.* ibid.
Confessorum *cur non fiat mentio in Canone.* 196
Conjuges *abstinere debent ab operibus carnis qui communicare volunt.* 159
Conjugium *Sacerdotum damnarunt Romani Pontifices.* 116
approbarunt Concilia. 117
Patres. ibid.
de Conjugio *Patres non rectè senserunt.* 40
pro conjugio. 41. *Vide* Matrimonium.
Conjunctio *nostra cum Deo est miraculosa.* 432
Conradus *Hager Herbipolensis, Missam sacrificium pro mortuis esse negavit.* 376
Conradus *Pellicanus discipulus fuit Pauli Scriptoris.* 377.
Consecrare *quid sit.* 110
de Consecratione *primitivæ Ecclesiæ sententia.* 25. 26
Consecratio *quid Justino significet.* 122
Consecratio *non fit per verba institutionis ni adhibeantur & Canonis verba juxta Colonienses.* 421
ad Consecrationem *Intentio requiritur.* 346
& quæ verba. ibid.
Consecratio *Papistica Magicis incantationibus quàm Christi instituto similior est.* 358
de Consecrationis *verbis non convenit Pontificiis.* 359
Consecrationis *novæ magnum mysterium.* 355
Consecratio *Chrismatis.* 202
Consubstantiationis *origo.* 306
absurditas. 307
Guitmundus eam damnavit. 306
Lanfrancus. ibid.
Occam non improbavit. 307
Petrus de Aliaco approbavit. ibid.
Lutherus recepit. 307
Consubstantiatio *& Transubstantiatio quid differant.* 308
de Consuetudinibus *Ecclesiasticis quid statuendum.* 139.
quid Patres docuerint. ibid.
Consuetudo *sæpe pro Apostolica traditione recepta.* ibidem.
Conversio *quid apud Justinum.* 121
de Convertione *Symbolorum in sacra Cœna primitiva Ecclesiæ sententia.* 25
Corinthiorum *error, circa Cœnam Domini.* 16
unde. ibid. *emendatur à Paulo.* 17

Corona *Imperatoribus in Missa quando imponi cæperit.* 168
Corpus & *Sanguis Domini dicta est Cœna Sacra.* 150.
Corpus & *sanguis Domini quo sensu dicatur Eucharistia.* 426. 427
Corpus *Christi quando adsit in Cœna.* 8
Corpus *Christi dupliciter consideratur.* 259
Corpus *Christi non in pane sed in Cœlo quærendum esse Patres docuerunt.* 81
Corpus *Christi quod pependit in cruce comeditur & non comeditur in Eucharistia juxta Scholasticos.* 351
reale ore corporis editur & non ediur. ibid.
ab impiis editur & non editur. ibid.
Corpora *Christi duo statuit Lombardus.* 351
an Corpus *Christi in ventriculum transeat.* ibid.
an mures illud edant. 352
Corporis *Christi nomine Patres non ipsam propriam essentiam sed Symbolum intellexerunt.* 84
Corporis *Christi festi descriptio à fol.* 326
usque. 332
Corporalem *præsentiam confirmarunt Romani Pontifices contra Berengarium.* 288.290
qua occasione. 249. 251
non illico approbata. 251
de Corporali *præsentia Christi opinioni hyperbolicæ Patrum Phrases occasionem dederunt.* 249.250.251
Corporalis *præsentia refutatur.* 1. 8. 14. 15. *à f.* 57 *usque.* 90. 120. 121. 122. 216. 217. 220. 221. 233
Corporale *quid.* 190
id ex lineo panno conficiendum decrevit Sixtus. 105
Corporalia *ad incendia extinguenda non sunt usurpanda.* 244
Crodegangus *Metensis Episcopus, Missam Romæ celebrat.* 168. 213
Cruciatæ *quid.* 294
Crucis *signatio Cœnæ addita.* 162
Crucis *signatio in Sacramentis necessaria.* 190
Cruce *signatur species Sacrificium Missæ.* 201
inter Crucis & *Cœnæ oblationem quæ sit differentia.* 491.
de Cruento & *incruento Sacrificio Christi.* 510
Cultus *nomine quid intelligat Canon.* 362
Cylindrus *quid.* 317

D.

Dæmoniacis *non committenda Cœna.* 106
Dalmatica *vestis quæ.* 171
de Decretalibus *Epistolis Romanorum Pontificum judicium.* 100
quando confictæ sint. 107
de Decretis *Romanorum Pontificum judicium.* 120
Decreta *varia Conciliorum de Ceremoniis in Cœnæ celebratione observandis.* 340. 341. 342
Decretum *Gratiani.* 343
Decretales *Gregorii.* 344
Decretalium *Sextus Liber.* ibid.
Decretum *Urbani de Corporis Christi festo non ab omnibus receptum.* 328
Decreta *Pontificum Vide in Tertio Indice.*
pro Defunctis *Missam celebrandam docuerunt Isidorus, Damascenus, &c.* 240
pro defunctorum salute precum origo. 129
quando Germanis obtrusa. 240
quid Missas pro defunctis commendarit. ibid.
quid promoverit. 137
oblationes pro defunctis cur factæ. 129
animas eorum eleemosynis juvari posse. 133
abusus. 130. 131
confirmata à Gregorio. 136
nisi extat de his in Canone. 137
argumenta refutantur. ibid. 138. 139
Determinatio *Romanæ Ecclesiæ non Sacra Scriptura probat Transubstantiationem.* 350
Diaconis *an & quando Eucharistiam administrare liceat.* 399
illis absentib. presbyteris Cœnam celebrare licuit. 20
id illis postea interdictum fuit. ibid.
Diaconis *Oratium concessum.* 170
Diocletianus *Ægyptiis Calendarium Romanum obtrusit.* 215
Disciplinæ *Ecclesiastica severitas in lapsos.* 404
non potest probari. 405
Disparata *à se invicem non nisi figuratè sunt accipienda.* 444
Distributio *qualis facta à Christo in Cœna.* 27
Doctrina *nostra de Cœna mille annis est antiquior Missa.* 508
Doctrina *de Cœna Amalarii,* 221
Bedæ. 217. *Damasceni.* 218
Francofordensis Synodi. 220
Alcuini. ibid. *Caroli Magni.* ibid.
Christiani Druthmari. ibid.
Gregorii M. 215. *Isidori.* 216
Niceni Concilii. 219. *Rabani.* 221
Haymonis. 222. *Vide plura in C. E. & H.*
Doctrinæ *sanæ de Cœna & rituum inclinatio Apostolorum temporibus.* 16
Doctrina sanæ inclinatio complectens novas & incommodas opiniones de Cœna Domini. 124. 125
Inclinatio 4. classis. 239. 240
doctrina vera in hac classe retenta. 248
Doctrinæ *veræ de Cœna horribilis inclinatio à Leone IX. usque ad Innocentium tertium.* 294. 295
Doctrinæ *sanæ ruina & interitus.* 342. 343
Doctrina *de Missa pro vivis & defunctis confirmata & propagata.* 281. 282
Dogma *de Transubstantiatione approbatum & confirmatum.* 316. 317
Dominica *Cœna omnibus & singulis olim data fidelibus.* 33. 34. *Vide Cœna.*
Dominicus *Calderinus Missam communem errorem vocavit.* 377
Dominus *vobiscum, unde sumptum.* 179
Domum *delata fuit olim Eucharistia quare.* 54

E.

Ebionitæ *loco vini aquam porrigebant.* 147
refutantur. ibid.
Ebriis *non danda est Eucharistia.* 42
Εκλογαι *quid.* 152
Ecclesia *non satis pura, est tamen Ecclesia.* 11
Elevatio *hostiæ.* 198. *Est necessaria.* 318
ejus Significatio. ibid. *origo.* ibid.
Elevatio *panis & calicis qualis fuerit in antiqua Ecclesia.* 27
pro Elevatione *argumenta refutantur.* 405. 406
ritus hujus origo. ibid.
Elevatio *propter aliam causam olim usitata fuit.* 411
Calicis. 198. *casula Sacerdotis.* 199
Emauntina *Cœna non fuit Sacramenti administratio.* 385.
Embolismus *Missæ.* 202
Enallage utitur Scriptura, de tempore instanti tanquam præsenti. 492

Encratitarum *error.* 148
Energumeni *olim ad sacram Cœnam non admittebantur.* 32
Epileptici *postremo loco communicare debent ex Decreto Zachariæ.* 167
Episcopus *testes in celebratione habeat.* 103
Episcopi *aurei ligneiq; vasis usi sunt.* 47. 48
Episcopi *olim cathedram in loco sublimiori habebant.* 181.
sedent ad Graduale & Alleluia. ibid. *cur.* 184
ad Numæ exemplum. ibid.
Episcopi *olim non erant Principes.* 19
Episcopi *olim uxorati fuerunt.* 116
multi Episcopi Romani Sacerdotum filii fuêre. 117
Episcoporum *Missificantium indumenta.* 169. 170
de Epistola. 180. *Ubi legenda.* ibid.
quis eam legere debeat. ibid.
sedendo audienda. ibid. *ejus author.* ibid.
de reverentia post lectam Epistolam faciendâ. ibid.
Est *per significat, Patres exposuerunt.* 61. 62. 63
vide Hoc est.
Ethnicus *non credit Panem esse corporis Christi Sacramentum.* 437
nec aquam Baptismi lavacrum. ibid.
Ethnici *frugalitatem in suis sacris probarunt.* 48
Ethnici *quidam piè coluerunt Deum & rectè sacrificarunt.* 483
eorum Orientem versus orandi consuetudo. 194
Ethnicorum *consuetudo de manuum lotione.* 173
de aqua lustrali opinio. 174
consuetudo in sacris confitendi peccata. ibid.
conversio in orbem Sacerdotum Gentilium. 176
thurificatio. 177
consuetudo dimittendi populi in sacris. 156. 157
de impari numero sententia. 180
Sedent in suis sacris. 184
Ethnicilium *vetere lectio Canonis cum silentio:* 146
Evangelium *quod in Missa legitur.* 184
Evangelii *Codicem accipiendi ritus.* ibid.
ritus deponendi. 185
populus stando audit Evangelium. ibid.
ritus hujus origo. ibid.
diversa ratio legendi Evangelium apud Veteres & Papistas. 186
Evangelium *ad collum suspendere superstitiosum.* 370
Evangelium *quanti faciant Pontificii.* 185
Eucharistia *dicitur Cœna Domini.* 4. 5. 150
Eucharistia *pacis symbolum.* 32
Eucharistia *quo sensu à Patribus dicatur corpus & sanguis Domini.* 426. 427
miraculum. 432. 433
tremendum mysterium. ibid. *Sacrificium.* 151
Sacramentum & Sacrificium est sed diverso respectu. 508
Eucharistiam *vocavit Gaudentius mysteria vitæ æternæ & exemplar Passionis Christi.* 79
inter Eucharistiam & Sacrificium distinguendum. 421
in Eucharistia qua materia precum olim fuerit ante & post benedictionem. 92
Eucharistia *quibus danda vel non.* 31
Vide Cœna, integra danda. 37
in manus data. 161
Eucharistia *quibus non rite data.* 50. 51. 52
Eucharistia *quando leprosis & Epilepticis danda.* 167
qui eam non rite sumpserint. 54. 55
an sumenda si sumpto cibo exemplo Christi. 41
domum delata fuit. 54
cur. ibid. *improbatur.* 55
intincta ægrotis data. 160
Eucharistia *intincta improbatur.* 56. 320
abrogatur à Iulio. 113. 320
ea lex repugnat mutationi Eucharistiæ. 113. 320
eam mulieres velato capite sumpserunt. 161
nudis pedibus non conficienda. 170
Eucharistiæ *adoratio.* 319
Adoratio improbatur & argumenta Pontificiorum refutantur à sol. 407. usque. 412
Vide A. reverentia ei est exhibenda. 411
ad ægros deportatio. 319
Eucharistiæ *deportatio in privatas ædes prohibita.* 403
cur. ibid.
Eucharistiæ *elevatio.* 161. 318
argumenta Pontificiorum refutantur. 405. 406
non est circumgestanda. 11
Eucharistia *non est spontanea oblatio.* 153
Eucharistiæ *mutilatio, quando & quot modis tentata.* 319.
ab ipsis Pontificiis improbata. 320
à Constantiensi Concilio publico decreto confirmata. 321. *quibus rationibus.* ibid. 322
& à Basiliensi Concilio. ibid.
à Tridentino confirmatur. 323. 324. 325
Vide V.
Eucharistiam *rationem Sacramenti habere extra usum docuerunt Pontificii.* 371
Eucharistiæ *asservatio qualis olim fuerit.* 326
qualis hodie. ibid.
de Eucharistiæ *asservatione & inclusione Pontificiorum sententia refutatur.* 398. *Vide A.*
de ejus reliquiis & asservatione. 56. 57
abusus, in periculis refugium erat. 54
ad veneficia exercenda usurpata. ibid.
Eucharistia *adhibetur averruncandis malis.* 333
origo. ibid. *forma.* ibid.
ritus hic damnatur. ibid.
imitantur Israelitas & Ethnicos. 333. 334
Eucharistia *pro custodia usurpata.* 336
Eucharistia *veneno nefariè infecta & ad necandos homines usurpata.* ibid.
Eulogia. 4. 17
de Eulogiis *Pii decretum.* 106
Euchetarum *error.* 149
Eutychianorum *error notatur.* ibid.
Excommunicatis *Cœna non danda.* 101
cum Excommunicato *non communicandum.* 162. 164
Extravagantes *quid.* 345
Exuperius *in canistro vimineo & vitro portavit Eucharistiam.* 400

F.

FAbula *ob quam Canon tacitè legi debeat.* 146
Examinatur. ibid.
Fabula *alia de visibili specie corporis Christi in forma infantis non est Paschasii.* 277
alia de inventa vera carne & sanguine in Altari & calice. 290
Fabula *alia de Lupo scholam frequentanti Sacrificulis accommodata.* 490
Fabula *de confirmatione Gregoriani officii, examinatur.* 212. ibid.
Fabula *de Macario.* 467. *de Trajano.* ibid.
Cur Pontifex Maximus baculo non utatur. 171
de introitu Missæ. 174
Fabula *de Trisagio.* 193
Fabula *quòd sanguis ex hostia promanarit.* 327
Facere non significat Sacrificare. 491
negant

negant, id mox rursum affirmant. 491
Feralia *à Christianis mutata.* 189
Fermentato *pane an usus sit Christus.* 1.2
orthodoxa Ecclesia iis usa est. 4. *ejus usus liber.* 164
pro Fermentato *pane Rationes.* 246. 247
Festa *Gentilium in Christianorum mutata.* 189
Festum *corporis Christi ab Urbano IV. institutum.* 326.
corporis & sanguinis Domini vocavit. 330
causæ motivæ. 326. 327. *quando celebranda.* 327
Bulla Urbani. 327. 328
ritus circumferendi corporis Christi in hoc festo. 328. 329.
comparatur cum Diana pompa quam Apulejus describit. ibid.
cum Persicorum Regum Pompa. ibid.
non ab omnibus receptum, donec à Clemente V. approbatum fuit. 330
circumgestationis nullam faciunt mentionem. ibid.
Bellarmini pro festo corporis Christi argumenta refutantur. 330
indulgentiæ observatoribus data. 331
cur in tanta existimatione sit. ibid.
abrogandum censet Cassander. 332
Fideles *quomodo dicantur sacerdotes.* 501
Figura *quid.* 252. 271
Figura *& signum, à Cœna excluditur.* 297
Figuratæ *loquutiones sunt perspicuæ.* 380
Septem figuratas loquutiones in verb. Cœna admittunt Jesuitæ. 381
Figuratæ *Phrases locum habent in Testamentis, sacerdibus & legibus.* 380
Figurata *locutio in Scripturis ex Augustini sententia, quando sit accipienda.* 64
Figuratè *accipienda sunt verba Cœnæ.* 8. 9. 10. 379. 380
agnoverunt id Apostoli. 13. 14
Patres. 61. *usque.* 69. *Glossa.* 65
Clemens. 120. *Justinus.* 121. *Innocentius.* 123
Leo. ibid. *Gelasius.* ibid. *Isidorus.* 217
Vide C.
Beda. 217. 218
Nicæna 2. Synodus. 219. *Carolus M.* 220
Christianus Druthmarus. ibid.
Bertramus. 252. 263. 264. *Paschasius.* 271
vide C.
Fistulæ *argenteæ in Cœna quando usurpatæ.* 394
de Fistulis *quibus vinum in Sacra Cœna è calice biberunt Laici.* 248
Floralia. 334
Fœdera *Eucharistiæ sumptione confirmata.* 245.
ritus hic unde. ibid.
Fœderum *feriendi forma apud Græcos.* ibid.
Fœminæ *sacra vasa ne attrectent.* 105
Sacra ne administrent. 147
vide Mulieres.
Fractio *panis dicitur Cœna Domini.* 5. 150. *quid sit.* 5
servata est in Primitiva Ecclesia. 27. 28
Fractio *panis in Cœna passionem Christi significat.* 397
pro Fractione *panis argumenta & contrariorum refutatio.* 395. 396. 397. 398. 399
Fractio *panis an vera sit & in qua re fiat Scholasticorum varia sententia.* 300. 301. 302
Lombardi sententia. ibid.
refutantur. 302. 303
Fractio *hostiæ quando fiat.* 203
error qui circa fractionem hostiæ committitur. 364
Fractionem *trinam instituit Sergius.* 165. 220
Significationes variæ examinantur & refutantur. 165. 166. 220.
Fractio *trina hostiæ evertit Transubstantiationē.* 220
Frangere *in Cœna quid significet.* 396
Frangi *quomodo dicatur corpus Christi.* 493
Franciscus *suis Monachis præcipit ut unam tantum in die Missam celebrent.* 334
Francfurdiensis *Synodus quomodo oppugnarit Niceni 2. argumenta.* 220
Fridericus *Moguntinus Archiepiscopus à suspicione conspirationis in Imp. perceptione Eucharistiæ sese purgat.* 245
Fulbertus *Episcopus Carnutensis de communione per quadraginta dies ad Sacerdotium promotorum.* 247
num in Fumo *sit Christi sanguis.* 353
Fundere *ad quid referendum.* 493. 515
Fundendi *verbum, ad sanguinem Crucis, non ad poculum Cœnæ referendum.* 479

G.

GAlliæ *Sacerdotes uxorati olim fuêre.* 116
Gallicanæ *Ecclesiæ sentiunt cum Berengario, Romanæ contradicunt.* 288
Gentilium *Offerimenta.* 188
Genuensis *lancea non est ea qua usus est Christus.* 7
Germanis *quando Missæ pro mortuis fuerint obitus.* 200. 240.
apud Germanos *mos symboli recitandi ad Missæ tempore Caroli Magni invaluit.* 187
in Germaniam *invexit Romanam Lithaniam Crodegangus Metensis Episcopus.* 168. 213
Gloria *in excelsis, institutio Telesphori.* 106. 178
falsò ei tribuitur. ibid. *Damasus.* 174
Symmachus. 119. 179
Stephanus tertius confirmavit. 178
Nicolao primo tribuitur. 179
quando non usurpetur. ibid.
Godeschalcus *Capellanus Henrici tertii Multarum Sequentiarum author.* 184
Godefrido *Lotharingiæ Duci Venenatum calicem exhibuit Diaconus.* 243
Gorgonia *soror Nazianzeni quomodo dicatur super altare invocasse.* 408
Graduale *quid.* 181. *author.* ibid. 118
Etymologia. 181
in locum Psalmorum institutum. ibid.
Græca *Ecclesia Elevationem non usurpavit.* 406
Græca *Ecclesia non mutilos sed integros Psalmos cantavit.* 119. 174
Græcæ *& Latinæ Ecclesiæ certamen de fermentato & azymo pane.* 246
noluerunt azymum panem recipere. 247
Græcam *linguam totus Orient loquebatur.* 405
Græci *non alia nisi patria lingua in sacris usi sunt.* 212.
Græci *pane communi usi sunt in Cœna.* 316
Græci *in Concil. Florent. Transubst. agnoscere noluerunt.* 375
tantum Sabbatho & Dominico consecrabant. 402
id improbat Humbertus. 403
per Gratiam *Augustinus distributionem corporis Christi intelligit.* 72
Gratiarum *actio Sacrificium vocatur.* 499. 500
Gratiani *decretum.* 343
mala fide conjunctum. ibid.
Gregorius *septimus octo Pontifices ante se ministerio Brazutii, veneno enecavit.* 283
Gregorius *nonus author Decretalium.* 344
Gregorianæ *Liturgiæ descriptio.* 168
Vide Liturgia.

Gregoriana *Missalia antiquiora differunt à communi Liturgia Gregorii.* 208
Gremium *templi populo assignatur.* 119
Gualtherus *Pillavicnsis Quodlibetorum author.* 345
Guilielmus *S. Theodorici author libr. Sententiarum fidei.* 344

H.

Hæretici *non debent admitti ad Cœnam Domini.* 31
percipiunt Sacramentum sed sibi non utile. 73
ab Hæretico *Cœnam non licet sumere.* 113
Hæreticorum *de Eucharistia errores.* 147
Haymo *quis fuerit.* 222
Hebræa *lingua omnibus præferenda.* 406
Henrici *secundi Claudi somnium fabulosum.* 371
cur Claudus fuerit. ibid.
Henricus II. *calicem.* 18. *marcarum auri purissimi donavit Ecclesiæ Merseburgensi.* 107
Henricus *septimus infecta hostia interfectus est.* 336
Herbipolensis *Episcopus magno ære à Papa redemit ut sibi liceret Patronos Ecclesiæ suæ Canonis inserere.* 423
Hermannus *Contractus Sequentiarum author.* 184
in Hesperii *edibus qualis facta sit oblatio.* 506
Hieronymus *Savanorola sub utraque specie communicandum docuit.* 377
Hierosolymis *varia Missarum genera usurpata fuerunt.* 215
Hispani *Sacerdotes matrimonium suum contra Syricium defenderunt.* 117
habuerunt usque ad tempora Gregorii septimi peculiarem Cœnæ celebrandæ ritum. 214
Histriones *non admittebantur olim ad sacram Cœnam.* 32
Hoc, *pronomen quid significet.* 9. 10. 67
Quid in verbis Christi demonstret. 377
quomodo Christus hæc verba pronuntiaris. 360
cur Christus non dixit, Significat. 67. 75
Hoc *est corpus meum. Testimonia Patrum de horum verborum vero sensu à fol.* 57. *usque.* 90
Figuratam loquutionem agnoverunt Clemens. 120
Justinus. 121. *Innocentius.* 123
ut per mille annos intellecta fuerint. 281
vide Cœnæ verba.
Hoc, *demonstrari Panem docuit Berengarius.* 285
negarunt ejus adversarii. 286
Occami expositio. 307. *Lutheri.* ibid.
Aliorum absurdæ expositiones. 309
Hoc *est corpus meum, hæc verba esse consecrativa & non consecrativa.* 346
Hoc, *pronomen quid demonstret, varia recensentur Scholasticorum sententiæ à fol.* 346. *usque.* 350
quomodo his verbis Christus consecrarit. 359
Non conveniet Pontificiis de his verbis. 359. 360
de his disputatio cum Bellarmino à fol. 377
usque. 381
Hoc *facite quid significet.* 111
Homicidæ *ab oblationibus arcentur.* 224
Hostiæ *adoratio.* 198. *quando instituta.* 319
Elevatio. 198. 405. *vide E. necessaria.* 318
ejus significatio. ibid. *origo & dignitas.* ibid.
Hostiæ *historica tractatio.* 190
fractio trina. 165. *significationes.* 165. 166
quando fiat. 203
Hostia *rationalis quid.* 120. 232
Hostiarum *rubricatarum exempla.* 372
de Hostia *quæ à murib. comeditur quid statuendum.* 352
unde vermes in Hostia nascantur. 352
in Hostia ubi Christus manus & pedes habeat. 353
quid in ea agat. ibid.
circumscriptus nec-ne. ibid.
an nudus vel vestitus. 354
Hostiolarum *rotundarum origo.* 316
prodigiosa Judæ symbolum. ibid.
contra hostiolas rotundas. 318
Transubstantiationi ancillantur. ibid.
Hozi, *verbi Heb. significatio.* 476
Hugonis *de S. Victore Summa.* 343
Humbertus *Monachus Tullensis.* 286
à Leone nono creatur Cardinalis. ibid.
Palinodiam Berengarii conscribit. 288
Hyperbolen *agnoscit Glossator in Palinodia Berengarii.* 304
Hyperbolicæ *loquutiones Patrum de Cœna Domini, multis erroribus occasionem dederunt.* 249. 250. 251
Cur ita Patres usi sint. 428
Hypostitæ *non debent accedere ad Cœnam.* 31

I.

Iacobum *Missam celebrâsse fingunt Romanistæ.* 153
Iacobitæ *infantibus dant Eucharistiam.* 52
Idiotæ *nomine intelligit Bellarminus Chorum Clericorum.* 404
Iejunè *debere Ministros celebrare Cœnam.* 22. 23. 40
unde illa consuetudo nata. 41
statuit id Pius. 106
& populus sumere jejunè. 161. 243
Corinthii id non fecerunt. 13. 41. 42
non esse traditionem Apostolicam. 41
superstitiosa observatio Pontificiorum. 22. 23. 41. 42
jejunium verum ante sumptionem Eucharistiæ quod. ibid. *debet liberum esse.* ibid.
olim erat liberum. 41
I'epuppia *vocatur Cœna Domini.* 151
Iesuitæ *singulis mensibus circumgestant Eucharistiam.* 330
vide Bellarminus in tertio Indice.
Ignorantia *quæ licita juxta Scotum.* 346
Ignorantiæ *Latina lingua quæ vera causa.* 417
Immolatio *mystica Christi quomodo intelligenda sit.* 273.
Impanationis, *corporis Christi in pane origo, qui eam approbarint aut improbarint.* 306. 307. 308
Impii *an corpus Christi edant.* 351
non nisi externa signa accipiunt. 74. 76. 88
Patres docuerunt non eos ab illis corpus Christi. 86. 87. 88.
quo sensu manducationis impiorum mentionem faciant. ibid. *alia illorum argumenta.* 89. 90
cur corpus Christi non discernere dicantur. ibid.
Impositio *manuum.* 110
Inauguravit *Reges in Missarum celebratione Stephanus.* 167. *inaugurandi potestatem temerè usurparunt Pontifices.* 168
Incensum *quid.* 484
de Incenso *benedicendo.* 176
de Inclusione *Eucharistiæ Pontificiorum sententia refutatur à fol.* 398. *usque ad* 405
Incruentum *Sacrificium quid.* 121. 127. 235
de Incruento *& cruento Sacrificio.* 510
Indulgentiæ *observatoribus festum corporis Christi datæ.* 331
de Indumentis *Sacrorum in Missa à fol.* 169. *usq; ad* 173
Sex sunt indumenta Episcopi & Sacerdotibus communia. 169

Infantibus *olim data Eucharistia.* 51. 244
quis instituerit. 118
cur Veteres dederint. 52
quid de hac consuetudine sentiendum. ibid.
consuetudo hac abrogata fuit. 53
non sunt admittendi ad Cœnam. 31. 159
Infantibus *ne reliquias quidem Cœnæ dandas.* 244
Initiati *sacris qui.* 110
Initiatio *Papistica refutatur.* ibid.
Innocentii *Epistola suspecta.* 420
Innocentius *tertius Sacrum bellum promovit & Transubstantiationem confirmavit.* 310
quis & qualis fuerit. 314
Instrumentalem *Cœnum quis instituerit.* 168
Intentione *opus est sacerdotis in consecratione.* 346
Interdicti *tempore quomodo celebrandum.* 148
Intincta *Eucharistia improbatur.* 56
à Iulio abrogatur. 113. 320
Introitus *Missæ origo.* 174. *nomen unde.* 212
Investituræ *jus à Carolo confirmatur.* 174
Invocationis *Sanctorum in Cœna origo.* 124
Incrementum. 126
Vestribus fuit incognita. 112
eâ Cœna profanatur. 128
rationes Pontificiorum refutantur. 128. 129. 175
Nazianzenus & Hieronymus Apostrophis suis occasionem præbuerunt. 127
Joachimi *Abbatis liber damnatus.* 310
Ioannem *Cassinensem Decanum audit mulier mente destituta pro se Missam celebrantem.* 371
Joannes *Erigena, falso dictus Scotus: quis.* 270
graphiis confoditur à discipulis ob veram doctrinam. ibid. *canonizatur.* ibid.
Iohannes *Huss, sub utraque specie communicandum docuit.* 377
Iohannes *Taulerus, in explicandis Cœnæ mysteriis, veterum Patrum vestigia sequitur est.* 375
de Iohannis *Evangelistæ lamina aurea Bellarmini sententia expenditur.* 172
Iohannes *Wicleuus Papatum oppugnavit.* 377
Irnerius *jus civile promovet.* 343
Isidori *Liturgia.* 213
diu servata fuit. 215. *vid. L.*
Isidorus *Russorum Episcopus depositus, quod Transub. figmentum inducere volvit.* 375
Itali *rident reliquas nationes quòd sint tam obsequentes Romano Pontifici.* 414
de Ite *Missa est.* 207. *ritus unde.* ibid.
Iudas *comedit panem Domini non autem panem Dominicum.* 87. 88. 89
Iudæus *clam Eucharistiam domum detulit tempore Nazianzeni.* 55
Iuellus *solidè refutavit elevationem hostiæ.* 405
Iuramenta *per Eucharistiam exigere.* 53
Ius *civile quando in scholis prælegi cœptum sit.* 344
Iustinianus *Imp. restauravit Trullam, & pretiosam mensam fieri fecit.* 235

K.

Kaph *Hebraïs veritatis nota est.* 59
Kelch. 7
Κοινωνία *quid sit apud Paulum.* 34
Κύλιξ. 7
Κύριακὸν, *instituit Gregorius ut nonies à Clero canetur.* 164
aliter in Græcis Ecclesiis usurpatur. 163
id Sylvester à Græcis mutuavit. 178
viri horum verborum. ibid.
Ritus hujus origo. 178

L.

Lac *vini loco quidam usi sunt.* 49. 113
Laica *communio qua.* 21. 22
Laici *& Cleri discretio in communione à quibus instituta.* 219
eorum in Cœna nulla differentia debet esse. 28. 39. 219. 120.
sub utraque specie olim communicarunt. 36
Laicis *interdicitur Eucharistiam ad ægrotos ferre.* 162.
Lanfrancus *primus Transubstantiationis propugnator.* 232
Lapsi *pœnitentes ad sacram communionem an sint admittendi.* 32
Lateranensis *Synodi acta.* 310
Vide rerum Indicem.
Latini *Canonis summa.* 223
Latina *lingua an sacra olim fuerint administrata.* 405
de Latinæ linguæ origine in Missa & sacris. 211.
ejus usum in sacris instituit Vitalianus. 165, 211
quando in sacris obtinuerit. 186
humanum inventum. 212
obtruditur aliis Ecclesiis. ibid.
ex frivola causa. ibid.
Carolus Magnus edicto adjuvit. 213
eâ cognitio veritatis impedita fuit. ibidem
primus in ea lingua Constantinopoli Agathon Sacra celebravit. 211
Nisi in ea celebretur, consequi ejus lingua ignorantiam veretur Bellarminus. 417
Latriæ *cultus à repræsentatione separari non possunt.* 504.
Latronis *in cruce & Sacerdotis similitudo & differentia.* 200
Laudamus *te à quo institutum.* 170
Leo *nonus quis.* 386
removit Diaconum qui non Romano more legit Epistolam. 180
Leprosi *ne cum sanis communicent statuit Gregorius tertius.* 167
Libellatici *qui.* 404
Ligneis *calicibus olim usi sunt Orientales.* 271
Lingua *vulgari usus est in Cœna Christus.* 6
Apostoli. 13
Et in primitiva Ecclesia Cœna celebrata est. 23. 24
Lingua peregrina quando introducta sit. 17
Pauli argumenta contra ignotam linguam in sacris. ibid.
non addit reverentiam Sacramentis. 406
contra Linguam peregrinam in Sacris argumenta. 412. 413. 414.
Lingua *peregrina Sacramenta administrare licere Pontificiorum argumenta refutantur.* 414. 415. 416. 417.
Lineo *panno Cœnam celebrandam statuit Eusebius.* 113.
Λειτουργία *unde dicatur.* 37. 158
transferetur ad Cœnam Domini. ibid.
Litutgia *& Liturgon quid.* 494. 495
Liturgia *Christi & Apostolorum.* 15
Primitivæ Ecclesiæ. 90
Alexandrina. 91. *Æthiopum.* 155
Armeniorum. ibid. *Augustini.* 91
Chrysostomi. ibid.
ex iis apparet veram fuisse Eucharistiam. 99
alta voce & vernacula lingua & sub utraque specie.

vie celebratam fuisse. 99
nullam Sacrificii & invocationis mortuorum ibi factam esse mentionem. 97
Iacobi & Clementis quæ circumferuntur supposititia est. 92. *Isidori.* 213
aliquamdiu servata est in Hispania. 214
Rabani multum differt à vulgari Roman. 209. 210
multæ & variæ circa Gregorii Magni tempora. 213
Gregorius suam nemini obtrusit. 214
quamdiu liber fuit. ibid.
Liturgiæ *Romanæ seu Gregorianæ ritus recensentur à fol.* 145. *usque.* 207
judicium de hac Liturgia & quòd non sit Gregorii. 123. 124.
non omnes Ecclesiæ ab initio huic Liturgiæ fuerunt adstrictæ. 213. 214
Liturgia *Romana quando in Gallicanas Ecclesias invecta fuerit.* ibid.
Liturgiæ *in Oriente Græca lingua conscriptæ.* 415
Λογίας quid Paulus vocat. 189
Lotharius Imp. sumptione Eucharistiæ ab adulterio sese purgavit. 244
apud Latinos infantes Baptizandi singularis mos. 51.
Lotionis *manuum in sacris origo.* 173
Lotio *manuum prima.* ibid. *secunda.* 190
lotio tertia. 191
causa & origo. ibid. *post sumptionem.* 206
Lumina *non adhibuit Christus.* 7
Lustratio *Sacramenti.* 332
Lustralis *aqua à quo instituta.* 173
à Iudæis usitata. ibid.
quam vim Gentes tribuerunt. 174

M.

MAcatium *cum cranio hominis mortui loquutum esse fingit Damascenus.* 467
Machabæorum *libri non sunt Canonici.* 133
probantur. 137. 138. 139
Magiæ *veneficarum Missa secretæ consecrationem comparavit Biel.* 146
Magicis *artibus qui Pontificatum adepti sint.* 283
Mahuzim *Deus quis.* 154
Manducandi *corporis Christi una eademque ratio est in Sacramentis & in Verbo.* 78
Manducatio *eadem in Cœna instituta est quam Ioh. 6. Christus commendat.* 82
duplex Sacramentalis & spiritualis. 57. 58. 73. 83
fidelium & infidelium juxta Augustinum. 88
Manducatio *Sacramentalis ab infidelibus usurpata nil prodest.* 74. 75
à fidelibus Spiritualis conjungitur. ibid.
de Manducatione *corporis Christi in Cœna Patrum sententia à fol.* 69. *usque.* 88
Manducationem *oralem argumento sumpto ab ascensione Christi repudiarunt Patres.* 82. 83
manducationem eandem docent, in Cœna institutam, quam Ioh. 6. commendat. ibid.
Manichæorum *hæresis ex Ethnicismo desumpta.* 148
Manichæi *Sanguinem redemptionis non sumpserunt.* 390.
unam tantùm speciem sumpserunt. 117. 118. 123. 319. 387. 388.
Leonis & Gelasii contra illos decretū & doctrina. ib.
Eorum sententia de præsentia Christi in Cœna & omnibus cibis refutatur ab Augustino. 75
Manichæos *oppugnat Irenæus.* 435
Manipulus *quid.* 170. *ejus usus unde sumptus.* ibid.
Manna *quomodo dicatur Angelorum cibus.* 54. 273
Mannæ *& Eucharistiæ comparatio.* 438. 447. 448
Manibus *accipienda sunt sacra signa.* 5
usitatum fuit in Primitiva Ecclesia. 27. 28
quando hic mos fuerit abrogatus. 29
in manus data Eucharistia. 161. 164. *cur.* 30
Manuum *lotio in Sacris.* 173. *origo.* ibid.
secunda ablutio. 190
ritus hujus causa. ibid. *tertia.* 191
origo & causa. ibid.
alia post Eucharistiæ sumptionem. 206
mysterium. ibid.
Manus *in formam crucis componat, qui Eucharistiam sumere vult.* 161
Marcion *docuit Christum non veram humani corporis naturam sed externas duntaxat formas assumpsisse.* 65
Marcionitarum *errorem refutat Irenæus.* 488
Marcus *impostor quidam, illusit simplicioribus Eucharistiæ Sacramento.* 373
Maria *an vi quinque verborum, an verò vi fidei conceperit.* 358
Maria *Apostola Apostolorum vocatur.* 187
Martyrum *memoriam quomodo celebrarint Veteres in Cœna.* 112
eorum nomine celebratum sacrificium quid ibid.
quomodo celebrata sit antiquitus. 125. 126
quomodo declinârit in Invocationem Divorum. 127. 128.
Martyrum *cur tantùm mentio fiat in Canone.* 196
Mâh. 156
Mâsi *cur nundinæ dicantur.* 44. 45
Matrimonium *Sacerdotum à Pontificibus damnatur.* 116.
approbatur authoritate sacræ Scripturæ. 117
Conciliorum. ibid. 118
prohibitio Matrimonii Diabolica doctrina. 117
Ethnica. 118
מה *quid.* 153
Melchisedechi *historia explicatur & probatur ipsum non sacrificasse panem & vinum à fol.* 475
usque ad 490
Memoriarum *Sanctorum origo.* 125
quid in iis factum. ibid.
in quem finem celebratæ. 125. 126
abusus invocatio & cultus Sanctorum. 126
inclinatio memoriarum Sanctorum. 126. 127
ad memorias Martyrum institutæ epulæ. 128
improbantur. ibidem. *quomodo Veteres celebrârint in Cœna.* 112
iis superstitio & idololatria accessit. 131
Memorias mortuorum post elevationem instituit Pelagius. 120
Menandrianorum *error circa Eucharistiam.* 18
Mensa *Domini vocatur sacra Cœna.* 13. 150
Mensa *in administratione Cœnæ usus est Christus.* 7
Primitiva Ecclesia. 47. *Carolus Magnus.* 159
Mensas *olim habuerunt fideles ante tempora Constantini, quas Altaria vocârunt.* 504
cur eas Altaria Veteres vocârint. 47
Meritum *Christi an in Missa applicetur aliis.* 357. 358
vera applicatio meriti Christi. ibid.
Messalianorum *error.* 149. *origo.* ibid.
Monachatus *fundamentum.* ibid.
Metonymia *est in verbis Cœnæ.* 8. 9. 13
Milites *stando audiunt Epistolam.* 180
Minha *quid.* 485. 486
Spirituale sacrificium designat. ibid.
Ministrare *Domino quid apud Lucam significet.* 494. 495.

Ministri Cœnæ qui fuerint in tertia classe. 158
Ministri non vocantur Sacerdotes in N.T. 501. cur. 505
Ministri jejunè celebrare debent. 22
Ministri & communicantium actiones sunt distincta. 111.
Miraculum largo modo sumitur pro iis quæ mirando modo Deus in animis piorum operatur. 432
Miraculum quomodo in Cœna Patres agnoverint. 431. 432.
Non tale ut Pontificii. ibid.
Miraculum corporis Christi festo occasionem dedit. 327
Miracula quomodo ad invocationem Sanctorum edita. 175.
Miracula falsa pro confirmanda Missa & Transsubstantiatione. 371
transsubstantiationem confirmârunt. 290
nil faciunt. 372. 373
commendârunt Missas pro defunctis. 240
Missa in prima Ecclesia Romana incognita fuit. 99
Petrum primam celebrâsse scribunt Durandus & Innocentius. 12
nonnen olim incognitum fuit. 125
aliud olim significabat quàm hodie. 152
Non reperiri apud interpretes Græcos. 153
qua ratione in Decretalibus Epistolis legatur. ibid.
Missa & oratio olim idem. ibid.
Missa vocatur Cœna Domini à Pontificibus. 152.
Non est Cœna Domini. 11. dicitur actio. 194
Anaphora sancta. ibid. Ordo precum. ibid.
sacrificium. ibid. Secretum. ibid.
etymologia nomen Hebraicum est juxta aliquos. 153
negatur. ibid. Secundum alios Græcum. 154
Secundum plerosque Latinum. ibid.
ratio nominis. 154. 155. 216. 220. 221. 223
M. Secundum alios Germanicum est. 157
Missa declinatio Grammatica. 368
nomen non convenit Missæ Papisticæ. 156
de Missæ vocabulo argumenta refutantur. 153. 154
Missam facere quid Innocentio significet. 123
Missam in certam formam redegit Symmachus. 110
forma quæ Chrysostomo tribuitur supposititia est. 192
Latina à Vitaliano instituta. 165
Latina humanum inventum. 212
aliis Ecclesiis obtruditur. ibid.
eam oppugnat apertè Ambrosius. 66
Ambrosiana abrogata. 167. sicca quid. 282
privatæ origo. 281. eam damnat Calixtus. 102
publicarum & privatarii Missarum distinctio. 282
quo tempore fuit compositus Canon non erat privata sed publica actio. 224
secreta consecrationem Magis veneficarum comparavit Biel. 147
olim magna frequentia, at communio rara. 158
una tantum Missa in die celebranda. 104
multarum celebratio uno die & in eodem templo. 333. 334.
in uno altari non duæ Missæ celebrandæ uno die. 162
Missas duas quando dicere liceat. 335. 336. 341
in Natali Christi tres Missæ celebrandæ. 106
multitudo improbatur. 335. 340
an una Missa duobus hominib. applicari possit. 368
Presbyter illiteratus eam non celebret. 108
super altare celebranda. 104
Missæ in Monasteriis non publicè celebrandæ. 164
Versus Orientem celebrandam statuit Vigilius. 119
à quo celebrari liceat nec ne, posteriorum Pontificum decreta. 241
non esse celebrandâ à conjugatis statuit Syricius. 116
eam non esse audiendam à sacerdote conjugato statuit Gregorius. 7. 117
Clerici excommunicati Missam non celebrant. 340
quando liceat Clerico prætermittere. 187
hora nona in quadragesima celebrare concessit Pelagius. 119
non nisi in loco sacro celebrandam statuit Felix. 109
ratio. ibid. instituit Gregorius II. 167
sine lumine non celebrandam. 340
ante imagines celebranda. 161. 164
jejunè celebrari debet. 22. 23. 106
Aqua benedicta in Missa institutio. 104
Missæ introitus origo. 174
sacrificium septies cruce signatur. 201
septies salutatur populus. 179
clausulæ. 202. embolismus. ibid.
ultima oratio. Ite Missa est. 207
reliquiæ olim non servabantur. 27
Ritus Missam celebrandi quamdiu liber. 240
nulla Christi est, sed Sanctorum. 128
Decretæ variæ de Missarum celebratione Colonienses Synodi. 340
Missæ cautelæ. 21. & à f. 336. usque. 340
Missæ sacrificium pro mortuis Antiquitati ignotum fuit. 140. 141. 142
argumenta Bellarmini pro Missæ sacrificio pro iis qui sunt in Purgatorio refutantur à 137. usque. 144
ea doctrina, confirmata & propagata. 281
quid eam commendârit. 240
quando Germanis obtrusa. 200. 240
in Miss. sacrificio delentur peccata juxta Alexandrum. 104
an ex opere operato aliquam peccatorum partem tollere possit. 369. quidam id negant. ibid.
alii fatentur. ibid. fundamento Dei Verbo caret. 370
Missa an sit sacrificium propitiatorium. 356. 357.
an in Missa mortis Passionisque Christi virtus alios applicari possit. 357. 358
Missam non esse sacrificium contra Bellarm. probatur à fol. 469. usque. 508
non esse Sacrificium propitiatorium contra Bellarminum probatur à f. 509. usque ad finem.
non applicat remissionem peccatorum. 512
nil suffragari Malachiæ locum. 485
talia vide 2. Indic.
Missa pro quibus rebus sit celebrata, nimirum pro ægrotis. 241
pro bellatoribus. ibid.
pro tempestatibus. 240
in Missarum celebratione primus inauguravit Reges Stephanus III. 167
Urbes lustrari cœperunt. 244
ad contestandam innocentiam & sanciendæ fœderæ usurpari cœpit. 244. 245
reprehenditur hic ritus. ibid. damnatus. ibid.
plurimi audita concione Missarum Spectatores nolluerunt esse. 241
Missale vetustum Tigurinum multùm variat à vulgari. 208
& aliud ab Illirico editum. 209
Mitra Episcopalis. 175
Mixtio aquæ cum vino non est præceptum à Christo. Vide Aqua.
Monachatus promovit sacrificia pro mortuis. 136
Monachatus fundamentum est Eucharum fictæ. 149
Monachi Romam navigantes Eucharistiam secum deferebant. 399
Sacerdotes facti. 158
olim sacra non administrabant. ibid.
quando cœperint administrare. ibid.

Monaſteria *non fuerunt tempore Iacobi.* 93
Monſtrantia *quid.* 328
Montaniſtarum *Euchariſtia qualis.* 148
Morarabæ *vocatur Liturgia Iſidori apud Hiſpanos.* 215.
Mortuis *data Euchariſtia.* 50
Unde mos ille. ibid. *reprehenditur.* ibid.
pro mortuis offertur Euchariſtia. ibid.
eis Euchariſtiam dare & eos Baptizare antiquus error. 370
Mortuorum *memorias inſtituit Pelagius.* 120
earum non ſemper nec ubique facta eſt mentio. 200
pro Mortuis quomodo orârit primitiva Eccleſia. 143
rationes ob quas Ambroſius pro iis orarit. ibid.
preces pro mortuis inſtitutæ. 129
abuſus. 130
oblationes pro mortuis factæ. 129
ſacrificia pro iis approbavit Gregorius. 135
nil de his habetur in Canone. 137
ea conſuetudo non ſemper fuit in Eccleſia. 140. 141
Mulieres *velato capite communicent.* 161
Mulieribus *nec docere nec Sacramenta adminiſtrare licet.* 118. 147
nec vaſa ſacra attrectare. 104
reſpondetur ad obje&tiones. 147
Munda *oblatio quid.* 484
Munda *quomodo ſint ſacrificia noſtra.* 486
Mundi *quomodo repetimur coram Deo.* ibid.
à Mutibus *cuſtodienda eſt Euchariſtia.* 56. 86. 120
an Mures corpus Chriſti comedant. 352
Muris ſupplicium corpus Chriſti arrodentis. ibid.
Mutationis *ſymbolorum modus in Cœna figuratè accipiendus.* 26
quid de ea Patres ſenſerint. 25
& à fol. 57. *uſque.* 61
Mutationis *nomen quomodo intelligatur ab Irenæo.* 435
qualem Ambroſius agnoſcat. 446
mutationem realem non agnoverunt Patres. 61. 38
qualem in Cœna Patres docuerint. 430. 444
qualis illa ſit mutatio, de qua loquuntur Patres ne ſuo quidem tempore definitum fuiſſe Lombardus dicit. 430
Mutatio *non alia fit in Cœna quàm in Baptiſmo.* 25. 44.
Mutatio *aquæ in vinum non eſt ſimilis mutationi vini in ſanguinem.* 444. 46
non omnis mutatio eſt Tranſſubſtantiatio. 444
Mutilatio *Euchariſtiæ quando inſtituta & confirmata.* 56. 319. 324
eam fruſtrà probare conantur Pontificii. 385
Vide utrinque. 52
Mutigeſſibus *peccata confiteri debent.* 313
Myſtica. 152. 154
Myſtice *quid.* 440
Myſterium *quid.* 252. 256. 263
quid ex ſententia Chryſoſtomi. 77
Myſterium quo ſenſu Patres vocârint Cœnam. 152
myſterium tremendum. 433
Myſterium *fidei quid ſit in Can.* 233
Myſterium *in verbis Canonis fruſtrà quærunt Pontificii.* 362. 363

N.

NAturæ *vocabulum quid apud ſacros & prophanos authores ſignificet.* 440
Neſtorio *errorem de corpore exangui falsò adſcribit Hoſius.* 118
duas naturas ſeparabat. 149
Neuma *quid.* 184
Nicolaitarum *hæreſis.* 148
Niceni *Concilii Canones corrupti.* 400
vide tertium Indicem.
Noggerus *Monachum non Abbas author ſequentiarum* 183. 208.
Nomina *offerentium recitare quis ſtatuerit.* 118. 230
Nortvegiis *cum muſto conſecrare conceſſit Innocentius VIII.* 389
Novatus, *per Euchariſtiam juramentum exhibebat, ne ſe relicto ad Cornelium tranſirent.* 53
Novarum *frugum oblatio.* 201
Novenarii *numeri in ſacris myſterium.* 178
Nudipedalia *Romanorum feſta.* 170
Nudis *pedibus ſacrificandum docuit Pythagoras.* ibid.
Judæis uſitatum fuit. 171
Pontifices prohibent. 170
Nundinæ *cur à Germanis* Mäß *dicantur.* 44. 45
Nuptias *ſecundas qui contraxerit negata fuit olim Euchariſtia.* 53

O.

OBlatio *eſt gratiarum actio.* 361
quo ſenſu dicta ſit Cœna Domini. 151
Oblatio *munda quid.* 484
inter oblationem Cœnæ & Crucis quæ ſit differentia. 491
Oblatio *fidelium quomodo fiat corpus Chriſti.* 231
Oblationes *fidelium quæ in Cœna fiebant, Sacrificia vocantur.* 226. 500
de iis panis & vinum diſtribuebatur in Cœna. 225. 226.
quid per oblationem qua fit in Altari Auguſtinus intelligat. 501
Oblatio *fidelium cum Pontificiis nil habet commune.* 226.
quomodo perferri dicantur ad cœleſte altare. 237
ſuper oblationes fidelium olim dictus fuit Canon. 224
ſuper iis variæ preces in Canone recitatæ fuere. 226
qualis oblatio in quam conceptæ ſunt preces Canonis. ibid.
Oblatio *pro dormitione quid.* 130
Oblationes *pro defunctis cur factæ.* 129. *author.* 200
Vide Orationes.
Oblatio *novarum frugum.* 201
Oblatarum *olim non fuit certus numerus.* 27
rotundarum Origo. 316
oblata non ſunt reipſa oblationes fidelium. 354
Vide Hoſtiolæ rotundæ.
Offerimenta *Gentilium.* 188
Offerentium *eleemoſynas nomina in celebratione Euchariſtiæ, ex inſtituto Innocentii recitabantur.* 118. 230.
Offerre *nomen alicujus quid ſignificet.* 124
Offertæ *pro defunctis quid.* 130
Offertorium *geminatum.* 167
Offertorium *unde dictum.* 188
Origo. ibid. *Ritus.* 189
verus uſus Apoſtolicæ Eccleſiæ in abuſum tranſlatus. ibid.
Omnis *particula non ſemper univerſaliter accipienda.* 505
Operatoria *verba quæ.* 358
Opus *operatum quid.* 360
negat id Hardingus. ibid.
Bellarminus. ibid.
fatentur alii Scholaſtici doctores. ibid.
fundamento Verbi Dei caret. 370

Orale

Orare *quid.* 171
Oratium *quid.* 169. *unde dicatur,* 170
Diaconis concessum. ibid.
quibus denegatum. ibid.
Orarunt *perperam Eucharistiæ.* 149
Oratio *Dominica cur clara voce recitari debeat.* 146
Orationem *Dominicam in Cœna adhibuerunt Apostoli.* 12. 16
Orationes *quinque quæ inter offerendum recitantur.* 189.
Orationes *ultimæ Missæ.* 207
Orare *pro mortuis quando institutum.* 129
quomodo Primitiva Ecclesia pro iis oravit. 143. 145
pro quibus non orandum. 200
Orationes *pro defunctis quis approbavit.* ibid.
quis Germanis obtruserit. ibid. 240
pars ea in vetustissimis exemplaribus non habetur. 200.
Orandum *non Sacrificandum pro aliis.* 506
Ordinationis *Papisticæ ritus.* 109
cur abrogatis. 110
Organorum *author Vitalianus.* 183
Orientales, *communi indumento induti Missas celebrarunt.* 271
ligneis calicibus usi sunt. ibid.
Orientem *versus orare cur prohibuerit Moses.* 194
Gentes id fecerunt. ibid.
eos Pontificii imitantur. ibid.
magis usitatum fuit. ibid.
nil tale præcepit Christus. 195
Os: *particula asseverandi vim habet.* 59
in Os *ingerere Eucharistiam non est antiquum.* 28
à quibus usitatum. 29
unde orta confundendo Os *superstitiosum.* ibid.
an prorsus non liceat in os *ingerere.* 30
quid illis Ecclesiis statuendum quæ hunc morem retinent. ibid.
Osculatio *altaris.* 191
de Osculo *altaris & libri.* 176
ritus hujus origo. ibid.
nil hoc ad osculum pacis. ibid.
Osculum *pacis ab Innocentio est institutum.* 118. 204
origo. ibid. *quando dici debeat.* ibid.
Osculi *usus legitimus.* ibid.

P.

PAcem *quid vocarint Veteres,* 404
Panem dare quid sit apud Veteres. 50
Palinodia *Berengarii.* 289. *ejus absurditas.* 303
in ea explicanda multum laborarunt Scholastici doctores. 304
interpretationes nimirum Guitmundi. ibid.
Lombardi. ibid. *Glossatoris.* ibid.
Bonaventuræ judicium. ibid.
modum loquendi non esse tenendum dicit. ibid.
examinantur omnes hæ opiniones. 305
Palmarum *festi mutatio.* 3
de Pallis *altarium.* 102
Pallarum *significatio.* 190
Pallam *sacralem non licet mulieribus attrectare.* 105
Pallio *in Missarum solennitatibus quando & quibus uti liceat.* 164. 171
Panegyres *mortuis institutæ.* 132
Pane *uno usus est Christus in Cœna.* 316
pane tritico i. an fermentato usus sit. 1. 2
communi pane usi sunt Græci. 316
& nobis hoc uti licet. 4
pane infermentato usus est Primitiva Ecclesia. 104.
Orientalis. ibid.
Panem *azymum instituit Alexander.* 104. *cur.* ibid.
Panis *ex oblationibus fidelium in prisca Ecclesia olim sumptus fuit.* 24
reliquum in pauperes distribuebatur. 24. 316
Panis *usus servatus est in Primitiva Ecclesia.* 26. 27
Panis *non est immolandus, neque servandus.* 5
sed edendus. ibid.
Panis *fractio quid.* ibid.
panis fractio est necessaria. 11
quid agendum non adhibeatur. ibid.
Paniis *& poculum benedictionis Cœna dicta.* 150
Panem *corpus Christi vocat Paulus.* 14
eorum Sacramentum panem vocat Cyprianus. 39
Panis *& vinum cur corpori & sanguini Christi comparentur.* 256
quomodo dicatur fieri corpus Christi. 433. 434
quomodo mystica benedictione in corpus Christi mutentur. 429. 444. 446
corpus Christi esse, aliud est substantia esse, aliud consecratione. 67
partim mutari, partim non, quidam docuerunt. 308
ejus substantia in Cœna manet & non manet juxta Scholasticorum opinionem. 351
panis species cum sanguine est & non est. 352. 353
ejus substantiam in Cœna manere Patrum testimonia. 57. 58. 59. 60. *rationes.* 61
panem quidam solum sumebant. 56
Panis *& calix elevatus.* 243
panem in vinum intinctum pro integra Eucharistia quidam sumpserunt. 49
Panis intinctus non distribuendus. 243
Panis *in calicem immissio Judæ proditionem denotat.* 365.
Panis *Eucharistia infantibus asservatus.* 51
Panicasistarum *secta quæ.* 149
Pannum *lineum musto intinctum tempore Eucharistiæ obtinuerunt quidam.* 49. 113
Papæ *nomen Veteribus ignotum fuit.* 195
unde in Canone. ibid.
Regibus prætulerunt. ibid. *vide Pontifices.*
Parentationes *annuæ institutæ.* 132
Pascha *quando celebrarit Christus.* 2. 3
anticipavit. ibid. *verus & judiciale pascha.* 3
cur mutatum sit tempus. 3
in Paschate quotannis publicè communicandum decretum est à Zephyrino. 107
male à Pontificiis usurpatur. ibid.
Pastophorium *quid.* 399
Patinæ *redemptio.* 202. *mysterium.* ibid.
Patres *præsentiam & manducationem realem negarunt à Sol. 69. usque.* 88
Patres *argumento ab Ascensione Christi sumpto oralem manducationem repudiarunt.* 82
eandem manducationem institutam docent, quam Christus commendat Joh. VI. 82. 83
rationes contra realem præsentiam & manducationem. 84
Patrum *sententia de signorum mutatione à folio. 58 usque. 61. rationes.* ibid.
Verbum Est *per significat exponunt à f.* 61
usque. 68
Patres *quid docuerint de infidelium esu à 86. usque. 91*
cur Sacrificii nomine usi sint. 496
de Sacrificio Eucharistiæ loquentes, cur plurali numero usi sint. 502
Patres *cur hyperbolicis phrasibus usi sint.* 428
non in alienum sensum detorquenda. ibid.
cur corpus Christi nos videre & tangere dixerunt. ib.

qualem mutationem in Cœna doceant. 429
quo sensu Miraculum vocarint. 432
tremendum mysterium. 433
Paulum *militem fuisse fingunt.* 180
Paulus *Scriptoris Transsubstantiationem improbavit.* 377.
Pauperes *de Lugduno qui.* 376
Peccata *in Missa delentur juxta Alexandrum.* 104
de Pectoris *percussione in Missa.* 176
Pedibus *nudis Eucharistia non conficienda.* 170
Pentecostes *prima in quem diem incideri.* 2. 3
Pepones *quid.* 66
Pepuzianorum *errores circa Eucharistiam.* 147
refutantur. ibid.
Persicorum *Regum Pompa similis est processioni Romanorum Pontificum.* 329
Petrus *Apostolus an fuerit Scholasticus.* 424
Petrum *primam Missam celebrasse mentiuntur Pontificii.* 12. 153
de Petri *baculo, fabula.* 171
Petrus *Cantor Parisiensis damnavit Idolomaniam & abusus Missæ.* 375
Petrus *Comestor Ecclesiasticæ historiæ author.* 343
Petrus *Lombardus, Magister Sententiarum.* ibid.
Vide tertium Indicem part. 2.
Phrases *figurate ubi locum habeant.* 380
Phrases *hyperbolicæ Patrum commodè exponi debent.* 249. 250. 251. 293.
cur ita usi sint Patres. 428
Pignus *quid.* 261. 266
Planeta *Sacerdotalis vestis.* 170
unde dicatur. ibid.
Pluviale *quid.* ibid.
Poculum *omnibus dandum.* 5
quo genere usus sit Christus. 6
Poculum *benedictionis quid.* 4
quo modo vocetur testamentum. 14
Ποδήρης. 171
Ποτὸν *quid significet.* 491
Poloni *Equites inter Missæ celebrationem fasciam lineam de collo suspensam gestabant.* 244
Pontifex *Max. cur baculo non utatur fabula.,* 171
Pontificis *Romani confuetudo in communione.* 205
mysterium ejus communionis. ibid.
Pontifices *Romani quales fuerint, eo tempore quo Transsubstantiationis dogma invectum fuit in Ecclesiam.* 283
Pontificii *nomina rerum retinent abolitis rebus.* 182
Post-*communio quid.* 206
Postillarum *author quis.* 186
Ποτήριον *quid.* 7
Prædicatores *Monachi hostiam veneno tinctam Novitio Bernæ exhibuerunt.* 336
de Præfatione *Missæ.* 191. *unde dicta.* ibid.
vestigia præfationis Papisticæ in veteri Ecclesia. ibid.
Præfatio *in Primitiva Ecclesia initium Cœnæ.* 192
Præfationes *multæ compositæ.* ibid.
Præsanctificatorum *ministerium quid.* 227
Præsentiam *corporis Christi realem in Cœna negarunt Patres à fol. 69. usque. 86. Vide Corporal.*
quomodo in cœlis cum sit, fidelibus suis præsens adsit in Cœna. 75
Preces *vocantur Sacrificium.* 499
preces in consecratione usitatæ. 160
Precum *materia quæ ante & post benedictionem olim in Eucharistia fuerit.* 91. 92
Precum *pro salute defunctorum in Cœna origo.* 129
Προηγιασμένα. 402
Presbyter *illiteratus Missam non celebret.* 108
Presbyterium *quid.* 119
Primatus *Papæ asseritur.* 195
eum Romani Pontifices maturè affectarunt. 212
quomodo dilatarunt. ibid.
Privata *Missa quid.* 282
quomodo celebrari solita fuerit. ibid. *vide M.*
Pro *præpositio, quid apud Cyprianum significet.* 131
Pro *sumitur pro Propter.* 229. 356
Probare *seipsum quid sit.* 13. 31. 52. 312. 392
Processionis *Pontificiæ cum Persicorum Regum pompa comparatio.* 330
Pronomina *Demonstrativa & Relativa quomodo construantur.* 377
Propitiatorium *Sacrificium non esse Missam.* 509
Prophetæ *de Spirituali regno Christi loquentes, usitatis in Lege verbis utuntur.* 485
Proposita *dona in Cœna quæ.* 121
Prosa *quid.* 183
origo. ibid. *nominis ratio.* 184
urbanis sacris tantum adhibentur. ibid.
Προσφορὰ *quid.* 188
dicta est Cœna Domini. 121
Psalmi *integri in Græcia Ecclesiis cantabantur.* 117. 174
Psalmi *vulgò nota lingua cantandi sunt.* 24
Psalmos *Davidis antiphonatim cantandos statuit Cœlestinus.* 117
Psalmos *quinque in Missarum celebratione canere Cœlestinus constituit.* 168
Pueris *ne reliquiæ quidem Cœnæ dandæ.* 244
Purgatorium *primus stabilivit Gregorius Mag.* 134. 135
probavit mortuorum apparitionibus. ibid.
argumenta Bellarmini pro Purgatorio refutantur à fol. 137. usque. 144
eum ignorarunt qui oblationes pro defunctis faciebant. 129. 131. 133. 134. 141. 144
pro iis qui in Purgatorio sunt non oravit Primitiva Ecclesia. 143
pro Purgatorio, *non facit Canon.* 363
sublato Purgatorio, *tollitur Sacrificium Missæ pro defunctis.* 141

Q.

QVadragesimali *tempore licet Missam hora nona celebrare ex constitutione Pelagii.* 120
de Quadragesimali *communione ad Sacerdotium promotorum.* 247
Quinque *verbis consecrationem fieri non credidit Primitiva Ecclesia.* 25
Quodlibeta *quid.* 345. *author.* ibid.
Quomodo, *quando licitum aut prohibitum.* 432. 433. 458.

R.

RAbanus *Maurus quis.* 221
Rabani *Liturgia multum differt à Romana.* 209. 240.
Raimundus *Barchinovensis edidit Decretales.* 344
Ratbertus *Paschasius quis.* 271
liber ejus de corpore & sanguine Domini falsò tribuitur Rabano. ibid.
à Monachis depravatus est. 277
vide tertium Indicem.
Ratherius *quis.* 279
Rationabilis *hostia..* 120. 232
Reale *sacrificium nec Judæi habuerunt nec nos.* 505. 506. 507. *Vide. S.*

Recordatio *mortis Christi quid.* 7
Reges *inauguravit primus Stephanus Papa.* 167
Reliquiæ *Cœnæ Dominicæ quis olim sumpserit.* 27
olim à pueris absumptæ. ibid. 56
pueris non dandæ. 244. *à Scholasticis.* 27
igni traditæ. 56. *intra triduum reservatæ.* ibid.
damnatur. 55. *domi asservatæ.* ibid.
in Templis. ibid.
an vim benedictionis retineant. ibid.
de Reliquiis *Cœnæ quid statuerit Clemens.* 399. 402
quid olim cum reliquiis factum sit. ibid.
Reliquiæ *Cœnæ exstodiendæ.* 101
consumendæ. ibid.
Remissa *quid.* 154
Responsorium *unde dictum.* 181
Repræsentandi *verbum quid apud Tertull. & Hieronymum contra Bellarminum significet.* 62
Repræsentationis *sacrificium quid.* 502
Resurrectionis *nostræ nos Sacra Cœna certos reddit.* 436.
in illa substantialiter nos mutari docet Bellarminus. 437
Ritus *veri in Cœna.* 1. 2. 3. 4
accidentarii. 6. *in Apostolica Ecclesia.* 12. 13
in Cœna aucti. 19. *liberi fuerunt.* ibid.
Ritum *in Cœna inclinatio temporibus Apostolorum.* 16. 17.
post tempora illorum usque ad A. 600. 19
corruptio in Cœna. 49. 52
Ritus *Cœnæ Dominicæ in Romana Ecclesia à temporibus Apostolorum usque ad Gregorium M. a fol.* 99 *usque ad* 120. *eorum inclinatio præter Romanam Ecclesiam ab anno Domini* 600. *usque ad* 850 *à folio* 152. *usque ad.* 162
Ritus Romanæ Ecclesiæ hujus tertiæ classis. à f. 162 *usque ad* 168. *in Cœna inclinatio ab An.* 850. *usque ad* 941 *& sequent. Ritus Liturgiæ Gregorianæ describuntur & examinantur à fol.* 168. *usque.* 207
Vide Liturgia.
Robertus *Rex Francis composuit sequentias.* 184
Robigalia. 334
Romana *Missa quando aliis Ecclesiis fuerit obtrusa.* 215.
Romanæ Ecclesiæ Liturgia. 168
Vide Liturgia & Ritus.
de Romanorum *episcoporum Decretalibus judicium.* 100
de eorum Decretis circa Eucharistiam judicium. 120.
aliis Ecclesiis suas consuetudines non obtruserunt. ibid.
Romani *Episcopi multi fuêre Sacerdotum filii.* 117
suas ceremonias etiam aliis Ecclesiis obtruserunt. 168.
temerè usurparunt potestatem inaugurandi reges. 167.
Romanorum *Pontificum usque ad Gregorium Magnum varia decreta circa ritus & ceremonias Eucharistiæ à fol.* 99. *usque.* 120
Romani *Semeninas ferias habuerunt.* 334
Ambarvalia. ibid. *Robigalia.* ibid.

S.

Sacella *& altaria in honorem Sanctorum erigi capta.* 132
Sacerdotes *soli sacram Cœnam administrare debent.* 19. 20.
Sacerdotis *& Laici in Cœna nulla differentia.* 28. 33. 34. 40.
nulla est differentia inter ipsos in tractandis sacris mysteriis teste Chrysost. 119
qua sit differentia. ibid.
Sacerdotes *vocantur omnes fideles.* 501. 505
Ministri cur non vocentur Sacerdotes. ib d.
cur illos vocarint Sacerdotes Patres. ibid.
Sacerdotes *conjugatos Syrianus à sacris arcet.* 116
Sacerdotum *matrimonium damnârunt Pontifices Romani.* 116
idem fecerunt Ethnici. 118
probatur Sacerdotum matrimonium. 116
de Sacerdotis *accessu ad Altare.* 175
Sacerdotis *gestus in recitatione quartæ partis Canonis.* 197
de ejus inclinatione, osculatione Altaris. 191
quo ritu symbolum recitat. 187
Sacerdotum *manus non sunt sanctiores laicorum.* 29
ei necessaria est intentio in consecratione. 346
illis pœna statuitur si aliquid in celebratione Missæ omiserint. 342
Sacerdotes *malos & non malos posse conficere Eucharistiam.* 345
Sacerdotes *Ethnicos imitatur Clerus Romanus.* 118
Pilato similes. 190
Sacerdotis *& latronis in cruce similitudo & differentia.* 200
Sacramentum *quid.* 61. 64. 66
ejus definitio. 8
unde dictum. 257. 271. 291
Sacramenta *duabus rebus constant.* 1. 436
Vide sextium Indicem A.
Sacramentorum *Veteris & Novi Testamenti discrimen.* 438. 439
inter Sacramentum & virtutem Sacramenti distinguunt Augustinus & Maurus. 221
res externæ solis fidelibus fuêre Sacramenta. 359
Sacramentalis *usus.* 57
sine Spirituali nil prodest. 73
Sacramentalem *esum agnoverunt Patres.* 69. 70. 71
de Sacramentorum *necessitate quid sentiendum sit.* 52
Sacramentorum *efficacia non pendet à qualitate Ministri.* 20
an verum futurum si à Diabolo conficeretur. ibid.
Sacramentum *non facit pronunciatio verborum sed usus legitimus.* 358
Sacramentorum *celebratio pro defunctis institutæ.* 132
Sacramentarii *certaminis initium.* 251
progressus. 283
Sacramenta *ex ipsa similitudine eorum rerum nomina accipiunt quorum sunt Sacramenta.* 256. 272
Vide plura in C.
Sacrificulus *impiè orat ut Deus Pater Filium grauum & acceptum habeat.* 354. 362
Sacrificulorum *ignorantia.* 417
Sacrificium *non est Cœna Domini propriè.* 5
quo vero sensu dicatur. 4
Sacrificia *quid Cyprianus vocet.* 24
Sacrificia *Veterum, qualia fuerint.* 502
erant typica non tamen inania. 503
Sacrificium *reale nec Judæi habuerunt, nec nos habemus.* 507. 508
Sacrificia *veteris Testamenti impropriè propitiatoria.* 514. 515.
Sacrificia *cur Deo grata.* 149
Sacrificarunt *piè Ethnici quidam.* 483
de Sacrificio *Judæ pro mortuis quid statuendum.* 139
Sacrificia *quomodo sint abrogata à Christo.* 507
Sacrificium *quale habeat Christianismus.* ibid.
laudis. 499

Sacrificium *spirituale quid.* 484
antiquissimum. ibid.
Spiritualia non abolebant cæremonialia. ibid.
quomodo Patribus incognita fuerint. 486
de Spirituali Sacrificio loqui Malachiam probatur. 483. 485. 486
Vide secundum Indicem.
Sacrificia *Novi & Veteris Testamenti inter se confert Fulgentius.* 80
inter Sacrificia *Levitica Christi in cruce, & immolationem corporis ejus in Cœna, differentia.* 72
Sacrificium *Indæorum in lege cum Sacrificio Christi in Evangelio confertur.* 474
Sacrificii *Christi, cum Typicis sacrificiis impia collatio.* 362
Augustini comparatio. ibid.
inter Sacrificium & Eucharistiam distinctio. 421
inter Sacrificium & Sacramentum falsa Bellarmini distinctio. 418
Sacrificii & Cœnæ differentia. 469. 470
Sacrificium *cur appellarint Patres.* 80. 151. 152. 222. 256. 495. *usque ad fol.* 500
nomen quomodo Veteres retinuerint abolita re. 356
Sacrificium *non esse Cœnam Domini probatur.* 469
I. Argumentum ita potest ex differentia Sacramenti & Sacrificii. 469. 470
II. ex Cœnæ institutione. ibid.
III. à Sacerdotio Christi. ibid.
IV. à Sacrificio Christi. 471
V. ab ejus Testamento. 472
VI. Ab authoritate Primæ Ecclesiæ nostrorum Missam non esse Sacrificium. 473
VII. Sumitur ex Canone Latino. 474
Sacrificii *vocis depravatio.* 500
Sacrificii *nomen quo sensu tolerari possit.* 495
Sacrificii *nomine cur Patres addiderint Epitheta.* 503
de Sacrificio *alster antiqua quam nova Romana Ecclesia sentiebat.* 120
Sacrificium *pro dormitione quid.* 112. 130. 131. 356
Sacrificium *Martyrum nomine celebratum.* 112
Sacrificia *pro mortuis approbavit Gregorius M.* 136
cur. 135. *promovit Monachatus.* 136
nil de iis extat in Canone. 137
argumenta Bellarmini refutantur pro illo à f. 137 *usque ad* 145
Sacrificare pro absentibus quo sensu dictum sit à Patribus. 506
non propterea esse reale Sacrificium. ibid.
Sacrificium *incruentum Novi Testamenti quid.* 121
de Sacrificio *cruento & incruento Christi.* 510
quid de illo Patres statuerint. 510. 511
Sacrificium *præsanctificatorum quid.* 160
Sacrificium *repræsentationis quid.* 501
Sacrificium *novum quid.* 486
Sacrificium *cur dicatur Missa.* 194
Sacrificiis nostris Deum laudamus, nil facit ad Missam. 507
Sacrificium propitiatorium an sit Missa. 356. 357
Sacrificium *esse Missam Bellarmini argumenta refutantur à fol.* 475. *usque* 509
Sacrificium *propitiatorium negatur esse Missam, idque probatur contra Bellarminum à f.* 509. *usque ad finem.*
Salem *exhibent plebi vice Cœnæ.* 205
Salve *Regina, quis author.* 184
Salutatio, *Dominus vobiscum in quibus Orationibus Missæ usurpetur.* 179
unde hæc salutatio. ibid.
Salutatur *sepsies populus in Missa.* ibid.
Sanctificatio *& efficacia mystici sacrificii in quibus consistat.* 272
Sanctorum *invocationis in Eucharistia origo.* 124
Vide Invocatio & Memoria.
Sanctorum *calitum precibus quando se commendari cæperint homines.* 132
de Sanctus, *Sanctus, &c.* 192
veteris Ecclesiæ ritus depravatus. 193
author. 105. 193. *de ejus authore dubitatur.* ibid.
Sandaliis *in Missa cur utantur.* 170
Sangallense *templum majus habuit calicem inauratum ponderis 70, marcarum argenti.* 107
Sanguis *quomodo sit in pane.* 353. 360. 361
an sit sanguis Christi in pane per concomitantiam. 389. 390. 391.
in Sanguinem Christi an transmutetur aqua. 353. 365
Vide E. & V.
Satan *cur magis Cœnæ quàm Baptismi Sacramento insidiatus sit.* 18
Satyrus *Ambrosii frater in naufragio è collo suspendit Eucharistiam.* 545-7. 403
Scholasticus, *an sit nomen proprium an substantivum.* 424
Scholasticus *quidam author Canonis.* 193. 226. 424
quis fuerit. ibid. *fuit ineptus homo.* ibid.
Gregorius non probavit. ibid.
Scholastici *Canon, super oblationem fidelium dicè debet.* 226
Scholastica *Theologia prima.* 343
media. 344. *ultima.* 345
Scholastica *Theologia ex Theologia & Peripatetica Philosophia conflata esse teste Sixto Senensi.* 344
Scholastici *docuerunt, communionem illam esse perfectiorem quæ sub utraque specie fit.* 391
dicunt ritum miscendi aquam ex Scriptura non probari posse. 384
Scholasticorum *Doctorum contraria sententia de Transubstantiatione.* 345
Scotus *& Thomas dissentiunt.* 346
Secretum *Silentium.* 193
cur sic dicatur Missa. 194
Secretella *quid.* 191
Sementinæ *feria qua.* 314
Sententiarum *Libri.* 343
Sequentia *quid.* 183
origo. ibid. *usus auctus.* 184. *antiquitas.* ibid.
nominis ratio. ibid.
Serapion *vir doctus Scholastici nomen adeptus est.* 424
Serapionis *lapsi Eucharistiam petentis, historia.* 32. 36. 56. 57. 105. 320. 325. 404.
Sibyllina *oracula.* 384
Signum *quid.* 285
Signa *externa, in Primitiva Ecclesia.* 24
Signorum *& rerum significatarum Analogia.* 10. 427.
non sunt nuda sed exhibitiva signa. 10
Signorum *copia si desit, quid agendum.* 11
Signum *qui tollit, negat Sacramentum.* 8. 18
Signa *in res ipsas verterunt homines superstitiosi.* 249
Sigihago *Comiti securi percutiendo Cœnæ data.* 36
Silentium Papisticum in Missa improbatur. 193. 194. 418.
cum Silentio sua sacra peragebant Ethnici ut hodie Pontificii faciunt. 146
Simoniacorum *error in Cœna.* 18
Simoniaci *an possint conficere Eucharistiam.* 345
Sportulantes *fratres qui.* 224
Squillæ *pulsus.* 198. 319
sit ad Indæorum & Ethnicorum consuetudinem. 198.

eam mula Papæ fert. 198
Σφραγωνίται *quid apud Epiphanium.* 317
Stephanus *an fuerit cælebs.* 424
Stephanus *Brullifer Missam improbavit.* 377
Stola *quid.* 169. *author.* ibid.
Sudarium *Sacerdotum à quo inventum.* 170
Succinctorium *quid.* 171
Summarum *Theologicarum authores.* 344
Superexcrescentia *Missæ.* 202
Superstitio *quomodo accesserit Martyrum memoriis.* 131.
Superpellitium *quid.* 170
Surſum *corda, Quid illa adhortatione Patres voluerint.* 81
Symbolum *cur Evangelio in Missa subnectatur.* 187
quo ritu Sacerdos recitet. ibid.
author hujus ritus. ibid.
quibus diebus cantari debeat. ibid.
Symbolum *Nicænum in Cœna usurpandum statuit Marcus Papa.* 115
ejus loco Constantinopolitanum institutum à Damaſo. 116
Symbola *Eucharistica non ſunt inania ſigna.* 503
Symbola *in manus accipere antiquum eſt.* 28
cur. 30. *quando abrogatum.* 29
non mutantur ex ſua propria ſubſtantia in aliam recitatione verborum. 25. 57
de Symbolorum *mutatione in ſacra Cœna Primitivæ Eccleſiæ ſententia.* 25. 26
Symbolorum *mutatio quid apud Gelaſium ſignifices.* 123
poſt conſecrationem non amittunt propriam ſubſtantiam. 410
Symbola *extra legitimum uſum, nullam habent Sacramentorum rationem.* 405
Σύναξις, *dicta eſt Cœna ſacra.* 150
unde dicta ſit. 36
Swenckfeldiani *nuda ſigna in Cœna conſtituunt.* 149.

T.

TAcitè *cur Canon legendus ſit.* 146
Tacitè *à Chriſto prohibita ab Innocentio III. inſtituta.* 326
Tanquam: *ſolidam approbationem ſignificat.* 59
Taraſius *Conſtantinop. Patriarcha quibus veſtibus induius celebrarit.* 161
in manus dedit Euchariſtiam. ibid.
Τελετὴ *dicta eſt Cœna Domini.* 151
in Templis *celebranda Cœna.* 46. *cur.* ibid.
à Templis Ethnicorum & Papiſtarum non ſimpliciter abhorremus. 46
in Templis *Miſſam celebrandam.* 162
Templorum *ſtructura verſus Orientem ante Occidentem res indifferens olim fuit.* 195
Ethnicos imitantur Pontificii. 194
Teſtamentum *Chriſtus in ultima Cœna condit.* 57
Teſtamentum *novum quomodo vocetur poculum.* 14
Theodoſii *tempore introductum Trifagion.* 193
qua occaſione. ibid.
Theologia *Scholaſtica prima.* 343
media. 344. *ultima.* 345
vide S. de Theologia Clementis, Sixti & Soteris judicium. 105
Thomas *Aquinas multum laboravit in Scholaſtica Theologia & Ariſtotele.* 344
ab eo diſſentit Scotus. 346
Thomas *Waldensis immeritò hæreſeos damnavit Rabanum.* 222
Thuribulum *aureum abrogatum.* 177
ejus origo. ibid. 182. *etymologia.* 183
Thuris *uſus in Miſſa frequentiſſimus.* 177
ejus myſterium. ibid.
Gentibus in uſu fuit. ibid.
Thus *unde dicatur.* 177
de Thurificatione. ibid. *author.* ibid.
ex Judaiſmo & Ethniciſmo ſumptum. ibid.
Thurificatio *ſecunda.* 190
origo. 191. *cauſa.* 190
Thymiaterium *aureum alteri Miſſæ deſtinavit Sergius.* 165
Tigurinæ *Bibliothecæ vetuſtiſſimus Liber ſacrorum.* 208.
Timor *& Tremor quomodo requirantur ab iis qui Euchariſtiam accedunt.* 4. 1. 503
Traditiones *quæ Apoſtolorum nomen habent, non ſtatim ſunt recipiendæ.* 423
Traditionis *Apoſtolicæ nomine venditari cœpit, quicquid devotionis cauſa receptum fuit.* 49
Traditionibus *ni aqua authoritas cum ſacris Literis tribuatur, Papiſticus Cultus conſiſti non poteſt teſte Burckardo.* 422
Trajanum *Imperatorem precibus Gregorii Turonenſis ex cruciatibus inferni liberatum eſſe fabulatur Damaſcen.* 467
Tranſelementandi *voce quid Theophylactus intelligat.* 279
de Tranſitione *Sacerdotis in dextram & ſiniſtram Altaris partem.* 176
à Gentibus mutuarunt. ibid.
Tranſſubſtantiatio *nova Philoſophia.* 198
nominis origo. 311
nomen non convenit ipſi rei. ibid.
Tranſſubſtantiationis *occaſio & origo.* 249. 250
ei dederunt hyperbolicæ Patrum phraſes. ibid. 251
Non intelligebant illam Pontificiam ſed myſticam tranſmutationem. ibid.
Certaminis ejus origo & progreſſus à f. 283. uſque. 330
quibus verbis Tranſſubſtantiatio fiat. 357
non ab omnibus approbata & recepta. 373. 374. 375. 376. 377.
ignota fuit ea doctrina in Orientе & Occidente tempore Francoford. Synodi. 220
quid de ea Patres ſenſerint. 25. 26. 73. 84.
vide Manducatio & præſentia corporis Chriſti.
Eam oppugnarunt & ignorarunt Juſtinus. 122
Innocentius. 123. *Leo.* ibid. *Gelaſius.* ibid.
nec non hæretici. 149
Gregorius Magnus. 216
Iſidorus. ibid. *Beda.* 217. 218
Damaſcenus, ibid. *Nicena Syn.* 2. 219
Rabanus. 221. 222
eam ex Verbo Dei probari non poſſe fatentur Scholaſtici. 350
Concomitantiæ dogma eam labefactat. 390
fractio trina everſit Tranſſubſtantiationem. 220
Canonici facit pro Tranſſubſtantiatione. 226. 227. 229. 230. 231. 235.
ejus ſemina ſparſiſſe Bertramum negatur. 269
miraculis falſis confirmata eſt. 371. 372. 373
quibus argumentis eam defenderint Romani Pontifices. 293.
primus eam defendit Lanfrancus. 297
ejus in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. confirmatio. 301. 310. 311
qua Tranſſubſtantiationis *dogma confirmatum, ſine conſequuntur.* 316
reſpondetur ad argumenta Bellarmini qua pro confir-

matione Transſubſtantiationis in genere ex Patribus adducit à ſ. 426. uſque. 433
Vide tertii Indicis partem ſecundam B. reſpondetur ad alia ejus argumenta quæ pro Transſubſtantiatione in ſpecie ex Patribus adducit à ſol. 434. uſque ad. 468
Tremendum *ſacrificium cur vocata ſit Cœna.* 431. 503
Trevirenſis *Eccleſia habet baculum Petri.* 171
Trinam *fractionem hoſtiæ inſtituit Sergius.* 165
variæ ejus ſignificationes. ibid. 166
Trinitas *tota in Cœna præſens eſt.* 57
Triſagion *quis inſtituerit.* 105. 193
Tropus *in verbis Cœnæ agnoſcendus.* 10
agnoverunt eum Apoſtoli. 13
Chryſoſtomus. 15. *vide F.*
Tunica *Epiſcopalis.* 171
de Tunſione *pectoris.* 176
Θυσίας *ethymologia duplex.* 149
dicta eſt Cœna Domini. 151

V.

VAſa *Cœnæ ab initio lignea fuerunt.* 47
ligneis uti prohibuerunt Triburienſis & Remenſis Synodi. 107. *cur.* 108
Vaſis *vitreis in Cœna utendũ ſtatuit Zephyrinus.* 107
aureis & argenteis quando uti cœperunt. 47
aureis & argenteis utendam ſtatuit Urbanus. 107
rationes quibus pretioſa vaſa in Cœna defenduntur, examinantur. 108
leges de pretioſis vaſis in luxum degenerarunt. 107
Vaſis *pretioſis an iis in ſacris uti liceat.* 7
Patres hunc reprehenderunt. 47
nec Ethnicis placuit. 48
de iis decretum Synodi Anglicanæ. 161
Vaſa *ſacra Monachæ ne attingant ſtatuit Soter.* 105
judicium de hoc decreto. ibid.
Venenatus *calix Godofrido Lotharingiæ Duci exhibitus à Diacono.* 243
Veneno *infecta Euchariſtia.* 336
Veneno *extincti Pontifices.* 283. 336
Verba *inſtitutionis vera ſunt.* 57
verus eorum ſenſus. 8. 9. 10
vide Hoc eſt, unde verus ſenſus ſit petendus. 57
Verborum *Chriſti recitatio, non mutat ſubſtantiam ſymbolorum.* 25. 122
non faciunt Sacramentum. 358
nec operatio Spiritus Sancti verborum recitationi alligata eſt. ibid.
Veritas *quid.* 252. 271
Veritati *non præjudicat Conſuetudo & Antiquitas.* 12. 384. 506. 508.
Uermes *unde in Euchariſtia naſcantur.* 353
Veſperi *cur Cœna inſtituta.* 6
Veſtimenta *in Cœnæ celebratione uſitata.* 161
Veſtimenta *novem Pontificibus & Epiſcopis ſpecialia.* 170. 171. 172.
de Veſtimentorum *coloribus in Miſſa uſurpatis.* 248
Veſtitus *ſuperbi Sacerdotalis origo.* 172
Argumenta Bellarmini refutantur. ibid.
qualis in Cœnæ adminiſtratione retineri debeat. 173
non conciliat Sacramentis authoritatem. ibid.
Veſtitus *Sacerdotis in Miſſa qualis debeat eſſe.* 340
Veſtitus *ſingularis in Cœna à Stephano inſtitutus.* 103
Veſtitu *communi uſi ſunt Orientales.* 271
Veſtium *pretioſarum uſus in diſtributione Cœnæ Caroli Magni liberalitate introductus eſt.* 161
Vetuſtas *non patrocinatur errori.* 384. 506. 508
Viaticum *quid.* 36
Viaticum *vocatur Cœna.* 157
Victor *II. & III. veneno ſublati ſunt.* 336
Vinum *in Calice Chriſtus conſecravit.* 382
Vinum *ex privatis ædibus in ſacra Cœna olim allatum fuit.* 24
Vinum *ſi deſit in ſacra Cœna, quid faciendum.* 11
Vini *cum aqua mixtio.* 49. 190
origo hujus ritus. 49. *hæc ceremonia libera fuit.* ib.
eam inſtituit Alexander. 104
confirmavit Conſtantin. V I. 159. *damnatur.* 49. 50
Vinum *aquâ miſcendum quibus argumentis probarit Anthelmus Havelburgenſis.* 243
in Conſtantinopolitana Eccleſia non fuit in uſu. ibid.
Vinum *non ſumunt Manichæi, & cur.* 117. 118. 123
ejus loco aquam ſumebant Abionitæ. 147
vinum Diabolicum opus vocabant. 148
refutantur. ibid.
caſeum pro vino offerebant Artotyritæ. ibid.
Viti *ſacris initiati qui.* 110
Viſibiliter *& inviſibiliter Scholaſticorum refugiũ.* 299
Vitis *germen quid.* 382
Unius *ſpeciei origo.* 117
ſub Una *tantum ſpecie communicandum Pontificiorum argumenta refutantur.* 385
Unio *fidelium cum Chriſto qualis ſit juxta Cyrillum.* 459. 460.
Voce *ſubmiſſa non legendum eſſe Canonem probatur.* 417. *uſque.* 421. *vide Canon.*
Voce *clara uſus eſt Chriſtus.* 417
Voto *cœlibatus non erant adſtricti Sacerdotes Orientales.* 117
Vvas *preſſus in poculum quidam in Cœna adhibuerunt.* 49. *prohibetur hic mos.* ibid.
Vvas *cum Euchariſtia non diſtribuendas.* 160
Vulgata *verſio errat ab Hebræa veritate.* 477
ſub Vtraque *ſpecie olim communicarunt omnes.* 38. 39. 40. 107. 108. 116. 117. 118. 164. 216.
tempore Cypriani. 39. *Lanfranci.* 243
Lotharii Imp. 242. *Rabani,* ibid. *Ratherii.* 279
Radulphi. 243. *Paſchaſii.* 242
Godofridi Lotharingii Ducis. 243
Andronici. ibid. *Bernhardi.* ibid.
P. Lombardi. ibid. *Idem docuerunt Huſſ.* 377
Savanorola ibid. *Wicleviſta.* ibid.
Argumenta ſeptem pro utraque ſpecie contra mutilationem Cœnæ. 392. 393. 394
ſub utraque ſpecie communicare, Scholaſtici majoris efficaciæ & illuſtrioris repræſentationis eſſe teſtati ſunt. 320. 390. *ſub utraque ſpecie communicare in Monaſteriis conſuetudo retenta uſque ad Annum M. CCC.* 394. *ſub utraque ſpecie communicare abrogavit Concilium Conſtantienſe.* 321
quibus rationibus id defendat. ibid. 322
Baſilienſe idem ſtatuit & quibus rationibus. ibid.
Tridentinum confirmavit. 325. 324
ſub utraque ſpecie communionem quibus conditionibus Concil. Trident. concedere voluerit. ibid.
objectiones Pontificiorũ refutantur. à ſ. 385. *uſq;* 395
ſub una tantum ſpecie ſumere à Manichæis mutuarunt Pontificii. 387. *ob quædam incommoda, alteræ ſpeciei non eſt neganda.* 388. 389

W.

Waldus *Mercator Lugdunenſ.* 376
Waldenſium *de Cœna doctrina.* 293
Waldenſes *qui.* 376
Walafridus *author Poſſillarum.* 218
quis fuerit. 270. *vide tertium Indicem.*
Wilhelmus *Archiepiſcopus Eboracenſis intoxicatus fuit in Miſſa.* 336

Z.

Zona *Sacerdotalis quid.* 169

INDEX SECVNDVS
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Qui in his LIBRIS citantur & explicantur. Primus major numerus, *Caput*, Secundus Aritmeticus, *Versus*, Tertius, *Paginam* notat.

GENESIS.

III. 15. IPsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. 380
XIV. 18. *Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum à fol.* 475. *usque.* 481
XVII. 19. *Hoc est fœdus meum inter me & te.* 8
XXV. 33. *Jura mihi sicut hic dies.* 59
XLIX. 10. *De tribu Juda non recedet sceptrum, neque dux de fœmore ejus.* 380

EXODVS.

XII. *Mactatio Agni Paschalis, explicatur & probatur nil facere pro sacrificio Missæ.* 481
XII. 6. *Decima quarta die immolari debet agnus.* 3
XII. 11. *Est transitus Domini.* 8
15. *Septem diebus panem azymum.* 1
XXIV. 8. *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* 483
XXXII. 13. *Recordare Abrahæ, Isaac & Israël.* 128. 175.

DEUTERONOMION.

XVI. 16. *Vacuus in conspectu meo ne apparebis.* 188.
XVI. 17. *Offerat unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem, &c.* 153

NEHEMIAS.

VIII. 4. *Et Esdras stetit super gradum ligneum.* 186.

IOB.

I. 5. *Sacrificabat pro filiis.* 514. 515
XIX. 26. *Et in carne mea videbo Deum.* 437
XXIV. 15. *De nocte est tanquam fur.* 59

PSALTERIUM.

XXVI. 6. *Lavabo manus in innocentia.* 191
LI. 6. *Tibi soli peccavi.* 176
LXXVIII. al. 77. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* 254. 273
CX. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* 471. 475. 476
CXLI. 2. *Dirigatur oratio mea Incensum in conspectu tuo.* 484

PROVERBIA.

IX. 2. *Miscuit in cratere vinum suum.* 275
XXIII. 1. *Accessisti ad mensam potentis, diligenter attende quæ tibi apponuntur.* 256

ISAIAS.

I. 16. *Lavamini, mundi estote.* 191
VI. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus.* 193

IEREMIAS.

LI. 7. *Calix aureus Babylon inebrians omnem terram.* 102

DANIEL.

II. 21. *Qui transfert imperia mundi.* 168
XI. 38. *Deum Maozim in loco suo venerabitur.* 154

OSEAS.

XIII. 2. *Et reddemus vitulos labiorum.* 4

HABAKUK.

II. 4. *Justus sua fide vivet.* 368

MALACHIAS.

I. 11. *Magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo.* 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490.

MACHABEORUM.

I. Mich. XII. 42. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare.* 139

MATTHÆUS.

VI. 11. *Panem nostrum da nobis hodie Cypriani expositio.* 90
XXIV. 26. *Ecce in conclavibus nolite credere.* 326. 410
28. *Ubi est cadaver, ibi & aquilæ.* 81
XXVI. 18. *Abite in civitatem ad quendam.* 3. 4
26. *Fregit, dedit discipulis.* 396. 397
26. *Accipite, comedite.* 5. 28
27. *Hoc est corpus meum.* 7. 8. 9. 10. *à fol.* 57. *usque* 90. *&* 359. *item* 378. 379. 492.
27. *Bibite ex eo omnes.* 6. 27. 392. 393.
28. *Hoc est enim sanguis meus.* 8. 13. 52
28. *qui pro vobis effunditur.* 515. 492.
29. *Non bibam amplius ex hoc fructu vitis.* 9. 382
XXVII. 24. *Mundus sum à sanguine innocentis hujus.* 190. 206

MARCVS.

XIV. 23. *Et biberunt ex eo omnes.* 6. 27
24. *qui pro multis effunditur.* 8. 10
XV. 42. *ὁ ἐστι προσάββατον.* 4

INDEX.

LVCAS.

I. 38. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* 358
XV. 18. *Peccavi in cœlum & adversùm te.* 176
XXII. 17. *Accipite hoc & partimini vobis ipsis.* 5. 6. 27.
18. *Non bibiturus sum de germine vitis.* 275. 382
19. *quum gratias egisset.* 4
19. *Quod pro vobis traditur.* 13
19. *Hoc facite &c.* 6. 7. 8. 9. 10. 111. 128. 360. 368. 393. 395. 417. 490. 491.
20. *Hoc poculum est Novum Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.* 9. 14. 378. 379. 493.
XXIV. 30. *Et accepto pane benedixit, fregit & dedit eis.* 386

IOHANNES.

I. 4. *Vidimus gloriam ejus tanquam unigeniti à Patre.* 59
III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* 52.
IV. 23. *Adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* 410.
VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis.* 52. 255.
55. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* 221
57. *Ego vivo propter Patrem.* 279
60. *Durus est hic sermo, quis potest eum audire.* 278
62. *Quid si conspiceritis filium hominis ascendentem eò ubi prius erat.* 16. 82. 255
63. *Spiritus est qui vivificat, caro nil prodest.* 16. 78. 255. 261. 278.
XIII. 1. *Ante diem festum Paschæ.* 2
4. *Surgit è Cœna & deponit vestimenta sua.* 172
9. *Vos mundi estis.* 487
XVIII. 28. *Ipsi non introiverunt prætorium.* 2. 4
XIX. 13. *Erat autem parasceve Paschæ.* 2. 4
30. *Consummatum est.* 471. 509
34. *Statim exivit sanguis & aqua.* 383. 384
XX. 17. *Noli me tangere, nondum ascendi ad Patrem. Bernhardi considerato.* 293. 429

ACTORVM.

I. 11. *Ita veniet, quemadmodum eum conspexistis proficiscentem in cœlum.* 15
II. 42. *Erant que perdurantes in communicatione & fractione panis.* 188. 386
XIII. 2. *Ministrantibus illis Domino & jejunantibus.* 494. 495
XV. 16. *Ad hoc ut sim Minister Iesu Christi inter Gentes.* 494
XXII. 16. *Baptizare & ablue peccata tua.* 8

ROMANOS.

V. 4. *Consepulti estis per Baptismum in mortem eum Christo.* 67
XII. 13. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* 230.

I. CORINTH.

V. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 482
X. 1. *Nescuis quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c.* 254
4. *Omnes eundem panem Spiritualem bibisse.* 394
16. *Poculum benedictionis cui benedicimus.* 4. 5. 9. 14. 17. 495.
16. *Panis quem frangimus, &c. impia Lombardi expositio.* 301
17. *Unus panis, unum corpus multi sumus.* 14.
18. *Ubi peccatorum est remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato.* 511. 512
21. *non potestis poculum Domini bibere.* 13
XI. 20. *Quum convenitis in unum locum.* 12
21. *Unusquisque propriam Cœnam præoccupat.* 333. 392.
22. *Num contemnitis Ecclesiam.* 13. 16
23. *Quod accepi à Domino, tradidi vobis.* 13. 15
24. *Quod pro vobis frangitur.* 7. 13. 397. 493
24. 25. *Hoc facite.* 393. 412
quibus id dictum sit. 111
24. *in mei recordationem.* 43. 63. 221. 397
26. *Mortem Domini annunciate donec veneris.* 15. 31. 52. 331. 392.
28. *Probet seipsum homo.* 13. 31. 52. 312. 313. 392
29. *Qui edit indignè.* 13
29. *non dijudicans corpus Christi, Chrysost. expositio.* 90
33. *Quum convenientis ad vescendum alius alium expectet.* 12
34. *Si quis esurit, domi edat.* 13
XIV. 2. *Hominibus & Deo loqui.* 418
6. *Si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero.* 17. 18. 413
7. *Atqui inanima quæ sonum edunt, nisi distinctionem tonis dederint, &c.* 17
8. *si incertum sonum tuba dederit.* 13. 17
10. *Tam multa genera vocum sunt in mundo & nihil est mutum.* 413
11. *Itaque si nescio vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus.* 17. 413
15. *Precabor Spiritu & intelligentia.* 418
16. *Si benedixeris Spiritu, is qui occupat locum idiotæ quomodo dicturus est Amen.* 17. 413. 419
19. *in Ecclesia loqui.* ibid.
19. *Malò in Ecclesia quinque verba loqui.* 17. 358

II. CORINTH.

III. 6. *Litera occidit, Spiritus vivificat.* 68. 76

EPHESIOS.

V. 1. *Estote imitatores Dei tanquam filii dilecti.* 59
8. *tanquam filii lucis incedite.* ibid.

PHILIPPENSES.

IV. 18. *hostiam gratam acceptámque Deo.* 226

COLOSSENSES.

II. 21. *Ne gustaveris, ne contigeris.* 5

I. TIMOTH.

III. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse, Syricii absurda expositio.* 116.
IV. 4. *Quicquid creavit Deus bonum est.* 5
14. *Ne neglexeris quod in te est donum.* 110

TITVM.

III. 5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis.* 8

HEBRÆOS.

V. 1. *Omnis Pontifex constituitur in iis.* 505
VII. 1. 2. *Melchizedechi & Christi comparatio examinatur.* 475. 476. 477
23. *Et illi plures facti sunt Sacerdotes.* 471
24. *Christus in æternum manens perpetuum habet Sacerdotium.* 471

VIII. 3. *Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas conſtituitur.* 505
IX. 4. *Aureum habens thuribulum.* 177
24. *non ut offerat ſeipſum ſæpius, ſed ut appareat vultui Dei pro nobis.* 471
X. 1. *Lex umbram obtinens eorum bonorum quæ futura erunt.* 515
2. *Propterea quod qui ſacrificaſſent, ſemel purgati.* 515.
4. *Non poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata.* 515
10. *Qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* 471
Bellarmini ſophiſtica interpretatio refutatur. 510.
18. *Ubi eſt peccatorum remiſſio, ibi non eſt amplius oblatio.* 472

I. PETRI.

V. 14. *Oſculum charitatis.* 204

APOCAL.

I. 5. *Et à Ieſu Chriſto, qui fidus eſt ille teſtis.* 378
qui dilexit nos. ibid.
6. *Et fecit nos Reges.* ibid.
IX. 1. *Et vidi Stellam è cœlo cadentem.* 118
XIII. 11. *Vidi aliam beſtiam aſcendentem habentem cornua duo.* 171
18. *Numerus ejus ſexcenta ſexaginta ſex.* 165. 211. 215.
XX. 7. *Et cùm expleti fuerint mille anni, &c.* 251. 283.

TERTIVS INDEX PERSONARVM.

Sunt autem hujus Indicis partes tres.

PARS PRIOR.

Romanorum nimirum Epiſcoporum & Pontificum, qui Cœnæ Dominicæ de ſuo aliquid vel addiderunt, vel Miſſam exornârunt. Addimus quoque creationis annos.

EPISCOPI.

PETRVS. *Orationem Dominicam Cœnæ addidit.* 12. 424
eum primam Miſſam celebraſſe, mentiuntur Pontificii. 12. 153
Canonem Miſſæ ab eo conſtitutum mentitur Eccius. 422
Bellarminus. 424
CLEMENS. A 68. *ſtatuit, qui non communicat, communione privandus.* 101
Excommunicatis Cœnam non dandam eſſe. ibid.
de reliquiis cuſtodiendis. ibid.
Suppoſititium decretum. 399. 401
Decreti verus ſenſus. 402
De Pallis altarium. 102
qui adminiſtrare debeant. 101
Liturgia ejus. 94. 95. 96
Pallium Epiſcopale ſaltò ei tribuitur. 171
Papæ nomen Canoni Miſſæ addidiſſe negantur. 195.
de Oblationibus fidelium decretum. 225. 226
ANACLETVS. A. 84. *Peracta conſecratione, omnes communicent.* 102
Epiſcopus in celebratione teſtes ſecum habeat. 103
EVARISTVS. A. 96. *Inſtituit ne templa ſine Miſſarum celebratione dedicarentur.* 106
ALEXANDER. A. 109. *Scripſit peccata ſacrificio Miſſæ deleri.* 104
aquam vino miſcuit. ibid. 190. 383
azymum panem inſtituit. 104
hoſtia rotunda falsò ei tribuitur. 316
& aquam benedictam. 104. 173
uno die unam tantùm Miſſam dicendam. 104
Canonem auxit. 197. 403
SIXTVS. A. 117. *Triſagion inſtituit.* 105. 193
negatur. ibid.
Corporale confici vetuit. 105
Mulieris ſacram pallam contingere interdixit. 105
TELESPHORVS. A 127. *Decretum de tribus in nocte natalis Chriſti Miſſis celebrandis.* 106
Gloria in excelſis adjecit. ibid. 178
ſaltò ei tribuitur. 179
quemadmodum & Laudamus te. ibid.
& Epiſtola 2. 10. ſtatuit quibus ceremoniis Evangelium tractari debeat. 185
HYGINVS. A. 139. *inſtituit ne Templa ſine Miſſarum celebratione dedicarentur.* 106
PIVS. A. 150. *ordinavit cautelas circa ſanguinem ſi forte effunditur.* 106. 389
malitiosè inde probare vult Tranſub. Bellarminus. 434.
dæmoniacis non committendam Cœnam. 106
de Eulogiis decretum. ibid.
SOTER. A. 163. *ſtatuit à jejunis Miſſam celebrandam.* 106
In die Cœnæ omnes communicare debere. ibid.
Epiſcopos præſentibus duobus teſtibus celebrare debere. 103
Sacratas fœminas non debere ſacra vaſa & pallas contingere. 105
nec incenſum circa altaria ferre. 177
ZEPHYRINVS. A. 198. *ſtatuit vitreis vaſis in Cœna utendum.* 107
Epiſcopo celebrante in Romana Eccleſia Sacerdotes aſſiſtent. 103
in Paſchate quotannis publicè communicandum. 107.
CALIXTVS. A. 218. *Excommunicat qui communicare noluit.* 102
VRBANVS. A. 224. *Decrevit aureis vaſis celebrandum.* 107
PONTIANVS. A. 232. *Confeſſionem non ante Miſſam faciendam inſtituit.* 175
FABIANVS. A. 237. *ſtatuit ter quotannis communicandum.* 108

Offerendum singulis Dominicis diebus ad altare. A. 126. 224.
Presbyter illiteratus Missam non celebrat. 108
LVCIVS. A. 253. *statuit ut Episcopus testes habeat si celebraverit.* 103
STEPHANVS. A. 255. *Singularem vestium in Cœna institutionem.* 109
FELIX. A. 270. *Decrevit Missam non nisi in sacro loco celebrandam.* 109
Missam à viris tantum sacris initiatis celebrandam. 110
in Cœna Martyrum nomina recitanda. 112
Pœnitentiam statuit, qui ab hæretico nesciens Cœnam sumpserit. 113. 119
EVSEBIVS. A. 309. *ordinavit in Cœna lineo panno utendum.* 113
SYLVESTER. A. 314. *Lapideorum altarium author.* 113. *Et Dalmatia vestis.* 171
In sacratis locis tantum Missam celebrandam. 109.
Kyrieleison à Græcis mutuatus est. 178
MARCVS. A. 336. *Symbolum Nicenum in Cœna usurpandum.* 113
alii symbolum Apostolorum ei tribuunt. ibid.
JVLIVS. A. 336. *Statuit in Cœna nil nisi panem & vinum offerendum.* 113. 224
abrogavit intinctam Eucharistiam. 113
DAMASVS. A. 366. *Confessionem & absolutionem in Cœna instituit.* 116. 175
Symbolum Constantinopol. Niceno substituit. 116
Alii Apostolicum ei tribuunt. 187
Alleluia instituit. 116
quibus cæremoniis Evangelii codex tractari debeat, statuit. 185
SYRICIVS. A. 383. *Cœnam à non conjugatis administrandam decrevit.* 116
eos qui post pœnitentiam ad pristinos vomitus redierunt excommunicavit. 118
Missam non nisi in sacrato loco celebrandam. 109
tertiam partem Canoni addidit. 196. 230
ANASTASIVS. A. 398. *statuit ut laici stando audiant Evangelium.* 185
INNOCENTIVS 1. A. 402. *Altaris osculum instituit.* 118. 176. 204
Catalogum offerentium post preces recitandum. 118. 230.
Infantibus Eucharistiam dandam statuit. 118
Cœnam administrantibus matrimonium prohibuit. 116.
Collecta ei tribuuntur. 180
ZOSIMVS. A. 417. *de Diaconorum officiis in administranda Eucharistia leges tulit.* 119
BONIFACIVS. A. 420. *Monialibus interdixit sacra vasa attrectare.* 105
CÆLESTINVS. A. 423. *Psalmos Davidis antiphonatim cantare ordinavit.* 119. 175
de vestibus sacris sententia. 172
Gradualia ei tribuuntur. 181
LEO *Magnus. A.* 440. *addidit Hoc sanctum Sacrificium, &c.* 117. 196
Item orate pro me fratres & Deo gratias. 118
& supra quæ propitiatio, &c. 199
Cœnam etiam itcrandam statuit. 118. 334
GELASIVS. A. 444. *Tractus composuit, & ad Missam canare instituit.* 118
ordinavit sicra Collecta, Secreta, Complenda, Tractus, Gradualia. 118. 180. 181. 182
Prafationem Missæ & clausulam illam, verè dignum justum est, adjecit. 118. 192. 195
totum Canonem ei Innocentius I I I. tribuit. 423
ANASTASIVS 2. A. 496. *statuit ut nullus clericus prætermittat officium suum, ira vel rancore præter Missam.* 118
SYMMACHVS. A. 498. *Instituit, Gloria in excelsis.* 119
Missam in certam formam redegit. 119. 178
FFLIX 4. A. 526. *Clerum à populo discernit in Templis.* 119
VIGILIVS. A. 537. *Præcepit ut Missa legatur versus Orientem.* 119. 194
ut Canon legatur super sacrificia submissa voce. 119. 145.
PELAGIVS 1. A. 555. *concessit quadragesimali tempore horæ nonæ celebrare Missam.* 120
memorias mortuorum & preces pro eorum salute adjecit. ibid.
Papæ nomen Missæ addidit. 195
PELAGIVS 2. A. 580. *novem præfationes Missæ aliis Ecclesiis obtrusit.* 120. 192
GREGORIVS *Magnus A.* 590. *superioris seculi superstitiones fabulosis figmentis auxit.* 135
Purgatorium stabilivit. ibid.
sacrificia pro mortuis approbavit. 135. 136
Missæ appellatio in locum Cœnæ Dominicæ ejus authoritate substituta est. 156
multa ex Græca & ex Hierosolymitana Ecclesia accepit, quadam pro arbitrio variavit & adjecit. 163.
ordinavit ut introitus Missæ cum uno versiculo alicujus Psalmi canetur. 164
detraxit Canoni quæ irrepserant minus convenientia & addidit alia. 417
panum numulariorum in Registro meminit, sed non probat. 317
Instituit quoque ut Kyrieleison novies à Clero tantum canetur. 164. 178
Decrevit quoque ut Alleluia per totum annum ad Missas canetur. 164. 182
composuit Gradualia, Responsoria & Tractus. 164. 181. 182.
Mortuorum in Missa mentionem fieri jussit. 164. 200.
Palliis etiam in Missa uti præcepit. 164. 171
usum panis azymi liberum reliquit. 164. 247
Excommunicato non communicandum. 164
Canonem auxit. 164. 196. 197. 423
utraque species sub illo usurpata. 164
ab eo decretum est, ne Episcopi Missas publicas in Monasteriis celebrent. 164
Collecta ei tribuuntur. 180
Statuit Gentilium festa in Christianorum mutanda. 189
Clausulas adjecit. ibid.
BONIFACIVS 3. A. 607. *author fuit ut altaria candidis ac lineis pannis operirentur.* 165
DEVSDEDIT. A. 615. *Instituit secundam Missam in Clero.* 165. 335
VITALIANVS. A. 657. *Missas & cætera omnia in Templis Latinè fieri decrevit.* 165. 211
Organorum author. 183. 214
AGATHO. A. 679. *Britannicis Ecclesiis Missæ ritum obtrusit.* 168
LEO *junior A.* 682. *institutum Gregorii de Pallio confirmavit.* 164
BENEDICTVS *Junior A.* 684. *duos calices aureos & vestem holosericam auro gemmisque intextam ad Missarum celebrationem contulit.* 165
SERGIVS. A. 687. *patenam pretiosam Missæ allium*

actioni destinavit. 165
Agnus Dei instituit. ibid. 203
Fractionem virinam hostiæ. 165. 220
Miserere nobis ad Missam cantari præcepit. 165
Thymiamatorium aureum donavit. ibid.
GREGORIVS 2. A. 715. *Missam non nisi in dedicato loco celebrare jussit.* 167
ut quadragesimali tempore in quinis feriis jejunium cum Missarum celebritate fieret ordinavit. ibid.
GREGORIVS 3. A. 731. *Canonem auxit.* 167. 196
Duos aut tres calices in celebratione collocare prohibuit. 167
ne lepros cum sanis communicent. ibid.
oblationes pro mortuis Græcanis obtrusit. 200. 240
ZACHARIAS A. 741. *non licere sacerdoti insalato capite, &c. Missam celebrare.* 167. 190
statuit ut Episcopici postremo loco communicent. 167.
Vestitus pretiosi auctor. 172
STEPHANVS 4. *dictus* 3. A. 768. *decrevit ut omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, super altare Petri Missa celebretur.* 167
primus in Missarum celebratione inauguravit Reges. ibid.
Gloria in excelsis confirmavit. 167. 178
ADRIANVS A. 772. *Offertorium geminavit.* 167
Ambros. Missam in omnibus Ecclesiis excepta Mediolanensis abrogavit. 167. 212
crustum panis & patenas corneas quibus Angli utebantur abrogavit. 167
Missam Gregorianam Occidentalibus imperavit. 168.
LEO 3. A. 796. *primus coronam Imperatoribus in Missa imponere cœpit.* 167
thus Missæ addidit. 177
LEO 4. A. 847. *decrevit ne quis ex laicis stet aut sedeat aut ingrediatur Presbyterium dum Missa celebratur.* 244
urbes recens extructas primus Missa & aqua benedicta lustravit & consecravit. ibid.
NICOLAVS 1. A. 858. *Sequentias in Gallicanis Ecclesiis ad Missas loco Neumatis cantari concessit.* 184
concubinarii Missam audire prohibuit. 241
idem samen Bulgaris concedit à sacerdotes in adulterio comprehenso accipere sacramenta. ibid.
BENEDICTVS 9. A. 1032. *statuit ut Poloni Equites inter Missæ celebrationem fasciam lineam candidam, de collo suspensam gerant.* 244
VICTOR 2. A. 1055. *Turonensem Synodum contra Berengarium pro Transubstantiatione celebrat.* 288.
NICOLAVS 2. A. 1059. *in Concilio Lateranensi per vim exsortis Berengario Palinodiam.* 288. 289
ALEXANDER 2. A. 1061. *prohibuit Missam audire à concubinario.* 241
GREGORIVS 7. A. 1073. *denegavit in matrimonio viventibus jus celebrandi Missam.* 116. 241
aliquid Deo ad Missam offerendum statuit. 189
Id ex lege Mosis probat. ibid.
certamen sacramentarium instauravit. 291
Synodum contra Berengarium celebrat, in qua corporalem præsentiam confirmat. 291
emendavit totum officium Ecclesiasticum & antiquum reduxit. 416
PASCHALIS 2. A. 1099. *Missa abutitur ad confirmationem fœderis cum Henrico V.* 245
CALISTVS 2. A. 1119. *à Sacerdotibus maritatis Missas audire prohibuit.* 116
ALEXANDER 3. A. 1159. *Presbyterum ebriosum, non præmissa dormitione Missam celebrantem officio privat.* 241
statuit sufficere Sacerdoti unam Missam in die dicere. 335
LVCIVS 3. A. 1181. *Concubinarii Sacerdotis Missam audiri concessit.* 241
CLEMENS 3. A. 1188. *Missam ab eo non debere celebrari, cui genitalia sint excisa.* 241
INNOCENTIVS 3. A. 1198. *in Concilio Lateranensi A. 1215. Transubstantiationem pro articulo fidei recepit.* 310. 311
in eodem Concilio decrevit laicis sufficere semel in anno communicare. ibid.
Confessionem auricularem ante Eucharistiæ sumptionem faciendam decrevit. 312
mandavit denique Eucharistiam in omnibus Ecclesiis sub sera & clavis custodia conservandam. 314. 326. 405.
statuit ut quando in diebus festis Missa celebratur in honorem B. Mariæ, vel S. S. vel S. Crucis Angelicus hymnus non dicatur. 179
quidam ei collectus tribuunt. 180
usum calicis laicis adimit. 320
statuit ut Missalis Canonis verba Evangelicis verbis æqualia sunto. 421
HONORIVS 3. A. 1216. *imaginem crucifixi Christi hostiolis imprimere jussit.* 318
adorationem Eucharistiæ instituit. 319
ad ægros decenti habitu deferre constituit. ibid.
hostiam sacrario includit. 405
GREGORIVS 9. A. 1227. *ad elevationem & confectionem Eucharistiæ campanulæ seu squillæ pulsum instituit.* 198. 319
interdicti generalis tempore quomodo celebrandum. ibid.
Decretales edidit, quibus Pontificiam superstitionem confirmavit. 345
VRBANVS 4. A. 1261. *instituit. A. 1264. festum corporis Christi, in gratiam Evæ.* 326. 329.
tenum dies indulgentiarum concessas, quibus ludos interfirent.
NICOLAVS 3. A. 1277. *sub hoc Pontifice Clementinæ 2. Synodus celebrata est inesuæ anno 1 8. in qua extant plurima decreta de ceremoniis in Missarum celebratione observandis.* 340. 341.
BONIFACIVS 8. A. 1294. *prohibuit Papatus authoritate & superioris jejunii Vigiliarum superstitionibus edidit sextum Decretalium.*
CLEMENS 5. A. 1305. *confirmavit. A. 1311. festum corporis Christi.* 330
IOHANNES 22. A. 1410. *sub hoc in Concilio Constantiensi publico decreto Sess. 13. laicis alteræ speciei est adempta.* 321
MARTINVS 5. A. 1417. *duplicavit indulgentias ab Urbano 4. concessas, interfuentibus festo corporis Christi. Et addidit novas jejuniationes vigilias.* 331.
EVGENIVS 4. A. 1431. *indulgentias illas à Martino concessas duplicavit.* 331
INNOCENTIVS 8. A. 1484. *Norvegiis Sacerdotibus cum insulo concessit consecrari.* 389
PIVS 5. A. 1566. *Breviarium & Missale emendavit.* 417

INDICIS TERTII
Pars altera.

Patrum nimirum veterum & recentiorum, Synodorum & aliorum Authorum, quorum testimonia in hoc Opere citantur, explicantur, aut emendantur, Pontificiorum item & hæreticorum, quæ refutantur.

A.

ADELMANNI *litera ad Berengarium de controversia Cœna Domini.* 286.287
AGATHENSE *Concilium statuit ut Episcopi aut clerici qui furtum aut aliquod capitale crimen commiserint, laica communione contenti sint.* 21
decretum quando, & ubi Missa sis celebranda. 334
in privatis Oratoriis concedit communionis usum. 44.
ALCVINVS, *ejus doctrina de Cœna Domini.* 220.
de oblationibus fidelium. 226.231.234.235
Mysterium fidei quid sit. 233
ejus sententia de vocabulo Missæ. 155
quomodo intelligenda Canonis verba, sereno vultu recipere digneris. 236
Crucis signationem in Baptismo & Confirmatione necessariam scribit esse. 162.190
ALEXANDER *Alensis docuit sumptionem sub utraque specie perfectiorem esse meriti.* 391
ejus de Soteri decreto sententia. 104
statuit mures & canes vermem corpus Christi edere. 352.
ALGERUS *Corbeiensis scribit contra Berengarium.* 291
ejus de Cœna doctrina. 294.295.296.297
figuram excludit. ibid.
de usu azymi & fermentati panis sententia. 247
jejuno corpore communicandum. 244
ALBERTVS *Magnus virtute Sacramenti oportere utramque speciem habere.* 391
de frequenti communione, & super hac re, Lateranensis Concilii decreti sententia. 311
AMALARII *Trevirensis testimonium citatur de populi communione in primis temporibus.* 35
doctrina de Cœna Domini. 221
de oblationibus fidelium. 226.231
quomodo intelligenda verba Canonis, Respice sicut munera Abel. 236.237
Item, Petimus, ut accepta habeas hæc dona, hæc munera. 226. *item alia.* 235
AMBROSIVS *negat substantialem conversionem Symbolorum in Cœna.* 59
ejus sententia exponitur & defenditur contra Lanfrancum & Scotum. ibid.
verba Cœnæ per significat, explicat, & ejus verba explicantur pluribus. 66.67
inter corpus Christi & Sacramentum corporis distinguit. 66
corporalem præsentiam negat. 67
non in terris, sed in Cœlo quærendum esse corpus Christi. 81
præsentiam Christi in Cœlo opponit Sacramentali tanquam veritatem imagini. 84
non esse species panis & vini absque sua substantia dicit. 239
de mutatione panis verba explicata. 430
quod Eucharistiam cum summis miraculis conferri, quomodo intelligendum sit. 431
asseris sub utraque specie laicis porrigendam esse Eucharistiam. 39.40
id ad animi & corporis unitionem valere docuit. 391
non patrocinatur adorationi Eucharistiæ. 407
quid de consecratione in sacra Cœna sentiat. 26
quo sensu vocarit Cœnam sacrificium. 497
hyperbolicæ loquutiones de Cœna Domini. 249
ejus testimonia quædam de corporali præsentia in Cœna à Berengario adducuntur. 258. 259
plurima ejus de Cœna Domini loca à Bellarmino pro Transubstantiatione citata, explicat & verum sensum demonstrat author. 446
quomodo panis mystica benedictione in corpus Christi mutetur. ibid.
non loquitur de reali mutatione. ibid.
seipsum explicat. 446.447
baptizatos recentes octavo demum die ad oblationes fuisse admissos testatur. 24.225
prohibuit epulas ad memorias Martyrum, & cur. 129.
contra linguam peregrinam. 413
contra cantum in peregrina lingua scribit. 23
In sacris vulgari lingua vetandum. 24
sententia de vasis aureis in Cœna Domini. 47. 48
adhortatio de eligendo idoneo Ministro. 20
de legitimo osculi usu. 205
exponis locum 1. Cor. 14. de linguis peregrinis. 17
Errores ejus notantur, ut quod Rhetoricis Apostrophis maloexemplo usus est. 132
sibipsi contradicit. 133
orat pro mortuis, quomodo & ob quas causas oraris. 143.144.
Ancyrana *Synodus interdicit Presbyteris potestatem immolandi.* 20
decretum, quomodo Diaconi administrare debeant. 400.
Anshelmi *de Cœna doctrina.* 297
scribit, Cœnam Domini debere communem esse Christianis omnibus. 242
sub utraque specie communicandum. 243
Cœnam olim infantibus datam fuisse. 244
sensit Christum anticipasse pascha. 2
Andradius *Jesuitis & Colonensibus contradicit.* 118
fatetur Transubstantiationem inter res numerandas quæ nullis Scripturæ testimoniis definiri sunt. 374.
Anfegisus *Abbas Leodiensis, infantibus Eucharistiam dedit.* 51
Apulæi *descriptio pompæ Diane & cum circumgestatione corporis Christi festo comparatio.* 329
Antiochenum *Concilium: ejus Decretum contra Paulum Samosatenum de adoratione Christi.* 410
Aquisgranen. Concil. statuit singulis diebus communicandum esse. 241
Arelatense *Concilium constituit, ne Diaconi Sacramentum administrent.* 20
de custodiendis reliquiis ne à muribus consumentur. 57
Canon falsò citatur à Gratiano. ibid.
Arvernense *Concilium statuit non nisi cum Episcopo in civitate Presbyteri Missam celebrent.* 335
ATHANASIVS, *testatur solis legitimis Ecclesiæ præsidibus licere sanguinem Christi propinare.* 19
testatur in mensa celebratam fuisse sacram Cœnam. 47
Ascensionis articulo, oralem manducationem confutat. 82

negat corporali præsentia in pane opus esse. 71
Transubstantiationi nil patrocinatur. 443
AVGVSTINVS: *ejus judicium, de iis qui admittendi aut arcendi sint à sacra Cœna.* 32
communem debere Cœnam laicis & sacerdotibus. 34.
laicis sub utraque dandam esse Cœnam. 40
ejus sententia de jejunio ante Eucharistiam, examinatur. 41
quando Eucharistia sumenda sit liberum esse statuit. 44
definitio Sacramenti. 8
de signis sacramentalibus. 10
Capernaitarum errorem primam hæresim constituit. 16.
locum Iohannis pie explicat. ibid.
Solos presbytero-sacris præesse debere docet. 19
ejus judicium de tempore quando sit celebranda Cœna Domini. 22
negat signorum mutationem in substantiam corporis Christi manentibus solis accidentibus. 62
explicantur ejus verba. 63
Sacramenti nomine non inanes formas, sed ipsas substantias intelligit. ibid.
agnoscit figuram in verbis Domini. 64. 68. 72. 75. 255. 256.
Verba Cœnæ per verba Ioh. 6. exponit. 82. 83
de figuratis locutionibus in Scripturis orthodoxa sententia. 68
illustratur. 69. & 73
repetitur, quando figurata locutio sit agnoscenda in sacris Literis. 381
de sacramentalibus locutionibus sententia. 427. 428
quo sensu dixerit, nos videre & tangere corpus Christi in Cœna. 428
Sacramenti nomine improprie & Metonymice aliquando utitur. ibid.
quomodo Christi caro in Cœna præsens sit. 74. 81
verba ejus explicantur. 74. 81
præsentiam Christi in Baptismo & Cœna à corporali distinguit. 74. 75
absoluta ejus doctrina de manducanda Christi carne exponitur. 75. 76
refutat Manichæorum sententiam de præsentia Christi in Cœna & universis ecclis. 76
examinantur illius verba. ibid.
spiritualiter renascimur & manducamus. 79
fide non manibus tenemus Christum. 81. 82
argumento sumpto ab ascensione Christi improbat oralem manducationem. 82
duplicem manducationem sacramentalem & spiritualem statuit. 82
duplicem manducationem statuit fidelium & infidelium. 188
quomodo Eucharistia vocetur corpus & sanguis Christi. 426
quid corporis Christi in Cœna nomine intellexerit. 84.
rationibus ex Augustino petitis improbatur realis præsentia & manducatio. 84
quæstionem de præsentia & manducatione clarissime illustrat. 71. 72. 73. 74. 75
ejus verba exponuntur. ibid.
Negat substantiarum mutationem. 60
verba ejus explicantur. ibid.
de consecratione sententia. 25
de mutatione symbolorum locus illustratur. ibid.
Transubstantiationem oppugnat. ibid.
Miracula nec inferri nullam Transubst. mentionem facit. 431
quomodo ejus verba intelligenda sint cum dicit, Carnem esse, quam forma panis operatam in sacramento accipimus. 456
Lombardus illa verba recte exponit. 457
distinguit inter Sacramentum & virtutem Sacramenti. 83. 87
de impiorum esu dicta illius varia explicantur. 87. 88. 89.
cur impii non fiant corporis Christi. 90
Adorationem Eucharistiæ non statuit. 409
de fractione panis. 27
de sumptione in manus. 29
Cœnam sacrificium vocat & quo sensu. 496. 497. 499.
mensam Dominicam interdum Altare vocat. 47
quando Christus celebraverit pascha. 2
de signis non loquitur ex Manichæorum opinione. 64.
Christum nil de ordine & tempore Cœnæ S. ordinasse. 6. 7
testimonia per figuram verba Cœnæ intelligenda esse citantur è Bertramo. 255. 256.
corpus Eucharisticum differre à corpore crucifixo. 260. 261.
citatur aliud de veritate corporis Christi. 262
depravatur à Lombardo. 299. 301
de mutatione Symbolorum sententia. ibid.
verborum ejus verus sensus contra Bellarmin. asseritur. 64
explicantur verba ejus. 68
realem corporis Christi præsentiam, nec Transubstantiationem agnovit, ut mala fide verba ejus à Bellarmino citantur à fol. 454. usque.
hyperbolica locutiones de Cœna Domini. 457
ejus Liturgia. 350
locus de Christianorum oblationibus illustratur. 24
alius. 225. *de oblationibus ad memorias sanctorum.* 189.
qui per oblationem quæ fit in altari, intelligat, expositur. 502
quomodo in adibus Hilperti quæ à malignis spiritibus infestabantur, obtulerit sacrificium corporis Christi. 333. 506
Sacerdos ab precatur non ut Deus, sed ut populus intelligat. 415. 419
confert inter se sacrificia Levitica & sacrificium Christi. 497. 498
comparatio sacrificiorum typicorum & Christi. 362
differentia inter Levitica sacrificia, Christi in Cruce & immolatione in Cœna. 73
Quæ in V. & N. Testamenti sacramenta discrimina statuat. 438. 439
quid sit sacrificium. 151
Negat sacrificia legalia fuisse propitiatoria. 515
contra ingratos peregrinatores. 413
testatur Scripturam per varias linguas versam, & vulgari lingua in sacris utendum docet. ibid.
Majorem dicit sacræ Scripturæ authoritatem quam Conciliorum. 315
contra Iconolatriam. 197
de opere operato sententia. 369
improbavit epulas ad memorias Martyrum. 129
de Montanistarum errore. 148
hominibus non esse constituenda peccata docuit. 313
de Templis Ecclesiorum sententia. 46
de legitimo osculi usu. 204
explicat locum illum, Exivit aqua & sanguis. 383
Libri de tempore salis & tribuuntur. 152

assumpta

affirmat defunctos eleemosynis viventium juvari posse. 133
destituitur testimonio Scripturæ, nec sibi constat. ib.
communem errorem sequitur. 134
sibiipsi contradicit de auctoritate librorum Mach. 138.
Locus de traditionibus explicatur. 140
Aurelienſe *Concilium 4. improbat ritum miscendi aquam.* 384
Surium corrumpit illum Canonem. ibid.

B.

BAlæus *de cauſis inſtituti corporis Chriſti feſti.* 326
ejus judicium de Epiſtolis decretalibus. 100
Baſilienſe *Conſtant. VI. Concilii Canonem de Præſanctificatorum miniſterio explicat.* 227
Baſilienſe *Concilium confirmat decretum Conſtantienſis de una ſpecie laicis exhibenda.* 322
nonnihil immutatis rationibus. ibid.
non ab omnibus approbatur. ibid.
Pœnam ſtatuit Sacerdotibus, ſi quadam in celebratione Miſſæ omiſerint. 342
BASILIVS: *teſtimonium de cantu Eccleſiaſtico,* 23
teſtatur in perſequutionibus etiam ſine ſacerdote communicaſſe fideles. 54
Realem tranſmutationem ignoravit. 65
Verba Cœnæ figuratè intelligit. ibid.
quid ſacrificium ſignificet. 5. 473
de memoriis Martyrum ſententia. 129. 131
ejus reſponſum, an liceat laicis ſacra Symbola in manus ſumere. 29
Baſilij *Liturgia.* 93
ſuppoſititia eſt. ibid.
Liturgia, Memoriæ, non autem invocationis Sanctorum meminit. 128. 129
Liturgia de oblationibus fidelium. 229
BEATVS *Rhenanus teſtatur olim Euchariſtiam ſacris manibus fuiſſe attactam.* 29
cur Nundinis Miſſæ vocabulum ſit inditum rationem reddit. 44. 45
ſententia de vocabulo Miſſæ. 155
cauſam refert cur ſtantes laici Evangelium audire ſolerant. 185
teſtatur epulas ad memorias Martyrum abrogaſſe Concilium Nicenum. 129
explicat locum Cypriani de ſacrificiis pro Martyribus. 131
Ethnicis ad Chriſtianiſmum converſis multum indulgendum fuiſſe ſcribit. 189
BEDA *Cur poſt cibum Chriſtus inſtituerit, nos vero jejunos communicare debere rationem reddit.* 161
in manus Euchariſtiam dandam. ibid.
ejus opinio de tempore celebrati Paſchatis à Chriſto. 2
quales ad Cœnam accedere debeant. 159
doctrina de Cœna. 217
figuram agnoſcit. 218
verba ejus examinantur. ibid.
Tranſubſtantiationem non probavit. 238. 220
BELLARMINVS. *Primo recenſentur & refutantur ejus argumenta quibus errores circa Cœnam Domini confirmare vult, refutantur argumenta ejus, quibus probare vult in verbis Domini, Hoc non demonſtrare panem. Primum argumentum.* 377. *ſecundum.* 378
Figuratè non eſſe accipienda verba Cœnæ, refutantur ejus argumenta. Primum. 379
Secundum. 380. *Tertium.* 381
Quartum. 381. 382
Agnoſcit ipſe tropum in verbis Domini. 379. 380. 381
Reſpondetur *ad Patrum teſtimonia quæ in genere adducit pro confirmanda Tranſubſtantiatione, à folio* 426. *uſque.* 434
nimirum ad primæ claſſis Patres, qui Euchariſtiam vocant corpus & ſanguinem Domini reſpondetur. 426. 427
ad ſecundæ claſſis Patrum phraſes hyperbolicas reſpondetur. 427. 428
ad 3. Claſſis Patres qui dixerunt, corpus Chriſti videri, tangi, dentibus comminui reſpondetur. 428.
ad quartæ claſſis teſtimonia in quibus de mutatione panis & vini loquuntur Patres reſpondetur. 429. 430
ad quintæ claſſis teſtimonia reſpondetur, in quibus docent, corpora noſtra nutriri corpore Chriſti. 430.
ad ſextæ claſſis, qui de adoratione & veneratione loquuntur. 430
ad ſeptimæ claſſis teſtimonia, qui timorem, tremorem ac fidem requirunt ab iis ad ſacram Cœnam accedunt. 431
ad octavæ claſſis argumenta, quibus dicunt in Cœna miraculum fieri. 431
ad nonæ claſſis teſtimonia Patrum qui Euchariſtiam tremendum myſterium vocant. 432
Argumenta ejus alia quæ pro Tranſubſtantiatione ex Patribus in ſpecie adducit, refutantur à folio 434. *uſque ad.* 468
nimirum Inſtinm. Pium I. 434
Irenæum. 434. 435. 436
Tertullianum. 437. *Origenem.* 438
Cyprianum. 439. 440
Nicenum Concilium. 441. 442
ſenſum & verba pervertit. ibid.
Athanaſium. 442. *Hilarium.* 443
Cyrillum Hieroſolym. 444
Ambroſium. 446. 447
Gregorium Niſſenum. 447. 448. 449
Gregorium Nazianzenum. 449
Epiphanium. ibid. *Chryſoſtomum.* 449. 450. 451
Chriſti carnem non confers cum Helia, ſed cum ejus Melote. 452
Hieronymum. 453. 454
Auguſtinum. 454. 455. 456. 457
Cyrillum Alexandrinum à 458. *uſque.* 460
Theodoretum. 460. 461
Geleſium. 462. *Leonem.* 462. 463
Euſebium Emiſſenum. 463. 464
Gregorium Magnum. 464. 465
Heſychium. 465. *Damaſcenum.* 465. 466
Theophylactum. 467. 468
Refutatur ejus ſententia de laicis ſub una ſpecie danda Euchariſtia. 39. 40
Argumenta contra utramque ſpeciem refutantur. primum. 385. *ſecundum.* ibid.
Argumentum primum ab auctoritate Scripturæ ſumptum refutatur. 385. 386
Secundum ex teſtimonio veteris Eccleſiæ. 387
Tertium ab incommodis. 388. 389
Quartum de concomitantia. 389. 390
Quintum, non majorem militatem ex utraque ſpecie ſumi quam ex una. 391
Refutantur ejus ſophiſmata, quod vos Omnes ad ſolos Apoſtolos pertineat. 392
Aliud, Hoc facite, dixit. 393
Aliud quo alludere vult locum Pauli, Omnes eundem

dum potum Spiritualem bibisse. 394
Bellarmini ejus sophismata refutantur, quibus argumenta nostra negantia, Cœnam esse sacrificium reale, eludere conatur à folio 469. usque. 475
Argumenta ejus, quibus probare vult Eucharistiam esse sacrificium refutantur. Primum sumptum ex Gen. 14. refutatur à folio 475. usque ad. 482
Secundum ex Exod. 12. 481
Tertium sumptum ex 24. Exod. refutatur. 483
Quartum ex Malac. 1. examinatur & probatur, nil pro Missa facere à fol. 483. usque ad. 490
Quintum argumentum petitum ex institutionis verbis examinatur & refutatur. 490. 491. 492. 493.
Sextum argumentum sumptum ex Act. 13. refutatur. 494. 495
Septimum petitum ex 1. Corinth. 10. refutatur. 495
Octavum sumptum ex Patribus refutatur. 496. 497. 498.
Nonum argumentum, quòd sit Missa sacrificium, ex conjunctione Legis & sacrificii, refutatur. 507
Decimum sumptum ex comparatione Legis Christiana ad Mosaicam. 507
Undecimum sumptum ex differentia Sacramenti & sacrificii. 508
Duodecimum ex consensu Ecclesiæ petitum refutatur. ibid.
Responsiones ejus, quibus argumenta nostra contra propitiatorium sacrificium eludere conatur, refutantur. 509. 510
distinctio ejus cruenti & incruenti Sacrificii. 510. 511.
Argumenta quòd sit sacrificium propitiatorium, refutantur. 514. 515
Sacrificii nomine quid Patres intellexerint, sophisticè eludere conatur. 500. 501
Refutatur ejus sententia de sacrificio Spirituali. 485
de sacrificio mundo. 485. 486
falsa ejus distinctio inter sacrificium & sacramentum examinatur. 418
Tres ejus rationes pro Consecratione refutantur. 360
refutatur ejus subterfugium quo probare vult panem rectè offerri pro Ecclesia. 355
de novæ consecrationis mysterio. 365. 366
de Commixtione & Consecratione calicis excusatio. 365.
Argumenta pro mixtione aquæ cum vino refutantur. 382. 383. 384
Sophisma quo Canonem Missæ defendere conatur, refutatur. 228. 229
Respondetur ad argumenta pro antiquitate Canonis. 425
de Scholastico Canonis compilatore quis fuerit, disputatio ejus, examinatur. 424
ejusdem expositio Canonis quo petit ut Angeli corpus Christi in cœlos deferant, examinatur & refutatur. 362
Pro *Adoratione Eucharistiæ argumenta refutantur à fol. 407. usque.* 412
Pro *Asservatione Eucharistiæ longum Catalogum producit eorum qui id fecerunt.* 398
verba illorum citantur, & demonstratur falsò ab illo citata esse à fol. 399. usque ad fol. 406
Pro *Elevatione argumenta refutantur.* 405. 406
responsetur ad ejus argumenta pro peregrina lingua in Cœna. 404. 405. 406
argumenta ejus pro murmure refutantur. 419. 420
cur clara voce Christum in Cœna ejus sit insufficiens enumeratio. 417. 418
cur Christi exemplum non sit imitandum. 418
argumenta pro festo corporis Christi refutantur. 330
unde Graduale dicatur. 181
de illa salutatione, Dominus vobiscum. 179
Dein *argumenta pro aliis ipsius erroribus refutantur: nimirum pro Cantu instrumentali Sophisma refutatur.* 168. 169
Vestitum Sacerdotalem ad Judaismum refert. defendit, ibid. ejus argumenta refutantur. ibid.
argumenta pro invocatione & confessione quæ fit Sanctis refutantur. 175. 176
Sophisma pro Purgatorio eluditur. 137
alia ejus argumenta pro Purgatorio refutantur à fol. 137. usque. 145
Refutantur ejus argumenta pro initiatione Papistica. 118. 112
argumentum de aurea lamina quam gesturit in fronte S. Iohann. examinatur. 172
de thuris in sacris usu. 177
Pauli verba 1. Corinth. 14. in alienum sensum detorquet. 404

Patrum Testimonia pro se truncatim citasse, illis vim feciſſe & in alienum ſenſum ea detorſiſſe ordine demonſtratur.

Ambrosii verba & sensum pervertit. 446
ejus verba ad adorationem Eucharistiæ detorta, illustrantur. 407
Sophistice citat pro confirmatione Canonis. 425
alia verba truncatim citat. 143
Augustini locum, de mutatæ specie laicis exhibenda eludit. 40
respondetur. ibid.
ejus verba ad Eucharistiæ adorationem detorquet. 409.
ejus verba qui dicit oblationem altaris esse corpus Domini pervertit. 501
falsus verborum Augustini interpres. 64
refutatur. ibid. Basilii verbis vim facit. 419
Bernhardi testimonium clarum de mutatæ specie eludere conatur. 243
Chrysostomi testimonium de Sacramentali conversione eludere vult. 60
refutatur. ibid.
illius verbis quibus docet clara voce Sacra administranda, alienum sensum affingit. 419
testimonium de Sacramentali conversione eludere vult. 60. refutatur. ibid.
pro adoratione Sacramenti citat, cum potius contra illum faciat. 409
verba truncatè citat. 449
Cyrilli verba perversuntur ab illo. 59
refutatur. ibid.
Cypriani locum de mutatæ specie. 38. 39
respondetur. ibid.
alibi ipsius verbis alienum sensum affingit. 130
Gelasii Papæ verba malitiosè in alienum sensum detorquet. 118. refutatur. ibid.
aliud Sophisma quo verba Gregorii de mutatæ specie eludere conatur, refutatur. 164
Hieronymi locum de indignorum esu eludere conatur. 87
expositionem verborum Christi eludit. 62
Hesychii verbis de Reliquiis ante alienum sensum affingit. 401
Ignatii locum de sumptione calicis corruptum dicit. 38. arguitur. ibid.
Innocentii verbus, turpiter & falsò admittitur, ad proban-

probandum Canonem secretò pronuntiandum. 420
Iustiniani legem eludere conatur. 145
Iustini locum depravat vir. 38
Origenis locum de utraque specie. ibid.
vendicatur. ibid.
Irenæo verba tribuit quæ apud illum non habentur. 436.
Lateranensis Concilii Glossator. 404
Concilii Laodicen. canonem examinat. 53
sibi contradicit Leonis Papæ decreta, glossemate falsò pervertere conatur. 117
Niceni Concilii Canones corruptè citati. 400
Origenis verba Sophisticè pervertit. 402
ejus verba de adoratione Eucharistiæ in alienum sensum detorquet. 407
Paschasii locum de utraque specie corruptum esse mentitur. 242
Theodoreti verba malitiosè ad adorationem Eucharistiæ detorquet. 408
Theophilacti testimonium de utraque specie frustrà eludere conatur. 242
Tertulliani expositionem verborum Christi, corrumpit. 66. refutatur. ibid.
aliam ejus expositionem verborum Christi eludere conatur. 62
ejus verbis de sacrificio Spirituali vim facit. 489
ad Turonense Concilium glossema, refutatur. 160

Alia Patrum Testimonia quæ pro Transubstantiatione & Sactificio Missæ malitiosè ab illo citata sunt, vide suprà : ne hîc repetere cogamur.

Impiè *dicit Christum in altari confractionem passum, quam tamen in cruce pati noluerit.* 364
mentitur Christum in silentio oblationem in cruce peregisse. 421
de Concubinis falsa opinio refellitur. 53
de Origine controversia de communione sub utraque specie. 320. 321
defendit Iconolatriam. 197
hæresim Menandri non rectè intellexit. 18
Nuptias secundas damnat. 53
docet nos substantialiter mutari in Resurrectione. 436
Petrum authorem Canonis facit. 423
Petrum Scholasticum facit. 424
ejus error de discrimine Sacerdotum & Laicorum communione refutatur. 21. 22
Gorgoniam sororem Nazianzeni Sacramentum adorasse negatur. 408
Contradicit *aliis Pont. Doctoribus, contradicit Greg. & cavillo eludit quod dixerit Scholasticum Canonis authorem esse.* 424. 425
contradicit Hardingo. 353
contradicit Lindano. 421
falsò Kemnitium mendatii arguit. ibid.
Concilio Tridentino contradicit. 423
Sibi *ipsi contradicit.* 111. 408. 417. 477. 494. 495
Inscius *veritatem fatetur Christum clara voce pronuntiasse verba Cœnæ.* 6. 17
concedit consecrationis verba & nota lingua fuisse pronunciata in antiqua Ecclesia. 24
Fatetur offertorium non esse antiquum. 189
Refutat inscium Triburiensis Synodi decretum de vasis aureis. 108
agnoscit Ministros N.T. non vocari Sacerdot. 487
non esse aurea vasa absolutè necessaria ad sacramenta fatetur. 47
ejus sententia examinatur. 48
Berengarius *quis.* 285
doctrina ejus de Cœna. 285
non statuit nuda signa, sed panis conversionem in corpus Christi negavit. 285. 286
consensit Augustino. 285
amicè contulit cum Lanfranco. 286
literæ ad ipsum scriptæ intercepta. ibid.
prima Synod. contra Berengarium. ibid.
Adelmanni literæ ad Berengarium. 286
Status inter utramque controversiæ. 287. 288
Secunda Synodus contra Berengarium. 288
Tertia. ibid. *quarta.* ibid.
Palinodiam mortis metu extortam canit. 288
vide Palinod. eam revocat. 289
ejus hypotheses. ibid. *argumenta.* ibid.
Refutantur. 290
Scripserunt contra eum Lanfrancus. 289
Algerus, Albericus, Gnimundus. 291
Synodus 5. contra illum. ibid. *Mors.* 291
Berno *Augiensis Abbas testatur Missales Gallicos & Germanicos à Romanis discrepare.* 215
testatur Henrici secundi Imp. temporibus Romanos Symbolum nunquam cecinisse. 187
Bernhardi *Clarevallensis doctrina pia de Cœna Domini.* 291. 292. 293
quadam in ejus scriptis supposititia sunt. ibid.
Bernhardi *testimonium de utraque specie Bellarminus eludere conatur.* 243
de Offertorii & Antiphonæ authore dubitat. 190
BERTRAMUS *quis.* 251. 269. 270
duas quæstiones ei proponit Carolus Calvus. 251
ejus ad duas illas quæstiones responsio. 263
ejus libri Analysis a fol. 263. usque. 26
figura quid ei sit. 251. *veritas quid.* 252
Figuram esse probat à natura Mysteriorum. 252. 263. 264.
Secundum argumentum ex natura Sacramentorum, quæ fidem & Spiritum requirunt. 252. 264
Tertium sumit à natura disparatorum. ibid.
Quartum à permutatione quæ fit in Symbolis. 264
quomodo fiat permutatio. 253. 264
consubstantiationem aperè negat Bertramus. 253
Tertium à proprietate corporis humani. 259. 266
Quartum à proprietate panis Eucharistici. ibid.
Quintum ab aqua quæ infunditur & non convertitur in corpus fidelium. 267
Sextum corpus Eucharisticum & quod in cruce oblatum est differunt. ibid.
Septimum verbis B. Augustini probat, quod corpus Eucharisticum aliud sit, ab eo quod natum est ex virgine. 259. 260. 267
Octavum à definitione corporis Christi. 261. 267
Nonum à duabus precationibus quarum prima in Missa Ambrosiana, altera in Missali Romano habetur. 261. 267
Decimum à testimonio Fulgentii. 262
Undecimum ab Augustini testimonio. 262. 267.
Quintum argumentum sumptum à Baptismo. 267
Sextum ex Sacramentis Veteris Testamenti, ubi locum 1. Corinth. 10. explicat. 254. 265
Septimum est ex Iohannis 6. quem explicat. 255. 265
Octavum à testimoniis Augustini & Isidori. 256 257. 265.
Phrases quibus utitur contra Metusiastas & Synusiastas. 265. 266
Ad *secundam quæstionem responsio. Utrum ipsum corpus, quod natum de virgine, & sedet ad dexteram Patris, sit, quod ore fidelium per Sacramentorum mysteria primò sumitur in Ecclesia. Negativam ille tenet.* 257. 258. 266
Secundò à testimonio Hieronymi. 259. 266

Tertiò

Tertio, ex verbis Christi & Apostoli. 263. 267
Calumnia respondet quòd non ponat nuda signa. 263. 268.
phrases contra Metousiastas & Synusiastas in hac secunda responsione. 268. 269
quomodo permutationis nomen intelligat. ibid.
ejus authoritas contra Centuriatores & Iesuitas asseritur. 269
BEZÆ *responsio an prorsus non liceat Eucharistiam in os sumere.* 30
BIEL *causam reddit cur Canon secretè legendus sit.* 146.
BONAVENTVRA *negat damnatis suffragia vivorum prodesse.* 134
Plenam perfectionem dixit sub utraque Specie communicari. 391
Sacramentali Essentialem rationem in significando consistere docuit, & rectius quàm alii Scholastici senserit. 373
verum sensum verborum Christi impeditus opinione Transubstantiationis assequi non potuit. 376
BONIFACII *Episcopi de ligneis & aureis calicibus scitè dictum.* 47. 48
BRACARENSIS *Concil. I. decretum de Oratiis subdiacon.* 170
statuit pro quibus non sit orandum. 200
BRACARENSE II. *statuit jejunos debere celebrare Missam.* 22
Bracarensis III. *Concil. decretum de Eucharistia intincta.* 161
de vasis sacris. ibid. *de vestimentis sacris.* ibid.
decretum de Stola seu Orario. 169
BRACAR. *Martini Concilium excommunicat, qui sacris cum interfuit, nec communicant.* 35
Brodæus *negat lanceam illam Genuensem fuisse eamqua usus sit Christus.* 7
Burkhardus *Wormatiensis, nec Secretas Missæ, nec alia complura consistere posse ait, si non traditionibus æqua cum sacris literis authoritas tribuatur.* 422
depravatè & mendosè legitur hoc caput apud Gratianum. ibid.

C.

CABILLONENSIS II. *Concil. Decretum, castè sumendam Eucharistiam.* 40
CALIXTVS *secundus Sacerdotum matrimonium damnavit.* 116
statuit ne Missa pro defunctis celebretur. 240
CAIETANVS *fatetur Christum non in os impossibile, sed singulis particulam porrexisse.* 28
Caietanus *Præsentiam corporalem non posse demonstrari ex verbis Christi nisi accesserit Ecclesiæ interpretatio.* 351
ait falsissimum esse corpus Christi corporaliter sed spiritualiter sumi. ibid.
Caietanus, *Augustæ contra Lutherum urget doctrinam de opere operato.* 370
in Quodl. vocat communem errorem. ibid.
doctrina de Cœna Domini. 220
Carolus *Magnus testatur suo seculo utramque speciem datam fuisse.* 161
Carol. M. *constitutio de oblationibus.* 224
quomodo intellexerit Canonis verba. Iube perferri. 237.
pro mortuis Missæ celebravit. 240
vide plura in primo Indice litera C.
CARTHAGINENSE *Concilium primum statuit qui Episcopi plebis communione contenti debeant esse..* 21
CARTHAGINENSIS *Synodus III. præcepit jejunè celebrare sacram Cœnam.* 22
Prohibet Eucharistiam dare mortuis. 50
improbat potestatem Pontificis. 137
De lapsis pœnitentibus decretum. 32
approbat libros Machabæorum. 137
admittit histriones pœnitentes ad sacram communionem. 32
Carthag. IV. *de Missa vocabulo.* 155
Carthag. V. *Decretum de evertendis aris ubi corpora Martyrum non quiescunt..* 132
CASSIANVS *quo sensu Missæ vocabulo usus sit.* 152
Caspari Cardilli Hispani Oratio habita in Concilio Tridentino, qua dissuadet utramque speciem exhiberi laicis. 323
Cæsaraugustanæ *Synodi decretum, contra eos qui Eucharistiam servant..* 404
Centuriatorum *Magdeburgensium error.* 148
CHRISTIANVS *Druthmarus cur jejunè communicari cœptum sit rationem reddit.* 41
doctrina de Cœna Domini. 220
CHRYSOSTOMVS *Sacramentorum efficaciam non pendere ab authoritate Ministrorum ait.* 20
Sanctos ad Cœnam vocandi consuetudo. 193
censura, qui sint admittendi, qui non, ad sacram Cœnam. 31
Cœnam debere esse Communionem. 33. 34
sub utraque Specie dandam laicis Eucharistiam. 40
licere symbola in manus sumere.. 29
de fractione panis sententia. 26
quando sumenda sit Cœna liberum dixis modo munda conscientia id fiat.. 44
expostulat cum populo quod rarò communicabant.. 45. *illius de aureis vasis in sacris sententia illustratur.* 47. *cur exteriùs Signis opus habeamus.* 77. 78
verba Cœnæ orthodoxè exponit. 82. 83
Agnoscit figuram in verbis Christi. 63. 69
negat verba Christi carnaliter intelligenda esse. 76
hyperbolica loquutiones de Cœna. 249. 250
præsentiam & manducation. carnalem negat. 77. 78
agnoscit Sacramentalem & negat substantialem mutationem in Eucharistia. 60. 61
ejus sententia contra Bellarminum asseritur. 60
post consecrationem verum panem agnoscit in Cœna. ibid.
Eucharistiam esse recordationem sacrificii. 62
quo sensu dixerit corpus Christi in Cœna videri. 428. 450.
in cœlo quærendum esse corpus Christi docet. 81
aquilarum non Graculorum mensam Domini esse. ib.
mysticum panem in Cœna institutum docet. 82
Et miraculum Cœnæ tribuit. 432
describit quæ in Eucharistia ante & post benedictionem materia precum fuerit. 91. 92
Non verba Sacerdotis sed Christum sanctificare res in mensa Domini proponitas. ibid.
Locus pro asservatione Eucharistiæ malè citatur à Bellarmino. 400. 401
Chrys. *qualis fuerit elevatio suo seculo.* 27
Chrys. *quibus vasis usus sit Christus in sacra Cœna.* 7
de indigne manducantibus sententia. 90
Chrysl. *quomodo Cœnam sacrificium vocarit.* 496
Chrysl. *per incruentum sacrificii preces intellexit.* 511
Chrysl. *Sacrificia Judæorum in lege, cum Chr sti sacrificio in Evangelio confert.* 474
Ex Chrysost. *adducta à Bellarmino testimonia nil pro*

Transſubſt. faciunt. 449. 450. 451. 452
pro adoratione Euchariſtiæ verba illius à Bellarmino malè citantur. 409. *& alia ejus loca quæ proſe citat Bellarminus illuſtrantur.* 451. 452
ejus verba corrupta ſunt è Conc. Conſtantinop. 159
de aqua in Baptiſmo pia ſententia. 26
clara voce loquendum in Sacris. 419
verborum ſenſus contra Sophiſtas. ibid.
improbat diſcretionem Cleri & populi in communione. 119
Nil Sacerdotē à laico in myſteriis differre docet. ib.
reprehendit quis Evangelium ex collo ſuſpendunt. 370
explicatio Malachiæ de ſpirituali ſacrificio. 490
verba, Hoc eſt corpus meum, Tropicè exponit. 15
Explicat locum illum. Exivit aqua & ſanguis. 383
Chryſ. *teſtatur ſacram Scripturam in varias linguas converſam.* 24
Nota lingua utendum. ibid.
ſentit Chriſtum anticipaſſe Paſcha. 2
Myſterium quid ſit. 77. 233. 263
Cui peccata ſint confitenda. 313
de conjugio ſententia. 40
negat ſecundum matrimonium fornicationem eſſe. 55
quamvis author imperfecti operis id innuere videatur. ibid.
de Monachorum ritu ſepeliendi mortuos. 133
Errores *ejus notati.* ibid.
Mortuos ex inferis liberari eleemoſynis putavit. 134
Error. Pro mortuis orandum & eleemoſynas faciendas eſſe pro more vulgi docuit. 134. 140
falsò tribuit Apoſtolis orationem pro defunctis. 423
ſibi ipſi contradicit. 134
Chryſoſtomo *Liturgia tribuitur.* 91
deſcribitur. 97. *ſuppoſititiam eſſe probatur.* 92
Nam ibi orat pro Nicolao Papa qui quingentis fere poſt ejus obitum annis vixit. 93
eatamen nil facit pro Tranſſubſtantiatione. ibid.
Chutbertus *mentionem facit precum in Miſſa pro vivis.* 240
Cicero, *de aqua luſtrali Gentilium.* 174
caſto animo, non lotis manibus jubet adire Deos. 191
Clemens *Alexandrinus, damnat ſumptuoſa vaſa in Sacris.* 7
quid ſit bibere ſanguinem Chriſti. 78
Clementis *Papæ Romani doctrina de Cœna, examinatur.* 120. 121
Clemens, *Fractionem panis ſuo ſeculo in uſu fuiſſe annuit.* 26
Cœnam vocavit Menſam Domini. 13
Clementis *Epiſtolæ Decretales de ritibus Euchariſtiæ.* 101. 102
de iis judicium. ibid.
ei falsò attributa Liturgia. 92. *recitatur.* 95
CLICHTOVÆUS *tradit ſingulos fideles olim communicaſſe.* 35. 36
Reprehendit ea quæ Gregorium tertium Canoni addidit. 196
COCHLÆUS *de Primitiva Eccleſia conſuetudine communicandi.* 335
in quem uſum Miſſæ privatæ fuerint. 282
Colon. I. *Decretum de veſtitu Sacerdotum in celebratione Miſſæ.* 340
Colonienſ. II. *decretum de una Miſſa in die dicenda.* 336
varia decreta de Miſſarum celebratione. 340. 341. 342.
Contadi *Bruni ſententia de introitu Miſſæ.* 174
Conſenſus *orthodoxi author probat, non aliam communicationem Chriſti ab Epheſina Synodo doceri, quàm quæ Joh. 6. ſit à Chriſto commendata.* 84
Conſtantinopolit. VI. *decretum abrogat Carthaginenſis Synodi decretum de ſolvendo jejunio.* 22
Prohibet ne vaſculis aureis accipiamus Euchariſtiam. 29. 56
Matrimonium Sacerdotum approbavit. 117
Conſtan. 6. pro Euchariſtia aliquid ſumere. 161
Prohibuit ne cum Euchariſtia diſtribuere. 160
de Sacrificio præſanctificatorum ſtatuit decretum de azymo pane. 159
item de aqua vino miſcenda. ibid.
Verba Chryſoſtomi corrumpit. ibid.
ſtatuit ut in formam crucis manus componat qui ad menſam Domini accedere velit. 161
Canon eſt ſuppoſititius. ibid.
Aliquot Canones ſunt corrupti à Pontificibus Romanis. 160
CONSTANTIENSE *Concilium decretum de jejune ſumenda Euchariſtia.* 42
abrogavit alterum ſpeciem in Cœna. 321
quibus rationibus. 321. 322
quo ſenſu Cœnam ſacrificium vocarit. 152
CYPRIANUS *divinius eſt admonitus ne quid in inſtitutione Cœnæ mutet.* 147
in manus ſumendum ſacrum panem. 28
Judicium de Signis. 10
Chriſti inſtitutionem ſpectandam docet. 12
in Euchariſtia veram panis & vini exhiberi ſubſtantiam docet. 58
ejus verba & ſententia de mutatione Sacramentali examinantur. 430
locus de mutatione ſymbolorum illuſtratur. 26
dicit corpus Chriſti non ventris ſed mentis cibum eſſe. 70. *explicantur ejus verba.* 71
perpetua ejus ſententia de manducatione & præſentia corporis Chriſti examinatur. ibid.
quod eſca eſt carni, hoc animæ fides eſt. 79
Cypriani *verba ex ſermone de Cœna à Bellarmino pro Tranſſubſt. citata explicantur, & nil pro illa facere demonſtratur.* 440. 441
quomodo dicat panem non effigie mutari, ſed natura. ibid.
quid per naturæ vocabulum intelligat. ibid.
quomodo naturam mutet. 441
Hyperbolicæ loquutiones de Cœna Domini. 249
quo ſenſu dixerit nos nutriri corpore & ſanguine Chriſti. 430
teſtimonia de utraque ſpecie laicis danda contra Bellarminum defenduntur. 38. 39
ejus verba nil faciunt pro mixtione aquæ cum vino 372.
de eſu indignorum quid ſentiat. 86
quomodo & quibus ſit caro Chriſti panis vita. 90
de communione laica. 21
Cyprian. *infantibus dedit Euchariſtiam.* 51
hiſtrionem non admittendos ad Euchariſtiam. 32
Cyprian. *Refert hiſtoriam de muliere quæ Euchariſtiam in arca reſervabat.* 55
Cyprian. *objurgat locupletem matronam, nil ad menſam Domini afferentem.* 24
& alios Divites. 225
de Collectis fidelium. 188
ejus de Sacrificiis pro dormitione aliquot loci, explicantur. 130. 131
de Clericis lapſis quid ſtatuerit. 21
de communione laica quid ſentiat. 21. 22
aurea ſententia. Nolle idem facere, quod fecit Dominus, eſt ſermones ejus abjicere & diſciplinam Domini contemnere. 322

Vetuſtatem

Vetuſtatem nil patrocinari errori. 384.401
Conſuetudinem veritati non præferendam. 12. 139
qui ignoranter vel ſimpliciter non obſervarunt, quæ Dominus facere jubet, iis venia concedi poteſt, nobis non. 404
CYRILLVS *Alexandrinus: inter Manna & corpus Chriſti differentia.* 89
hyperbolica loquutiones de Cœna. 250. 428
quomodo panis fiat Chriſti corpus. 358
de manducatione corporis Chriſti ſententia explicatur. 78. 79
figuram in verbis Cœnæ admittit. ibid.
Negat carnem Chriſti ideo apponi, ut corporaliter edatur quia hoc eſſet horroris plenum. 85
Realem præſentiam corporis Chriſti, non agnouiſſe ex plurimis ipſius verbis, quæ Bellarminus perperam citat, probatur. 458. 459
quomodo Ceræ ſimilitudine uſus ſit. 458
de Chriſti & fidelium unione ſententia. 459. 460
negat ſubſtantialem panis in corpus Chriſti converſionem. 58. 63
Bellarminus verbis ejus alienum affingit ſenſum. 58
refutatur. ibid.
quid per incruentum Sacrificium intellexerit. 510
ſententia de laicis danda integra Cœna illuſtratur. 40
objurgat eos qui non in templis communicabant. 46
Sententia de Antropomorphitis illuſtratur. 56
Cyrillus *Hieroſolim. dicit mutari vinum in ſanguinem Chriſti, nil pro Tranſubſtant. facere probatur.* 444.
quomodo illa mutatio fiat declaratur. ibid.
per ſpeciem panis intelligit ipſum panem. ibid.
quomodo dixerit, Non nudum eſſe panem. 445
quo ſenſu Euchariſtiam corpus & ſanguinem Domini vocarit. 426
non negat poſt benedictionem amplius panem eſſe, ſed communem panem negat. 61
quomodo Veteres pro aliis ſacrificarint. 506
anima cibum eſſe corpus Chriſti. 79

D.

DAmaſceni *doctrina de Cœna Domini.* 218
incommodis phraſibus & hyperbolicis loquutionibus homines ſuperſtitioſos in opinione de corporali præſentia in Cœna confirmavit. 251. 465. 466
Demonſtratur *tamen illa potius eam oppugnare quam ſtabilire.* 251. 465. 466
Nam & alibi eam impugnat. 218
Damaſceni *tempore adoratio Euchariſtiæ ignota fuit.* 410.
Damaſc. *Sacrificandum pro mortuis docuit.* 240
ejus ſcripta non ab omnibus probantur, multis enim erroribus ſcatent. 466
multa fabuloſa continent. 466
liber ejus impurus à Turriano editus. 467
Damaſus *ſcribit ſuo tempore unde ac ſimpliciter Cœnam celebratam fuiſſe.* 103
Nullam mentionem facit Epiſtolarum Decretalium. 100
Dionyſius *Areopagita non fuit Pauli diſcipulus ſed recentior quidam.* 90
quæ precandi forma in Euchariſtia ſuo tempore in uſu fuerit. 92
deſcribit qua forma & ritu ſit celebrata Cœna Domini. 112
figuram in verbis Domini ſtatuit. 408
Symbola poſt conſecrationem non amittere propriam naturam docuit. 409
vocat Cœnam ſymbolicam actionem. 497
Signa vocavit & Symbola panem & vinum. 65. 79
de fractione panis teſtimonium. 26
de Elevatione ſymbolorum locus exponitur. 27
de ſpirituali communione corporis Chriſti. 69
ejus ſententia explicatur. 70
figuram in verbis Cœnæ agnoſcit. ibid.
Dionyſii *de adoratione Euchariſtiæ ſententia explicatur.* 407
ejus verba Bellarminus ad adorationem Euchariſtiæ malitioſè detorquet. 407. 408
doctrina de precibus pro defunctis exponitur. 144
Dionyſii *de Elevatione Euchariſtiæ ſententia examinatur.* 406
à Pachymero locus ille explicatur. ibid.
à Maximo. ibid.
Durandus Miſſæ vocabulo abuſivè utitur. 35
dicit pronomen Hoc nil ſignificare ſed materialiter poni. 347. 348. 349
Multorum Scholaſticorum opiniones de Pronomine Hoc, recenſet & illarum abſurditates demonſtrat. 347. 348. 349. 350
tandem ſuam opinionem ponit. Hoc contentum in quod convertendus eſt panis in aliqua parte temporis includentis prolationem & inſtans terminus eſt corpus meum. 350
fatetur, non poſſe objectionibus quæ objiciuntur corporali præſentiæ ſatisfieri, niſi ad Romana Eccleſiæ determinationem confugiamus. ibid.
teſtatur omnes fideles in Primitiva Eccleſia communicaſſe. 206
Durandus *ſcribit qui ſolam hoſtiam recipit, non plenum ſacramentaliter recipere ſacramentum.* 320
ejus judicium de Apoſtolorum ritibus in Cœna. 12.
Graduale quis inſtituerit. 185
unde Epiſtola ſumi debeat. 264
Conqueritur de avaritia ſacrificulorum. 183
Petrum primam in Oriente Miſſam celebraſſe ſcribit. 12
fingit Paulum militem. 180
ridiculum argumentum pro vaſis aureis examinatur. 108
quale ſupplicium ſtatuerit in Mures hoſtiam arrodentes. 352
Fabula de baculo Petri. 171

E.

ECcius *reprehenditur à Caſſandro.* 395
ELEBORINI *Concilii Decretum de Diaconis lapſis in crimine mortis.* 21
Epheſina *Synodus, unicum Chriſti Sacrificium ſtatuit.* 473
EPHREM, *Panem figuram corporis Chriſti vocavit.* 65
EPIPHANIVS *Pepuzianorum & Collyridianorum errorem deſcribit.* 147
Mulieribus non licere ſacra adminiſtrare. ibid.
de Aërii hæreſi ſententia exponitur. 141. 142
ceſſit vulgi opinionibus. ibid.
vera ejus ſententia de precibus pro defunctis. ibid.
everſit Miſſæ ſacrificium. 143
opinio quando Chriſtus celebravit Paſcha. 2
teſtatur mulieribus non licere baptizare. 19
locus ex ipſius Ancorato citatus à Bellarmin. nil pro Tranſubſt. facit. 449
de panibus rotundis in Cœna locus quomodo intelligendus ſit. 317

norat Ebionitarum hæreſim. 4
Euſebius *Cæſarienſis docet quomodo Veteres memoriam Sanctorum celebrarint in Cœna.* 112
Euſebius *quo ſenſu Euchariſtiam ſacrificium nuncupaverit.* 499.500
non interpretatur locum Malachiæ de vero & reali corporis Chriſti ſacrificio. 489.513
Euſebius *Emiſſenus, quomodo intelligenda ſint ejus verba, Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti verbo ſuo ſecreta poteſtate commutat contra Bellarminum demonſtratur.* 463.464
hyperbolica phraſes de Cœna Domini. 250
EVSEBIVS *hiſtoricus Novatis impoſturam, qua à tribus Epiſcopis manuum impoſitionem extorquebat receuſet.* 21
teſtimonium in manus ſumere ſigna ſacra olim moris fuiſſe. 28
Euſtathii *locus, de lotione manuum.* 173
Euthymii ſententia de pane azymo. 2
Eutropius *Ambroſium corrupit.* 400
Eraſmi *Roterod. judicium de vita Ambroſii à Paulino deſcripta.* 35
Eraſmi *Stella judicium de Catino Chriſti quod Genuæ ſervatur.* 7
Expoſitor *Romani ordinis de oblationibus fidelium non de reali corpore Chriſti Canonem intelligit.* 229
Expoſitio *Miſſæ quæ à Cochleo edita eſt ſuſcripta eſt à ſuperſtitioſo homine.* 280. *libri ejus ſumma.* ibid.
Tranſſubſtant. nil patrocinatur. ibid.

F.

FElix *Papa, inſtituit ut in Cœna nomina Martyrum recitentur.* 112
Hunc morem Pontificii peruerunt. ibid.
Ejus conſtitutiones nil pro Miſſa Sacrificio faciunt. ibid.
Florentinum *Concilium.* 375
Franciſcus *Titelmannus refert Myſterium, cur longo notarum tractu ultima ſyllaba in Alleluia cantetur.* 182
quomodo vi verborum fiat tranſmutatio. 357
de Collecta. 179
Fulbertus *Carnutenſis Epiſcopi de Cœna ſententia.* 279
Fulgentius, *phantaſticam corporis Chriſti in terris præſentiam confutat.* 79
quo ſenſu Cœnam Sacrificium vocârit. ibid.
quomodo Chriſtus in cœlis, fidelibus in terris præſens ſit. 86
de veritate corporis Chriſti citatur. 261
Sacrificia Veteris & Novi Teſtamenti inter ſe confert. 80
ejus liber de fide ad Petrum Auguſtini eſt. ibid.

G.

GABRIEL BIEL *fatetur Cypriani tempore ſub utraque ſpecie laicis datam fuiſſe Euchariſtiam.* 39
in verbis Domini non fieri mentionem aſſervationis ſed manducationis. 403
fatetur difficilem eſſe illorum verborum Chriſti HOC EST, *intellectum: tenendum propter ſolam Eccleſiæ determinationem, non obſtante quod ſecundum faciliorem intellectum poſſint exponi.* 351
fatetur meriti Chriſti efficaciam in Miſſa per Sacerdotem applicari. 357
Declinatio Miſſæ. 358
de fractione panis, quæ in re fiat, ſuam & aliorum opiniones recenſet. 301
Miſſæ ſecreta conſecrationem Magiæ veneficarum comparavit. 147
verba Miſſæ, quibus Sacerdos orat, ut acceptum habeat Sacrificium filii ſui, explicare fruſtra conatur. 228
de meritis Sanctorum refutatur. 128
GELASIVS *Papa, doctrina de Cœna.* 123
Decretum contra Manichæos. 118
decretum contra eos qui unam tantum ſpeciem ſumpſerunt. 320
Sacrilegium dixit, abſtinere à calice. 56
contra Manich. de una tantum ſpecie. 387.390
Gangrenſe *Conc. Conjugium Preſbyterorum approbavit.* 117
Gardinerus *ſcribie pronomen Hoc demonſtrare panem.* 346
GAVDENTIVS *teſtatur manibus ſumenda eſſe ſacra ſymbola.* 29
vocat Euchariſtiam vitæ æternæ myſteria. 79
verba ejus explicantur. ibid.
Georgius *Caſſander improbat hoſtiolas rotundas.* 317
mutilationem Cœnæ improbavit. 394.395
cenſet feſtum corporis Chriſti cum lucro Eccleſiæ poſſe abrogari. 332
citat Gregorii verba de vocabulo Miſſæ. 156
Genebrardi *de authore Canonis ſententia.* 424
Gerardi *Lorichii, querela de adempta laicis una ſpecie.* 322.392
Gerſon, *pronomen Hoc demonſtrare panem.* 346
Non eſſe in poteſtate Papæ immutare traditiones Apoſtolicas. 374
Gigas *teſtatur Canonem alta voce olim pronunciatum fuiſſe.* 145
Gloſſator *Decretum Anacleti corrumpit.* 102
ſub utraque ſpecie communicandum. 243
ſententia de Communione laica. 22
agnoſcit in verbis Chriſti figuram. 65
negat Confeſſionem auricularem ex jure divino eſſe ſed poſitivo. 313
Berengarianam Palinodiam rectè exponit. 304
Gratianus *& verba & ſenſum authorum quos citat pervertit.* 388. *ejus impoſtura.* 273
de Confeſſione auriculari nil certi definit. 313
Cur in ſacro loco Miſſa tantùm ſit celebranda. 109
refutatur. ibid.
Gregor. *Emiſſenus, ejus de corporis Chriſti præſentia in Cœna, ſententia explicatur.* 80
Gregorius *Magnus, doctrina de Cœna Domini.* 215
privatam Miſſam damnat. 216
Tranſubſtantiationem oppugnavit. ibid.
Gregorii *Mag. verum verborum ſenſum, qua pro Tranſubſtantiatione citat Bellarm. reſtituitur.* 464
Gregorius *M. docet Apoſtolos Chriſti ritum in Cœna obſervaſſe.* 12
utramque ſpeciem Laicis dandam. 216
Gregorius *Magnus negat Synoniacos conficere poſſe.* 345.
ejus Epiſt. de variis ceremoniis Cœnæ examinatur. 163
teſtatur Canon. à Scholaſtico compoſitum. 423.425
quid Scholaſtici nomine intelligat. 424
idco Canonem à Scholaſtico compoſitum ut ſuper oblationem diceretur. 226
Gregorius *M. ſuam Liturgiam nemini obtruſit, ſed liberam reliquit Epiſcopis & Eccleſiis.* 213
ejuſdem hac de re reſponſum ad Auguſtinum Cantuarienſem Epiſcopum. 214

Errores ejus, fabulosis figmentis receptas superstitiones confirmavit. 125
Purgatorium stabilivit. ibid.
cur sacrificia pro mortuis approbârit. ibid.
Gregorius Nazianzenus Eucharistiam vocat magnorum Mysteriorum mortis Christi antitypum. 497
quo sensu Eucharistiam corpus & sanguinem Domini vocarit. 426
Gregorius Nazianzenus docet suo tempore solos sacerdotes administrasse Sacramenta. 19
testatur suo tempore in manus sumpsisse laicos Eucharistiam. 28
quòd soror ejus eum qui super altare colitur, invocat nil pro Transubstantiatione facit. 449
Error. Promovit invocationem Divorum: & quomodo. 127
Gregorius Nyssenus antiquus author depravatè editus est. 448. verba à Bellarmino citata. 447.448
asseruntur & explicantur. 448.449
aliter ab Hardingo ejus verba citantur quàm à Bellarmino. 448
Non loquitur de Sacramento sed de Nativitate Christi. ibid.
Gregorius septimus ofor matrimonii Sacerdotum. 116
Guitmundus, primus Canonis verba Transubstantiationi accommodavit. 233
Ejus interpretatio Palinodia Berengariana. 304
damnavit consubstantiationem. 306
censet pronomen Hoc non esse relativum sed tantùm demonstrativum. 347
Guilielmus Parisiensis, quomodò duas liceat Missas celebrare. 336
Guilielmus Widefrodus per pronomen Hoc panem demonstrari concedit sed copulam EST, præcisè & effectivè sumi. 347

H.

HARDINGVS contra Pontificios fatetur populum olim quotidie communicasse. 35
Concomitantiæ nomen Scholasticorum esse inventum. 391
Hardingus negat eos docere opus operatum. 369
redarguitur. ibid.
ejus de concomitantia opinio. 353
negat Justiniani legem qua præcepit clara voce Sacra tractanda, ad Romanum Ecclesiam pertinere. 145
falsa excusatio de Sacrificio applicatorio, refutatur. 357.358
Haymo, jejuni communicent. 244
ejus doctrina de Cœna Domini. 222. 223
Henricus quidam cum Petro Bruis docuit. Semel tantùm corpus Christi verè datum sub specie panis, postea meram deceptionem esse. 308
refutatur à Petro Cluniacensi. ibid.
Hesychii de manducatione corporis Christi sententia exponitur. 80
nullam statuit Transubstantiationem. 465
docet Sacerdotes polluere mensam Domini, qui pollutos iniquitate admittunt. 31
testatur mortis suo tempore fuisse ut reliquiæ Cœnæ igni comburerentur. 56.84.85.402
Sacramenta in Ecclesia tractanda. 37
Hieronymus docet laicis sub utraque specie dandam esse Eucharistiam. 39
Cœnam omnibus communem debere esse. ibid.
privatam communicationem reprehendit. 37
mutationem Signorum negavit. 58
typum corporis Christi vocavit panem. 64
oralem manducationem negat. 78
carnem Christi duobus modis considerat, secundum se, & relativè. ibid.
vel Spiritualis, aut quæ crucifixa est. 84
negat infideles comedere corpus Christi. 86
respondetur Jesuitis qui illud testimonium eludere conantur. 86. 87
ejus verba à Bellarmino citata nil pro Transubstantiatione faciunt. 454
testimonium quomodo caro Christi consideretur citatur à Bertramo. 259. 268
quo sensu Eucharistiam corpus & sanguinem Domini vocarit. 426. 427
Sursum quærendam esse corpus Christi. 81
laudat Exuperium quòd vimineis & vitreis vasis usus est in Cœna Domini. 48
quando Eucharistia sumenda sit liberum dixit. 44
quotidiè fideles suo tempore celebrasse sacram Cœnam. 100
judicium de ritibus Apostolicis. 12
inter Monachum & Clericum differentiam statuit. 158
Diaconorum superbiam reprimit & presbyteris inferiores esse demonstrat. 20
quanto cum honore & reverentia Evangelium tractari debeat, docuit. 185
scribit omnes nationes in sua lingua psallere Deo. 24
Canticum introduxit in Rom. Ecclesiam. 178
locum Malachiæ de Sanctorum precib. intelligit. 490
de Epistolis Clementis judicium. 102
Errores. De conjugio & nuptiis non recte sensit. 40.54
promovit Invocationem Divorum Rhetoricis Apostrophis. 127
Liber de septem ordinibus falsò ei tribuitur. 205
Hilarius Figuram in verbis Cœna agnoscit, ejus verba examinantur. 65
dicit nos verbum carnem cibo Dominico sumere nil pro Transubst. faciunt. 443
verborum verus sensus demonstratur. 444
Eucharistia semper argumento Arrii refutat. 444
non valeret argumentum si Transs. admitatur. ibid.
Hildeberti Cenomanensis Episcopi verba Canonis de oblationibus rectè intellexit. 232
trina fractionis expositio. 165. examinatur ejus sententia. 166. Berengario Epitaph. scripsit. 284
Honorius Augustodunensis, de pane Eucharistico quo olim usi sunt Veteres, & de votundis hostiolis. 316
Honorius Augustodunensis testatur, ex farina quomodo fideles ex domibus suis afferebant, Dominicum panem confectum fuisse. 226
ejus de trina fractione sententia. 165
Hosius Cardinalis, falsò citat Ephesini Synodi decretum de una tantùm specie laicis exhibenda. 120
Hugo de S. Victore, audax dictum de auriculari confessione. 313
Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus, Fractionem in Cœna necessariam esse agnoscit. 396
Græcorum consecrandi morem improbat. 403
& Cœnæ asservationem. ibid.
Hunius à Luthero dissentit. 396. ejus sophismata quibus fractionem negat, refutantur. ibid.

I.

IAcobi Liturgiam supposititiciam esse probatur: 93
recitatur. ibid.
Iacobi de Voragine Fabula, de officio Gregoriano. 212
examinatur. 213
Ignatius monet Ecclesias ut caveant hæreticos & Sacerdotes. 19
locus de sumptione calicis an sit corruptus. 37
Epistola de errore Menandri citatur à Theodor. 18
Eam Epistolam in dubium vocant Hieronymus & Trithemius. ibid

Innocentius I. *ab hæreticis Baptizatos non admittit ad Clericatus honorem.* 21
Panem & vinum signa vocavit. 123
prohibet recitare nomina offerentium. 189
ejus sententia de ritibus Apostolicis in Cœna. 13
verba, quibus Bellarmin. ad silentium Missæ abutitur, probè examinantur. 420
Ettor. *Papa damnavit matrimonium Sacerdotum.* 116. *refutatur.* ibid.
Innocentius, *quibus coloribus vestimentorum in Missa usus fuerit.* 248. *de Missæ vocabulo.* 154
verba Christi inverte. 347
Alia hujus Innocentii verba quibus Missam exornat, exscribere infinitii foret laboris, nec multum utilitatis afferrent.
Iohannes Eleemosynarius *præcepit pro mortuis orare.* 240
Ivo Carnutenſis *Trinæ fractionis expoſitio.* 166
Irenæus *corporalem præſentiam & ſymbolorum mutationem negat.* 58. *ejus ſententia illuſtratur.* ibid.
ex ejus verbis tria argumenta Bellarmin. colligere conatur pro Tranſubſtan. refutantur. 435
Communionem non alsam docet, in Cœna quam quæ eſt extra Cœnam. 436
Sacramentum quomodo duabus rebus conſtet explicatur. ibid.
de qua mutatione loquatur. 437
ejus verba diligenter examinantur, & probatur nil pro Tranſubſt. facere. 434. 435
potius evertit quam confirmat Tranſubſtan. ibid.
falsò à Bellarmino citatur. 400
expoſitio loci Malachiæ. 488
non intellexit de Sacrificio Miſſæ. ibid. 500
quomodo ſint Sacrificia noſtra munda. 486. 513
teſtimonium de ritu Cœnæ Dominicæ. 92
de Fractione panis. 26
ſententia, quando Chriſtus celebrâvit paſcha. 2
confutat Marcionitas. 435
Sententia de animarum defunctorum loco. 144
Iſidori *Hiſpalenſis doctrina de Cœna Domini.* 217
agnoſcit eropum. ibid.
Tranſubſtantiatio ei incognita fuit. ibid.
ejus ſententia de Cœna Domini à Bertramo citatur. 256. *de Miſſa vocabulo.* 155
pro mortuis Miſſas celebrandas docuit. 239
Quomodo ſit pſallendum docet. 24
Iulius *Papa, lac, uvas, & alia præter Chriſti inſtitutionem, in Cœna adhibere prohibet.* 49
abrogavit intinctam Euchariſtiam. 320
Iuſtinianus *abrogavit conſuetudinem celebrandi ſacram Cœnam in privatis ædibus.* 37
Lex illa expenditur. ibid.
Lex de Electione Diaconorum. 20
Lex, quòd omnia in Eccleſia clara voce peragi debeant. 145
Hardinguis negat ad Rom. Eccleſiam pertinere. ibid.
refutatur. ibid.
Bellarminus eam eludere conatur. ibid.
Iuſtinus *quo ſenſu Euchariſtiam corpus & ſanguinem Domini vocarit.* 426. 427
Iuſtini *ſententia & doctrina de Cœna Domini, explicatur.* 121. 122
Iuſtini *verba ex Apologia ſecunda explicantur & nil pro Tranſubſtantiatione facere probatur.* ibid.
cur non dixerit ſignificative. 434
Conſecratio quomodo fiat in ſacra Cœna. 25
non loquitur de Aſſervatione ſed de portatione Euchariſtiæ ad abſentes. 400
ejus tempore quo ritu celebrata ſit Cœna Romæ. 99
verba ejus expenduntur. 100
alius locus à Bellarmino depravatus illuſtratur. 38
eum locum Malachiæ de Miſſa non intelleximſe. 487. 513.
deſcribit Chriſtianorum Sacrificium. 487. 500
quid per incruentum Sacrificium intellexerit. 511
Preces noſtras Sacrificium vocavit. 499
de collectis Chriſtianorum. 188
de more legendi ſacram Scripturam. 186
Iuelli *de Epiſtolis Decretalibus judicium citatur.* 100
IVVENALIS *reprehendit auri uſum in ſacris.* 48

K.

KEmnitius, *de errore Arii.* 142
de Ambroſii ſententia orantis pro Theodor. 144

L.

LActantius, *ejus teſtimonium de aureis vaſis in ſacris.* 47
LANFRANCUS, *ejus de Cœna ſententia.* 286. 297
fatetur ex verbis Canonis Tranſubſtantiationem ſtabiliri non poſſe. 232
teſtimonium de doctrina Berengarii. 284. 285
ſcribit contra Berengarium. 289. 290
quid illum in errore confirmarit. 290
teſtimonium de utraque ſpecie. 242
damnat conſubſtantiationem. 306
LAODICENUM *Concilium, ejus authoritas aſſeritur.* 137
prohibet ne fiant in domibus oblationes. 46
interdicit Diaconis dare panem aut calicem benedicere. 20
de Secundis nuptiis decretum examinatur. 53
Lateranenſe *Concilium 3. Tranſubſtantiationem pro fidei articulo recepit.* 310. 311
Decrevit ſuffiere laicis ſemel in anno communione uti. ibid.
ſtatuit Confeſſionem auricularem ante Euchariſtiæ ſumptionem. 312
Mandavit Euchariſtiam ſub ſera & clavis cuſtodia, conſervandam. 314
ſtatuit ut ordinentur Sacerdotes qui officia divina nouis linguis adminiſtrent. 404
eum Canonem pro libito interpretatur Bellarminus. ibid.
Ioachimi Abbatis librum damnavit. 310
Almaricum item, quem ſecta Albienſium authorem fuiſſe eradunt. ibid.
Lateranenſi Synodus Bellum ſacrum promovere voluit. ibid.
Patres veteres diſſentiunt à Lateranenſi concilio. 311
authoritas ejus nil patrocinatur malæ cauſæ. 315
Elevatio hoſtiæ eo tempore inſtituta. 318
Laurentius *Surius mala fide citat Aurelienſis Synodi Canonem.* 384
Legati *Anniſtium & Cleri Hungariæ, conſultatio de una ſpecie in Cœna.* 323
LEO, *ejus doctrina de Cœna Domini declaratur.* 123
hyperbolicæ loquutiones de Cœna. 250
ejus verba, nil prorſus nos de veritate corporis Chriſti ambigere debere, explicantur contra Bellarminum qui illa ad Tranſubſtant. detorquere conatur. 462. 463
ritus ſpeciei in Cœna originem ad Manichæos refert. 117
de his Bellarmini, Lindani & Hoſii falſa gloſſemata examinantur. 117. 118

Statuit Cœnam iterandam in majori frequentia populi. 118.387
inter Miſſam & Sacrificium diſtinguit. 152
contra Manichæos qui unam tantum ſpeciem ſumebant. 387.390
Lindanus *fingit ſub una ſpecie ante Leonem, communionem uſitatam fuiſſe.* 118
cur ſub utraque ſpecie inſtituerit. ibid.
ſcribit, qui ſaltem inſtitutionis verbis utantur non autem Canonis, habere panaceum Sacramentum. 387
ejus de Laica Communione ſententia. 22
LOMBARDUS, *ejus doctrina de Cœna.* 298
de forma Cœnæ. ibid.
quid in Cœna ſit Sacramentum & res. ibid.
de impiorum manducatione. ibid. 299
Figuram, typum, ſignum è Cœna excludit. ibid.
ejus impoſtura in verbis Auguſtini. 299.301
de modo converſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. 299
de accidentibus elementorum. 300
fractione panis varias opiniones fruſtra conciliare laborat. 300. 301. 302
ejus ſententia. ibid.
Concilium contra Berengarium congregatum damnat. 300
explicatio ejus. 304. *de Miſſæ etymologia.* 154
quo ſenſu Cœnam vocarit Sacrificium. 498
dicit Sacrificium Crucis eſſe verum Sacrificium, Sacerdotis verò improprie. 500
Negat ſufficere Deo confiteri peccata. 313
de efficacia Sacramentorum teſtimonium. 20
Lullus *Fuldenſis, præcepit ut pro Romano Epiſcopo triginta Miſſæ cantentur.* 240
& pro tempeſtatibus. ibid.
LVTHERVS *recipit Conſubſtantiationem.* 307
interpretatio verborum Chriſti. ibid.
abſurda. 307. 308
Hoc facite, non ſolum ad diſtribuendum ſed etiam ad fractionem refert. 396. 397
contra privatam Miſſam. ibid.

M.

MACARIVS *Tropum agnoſcit in verbis Cœna.* 65
Sententia de ſignis Sacramentalibus contra Turrianum aſſeritur. 79
Martinus Cromerus *refert, Polonos Equites ſtrictis gladiis olim audiviſſe Evangelium.* 185
Mariani Scoti *error.* 178
MATISCONENSE *Concilium* 2. *Decretum ut Sacerdotes jejunè celebrent.* 22
Canon de reliquiis Cœnæ quid faciendum. 27. 56
MAXIMVS *Panem & vinum ſymbola vocauit.* 65
MEGINHARDVS *ſcribit infantes ad Euchariſtiam admittendos.* 244
Milevitanum *Concil. Orationes fidelium vocavit Miſſas.* 153
de forma Euchariſtiæ celebrandæ prudentiores conſulendos. 214
Micrologus. *Trina fractionis expoſitio.* 165
MISSALE *Romanum. Preces ſuper oblationibus fidelium, nil ad reale corpus Chriſti faciunt.* 226
MOGVNTINVM 2. *Concilium capite plectendis Euchariſt. dari concedit ſi pœnitentiam agant.* 36
decretum Miſſam celebrandam in ſacro loco. 109

N.

NEOCÆSARIENSIS *Synodi conſtitutio de Sacerdotum officio.* 20
NICENVM *Concilium* 1. *adorationem panis improbat.* 410
revocat fideles à viſibilibus ſignis ad internum & ſpiritualem mentis aſpectum. 81
decretum de lapſis pœnitentibus. 32
Cœlibatum Sacerdotum diſſuaſit. 117
Canon 13. *corruptus.* 36
ejuſdem Canon 18. *depravatus.* 20
alii etiam Canones corrupti. 400
verba malitioſè à Bellarmino ad Tranſubſt. detorta. 441. 442
Niceni 2. *Synodi, ſententia de ſenſu verborum Cœnæ.* 219
Nicolaus *Cabaſilas explicat verba Liturgiæ Chryſoſt.* 431
NICEPHORVS *Calliſtus agnoſcit Tropum in verbis Cœnæ.* 24
Nicephori *opinio de pane azymo* 2. *quando Chriſtus Paſcha celebrarit.* 2
Nicephorus *recenſet varias temporis obſervationes in celebratione Euchariſtiæ.* 44
de origine Triſagii. 193
ſcribit quid cum particulis quæ in Cœna ſuperſunt, agendum ſit. 27. 56
Nonnetenſis *Synodus decernit qui non debeant offerre oblationes ad altare.* 224

O.

OCcam *Conſubſtantiationem præ Tranſubſtantiatione amplexus fuiſſet ni obſtitiſſet Eccleſiæ determinatio.* 307
Multas alias opiniones recenſet. 309
refert Hoc, ad corpus Chriſti. 346
Odo *Cameracenſis, de privata Miſſa.* 282
Oecumenii *teſtimonium de eſu corporis Chriſti.* 69
explicat locum Pauli. 1. *Cor.* 10. 5
ORIGENES *panem vocat typum & ſymbolum.* 63
agnoſcit figuram in verbis Chriſti. 65. 76
Orig. *verba Cœnæ myſticè & ſpiritualiter intelligit.* 84. *cur.* 76
corporalem eſum repudiavit. ibid.
verum panem in Cœna exhiberi agnoſcit. 58
Non agnoviſſe realem corporis Chriſti præſentiam probatur. 438
ejus de adoratione Euchariſtiæ à Bellarmino mala fide citata verba, explicantur. 407
quo ſenſu Euchariſtiam corpus & ſanguinem Domini vocarit. 426
Excludit impios à manducatione corporis Chriſti. 89.
illius verba contra Sophiſmata Ieſuitarum explicantur. ibid.
de oblationibus fidelium in ſacra Cœna. 24. 225
Origenes prohibet aſſervare panem Euchariſticum. 5. 56.
deteſtatur incluſionem Euchariſtiæ. 370
ejus verba contra Bellarminum defenduntur. 402
Negat opus operatum prodeſſe. 370
de Memoriis Sanctorum ſententia. 125. 130. 131
notabile dictum de auctoritate librorum ex quibus Patres aliquas ſententias ciarunt. 138
Oxonienſis *Synodus ſtatuit, ne bis in die Miſſa celebretur, excepto Nativitatis & reſurrectionis die.* 336
decretum quomodo Canon pronuntiari debeat. 195

P.

PAchymeres *Dionysii verba vtcunque exponit.* 406
Panormitanus *dicit Confessionem auricularem non divinum sed humanum inventum esse.* 313
Panuinius, *novam fabulam proferi, ob quam corporis Christi festum sit institutum.* 327
Paschasii *vera doctrina de Cœna.* 271
corporalem præsentiam necessariam esse negat. ibid.
figuram vocat. ibid.
unde Sacramenta nomen habeant. ibid.
non consistere mysterium in corporali præsentia sub pane. ibid.
mystica conversio quid sit. 272
docet eandem in utroque Testamento escam ex termino relationis esse, quia unus ubique figuratus Christus. ibid.
quatenus nos in corpus Christi transferamur. 231
quomodo intellexerit verba Canonis, Iube perferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare. 238. 274. 275.
testatur suo tempore fideles omnes sub utraque specie communicasse. 242
quid Spiritus sanctus in Sacramentis operetur. 272
quomodo fidelibus panem & vinum faciat corpus & sanguinem Christi. 273. 274. 275. 276
mystica Christi immolatio quomodo intelligenda sit. 273.
Transubstantiationi dicta ejus non conveniunt. 274. 276.
caro Christi fide editur. 274. 275
non sine Divinitate sumitur. 274
mysteria non carnalia sed spiritualia esse. 276
doctrinæ ejus summa. ibid.
quid de impiorum manducatione docuerit. ibid.
fabula de visibili specie corporis Christi in forma infantis à Monacho confecta est. 277
Pelagius *Papa uxorati Episcopi electionem frustra impedire conatus est.* 118
qua conditione concesserit. ibid.
Pelagius 2. *memoriam mortuorum in Romanam Ecclesiam invexit.* 135
Petrus *de Aliaco Hoc, demonstrare corpus Christi.* 346
approbat consubstantiationem. 307
Petrus *Cluniacensis, sensit charitatem & fidem non solvendam propter fermentati & azymi panis differentiam usum.* 247
PETRVS DE LAPIDE, *ejus superstitiosa cautela de jejunio Missificantium refutatur.* 23
Petrus *de Natalibus, cur vitrea & lignea vasa fuerint prohibita.* 108
cur Orientem versus Missa sit celebranda. 194
Petrus *Martyr contra Bellarm. defenditur.* 436
Petrus *de Palude duplicem debere esse Cœnæ Domini materiam.* 391
Criminalis sententia in murem, hostiam arrodentem. 352
Petrus *Scarga fatetur Augustinum Metonymicis loquutionibus usum fuisse.* 428. 429
Pii *verba frustra excusare conatur.* 106
PIVS I. *non docuit Transubstantiat.* ibid. 434
Platina, *de ritu celebrandæ Cœnæ Dominicæ in Primitiva Ecclesia.* 99
judicium de Ceremoniis Apostolorum in Cœna. 284
Platinæ *error.* 178
Polydori *Virgilii sententia de vocabulo Missa.* 256

R.

RAbani *Mauri doctrina de Cœna Domini.* 221. 222
impietas hæresos damnatur. ibid.
de signis Sacramentalibus. 61
jejunos communicare debere. 243
quotidianam communicationem nec vituperat nec laudat. 241
de oblationibus fidelium. 224
Radulphi *testimonium de utraque specie.* 243
Ratherii *doctrina de Cœna.* 279
Regino *docuit ter in anno communicandum.* 328
Remensis *Synodus prohibet ligneis uti vasis.* 107
prohibet ne laici Eucharistiam domum deferant. 162.
Remigii *ejus calicis inscriptio.* 242
Richardus *Mediavillensis, Hoc significare aliquid sub hac specie presens, vel mox futurum.* 347
Robertus *Holcoth Hoc significare quiddam utrique termino commune, termino à quo, & termino ad quem.* ibid.
Romanum *sub Leone 4. Concil. laicis prohibuit introire presbyterium.* 119
ROTOMAGENSE *Concilium abrogavit morem in manus sumendi Eucharistiam à laicis.* 29
RVFFINVS *recte citat Canonem.* 18. *Concilii Niceni, ne Diaconi Presbyteris præferantur.* 20
Rupertus *Tuitiensis docuit Panem Eucharisticum hypostatice assumi à Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana à Verbo assumpta est.* 308
hanc opinionem refutavit Algerus. 309
doctrina de corporali præsentia ex scriptis ejus collecta. 296. 298
Missa unde dicta. 154
excommunicat communicare nolentes. 242

S.

SALEGVNSTADIENSE *Concilium posti galli cantum Sacerdotibus prohibet bibere.* 22
prohibet ad incendia extinguenda Corporalibus uti. 244.
multitudinem Missarum ad ternarium numerum redegit. 335
SARDICENSIS *Synodus Episcopi qui alias Ecclesias transeunt avaritiæ causa ami ut dominentur, statuit ne laicam communionem sumant.* 21
SCOTVS *fatetur, neque dictis Scripturæ, nec Patrum sententiis nos adigi ad Transubstantiationem credendam, sed ex solo Rom. Ecclesiæ decreto.* 350. 376.
quæsti an substantia panis in corpus Christi convertatur. 351
Pronomen Hoc, pro tempore prolationis prorsus nil sed completa oratione demonstrare corpus Christi. 347
glossema quo verba Ambrosii eludere conatur, refutatur. 59
Sigbaldus *mentionem Vivorum & mortuorum in Eucharistia facit.* 240
SIGISMVNDVS *ab Herberstein scribit Moscovitas infantibus septem annorum, dare Eucharistiam.* 51
Sleidani *de Epistolis decretalibus judicium.* 100
SMIRNENSIVM *epistola de Memoriis Martyrum examinatur.* 125. 130
SOCRATIS *historici celebre dictum de varietate temporis in celebratione Cœnæ.* 42
Soteri *decretum ne Monachæ sacra vasa & pallas attrectent.* 105
judicium de hoc decreto. ibid.
SYRICIVS *meritis Sanctorum nimium tribuit.* 127.

à Gyverio sententia ea approbatur. 128
ejus decretum de Clerico qui vidnam aut secundam uxorem ducit. 21
de conjugio Sacerdotum. 116. *refutatur.* ibid.
ab Ethicis mutuavit. 118
Sacram Scripturam corrumpit. 116

T.

TAPPERVS: *ejus sententia de Communione Infica.* 22
scribit sub utraque specie convenientius esse quàm sub una tantùm communicare. 321
TERTVLLIANVS *contra Bellarminum asseritur ejus authoritas.* 65
agnoscit in verbis Cœnæ tropum. 58. 62. 65
Explicantur ejus verba. 66
locus ille lib. 2. ad uxorem diligenter examinatur & probatur nil pro Transubst. facere. 437
an Grammaticè loquutus sit. ibid.
quomodo nos corpore Christi vesci dixerit. ibid.
Rectè exponit locum Malachiæ. 489. 513
eam non describere Sacrificium Missæ. 489
docet Sacerdotis officium esse tingere, & offerre. 19
sententia de tempore celebrationis Paschatis 2. de oblationibus Christianorum. 188. 189
de consuetudinibus scitè dictum. 139
opinio de communi animarum custodia. 145
Jeremiæ verba non probè intellexit. 65
Conjugii inimicus. 40
THEODORETVS *Typum vocavit corporis Christi panem.* 64
pro Transubst. citantur quædam testimonia à Bellarmin. demonstratur autem malitiosè ipsum verba & sensum verborum ejus pervertere. 461. 462.
Asserit, in Signis Sacramentalibus naturam non mutatam esse sed gratiam fuisse adjectam. 61
sententia cur signis rerum signatarum nomina tribuerit. 10
de transmutatione Symbolorum sententia. 26
quo sensu Cœnam sacrificium vocarit. 497
citat Epistolam Ignatii contra Menandrum. 18
explicatio Malachiæ primo. 400
THEODORETVS *historicus de Eusebii Samosatensi pro studio in ordinandis Presbyteris.* 20
de versione Bibliorum testimonium. 24
THEOPHILACTI *doctrina de Cœna Domini.* 277. *Figuram agnoscit.* ibid.
nequaquam pro Transubstantiatione facit. ibid.
testimonia pro Transubst. à Bellarmino citata, illustrantur. 467. 468
transelementandi voce quid intelligat. 278
contra indignorum manducationem. 279
testimonium de utraque specie contra Bellarminum asseritur. 242
Cœnam Sacrificium vocat. 497
Theophilus *Alexandrinus agnoscit in verbis Cœnæ figuram, & species panis & vini conservari docet.* 70.
sententia de Symbolis Sacramentalibus exponitur. 58.
testatur panis fractionem suo tempore in usu fuisse. 26.
THOMAS, *sententia ejus de pane azymo refutatur.* 1. 2
Pronomen Hoc ad individuum Vagum refert. 346. 350.
Concomitantiæ author. 352
rejici morem dandi Eucharistiam infantibus. 53
concedit vulgari lingua primitivam Ecclesiam usam esse. 24
Convenientius esse sub utraque specie quàm una communicare. 391
Negat aquam esse de necessitate Sacramenti. 383
improbat frequentem crucis repetitionem. 201
rationem reddit cur Canon tacitè legi debeat. 146
refutatur ejus opinio, quòd tacitè consecrarit Christus. 6
de Sacrificio propitiatorio sententia refutatur. 356
ejus error de verbis Cœnæ. 9
scribit etiam ad veneficia consecrari posse corpus Christi. 346
Thomæ *Naogeorgi descriptio, circumgestationis corporis Christi.* 328. 329
descriptio circumgestationis Sacramenti circum frumenta. 333
TIBVLLVS. *sumptuoso cultu pietatem magis incultam fuisse scribit.* 48
Toletanum 1. *Conc. Concubinarios admittit ad Eucharistiam.* 53. *refutatur.* ibid.
decretum contra eos qui Eucharistiam asservant. 404.
Toletanum 2. *decretum si quis propter infirmam valetudinem Sacramentum evomerat.* 389
Toletanum 3. *decretum de modo sepeliendi mortuos.* 132.
Toletanum 4. *Inter Cleri & populi communionem discernit.* 119
decretum de unica tantùm forma Missarum. 213
decretum contra Hispanos Sacerdotes qui orationem Dominicam Dominicis tantùm diebus dicunt. 43
vetuit ne post dictam orationem Dominicam Sacerdotes statim communicent. 202
Diaconis concedit Orarium. 170
TOLETANVM *Concilium 7. Excommunicat Sacerdotes qui cibum ante Missam capiunt.* 22
Toletanum VIII. *prohibet ludes post Evangelium.* 181.
Tolet. XI. *Canon quomodo puniendus qui acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit.* 55. 56
Toletani 12. *decretum, de Sacerdotibus qui non communicant.* 5. 158. 335
Triburiensis *synodi decretum de vasis aureis.* 107. 108
TRIDENTINVM *Concilium abrogavit consuetudinem dandi Eucharistiam infantibus.* 53
Conc. Trid. *de Transubstant.* 375
de mixtione aquæ cum vino. 382
decretum de Sacramento Cœnæ extra legitimum usum. 405
decretum Eucharistiam etiam extra usum divinitus institutum rationem Sacramenti habere. 370. 371.
decretum de Silentio Missæ refutatur. 421
abrogavit communionem sub utraque specie. 323
decretum de Opere Operato. 369
Turonensis *Concilii Canon à Rhenano prolatus de asservanda Euc aristia & in quem finem.* 325
probavit inintelligentiam Eucharistiam. 320
Concilium *Turonense de intincta Eucharistia emendatur à Bracarensi.* 161
Turonensis 2. *Concilii decretum de Episcoporum uxoribus.* 117
Clerum à populo in Templis discernit. 119
Turrianus *Jesuita docuit corpus Christi non modò elevari in manibus Sacerdotis in crucem, sed etiam sceleratis manibus fœdè tractari, à muribus consumi*

ſumi non tamen corrumpi. 106
Pronomen Hoc dicit demonſtrare ſubſtantiam panis. 346
falſa expoſitio particulæ &c. 59
verba Macarii corrumpit. 79
contradicit Bellarmino. 478
refutatur. 440

V.

VADIANVS *cenſet à Gregorio M. ortam eſſe agrotorum communionem.* 35
Valerii *Anſhelmi Ryd error notatur.* 145
Vaſenſis *Concilii decretum de Kyrieeleyſon.* 178
decretum de Triſagio. 193
Valdenſes *vide Waldenſes.*
Vbiquiſtarum *error notatur.* 71
Manichæorum ſimilis. 75
Venetica *Synodus ſtatuit ut in unaquaque provincia ſit una quædam rituum forma.* 214
Virgilius *deſcribis Ambarvalia feſta.* 334
Vrſpergenſis *juſta querela de corrupto Eccleſiæ Rom. ſtatu.* 314
URBANI *decretum de aureis & argenteis vaſis examinatur.* 108
confirmavit Remenſis Synodus. 107
Zephyrini decretum falsò ab Innocentio III. & in Lateranenſi Concilio repetitum fuit. 107
examinatur. ibid.
URBANUS II. *Oſor matrimonii Sacerdotum.* 116

W.

WICELII, *ſententia de communione laica.* 22
Walafridi *doctrina vera de præſentia Chriſti in Cœna.* 270
Apoſtolos ſolum orationem Dominicam recitaſſe, non autem offero & Sacrifico pro vivis & mortuis dixiſſe. 270
communi veſte indutos in Oriente fuiſſe Sacerdotes & ligneis calicibus uſos teſtatur. ibid.
de utilitate privatæ Miſſæ. 282
de Oblationibus fidelium. 226. 229
Waldenſium *de Cœna doctrina.* 376
Waldo. ibid.
Walafridus *teſtatur Veteres non fuiſſe ſollicitos in quam partem Templa fuerint converſa.* 195
Wormatienſis *Synodus, ſtatuit, ut Monachi ad innocentiæ conteſtationem Euchariſtiam ſumant.* 245.
Zachariæ I. *reſponſum an Baptiſmus ab Indocto Sacerdote barbarè adminiſtratus ſit iterandus.* 108

TERTIA

TERTIA PARS INDICIS TERTII.

Eorum ſcilicet AVTHORVM *qui in ſuperioribus non habentur, in his tamen Libris frequenter citantur.*

Æneas Sylvius.
Albertus Cranzius.
Alfonſus de Caſtro.
Antonius Iulianus.
Apulæus.
Arrianus Hiſtoricus.
Aſtefanus.
Bambergenſis Hiſtoria.
Barthol. Caranza.
Beleth.
Benno Cardinalis.
Bergomenſis.
Beſſarion.
Blondus.
Cæſarius.
Cedrenus.
Cirlcius Polonus.
Chronicon Æditui.
Boſſii.
Caſſinenſe.
Mersburgenſe.
Claudius Sanctius.
Clithtovæus.
Conradus Pellicanus.
Decretales Libri.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Dionyſius Carthuſianus.
Dominicus à Soto.
Emanuel Vega.
Epiphanius Scholaſticus.
Euripides.
Ganguinus.
Georgius Genebrardus.
Guilielmus Alanus.
Guilielmus Wideford.
Hermanus Gigas.
Heſiodus.
Horatius.
Hugoaldus Mutius.
Iacobus de Vitriaco.
Iacobus de Voragine.
Ioachimus Vadianus.
Iohannes Aventinus.
Iohannes de Brugo.
Iohannes Calvinus.
Iohannes Faber.
Iohannes Nauclerus.
Iohannes Stumpfius.
Iohannes Teutonicus.
Innocentius Gentilletus.
Iulianus Pomerius.
Iulius Pollux.
Lucianus.
Lyranus.
Mamelsburienſis.
Manipulus Curatorum.
Marianus Scotus.
Matthæus Pariſius.
Maximus.
Michael Sidonius.
Orthodoxus Conſenſus.
Oſorius.
Otto Friſingenſis.
Ovidius.
Paulus Diaconus.
Pelargus.
Petrus Cantor.
Philippus Melanchthon.
Plautus.
Polydorus Virgilius.
Porphyrius.
Regino Prumenſis.
Robertus Barns.
Rodericus Toletanus.
Sabellicus.
Sanctes Pagninus.
Sanctes Monachus.
Sigebertus.
Sixtus Senenſis.
Sophronius.
Strabo.
Suetonius.
Summa Angelica.
Tacitus.
Thomas Waldenſis.
Terentius.
Vitruvius.
Vincentius de Valentia.
Volaterranus.
Volanus.
Vrſpergenſis & ejus Paralipomena.
Witakerus.

AD

AD

CHRISTIANVM LECTOREM

DE

ORDINE ET PARTITIONE TOTIVS OPERIS.

OTVM *hoc* OPVS, *Christiane Lector, in Libros quinque, & totidem Classes dividitur. Prima Classis à Cœnæ Dominicæ prima Institutione, ad annum usque centesimum post natum Christum extenditur: & hujus seculi integram historiam Rituum, Ceremoniarum ac veræ Doctrinæ de Cœna in Christi & Apostolica Ecclesia continet.*

In Secundo & Tertio Libro recitatur Historia ex probatis Authoribus, & Patribus, de Ritibus, Ceremoniis & Doctrina Sacrosanctæ Cœnæ generaliter, in plerisque Asiæ, Africæ & Europæ Ecclesiis, tum verò specialiter in Romana: primò ab anno Christi centesimo, usque ad annum 600. secundò, ab anno Domini 600. usque ad annum 850. ejusdem: In qua tota narratione solidè demonstratur, licèt in accumulandis Ceremoniis & Ritibus, à simplici Primæ & Apostolicæ Ecclesiæ forma posteræ ætates nonnihil recesserint; veram tamen & sanam doctrinam Christi & Apostolorum de Sacra Cœna toto hoc temporis spatio, ultra octingentos videlicet annos puram & incorruptam in vera Ecclesia permansisse.

In Quarto Libro de Inclinatione sanæ & veræ doctrinæ de Cœna Domini: ac primò de Origine, seu initio Certaminis Sacramentarii; quando videlicet, qua occasione & quibus authoribus ab Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ vera & Orthodoxa doctrina Cœnæ recessum, ac de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna disputari cœptum sit: & an verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. realiter, citra mysterium sint exponenda, an verò hæc sub mysterii figura contineantur? Secundò, de progressu Certaminis Sacramentarii, & prima Transsubstantiationis institutione. Tertiò, de dogmatis Transsubstantiationis confirmatione. Quartò, quæ Transsubstantiationis dogma consequuta sint.

Quintus Liber totus est Elenchicus. Nam in eo refutantur Ceremoniæ & Ritus Missæ, Transsubstantiatio & alii penè infiniti errores, quibus Cœnæ prima Institutio & sana de eadem doctrina horribiliter in Papatu polluta & profanata est, unà cum sophismatis & argumentis Roberti Bellarmini Iesuitæ & Sociorum ejus, quibus hanc profanationem & corruptelas defendere conantur.

In hoc autem contexendo Opere plurimùm me fuisse adjutum ingenuè profiteor, doctissimorum Virorum laboribus, qui partim nostra memoria floruerunt, partim verò adhuc, per Dei gratiam, in vivis sunt: videlicet, Orthodoxi Consensus de tota controversia Sacramentaria, itemque Libri de Mystico & Incruento Ecclesiæ Sacrificio Authoris, Petri Viretti, Andreæ Volani, Henrici Bullingeri, Antonii Sadeelis, Martini Kemnitii, Henrici Boxhornii, & aliorum, quorum etiam verbis interdum sum usus. Quid autem præstiterim, candido & nullo pravo præjudicio fascinato Lectori judicandum relinquo. Quòd si gratam hanc Historiæ Sacramentariæ primam partem Lectoribus esse intellexero, Alteram etiam partem ejusdem Historiæ, de Origine & progressu Controversiæ Sacramentariæ hoc nostro seculo inter Lutheranos seu Vbiquistas, & Orthodoxos, quos falsò Zwinglianos & Calvinistas vocant, exortæ, propediem, si Deus vitam nobis largiatur, à nobis accipient.

DE

DE

CŒNÆ DOMINICÆ PRIMA INSTITVTIONE,

Ejusque vero Vsu in Primitiva & Veteri Ecclesia:

TVM

DE ORIGINE, PROGRESSV, CEREMONIIS, & RITIBVS MISSÆ, TRANSSVBSTANTIATIONIS, aliorumque ERRORVM, quibus procul à Prima Institutione in Papatu discessum est.

LIBRI QVINQVE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Historia de prima CŒNÆ DOMINICÆ *Institutione: ac primò de ejus* CEREMONIIS *seu* RITIBVS.

Christus quibus ceremoniis primam Cœnam instituerit.

SANCTI *Evangelistæ & Apostolus Paulus in descriptione Sacrosanctæ Cœnæ Domini ac Servatoris nostri Iesu Christi, primò indicant, quibus Ceremoniis & Ritibus, Filius Dei æternus Cœnam illam instituerit ac celebrârit, & ab Ecclesia sua, usque ad consummationem totius Mundi, celebrari voluerit. Secundò, qualem promissionem ad externum illum ritum annexerit: Hú enim duobus, re nimirum terrena & cœlesti, seu externa & interna, visibili & invisibili Sacramentum constare, extra omnem est controversiam. Tertiò, in quem finem Sacramentum hoc instituerit.*

1. *Congregavit Discipulos.*

Quod ad ritus attinet, sacram hanc & mysticam Cœnam celebraturus Dominus, PRIMO, *congregavit discipulos suos omnes in unum locum: ubi ante, in, & post Cœnam, primò Iudam proditorem graviter admonuit, objurgavit, & æternum illi interitum minatus est: deinde reliquos discipulos de primatu litigantes, compescuit, infirmos ac trepidantes confirmavit & consolatus est, de lapsu item gravi præmonuit, & lapsis pœnitentiam suasit: inprimis Cœna peracta elegantissimam ac pijssimam concionem habuit, de perseverantia in fide, de fraterna charitate, de morte & fructu ejusdem. deque humanæ generis Redemptione: ut videre licet apud Ioannem 13. 14. 15. & 16. cap. Quo ex ritu primò discimus, Dominum non privatam, sed publicam: non domesticam, sed communem Cœnam instituisse: ideoque opus esse, ut conventus fiant, in quibus hæc sacra actio, celebretur & peragatur. Secundò hinc discimus, Cœnam præcedere debere gravem scelerum accusationem & exhortationem ad pœnitentiam, ut singuli peccata sua agnoscant, confiteantur Deo, & ab eo veniam petant per Christum. Adhortandi etiam*

sunt fideles, ut charitatem præstent mutuam, in fide sint constantes, patientes in afflictionibus, nec se à Christo avelli sinant. Denique dicendum quoq; de fructu & efficacia mortis Christi.

2. *Assidet mensæ veste honesta & accipit suis manibus panem eucharisticum.*

SECVNDO, *accumbens mensæ Dominus Iesus, veste honestâ, usitatâ & vulgari cum discipulis suis,* ACCEPIT: *nimirum, è mensa, manibus suis corporeis. Non igitur accepit suum ipsum corpus, sive solum, sive cum pane, vel in, & sub pane, nisi Sacramentaliter. Corpus enim eius non in mensa iacebat, sed mensæ accumbebat.* PANEM: *non extraordinarium aliquem, sed quem eo tempore apposuerat hospes. Et conflat quidem inter nos & Pontificios, Christum in prima Cœna pane triticeo usum esse: utrum autem fermentatus is panis, an infermentatus fuerit, in controversia est. Hæc verò quæstio ab alia pendet: utrum Christus Sacramentum instituerit primo die azymorum, quo fermentum non inveniri poterat in toto Israele: an verò ante eum: Si enim hoc ipso die Cœnam sacram instituit, azymo pane absque dubio usus est: in Lege enim sub pœna mortis præceptum fuit, ne fermentatus panis in ullis ædibus inveniatur. Exod. 12. & 13. Sin autem alio die instituit ante primum azymorum, certum est, fermentato pane eum usum fuisse. Thomas quidem in 4. dist. 11. q. 3. scribit,* Quocunq; tempore Christus Sacramentum

Christum non fermentato pane suum Pascha celebrasse probatur.

instituerit, semper posse convinci in azymo Cœnam institutam fuisse. *Nam ante Sacramenti huius institutionem Pascha manducavit, ut ex omnibus Evangeliis constat; Pascha autem sine azymis manducari non debuit. Ad quod Græci respondêt,* immolationem Paschæ anteverti potuisse, licèt usus azymorum in reliquo victu non anteverteretur. *Euthymius itaque in Comment. ad 26. cap. Matth. & Nicephorus lib. 1. cap. 28. hist. dicunt,* Christum legale Pascha ante primam diem azymorum cum azymis comedisse: eo autem finito, omissis azymis, ad panem communem rediisse, quo vesci licebat, quòd nondum azymorum dies advenerant, ac proinde in pane fermentato Cœnam sacram instituisse. *Duo enim præcepta distincta de azymo inveniuntur. Vnum, ut Paschalis agnus cum azymis comedatur. Alterum, ut septem diebus sola azyma in convivio quovis edantur. Dominus igitur, primum præceptum servavit, quia ad illud obligabatur: secundum non servavit, quia tempus nondum aderat, quod eum obligabat.*

Christum anticipasse suum Pascha probatur ex verbo Dei.

Anticipâsse autem Christum suum Pascha, nec cum Iudæis celebrâsse, ex Verbo Dei, *ex* Patribus, *&* Rationibus *probatur. Ioannes 13. c. dicit,* Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus venisse horam ipsius, &c. *Testatur hîc Evangelista, Christum discipulis lavisse pedes, quod factum in ultima cœna, ante diem festum Paschæ: non autem intelligit Parasceven Paschæ, in qua Christus crucifixus est, & ad cuius vesperam Iudæi suum Pascha comederunt, sed diem hunc proximè antecedentem. Et 18. cap. Evangelista de Sacerdotibus & Senioribus populi Christum Pilato tradentibus sic scribit:* Ipsi non introierunt in prætorium ne contaminarentur, sed ut Pascha manducarent. *Christus igitur, qui jam Pilato tradebatur, suum Pascha celebravit: Iudæi non item. Rursus 19. cap. loquitur de die passionis & mortis Christi, ac dicit:* Erat autem parasceve Paschæ. *At ad vesperam Parasceves comederunt Iudæi Pascha. Ergo Christus, qui in parasceve mortuus est, suum Pascha anticipavit.*

1. *Ex Patribus.*

Huic etiam sententiæ adjudicatur PATRES. *Irenæus lib. 4. cap. 23. Tertullianus lib. contra Iudæos, Epiphanius hæresi 50. Omnium autem maximè Chrysostomus homil. 82. in Ioannem, ubi dicit,* Christum comedisse suum Pascha pridie, quàm illud Iudæi comederint. *Ibidem dicit,* Christum præveniße unum diem in Paschate celebrando, ut reservaret mortem suam Parasceve, quando olim etiam celebratum fuit. *Rursus homilia 84. in cap. 19. Ioan. dicit:* Cùm tempore urgerentur, hora enim nona mortuus erat, & dum peteret eum Ioseph à Pilato, & dum lavarent, jam vespera adventârat, quo tempore nihil licebat operari, in proximum monumentum posuerunt. *His verbis significat Chrysostomus, acceleratam fuisse sepulturam Iesu, propter vesperam, in qua nihil operis fieri licuerit. Nec potest dici, vesperam Sabbathi ab eo intelligi: nam vespera Paschæ innuitur, in qua etiam nihil omninò operis fieri licebat, præter ea quæ ad victum pertinebant. Ergo ante Pascha Iudæorum passus est, & suum Pascha anticipavit. Augustinus Tract. 120. in Ioannem, & Beda in cap. 19. Ioannis dicunt,* acceleratam fuisse à Iosepho & Nicodemo sepulturam Domini, propter Parasceven Iudæorum. *Christus igitur priùs fuit mortuus, quàm Iudæi suum Pascha celebrârunt. Nicephorus lib. 1. cap. 28. hist. Eccles. ait:* Parasceues die ad vesperam, ut Lex præcipit agnum immolari oportebat, & eadem die verum agnum in cruce immolari: & idcirco prævenîri à Christo oportebat, ut quintæ diei ad vesperam legale Pascha celebraret. *Anshelmus etiâ, qui circa annos Domini 1090. floruit, apertissimè scribit in 27. c. Matth.* Christum 12. Calend. April. in ipso vernali Æquinoctio, feria sexta, luna 14. in qua Pascha Iudæorum erat, crucifixum fuisse, ut eo die agnus Dei pro salute hominũ in cruce penderet, qua die agnus in liberatione populi occidi jussus est. *Et huic sententiæ consentire Evangelistam dicit, qui ait,* Iudæos propterea non introiisse in Prætorium cum Pilato, ne contaminarentur, sed ut Pascha manducarent

rent. *Et si quis objiceret, Cur ergo Dominus tunc non celebravit Paſcha?* Sciat, *inquit*, quòd ille non fuit ſub lege, & VOLVIT ANTE diſcipulis ſuis tradere Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, & poſteà ipſum corpus in ara crucis immolari.

§. Rationibus

His teſtimonijs & authoritatibus accedunt etiam RATIONES *ponderis maximi. Prima hæc eſt: Secundum legem, quæ habetur Lev. 23. c. dies Penteceſtes celebrari debuit die quinquageſimo, à ſecunda die azymorum numerando. Eo autem anno quo Chriſtus crucifixus fuit, dies Penteceſtes incidit in primam Sabbathorum, quæ nobis Dominica eſt: unde etiamnum hodie tota Eccleſia die Dominica pentecoſten celebrat. Hinc ſequitur, ſecundam azymorum tunc etiam in primam Sabbathorum, ſeu Dominicam incidiſſe. Nam ſi numeremus 50. dies incluſivè à ſecunda die azymorum, ut lex præcipit, neceſſariò eadem die hebdomadæ occurret Penteceſte, in quæ ſecunda azymorum dies occurrit. Hæc tam certa ſunt & illuſtria, ut ea ne ipſi quidem Ieſuitæ negare poſſint. Si verò Chriſtus eo anno paſſus eſt, dies Dominica fuit ſecunda azymorum: ſequitur ergo diem Sabbathi fuiſſe primam azymorum: & diem ſolennem paſchæ adeoque diem paſſionis Chriſti fuiſſe ante diem primam azymorum & diem ſolennem paſchæ, proindeque Chriſtum paſcha ſuum anticipaſſe.*

Secunda ratio eſt: Immolatio agni paſchalis typus & figura fuit paſſionis Chriſti. Immolari autem debuit agnus die 14. Dominus igitur quoque pati debuit 14. die: & per conſequens antecedente die Cœnam inſtituit.

Tertia ratio ſumitur à Traditione, *quæ tempore Chriſti in celebratione paſchatis obſervata fuit. Legitimè enim, iuxta mandatum Dei Exod. 12. paſcha celebrari debuit die 15. menſis Niſan, menſis inquam Lunaris, ſic quòd annus & menſis quilibet ipſo die novilunij exordium ſumpſerit. Secundum hunc ritum agnus paſchalis die 14. ad veſperam immolari præcipitur. Et hoc paſcha Chryſoſtomus* vetus *vocat. Sed aliam paſchæ obſervationem, quam* Iudicialem *vocant, legiſperiti Iudæorum per* ἐπείκειαν *quandam, & legis moderationem in ſecunda templi inſtauratione ſtatuerunt & ordinarunt. Quia enim ſabbatha ac feſta legalia ad lunæ curſum ſecundum dies menſium ſervanda fuerunt, non ſemper in unam & eandem diem hebdomadæ incidere poterant, ſed ſingulis variabant, nunc in hanc, nunc in aliam diem cadentes. Hoc pacto autem accidit, ut ſæpè duo feſta continuata & ſimul coniuncta fuerint, ſabbathum hebdomadarium, & aliquod ex Moſaicis feſtis ſecundarijs: unde magna incommoda naſci viſa ſunt Iudæis. Exempli gratia: Si feſtum Palmarum in ſabbathum hebdomadarium incidiſſet, citra legis violationem ſabbathum ritè celebrari non poſſe arbitrabantur, quandò ramos palmarum colligere & circumferre ſine labore die ſabbatho prohibito non poſſent. Deinde ſi feſtum Paſchæ aut Expiationis ſabbatho fuiſſet continuatum, per duos integros dies permanere eos oportuiſſet in ſynagogis vel templo orantes ac ieiunantes, nullum enim cibum parare eis licebat, & is qui profanis diebus fuit præparatus, vix per triduum aut integrum biduum à fœtore & putredine in calida illa regione conſervari potuiſſet: hoc verò nimis grave & moleſtum eis videbatur. Quamobrem ne tam incommodè feſta caderent, tranſlationem in diem ſequentem excogitarunt. Nolebant enim aliis diebus, quoad numerum menſium, feſta ſua celebrare, quàm in lege fuiſſet præſcriptum, ſed tantùm alia die: ideo primam diem anni, ſeu neomeniam primi menſis in talem feriam tranſtulerunt, quæ ejuſmodi incommoda nulla afferret. Statuerunt igitur, ne primus dies menſis incideret in feriam 1. 3. 6. nec feſtum Sortium in feriam 2. 4. 7. De hujus conſtitutionis origine & authore plura diximus in Libro noſtro de Origine feſtorum Iudæorum, Ethnicorum, &c. ubi de anno Iudæorum egimus. Incidit autem, quod in confeſſo apud omnes eſt, eo anno quo Chriſtus in cruce eſt paſſus, Paſcha ſolennitas in feriam ſextam, hoc eſt, Veneris diem. Iudæi igitur obſervantes regulam feſtorum à Legiſperitis traditam, neglexerunt veram neomeniam menſis Niſan, neque ſolennitatem Paſchatis celebrarunt feria ſexta, ne feſtum Palmarum caderet in ſabbatho, & ſabbathum violaretur, ſed tranſtulerunt neomeniam veram in diem ſequentem, adeoque etiam Paſcha ex die Veneris in ſabbathum. Chriſtus autem, ſciens per mortem ejus abroganda omnia feſta legalia, non reſpexit ad feſtum Palmarum, vel ad alia feſta, in obſervatione Paſchæ, ſed ad legem Dei, ut illam per omnia adimpleret: & iuxta legis mandatum obſervavit veram neomeniam, celebravitque cum diſcipulis ſuum Paſcha die 14. menſis primi iuxta legem, quæ ſecundum traditionem erat 13. dies: paſſus eſt autem die Veneris, qua iuxta legem Paſchatis ſolennitas celebrari debuit, ſecundum traditionem verò Paraſceve Paſcha, ſive ad Paſcha fuit.*

Vetus, & Iudiciale paſcha.

Hanc diverſam Chriſti & Iudæorum obſervationem Paſchæ, ipſemet Chriſtus innuere videtur, eo quòd dixit diſcipulis: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei, Magiſter dicit, tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis: *Matth. 26. Quaſi dicere voluiſſet, Si interrogaverit vos, quare Magiſter veſter anticipat Paſcha antequàm Iudæi cæteri id obſervent? dicite ei, Tempus eius propè eſt, ut faciat Paſcha cum diſcipulis ſuis. Dixit*, Tempus meum, *hoc eſt, tempus verum & legitimum propè eſt, volens hoc ipſo reprehende-*

re Iudæos tanquam transgressores legis, & voluptatibus deditos, qui nulla alia de causa Pascha transferebant, nisi ut voluptatibus consuetis in festo Palmarum frui possent, quibus frui in sabbatho prohibitum erat.

Ad hanc quoque duplicem Paschæ observationem respexerunt Evangelistæ: Iudæorum enim observationem innuentes, quoties inducunt Pontifices de Paschate differentes, clarè significant, Christum crucifixum fuisse eo die, quo Iudæi agnum Paschalem ederint, hoc est, in vigilia Paschæ. Sic D. Iohannes dixit: Iudæos Christum accusantes non introisse in prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, *hoc est, agnum Paschalem. Dicit etiam* diem crucifixionis fuisse Parasceven, *hoc est, diem in quo Iudæi præparabant ea quæ pro Pascha ritè celebrando erant necessaria. Marcus quoque* diem Passionis *Christi* πρωτὰ ζύμων, *id est,* profestum *vocat. Ad legis verò mandatum respicientes significant, Christum crucifixum fuisse ipso die festo Paschæ, & pridiè, quàm pateretur agnum Paschalem cum discipulis prima die azymorum comedisse.*

Ex his omnibus non obscurè intelligitur, Christum anteverti sse suum Pascha. Proinde non tenebatur ad usum azymorum (nisi in comestione agni Paschalis) quia nondum venerant dies azymorum: ideoq; in fermentato pane Sacramentum Cœnæ instituit.

Quod si maximè concederemus, Christum in azymis suam Cœnam celebrasse; tamen Pontificij ne sic quidem obtinere possent, quod volunt. Nam non alio pane usus esset, quàm qui tum in diebus azymorum omnibus & vulgaris & communis fuisset. Hinc igitur nihil aliud sequeretur, nonnisi vulgari & communi pane utendum, quòd eo Christus etiam usus sit. Aut si quis hac ratione fermentati panis usum è Cœna tollendum existimat, & Ecclesiam azymis panibus alligare velit, cogit eadem ratione reliquas etiam Iudæorum ceremonias, quas Christus pro temporis ratione observavit à nobis exigi posse: in qua sententia Ebionitas olim fuisse Epiphanius testatur lib. 1. tomo 2. hæres. 30. cui, ut via præcluderetur, & ostenderet orthodoxa Ecclesia quantum ab ea abhorreret, panibus fermentatis usa est in Cœna sacra. Per accidens ergo concurrebant institutio Cœnæ, & azymus panis. Proinde hæc circumstantia non magis ad Cœnam pertinet, quàm vespera, sub quam; & domus privata, in qua, est instituta: nec potest ex ea necessitas panis azymi in Cœna urgeri, quum nihil minus Christus hoc suo exemplo voluerit, quàm rationem coquendi, vel adhibendi certi alicuius panis ad Cœnam suam, prescribere.

3. Christus benedixit in Cœna.

TERTIO, BENEDIXIT, *seu* GRATIAS EGIT. *Nam Matth. 26. & Mar. 14. sic legitur:* Edentibus illis, accepit Iesus panem, καὶ εὐλογήσας, *seu* postquam benedixisset, fregit & dedit discipulis. *Lucas vero & Paulus* εὐχαριστίας *voce utuntur. Sic enim legitur Lucæ 22. c. & 1. Cor. 11.* Accepto pane, εὐχαριστήσας, *hoc est,* quum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis: *promiscuè ergo Evangelistæ & Apostolus Paulus* τὸ εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν *usurpant. Et sensus est, Christum quidem in sacri hujus convivij institutione Deo inprimis gratias egisse, & eum omnibus laudibus celebrasse: simul tamen benedicendo, elementa illa terrena panis & vini, mystico & divino usui consecrasse. Sic igitur & nos in celebratione Cœnæ Deo gratias agere debemus pro immensis beneficijs, quæ humano generi in filio suo unigenito præstitit. Hinc veteres & recentiores Theologi, Cœnam hanc* Eucharistiam *appellarunt, id est, Laudem & gratiarum actionem: item,* Sacrificium; *Invocatio enim, laus & gratiarum actio, Deo beneplacitum est Sacrificium. Sed tamen hic nos pedem figere non debere Paulus docet 1. Cor. 10. cap. ubi sic inquit:* τὸ ποτήριον ὃ εὐλογοῦμεν, *&c. id est,* Poculum benedictionis cui, vel quod benedicimus, *&c. Hinc satis apparet, benedictionem hanc non ad Deum potissimùm, sed ad poculum referendam esse. Non quòd laudare poculum, aut muta elementa, vel benè illis precari debeamus: aut quòd gratias agere elementis externis Cœnæ conveniat: nihil enim illa de nobis merentur. Sed ut ex Oecumenio, Scholiaste Græco intelligitur,* Benedicere poculo, *nihil aliud significat Paulo,* quàm elementa Cœnæ, Deo gratias agentes, eumq; laudantes, adornare, & ad mysticum convivium præparare. *Et ut res dilucidior fiat, interpretatio est petenda ex eodem Paulo. Is 1. Timoth. 4. cap. de ciborum discrimine loquens, ita* εὐχαριστίας *nomen usurpat, ut illam cum* ἁγιασμῷ *seu sanctificatione coniungat,* Πᾶν, *inquit,* κτίσμα θεοῦ καλὸν καὶ οὐδὲν ἀποβλητὸν, μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον· ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. Quicquid creavit Deus, bonum est, nec quicquam reijciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces. *Vt ergo hic gratiarum actio sanctificationem denotat, ita etiam illic, diverso tamen fine. Panis igitur ille & vinum illud sanctificantur & consecrantur, non ut alimento corporis serviant, sed prout ad alimentum anima sacramentali fine & usu destinata & ordinata sunt. Itaque quum Paulus* poculum benedictionis, cui benedicimus, *vocat, perinde est ac si dixisset, Quod adhibemus in sacratissima Cœna, in qua Deo gratias agimus, id est, elementa illa externa ad sacrum & divinum usum præparamus. Benedicere igitur, seu consecrare, & sanctificare panem & vinum, non est incantare & occulta quadam vi verborum panem*

Benedicere in cœna, quid proprie.

panem & vinum transelementare vel transsubstantiare : sed eſt ea divis ſacrisque uſibus deſtinare, nempe vt quæ communia erant corporum alendorum adminicula, fiant efficacia deinceps ſymbola, carnis & ſanguinis Chriſti, nobis in eſcam & potum vivificum deſtinati ac propoſiti.

4. *Chriſtus frigit panem. Vide Nauanti tractatum de Cœna fol. 21.*

QVARTO, FREGIT panem : *propter analogiam videlicet ad corpus Chriſti fractum, & ad varia Eccleſiæ membra, quæ licet, inſtar panis in multa fruſta conciſi, multiplicia ſint, & inter varias diſperſa gentes : unum tamen corpus ſub unico capite conſtituunt. Eſt igitur ceremonia ad hoc Sacramentum ita pertinens, vt veteres hanc totam actionem* Fractionem panis *appellarint. Frangamus ergo vel ipſi panem, acceptum è miniſtri manibus, vel fractum ab ipſo recipiamus.*

5. *Chriſtus fractum panem diſtribuit Vide Naun. fol. 25.*

QVINTO, *fractum panem non in altum ambabus manibus elevavit, ſed* DISTRIBVIT *ſeu* DEDIT, DISCIPVLIS: *Non ergo ſacrificavit, vel ſacrificium inſtituit. Nam qui ſacrificat, nil dat hominibus, ſed Deo. Chriſtus autem non dedit panem Deo patri, ſed diſcipulis: ijſq; dixit :* ACCIPITE, *nimirum in manus. Neque enim credendum eſt, in os ſingulorum impoſuiſſe panem, & ori admoviſſe poculum, ut ſacrificuli ſolent, indignos indicantes laicos; ut vel panem vel poculum manibus tangant : Nam Accipere, manù fit. Deinde ex Lucæ cap. 22. manifeſtiſſimè apparet, Chriſtum non dediſſe poculum ſingulis, ſed primo tantùm, primum autem porrexiſſe illud ſecundo, ſecundum tertio, & ſic deinceps. Inquit enim :* Accipite vos poculum & partimini vobis ipſis. *Superſtitio autem dicit, Paulo teſte,* Ne guſtaveris, ne contigeris: *Coloſ. 2. cap. Et, ut ego quidem iudico, ceremonia hæc non caret myſterio. Eâ enim ſignificatur, Chriſtum noſtrum fieri, ſingulis applicari & proprium fieri. Nam quæ noſtra ſunt, in manus ſumimus, ſicq; fides & fiducia in Chriſtum confirmatur. Præterea, eo quòd dixit,* ACCIPITE; *Non iuſſit eos offerre, vel ſacrificare. Nam qui accipit, non offert: non enim dat alteri, ſed recipit id, quod ſibi ab altero datur.*

6. *Chriſtus iuſſit panem edere.*

SEXTO, *dixit,* EDITE : *non dixit, offerte Deo patri.* Non iuſſit etiam, *inquit Origenes,* aſſervare in craſtinum : *includere ſcrinijs, arculis, thecis : collo appendere, cum pompa circumgeſtare, oſtendere populo, adorare, aut deferre ad incendia, ventos, tempeſtates & alia mala avertenda. Sed* edere *iuſſit. Nam ut cibus nil quicquam prodeſt, niſi edatur, ita Chriſtus nihil proderit, niſi eum vera fide amplexi fuerimus. Et diligenter notandum, Chriſtum non ſolùm hoc Sacramentum ſumſiſſe, diſcipulis tantùm vel ſpectantibus, vel auſcultantibus: neque etiam ex illo opere, diſcipulis ſi non communicarent, ſed tantum cum devotione aſtarent, Dei gratiam promiſiſſe: (imò ne legitur quidem quòd ipſe Euchariſtiam ſumſerit:) ſed diſpenſaſſe, dediſſe diſcipulis, & iuſſiſſe ut panem & vinum ederent ac biberent. Hoc verò iuſſit etiam nos facere, ut mox audiemus. Certiſſimum igitur eſt, Chriſtum celebrationem Cœnæ ſuæ non ita inſtituiſſe, ut ille qui benedicit, ſolus ſumat, reliquis tantum ſpectantibus & auſcultantibus: & quod ex illa unius actione fructus Euchariſtiæ propter ſpectaculum redundet etiam in alios, licet non communicent. Sed inſtitutio Chriſti, quando hoc quod in prima Cœna factum eſt, legitimè facere volumus, requirit, ut in hâc actione ſit miniſter qui benedicat & diſtribuat : adſint etiam quibus detur qui accipiant ac edant.*

7. *Chriſtus poculum omnibus diſtribuit.*

SEPTIMO, ACCEPTO POCVLO, gratias egit, dedit diſcipulis, iuſſitque inter ſeſe PARTIRI : *Luc. 22. cap.* & ex eo bibere OMNES : idque feciſſe omnes *Marcus 14. cap. teſtatur. Vbi animadvertendum eſt, nullam ab Evangeliſtis mentionem fieri fuſionis vini è cantharo in poculum, quæ nimirum è regione reſpondeat fractioni panis : quia fuſionem illam is, qui menſa miniſtravit, non autem ipſe Dominus videtur perfeciſſe. Interim fuſio illa ex analogia fractionis panis hic eſt intelligenda.*

Ex quo ſimul intelligimus, Chriſtum toti Eccleſiæ Cœnam integram inſtituiſſe. Nam etſi Chriſtus in hac prima Cœna Apoſtolos tantùm convivas habuerit, non tamen ſequitur, ut Pontificij volunt, hæc verba, Bibite ex hoc omnes, *ad ſolos propterea Sacerdotes pertinere, non etiam ad Laicos: Apoſtolos enim non Laicos, ſed Sacerdotes fuiſſe. Nam Apoſtoli in hac Cœna totius Eccleſiæ typus fuerunt, quemadmodum aliàs ſæpè. Vide etiam Hieronimus in 1. Corinth. 11. rectè ſic colligit:* Dominica Cœna omnibus debet eſſe communis, quia ille omnibus diſcipulis ſuis, qui aderant, æqualiter tradidit Sacramenta. *Deinde, ad quos de pane dixit,* Accipite, comedite : *ad eoſdem de poculo dixit,* Accipite, bibite ex eo omnes. *Vel igitur totum Sacramentum Sacerdotibus tantùm à Chriſto inſtitutum eſt: vel quo jure ad Laicos pertinet,* Accipite, edite: *eodem etiam ad eos pertinet alterum,* Accipite, bibite omnes.

8

OCTAVO, *Dato pane, & poculo, diſcipulis dixit,* Hoc eſt corpus meum: Hoc eſt ſanguis meus, *ubi valdè obſervanda eſt verborum, & actionum connexio, Acceptum panem in manus, actiſque gratiis, fregit, dedit, iuſſitque ſumere omnes, & hæc religioſè omnia obſervantibus; His, his demum præbet ſuum corpus, & ſanguinem. Diligenter itaq; hæc diſcenda ſunt, corpus, & ſanguinem Domini dari ab eo non pani, & vino ſed diſcipulis: & non in alium uſum, quàm ad manducandum, & bibendum: panem quidem, & vinum corporaliter, corpus, & ſanguinem Domini ſpiritualiter. Nec enim*

ſimplicter de pane dixit Dominus: Hoc eſt corpus meum. *Et de vino*: Hic eſt ſanguis meus: *ſed de pane, & vino, qui ſumatur à diſcipulis ut ipſe juſſit. Hoc quoniam minus obſervatum eſt, ſed verba iſta*: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, *ab aliis quaſi decerpta, & præciſa, ac ita in ſe ſola conſiderata ſunt: Et quæ præcedunt Domini verba, quaſi ad hæc non pertinerent ab horum verborum conſideratione ſejuncta: introductæ ſunt duæ illæ opiniones infinitarum impietatum, & ſuperſtitionum parentes, tranſſubſtantiationis panis, & vini, in corpus & ſanguinem Domini, & permanentiæ corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, etiam extra uſum Cœnæ Dominicæ à Domino inſtitutum. Obſtabat totum de incarnatione Domini Evangelium, quominus poſſent dicere vel panem eſſe corpus & vinum ſanguinem Domini, vel panis, vinique ſpecies.*

Cum itaque laborarent de eo horum verborum intellectu, quo vera appareret hæc oratio: Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus per ſe, tandem excogitata eſt opinio tranſſubſtantiationis, & reiecta iam verba illa Domini erant, Accipite, bibite: *adjecta eſt & opinio permanentis corporis, & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini, dum illa ſalva eſſent, etiamſi nunquam fuiſſent ſumpta. Iam cùm hoc conſtitutum eſſet, per ſe conſecutum eſt, Chriſtum in his ſpeciebus præſentem, debere adorari, colique; cùmque hominibus verus Dei cultus, qui pietate conſtat, nunquam placet, novi ſubinde ſunt cultus externi excogitati. Aliquando tantùm in pixide aliqua ſervabantur panis iſte, & ſanguis in altari, loco non perſpicuo: talibus vaſis ferebatur ad ægrotos, poſtea ſingulares ut affabrè exculta adiculæ, vel turriculæ exſtructæ ſunt, & ante has ſuſpenſæ lampades: poſtea ſequuta ſunt Monſtrantiæ, pompæ, illa proceſſionum. Uno enim admiſſo errore, plures inſequebantur.*

9. *Chriſtus Cœnam clara & nota linguæ inſtituit.*

NONO, *Chriſtum hæc omnia tam clara, aperta & omnibus diſcipulis nota voce, vel lingua pronunciaſſe, ut ab omnibus audiri & intelligi poſſet, ne ipſe quidem Bellarminus negare audet: dicit enim*, Chriſtum clara voce verba Cœnæ pronuntiaſſe, non ſolùm ut conſecraret, ſed etiam ut Apoſtolos ritum doceret conſecrandi. *Neque enim credibile eſt, Chriſtum hoc modo inſtituiſſe Cœnam, ut actio quidem eſſet viſibilis & publica, verba autem, quæ Sacramentorum præcipua pars ſunt, vel incognita & peregrina lingua, vel ſic tacitè pronunciarit, ut à nemine intelligi potuerint. Vt mirum ſit, non puduiſſe Thomam affirmare in 3. par. Summæ quæſt. 78. art. 8.* Chriſtum ipſum in Cœna ultima ſilentio & tacitè conſecraſſe: *eodem penitùs modo, quo hodiè ſacrificuli ſolent.*

Hi Ritus ad ſubſtantiam Cœnæ pertinent: 10. *Chriſtus inſtituit facere quod ipſe fecit.*
quibus DECIMO *additum eſt præceptum Chriſti*, HOC FACITE, *mandantis, ut enumerati ritus ab Apoſtolis & univerſa Eccleſia in celebratione Cœnæ diligenter obſerventur. Quaſi diceret, Quod ego feci, idipſum & vos in poſterum facite in hujus myſterij celebratione: Accipite panem, gratias agite, frangite, diſtribuite, edite & bibite.*

VNDECIMO, *Cur Chriſtus tam ſimplicia ſymbola inſtituerit, vide Viretum de Orig. Miniſtr. & Sacram. lib. 16. c. 25.* 11.

De reliquis verò circumſtantijs, quæ pro ratione temporis & loci tunc obſervavit, nihil vel præſcripſit, vel mandavit. Hujus generis eſt, primò, quod veſperi poſt epulum paſchale demum inſtituit Cœnam. Nam id factum propter paſcha, & agnum paſchalem, quem non alio tempore, quàm ſub noctem celebrare, ex mandato Dei, licebat: huic autem ſacram Cœnam ſubſtituere voluit, non ergo alio tempore id fieri potuit. Deinde, quoniam Sacramentum hoc in memoriam paſſionis ſuæ inſtituit, diſtulit, donec ſtatim impleretur, quo altius animis omnia hærerent: ut reipſa videremus, in morte ejus impleri, quod hic adumbratur. Denique ad mortis uſque tempus & ultimum vitæ ſuæ actum diſtulit inſtitutionem Cœnæ, quo in maiori pretio & honore haberemus, quod à Filio Dei traditum nobis audimus, quando vitæ periculum ei immineret, ideoque potius de ſalute propria, quàm noſtra cogitare debuiſſet. Hæ ſunt cauſæ, propter quas Dominus hoc tempus delegit: & quia non extat mandatum ejus, ut eodem tempore Cœnam celebremus, libera hæc circumſtantia fidelibus relinquitur. Vode præclarè Auguſtinus epiſt. 118. Salvator, *inquit*, quò vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus per paſſionem digreſſurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variaſſet. *Paulus quoque diſertè declarat, nos non eſſe obligatos ad circumſtantiam illam temporis, ut non niſi illo anni tempore, illo menſe, die & hora Cœnam Domini celebremus, dicit enim*: Quotieſcunque ederitis panem hunc, & biberitis, &c.* 12. *Ritus accidentarij in Cœna Veſperi inſtituta Cœna.*

Deinde non ad Altare, ſed in Menſa ſacram hanc Cœnam Dominus celebravit. Neque enim tunc in templo fuit, nec ſacrificare pecora Moſaico ritu, ſed Sacramentum inſtituere voluit. *Cœna in menſa, inſtituta.* *Chriſtus peculiari genere poculi non uſus eſt.*

Neque etiam Evangeliſtæ peculiaris alicuius generis aut formæ poculi mentionem faciunt, in deſcriptione inſtitutionis Cœnæ, ſed generali voce

voce ποτηρίου *utuntur, qua quodvis vas significatur, quo homines uti possunt ad bibendum. Nam à* Πίνω *derivatur, quod Bibo significat. Itaque non sequitur, Christus legitur Calice usus fuisse in Cœna: ergo Calicibus etiam hodiè utendum. Interpretantur autem Calices Germanicè* Kelch, *quod peculiare genus poculi est, Novum enim Testamentum non Latinè, sed Græcè conscriptum est. Quanquam etiam ipsa vox Calicis interdum generaliter pro quovis poculo accipiatur, ut intelligitur ex illo Plauti loco in Capti.* Aulas calicesque omnes confregit: *item ex Adagio,* Multa cadunt inter calicem supremaque labra. *Respondet autem ei Græca vox* Κύλιξ, *& Germanica* Kelch: *quamvis usitatæ fuerint, antequam papatus nomen auditum esset.*

Vasa, quibus uti Christus non aversatur, &c.

Fuisse etiam ea vel aurea, vel argentea, vel stannea, nec Evangelistæ, nec Paulus meminerunt. Foris *inquit Chrysostomus,* tenuis & simplex fuit in illa Cœna apparatus: intus verò aurea, argentea, & augustissima omnia, totaque illa actio ipsis angelis suspicienda. *Et homil. 51. in Matthæum,* Non erat, *inquit,* ex argento Mensa illa, nec ex argento Calix ille, quo Christus discipulis præbuit sanguinem suum. *Et quis dubitet, Dominum usum Mensa & poculo vulgari, quale à Patrefamilias, apud quem Pascha celebrabat, fuerat suppeditatum? Et Clemens Alexandrinus libro secundo Pædag. cap. 3. docens, non nimium esse studij atque impensarum in sumptuosam vasorum supellectilem conferendam, inter alia Christi exemplum producit, qui, ut ipse inquit,* τρυφλίῳ ὑποψάλῳ ὠμοτεμῆ, *id est,* vili catino cibum sumpsit. *Item:* Finem vasorum constituebat usum, non τὸ ἀπεσκαμμένον, *hoc est,* nimiam & inutilem magnificentiam. *Contrà verò de Catino, quo usus sit Christus in ultima Cœna scribit Erasmus Stella.* Miramur, *inquit,* Catinum è smaragdo apud Genuam civitatem Liguriæ, quo nullus pretiosior visus unquam, nulla gemma nobilior, nulla species vasis mirabilior, quo dicunt Christum in ultima Cœna sua usum fuisse ex apparatu Herodis Regis, qui è Galilæa Hierosolymam ad agnum Paschalem commanducandum venire decreverit, sed divina providentia, consilio mutato, aliò diverterit. In Gallia Narbonensi in Cœnobio quodam Lugdunensis agri, alia paropsis cernitur, qua similiter Christum usum ferunt in ea Cœna. sed minor multò superiore, nobilitateque inferior. *Brodæus autem Miscell. libr. 4. cap. 19. negat,* vas illud Genuense, lancem illam fuisse, qua usus sit Christus in vltima Cœna.

De Calice autem Bedæ lib. de locis sanctis 2. c. ita scribit; In platea quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra est, in qua Calix Domini scriniolo reconditus, per operculi foramen tangi solet & osculari: qui argenteus calix hinc inde duas habens ansas, sextarii Gallici mensuram capit, in quo illa est spongia Domini potus ministra.

Lumina, si fuerunt adhibita, factum id propter noctis tenebras. Nam iuxta legem inter vesperas, post occasum Solis, celebravit Pascha, cui sacram Cœnam mox substituit.

An lumina Christus cæne adhibuerit.

CAPVT II.

De vero sensu verborum, hoc est Corpus meum: & hoc est Sanguis meus, interprete ipso Christo.

Promissio ritibus à Christo annexa in Cœna.

NE verò putaret aliquis, à Christo his Cerimonijs & ritibus inane tantùm spectaculum institutum fuisse, observanda secundo loco annexa promissio. *Nam de pane benedicto, fracto & exhibito, dicit Christus:* HOC EST CORPVS MEVM. *Id est, Hic panis quem coram videtis, quem manibus teneo, quem modo fregi, & iam vobis distribuo, est corpus meum, verum scilicet & naturale. Hæc sunt verba promissionis, huic Sacramento additæ: quibus Christus vult docere, quid sit panis in sacra Cœna, nimirum Corpus suum: hoc est, quid Christus exhibeat & det in Cœna sumentibus hunc panem, & credentibus huic promissioni: nimirum Corpus suum, seu carnem illam suam, quam se daturum esse pro Mundi vita Ioannis cap. 6. promiserat. Neque enim hæc alia, sed illa ipsa est promissio de vivifica carne Christi, & salvifica ejus manducatione. Tantùm hoc interest, quòd accedit hic ritus Sacramentalis, promissionem illam externo signo confirmans.*

QVOD PRO VOBIS TRADITVR. PRO VOBIS, *inquit: intelligit suos discipulos. Apud Marcum 14. cap. ait,* PRO MVLTIS: *omnes electos intelligit. Et sensus est, pro vestra & totius Ecclesiæ salute* TRADITVR, *scilicet, crucifigendum: pro quo Paulus dicit* FRANGITVR: *Metonymia Sacramentali, tribuens rei significatæ proprium signi, ut de significatione ritus nos commoneaciat. Nam ut panis in Cœna frangitur, sic Christus in cruce fractus est, quum anima à corpore divulsa est, & illa unà cum corpore maximos cruciatus summorum dolorum est perpessa.*

His addidit, HOC FACITE: *quod non significat* SACRIFICATE, *ut Pontificij volunt, sed,* EDITE PANEM ET BIBITE VINVM.

IN MEI RECORDATIONEM. *Quibus verbis finem totius ritus & actionis hujus indicat. Est is recordatio non tantùm historiæ, sed memoriale, vel Sacramentum revocans nobis,*

in memoriam, quæ bona ipſe nobis horrenda ſua morte acquiſierit: eademq́ nobis hæc bona obſignat, & nos ad ſolennem eorum celebrationem & gratiarum actionem excitat.

Similiter etiam de poculo dixit: HOC POCVLVM EST NOVVM TESTAMENTVM, IN MEO SANGVINE, QVI PRO VOBIS EFFVNDITVR. *Vel, ut apud Matthæum & Marcum legitur*, HOC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, QVI PRO MVLTIS EFFVNDITVR IN REMISSIONEM PECCATORVM. *Per poculum Metonymicè vinum in poculo contentum intelligit. Id Sanguinem eſſe ſuum dicit, qui pro remiſſione peccatorum & ſalute fidelium in cruce effundendus ſit.*

Verus ſenſus verborum Chriſti in cœna.

Ex his iam non obſcurè intelligitur, quid Chriſtus hic promiſerit, & quis ſit horum verborum verus ac genuinus ſenſus & intellectus. Verba ſunt vulgata, uſitata, perſpicua, vera, imò veriſſima, ſed tamen aliam ſententiam poſtulant, quàm ſit ea, quam verba ipſa, ut ſonant, gignunt. Quum ad Abrahamum de præcepta ei Circumciſionis ceremonia Deus diceret, hoc eſt fœdus meum inter me & te: *nuſquam legitur, hanc orationem vel ipſi Abrahamo, vel ulli alii obſcuram fuiſſe: & tamen certum eſt, non magis eam ad literam fuiſſe accipiendam, quàm omnes circumciſi æterni fœderis & reconciliationis cum Deo participes fiebant. Omnibus item Iſraelitis perſpicua erat hæc de annua Paſchalis agni mactatione oratio*, Hoc eſt tranſitus Domini: *nec tamen quiſquam repertus eſt, qui hanc ceremoniam ad literam ipſum Tranſitum eſſe putaret. Similiter clara ſunt verba, quum Baptiſmus dicitur* Ablutio peccatorum. *Act.* 22. Lavacrum regenerationis, & Renovatio ſpiritualis, *Tit.* 3. *Item, quum in Baptiſmo dicitur indui Chriſtus, & nos ei commori ac ſepeliri dicimur, Rom.6.Gal.3. Coloſ.2.cap.nemo tamen unquam ea ad verbum intelligenda eſſe putavit. Sic quum Chriſtus* Panem, *quem in manus ſumptum, fractumque diſcipulis porrigebat*, ſuum eſſe corpus: & poculum, ſeu vinum ſuum eſſe ſanguinem *diceret, oratio fuit intellectu facilis, ſed ea, ut verba ſonant, non eſt abſolutè & ſimpliciter accipienda, ut dicamus panem hunc, & vinum ſuas ſubſtantias amittere, & in corpus Chriſti ejus, ſanguinem ſubſtantialiter ſeu realiter converti: ſed eſt figurata oratio, per tropum, & quidem Metonymiam, Sacramentis convenientem explicanda, qua de ſignis, ſive ſymbolis ipſæ res ſignificatæ enunciantur, videlicet de pane illo myſtico corpus Domini, quatenus crucifixum eſt: & de poculo illo myſtico ſanguis Domini quatenus in cruce effuſus eſt. Quare hic eſt ſenſus verborum Domini*, HOC, *videlicet, hic panis (ut ex ipſo ſermonis hujus contextu, & cum præcedentibus & ſequentibus cohærentia perſpicitur) eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ſeu frangitur. Id eſt, Hic panis eſt ſymbolum ſive ſignum & pignus corporis mei ſignificans non ſolum, ſed etiam teſtificans & obſignans vobis, qui in me creditis, corpus meum dari pro vobis in crucem, ut illic frangatur, hoc eſt, acerbiſſimis doloribus excrucietur. Item, Hoc (ſcilicet poculum, ut etiam ex ipſa coherentia, & Evangeliſtarum collatione planè liquet) eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti ſeu fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Id eſt, Hoc poculum eſt ſignum & pignus ſanguinis mei, ſignificans, obſignans & teſtificans vobis, ſanguinem meum effuſum iri in cruce, ad confirmandum fœdus illud gratiæ, atque ita promerendum vobis, apud Deum remiſſionem peccatorum, quatenus ſcilicet expiavero illa. proq. eis ſatisfecero iuſtitiæ Dei morte mea. Hunc eſſe verborum Chriſti ſenſum aliquot rationibus probabo.*

1. *Argumenta quibus probatur verba Chriſti figurâ eſſe accipienda.*

PRIMAM *rationem vel argumentum ſumamus ex re propoſita, vel ſubiecta materia; nam ſecundùm rerum, de quibus agitur, hypotheſin, omnes ſunt explicandæ ſententiæ: nec tam verba ipſa, quàm verborum ſenſus eſt intuendus. Quæ autem eſt in his Chriſti verbis ſubiecta materia? aut quod argumentum propoſitum? Inſtituere Sacramentum corporis & ſanguinis, quæ pro nobis paulò pòſt tradenda erant. Fatentur hoc omnes.* Sacramentum autem eſt, ſacræ rei viſibile ſiguum, aut invisibilis gratiæ viſibilis forma, *Auguſtino teſte. Ergo verba Chriſti, quibus inſtituit Sacramentum, ex natura & ratione ſigni, non ex ſyllabarum apicibus æſtimanda ſunt. Proinde quum panis & vinum ſint Sacramenta, vel ſigna corporis & ſanguinis Dominici pro nobis in cruce fracti & effuſi, iam de ſubiecta materia conſtat, quòd non ſit ſubſtantiale ac reale corpus & ſanguis Domini, ſed ſignum ejus. Quod ſi verba in hoc Sacramento uſurpata nudè & ſimpliciter ſunt intelligenda, non erit Sacramentum: quia res externæ per ſe tantùm conſideranturtur, & proinde non erunt ſigna. Nam ſignum eſt ἐν τῷ φαίνεσθαι τι, ut & Sigillum. Eſt igitur referendum ad aliud, nempe ad ſignatum: quæ quidem ratio ſine vocabulis figuratis rectè intelligi non poteſt. Qui igitur dicit, Sacramentum hoc ſine tropo intelligendum eſſe, ille dicit Sacramentum non eſſe Sacramentum, quia tollit ſignum, ſine quo Sacramentum non eſt.*

SECVNDO, *ſumamus argumentum ex Ritu, quo Chriſtus Cœnam ſuam inſtituit. Aſſidet Chriſtus menſæ cum diſcipulis ſuis, illisq; corporis & ſanguinis ſui ſacramentum porrigit, & quod verbis promittit, reipſa præſtat. Accipiunt ergò diſcipuli revera corpus & ſanguinem Domini: neque tamen ille menſa recedit & inviſibilis fit, ut ſubſtantialiter in pane corpus ejus delitescere*

scere credatur : sed in eo loco, quem semel occupaverat, visibiliter residet, diversamque carnis suæ substantiam ab ipso Sacramento, vel loci intervallo, quo ab eo seiungitur, aperiè declarat. Illud etiam, quod acceperunt discipuli comedunt ac bibunt, & in viscera sua traiciunt; sine tamen omni iniuria corporis Christi, quod subinde integrum mensæ adsidebat. Iam quis hinc non intelligat, Christum non corporaliter se discipulis suis manducandum exhibuisse, neque ori & ventri, sed animæ & fidei cibum cœlestem in mensa apposuisse? Adfuit enim tunc revera corpore suo præsens, neque tamen ob præsentiam corporis Apostoli dentes in ipsum desixerunt, sed potius fide & spiritualiter participandum sacratissimæ illi victimæ, pro salute generis humani tradendæ, intellexerunt.

3. TERTIO, *petamus argumenta ex ipsis Christi verbis, quibus hoc Sacramentum instituit. Christus dixit*, Hoc est corpus meum, *Item*, Hoc est sanguis meus novi Testamenti. *Pronomen Demonstrativum* HOC *utrobique ponitur. In priore autem enunciatione particula* HOC, *aut demonstrat panem; aut sola accidentia panis; aut ipsum Christi corpus: vel denique substantiam aliquam, ut Thomas Aquinas par. 3. quæst. 78. art. 5. loquitur, vagam, & indeterminatam. Præter hæc enim nihil fuit, de quo Christus corpus suum prædicare posset. Non demonstravit autem solam speciem, vel accidentia panis, tum quia Christus non gestabat manu, neque nuda accidentia frangebat, sed rem ipsam materiatam, accidentibus vestitam & terminatam: tum quia falsum erat, speciem panis, vel accidens eius corpus esse Christi. Non ipsum suum corpus visibile & invisibile: Visibile enim corpus Christi ipsum, gestabat, frangebat, & discipulis rem demonstratam dabat: Invisibile verò vel Vbiquitarium corpus Christus in Cœna nullum habuit, & ipsimet Papistæ fatentur, corpus Christi nondum adesse sub specie panis, quum Sacerdos incipit pronunciare* HOC est, &c. *sed adesse demùm post mutationem factam. Mutationem autem fieri dicunt in ultimo initii consecrationis, quo proferturin* MEVM *syllaba* VM. *Non substantiam vagam, quia non erat substantia vaga, sed determinata, id quod Christus manibus tenebat, frangebat & discipulis dabat. Ergo particula* HOC, *nihil aliud quàm panem, quem manibus tenebat, frangebat & discipulis porrigebat, Christus demonstravit. Deinde, ea est natura Pronominis huius, ut rem præsentem commonstret, & quidem hoc loco* PANEM.

Præterea probatur hoc etiam ex altera enunciatione, quæ apud Lucam in hac verba legitur: Dedit etiam eis poculum, postquam cœnasset, dicens: Hoc poculum est novum illud Testamentum per sanguinem. *Vbi manifestissimè pronomine* HOC *poculum, seu per Metonymiam subjecti vinum, in poculo contentum; demonstrat, non sanguinem. Absurda enim esset sententia, Hic sanguis est novum Testamentum in sanguine meo. Id quod etiam sequentibus Christi verbis probatur, quum dixit post Cœnam peractam, & mysteria divina ab Apostolis percepta,* se non amplius bibiturum de hoc fructu vitis. *Vinum ergo, non sanguinem, quod reipsa biberit, & non ipsam externam saltem formam aut speciem vini fuisse, testatur Christus. Igitur in priore quoque enunciatione, Panem pronomine* HOC *demonstrari nemini dubium esse debet.*

Adhæc ex fine quoque Cœnæ, quem Christus his verbis expressit, Hoc facite in mei commemorationem, *ostenditur, verba, Hoc est corpus meum, figuratè esse accipienda. Recordatio enim locum habet in absente, non præsente. Quum igitur Christus nos sui recordari velit, quoties Cœnam celebramus, necessariò infertur, Christum corpore absentem esse: & propterea nullam fieri elementorum mutationem in Christi corpus & sanguinem, quia hoc pacto Christus corpore & sanguine præsens esset. Et nihil est, quod aliqui dicunt*, hæc verba non loqui de substantia Cœnæ Domini, sed de fine, usu & fructu eius, ut videlicet meminerimus per veram fidem, ejus mortis & passionis, qua sumus redempti: non ut recordemur ejus rei, quæ nobis in cœna exhibetur. *Non enim video qui possit negari, his verbis non tantum mortis Christi, sed etiam ipsius met corporis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi visibilia αἰνίγματα nobis illic ad excitandam eorum etiam ipsorum recordationem exhiberi, certè ut in sese ac reipsa absentium. Quorsum enim si res ipsæ præsentes sisterentur, illa μνημόσυνα adhibentur?*

Denique extra omnem controversiam est, verba Christi, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus: *Et verba Pauli*: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? *eiusdem sententiæ verba esse. Certum est autem & facilè ex ipsius Pauli verbis evincitur, communionis nomine Paulum nequaquam corporalem, sed spiritualem corporis & sanguinis Christi manducationem & potionem intelligere. Ergo etiam Christus in his verbis, Hoc est corpus meum, &c. eandem intelligit: ac proinde non est propria, sed sacramentalis hæc locutio.*

4. QVARTO, *Antichristi doctrina est, teste Christo, ipsum monstrare velle in terra, cui, ne credant electi, Christus monet Matth. 24. cap.* Quid contra argumentum hoc obsistatur, & ad id responsio.

Quod verò Christus non simpliciter dixit in Cœna

Sum, vide Considerationem Vrsini fol. 308. 309. &c.

Cœna institutione, Hic panis est figura vel signum corporis mei: *aut*, panis hic significat corpus meum: *sed*, Hoc est corpus meum, *&c. & sic usus fuit illo communi sacramentis omnibus loquendi modo, quo, permutatis nominibus, signum vel symbolum ipsius rei vocabulo nominatur, id his de causis fecit.* Primò, *ut hoc pacto ostenderet discrimen inter panem communem & sacramentalem, ac doceret, ad quid panem sacrum destinaverit, nempe, ut illud sit, cuius vero ac legitimo usu sanciatur & confirmetur æternum fœdus, quod nobiscum iniit Filius Dei, ut nimirum sacrificio semel in corpore eius oblato, ad vitam, justitiam & beatam immortalitatem, perfruamur unione arctissima, ipsi tanquam membra capiti adhærentes.* Secundò, *isto loquendi modo, & nominum permutatione exprimere voluit Dominus ἀναλογίαν inter signa & res signatas, ut ea consideratione animi nostri ad invisibilem Dei gratiam, quæ externis illis symbolis fidei oculis intuenda proponitur, adducantur, nobisque inculcetur, sicut corpora nostra pane & vino aluntur & confirmantur ad hanc vitam terrestrem, sic, ut ipsa etiam in substantiam nostrorum corporum convertantur: ita etiam animas nostras efficaciter sustentari & roborari ad vitam æternam, corpore Christi pro nobis tradito, & sanguine ejus pro nobis effuso in remissionem peccatorum, sic ut per fidem spiritualiter in unum cum Christo corpus arctissimè coalescamus. Hanc causam Theodoretus reddit Dialogo 1.* Voluit, *inquit*, Servator sacramentis utentes non intentos esse in naturam eorum, quæ cernuntur, sed per nominum permutationem eredere ei, quæ ex gratia facta est mutationi. *Quo etiam Augustinus respicit in epistola ad Bonifacium:* Si Sacramenta, *inquit*: non haberent similitudinem quandam earum rerum, quarum sacramenta sunt, utique sacramenta non essent: ex qua similitudine etiam plerunque ipsarum rerum nomina accipiunt. Tertiò, *ista nominum permutatione docere voluit Christus, verissimam, certissimam, individuam & efficacissimam esse rerum significatarum cum ipsis signis & symbolis coniunctionem in usu legitimo & Cœnam suam non esse theatricam actionem seu repræsentationem: sed cum signo visibili exhiberi per Spiritus Sancti operationem beneficium invisibile, secundùm promissionem, tam verè, quàm verè panis & vinum oculis cernuntur, tanguntur, sumuntur & ore manducantur. Vnde etiam Cyprianus docet*, eo modo panem & vinum dici carnem & sanguinem Christi, quo causæ effectibus conveniunt. *Licèt igitur panis & vinum symbola & signa tantùm sint corporis & sanguinis Christi, non tamen sunt nuda signa, vel umbrarum signa, sed* signa exhibitiva, *id est, rerum verè existentium, & quæ in usu legitimo verè exhibentur eo videlicet modo, quo res cœlestis exhiberi debet ac potest. Quicunque igitur panem edit & vinum bibit in sacrosancta Cœna Dominica, simul etiam verè edit, ac verè bibit res significatas, hoc est, corpus & sanguinem Domini, sed per fidem spiritualiter, virtute & efficacia Spiritus sancti: idque in memoriam mortis Domini, & obsignationem promissionum Dei, præsertim remissionis peccatorum & vitæ æternæ. Quum ergo Christus in Cœna huius institutione discipulis suis panem porrexerit, & dixerit,* Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem: *Et de poculo,* Accipite, bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: *perinde est ac si dixisset: Tempus instat, quo ego corporis & sanguinis mei pretio totius Mundi peccata redimam, & meæ mortis intercessione vobis ad regni cœlestis & vitæ æternæ hæreditatem aditum comparabo. Vt autem minus de eo dubitare possitis, en vobis meæ mortis, imò corporis & sanguinis mei, pro vobis tradendi & effundendi, certissima symbola panem & vinum hoc. Accipite ergo hunc panem, & edite: accipite hoc poculum, & ex eo bibite, nunc & in posterum. Et quotiescunque hoc feceritis, recordemini vos meo corpore & sanguine redemptos, & salutem perfectam vobis per me partam esse: denique vos in me habere panem ac potum vitæ, qui vos alat, recreet ac servet ad vitam æternam, tam certò & verè, quàm certò & verè de hoc pane editis, & de hoc poculo bibitis.*

Cur Christus non dixerit, Hic panis est figura corporis mei.

In hac *porrò prima Cœnæ Dominicæ institutione, nonnulla quæ Christus ipse fecit, & facienda nobis mandauit, ejusmodi sunt, ut si quis ullo modo omittat ea, is Cœnam Domini non possit rectè dici celebrare: alia verò, quæ etiamsi non ea ipsa prorsùs forma fiant, qua facta sunt à Domino, tamen habita intentionis, quam vocant, ratione, ritè fieri dicantur: quædam denique, quæ ut mutari, nedum tolli sine iusta reprehensione non possint, tamen non tanti sunt momenti, ut propterea vel existimandum sit, Cœnam ibi nullam celebrari, vel illi, sic mutilatæ, interesse pij bona conscientia non possint.*

Cœna vera.

Primi *generis sunt* primò, *verbum institutionis Domini, quod est totius actionis hujus veluti anima quædam, & ita quidem purè explicatum, ut integrum saltem maneat doctrinæ fundamentum.* 2. *Præterea Minister, aut legitimè vocatus, aut certè in legitima cathedra sedens:* 3. *signorum denique datio & sumptio. Ex his colligimus, ibi Cœnam Domini nullam esse, sed falsum prorsus & inane Cœnæ simulachrum, primò, ubi vel nullum, vel adulterinum verbum est,*

Cœna illegitima.

est, vel explicatio illi verbo adjicitur, quæ fundamentum necessariò tollat: quod in Pontificiis Ecclesiis & Canone Missæ hodiè fieri nemo negare potest. Secundò, ubi non à Ministro publico, legitimè ordinato, sed, à privatis hominibus, non solùm viris, sed etiam mulieribus administratur Cœna.

Tertiò, ubi Signa aut non dantur, quod in privatis Missis fit multifariàm, & in Corporis Christi festo, ubi circumgestatur tantùm Eucharistia. Aut dantur quidem, verùm non pro signis exhibitivis, sed pro reipsa quam significant & obsignant, hoc est, pro reali corpore & sanguine Christi, in quæ signa externa, panem puta & vinum, amissa sua priore substantia, verè sint transsubstantiata seu mutata. Non igitur Sacramentum administratur, ubi non signum etiam, sed res ipsa, eo sensu ut in Papatu fit, exhibetur: Sacramentum enim est sacræ rei signum. Vel dantur, verùm non integra: sed mutilata, & unum sine altero. Præterea dantur, sed non sumuntur: verùm domum deportantur, & vel in ciffis, thecis, pyxidibus & arculis asservantur: vel collo, pro amuletis appenduntur. Denique dantur & sumuntur signa, sed ab iis, qui corpus Domini dijudicare non possunt, ut sunt infideles & infantes.

2. Secundi generis sunt ipsa Signorum materia, & nonnullorum rituum à Domino institutorum forma. Exempli gratia. Panis & vinum sunt Cœnæ signa ex Domini institutione. Vbi verò panis & vinum non habetur, aut habetur quidem, sed nulla eius est certo tempore copia: Nihilominus rite celebrabitur Cœna, si quod panis aut vini vicem, vel ex usu communi, vel pro temporum ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, quum panem & vinum ad hæc mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis quibus corpus nostrum alitur, veram alimontam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaque à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio, quum panis & vinum propter incommoditatem regionis, desint, pro iis substituat alia, quæ etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant. Nec aliter de hac re Scholastici, quantumvis superstitiosissimi senserunt.

Rogatus igitur ante aliquot annos magnus quidam Theologus à quibusdam Verbi Dei Ministris, qui tum in America erant, ubi nullus est vini usus, liceretne pro vino uti in Cœna Domini, vel aqua simplici, qua plerumque illic utuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere: Respondit, fuisse Christi in hoc instituendo Sacramento consilium, ut spiritualis alimonia, hoc est, sui ipsius Koinwnian nobis sub communis cibi ac potus symbolis repræsentaret: ac proinde si non fuisset tum in Iudæa communis vini usus, procul dubio alia vulgari potione usurum fuisse, quod ex ipsius scopo atque consilio liqueat. Itaq; nihil à Christi consilio & voluntate alienum facere videri eos, qui non contemptu, neq; temeritate, sed ipsa necessitate adacti, pro vino aliud in iis regionibus usitatæ potionis genus usurparent. Hoc responsum & consilium, ut optima ratione nixum, & Christi intentioni consentaneum, adeò comprobandum, ut eos superstitiosè agere fatendum sit, qui à vini symbolo usque adeò interdum pendent, ut alteram Cœnæ partem omittere malint, quàm ἀσύμβολον aliud symbolum, sic cogente necessitate, usurpare. Quod si quis objiciat alterum Sacramenti usum, quo videlicet fit, ut mutuam coniunctionem sic quoque testemur: respondetur, non esse quidem negligendam, at non tamen adeò præcisè urgendam analogiam panis ex multis granis, & vini ex multis acinis confecti: sed ad illam mutuam coniunctionem testificandam sufficere, quòd iisdem in genere symbolis, nempe cibo & potu utamur, eandemq; fidem testificemur. In hac autem quæstione eadem ratio valet, si modo is de quo agitur, vel minimam vini degustationem ferre nequit, ut videlicet, potius quàm integram Cœnam non peragat, vel aqua, vel alia sibi familiari potione utatur, neque dubitet tam sibi sub hoc potu, quàm sub vino sanguinem Christi communicari, quum promissio sit generalis & ad omnes fideles spectet: Commonefaciendus est tamen rei istius cœtus, ne qui infirmi offendantur.

Tertii generis sit, exempli gratia, panis 3.
fractio, tanti sanè momenti, ut, qui illam non adhibent, sed integris panibus rotundis & orbiculatis utuntur, Christum quodammodo non immolatum, neque vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem ferè Christos, quot singulares panes, tradere videantur. Non tamen facilè dixerim, Cœnam ibi nullam esse, ubi hæc fractio non retinetur, & vitij aliquid in hoc ipso, vel alio eiusmodi ritu committitur. Non est enim aliter de doctrinæ appendicibus, hoc est, de Sacramentis, quàm de doctrina ipsa judicandum. Si verò nullam esse Ecclesiam dicamus, nisi eam in qua nullus prorsus in cunctis doctrinæ Christianæ dogmatibus nævus deprehendatur, refellent nos Pauli Epistolæ Corinthiacis & Galaticis Ecclesiis inscriptæ, in quibus de resurrectione, & ipsius Christi officio plurimùm erratum fuit. Licèt igitur Ecclesia aliqua non satis pura sit, Ecclesia tamen est, modò fundamentum in ea maneat salvum: ac multò magis ibi Cœna est, ubi præcipua & verè substantialia conservantur, etiamsi in aliquibus ritibus ab ipso Christo usurpatis, erretur. Neque verò hæc dico, quasi vel panis fractionem, vel similes ritus inter res planè adiaphoras numerem, vel ad eas corruptelas connivendum putem, tantùm abest ut earum sanctoribus & fautoribus subscribam: sed quoniam vitia à vitiis, & qua condonanda sunt

sunt Christianæ charitati ab iis quæ prorsus sunt execranda, prudenter distinguenda esse judico, idque tamen non ex carnis sed Spiritus prudentia. Etsi enim vitiosè hoc vel illud à nonnullis fiat, & præter omnem rationem, Christiani tamen & pro fratribus habendi sunt.

Hæc dicta sufficiant de Ritibus, quibus instituit Christus sacratissimam Cænam suam, & de sensu quibus verba promissionis : his ritibus annexa, accipi: deque fine, in quem ab Ecclesia hoc Sacramentum celebrari voluit. Meminerimus autem, semper ad hunc primam Cœnam, eiusque formam, veluti omnium præstantissimam, sanctissimã, incorruptissimam, perfectissimam, absolutissimam, certissimamque normam seu regulam, recurrendum esse. Si quid enim ab hac discrepaverit deinceps, non solum quoad genuinum, verum & proprium sensum verborum Christi, sed quoad etiam ritus & ceremonias, meritò ex hac regula & norma corrigi ac emendari debet. Hoc ipsum Cyprianus quoque nos facere jubet lib. 2. epist. 3. Si solus, *inquit*, Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Quòd si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere ? aut in aliud, quàm quod divinitus institutum sit, humana traditione mutari ? Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert, in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.*

CAPVT III.

De Ceremoniis & Ritibus Cœnę Dominicę in Apostolica Ecclesia.

Apostoli retinuerunt simplices ritus à Christo institutos.

HÆc *probè expendentes* APOSTOLI, *hunc ritum ut simplicissimum, ita etiam absolutissimum, non solùm retinuerunt, & observârunt ipsi diligentissimè, sed etiam aliis Ecclesiis tradiderunt. Intelligitur hoc luculentissimè ex Paulo, qui* 1. *Corint.* 11. *Liturgiam, seu ritum & celebrationẽ Cœnæ sui temporis sic describit.* Ego, *inquit*, accepi à Domino, quod & tradidi vobis : quòd Dominus Iesus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit, & dixit: Accipite, edite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta Cœna, dicẽs: Hoc poculum Novum Testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit. *Hæc est ea forma qua Cœna Domini Apostolorum ætate celebrata fuit sine ornatu, Canone & ceremoniis, solummodo cum recitatione verborum Christi, quibus in prima Cœna, eiusque institutione usus est.*

Gregorius M. lib. 8. epistola 7. testatur, nude & simpliciter juxta Christi institutionem ab Apostolis Cœnam administratam fuisse, adjecta solummodo Oratione Dominica. Mos, *inquit*, Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò Orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent. *Habet hoc absque dubio ex Hieronymo, qui lib. 3. contra Pelagianos dicit*, Dominum docuisse Apostolos, ut Orationem Dominicam dicerent super sacrificio corporis. *Hinc etiam Durandus scripsit lib. 4.* Dominum instituisse quidem Cœnam, nec aliis verbis usum esse quàm consecrationis; quibus Apostoli adjecerint Orationem Dominicam : *atque hoc modò idem author refert* D. Petrum primam in Oriente Missam celebrâsse. *Adstipulatur his etiam Antoninus tit. 3. cap. 2. §. 1. Chronicon Martini & aliorum. Platina etiam in vita Sixti 1. dicit*, Orationem Dominicam præmisisse: Nuda, *inquit*, ab initio fuit sacrosanctæ illius actionis omnis ceremoniarum ratio, plus pietatis habens quàm apparatus. Apostolus enim Petrus in consecratione Cœnæ tantummodo Oratione Dominica usus est, & paucissimis quibusdam preculis. *Et Innocentius 3. in Prologo librorum 6. mysteriorum Missæ*, Primus, *inquit*, B. Petrus Apostolus Missam Antiochiæ dicitur celebrâsse, in qua tres tantùm Orationes in primordio nascentis Ecclesiæ dicebantur.

Apostoli Cœnam celebrârunt in cœna.

Administrâsse autem Apostolos Cœnam in publicis Christianorum conventibus ex Act. 20. c. apparet, ubi Paulus Troade cum fratribus, qui convenerant, panem frangit & edit, seu Cœnam Domini celebrat : *& ex* 1. *Cor. 11. ubi Paulus de Cœna agens, dicit*, Quum convenitis in idem. *Item*, Quum convenitis ad vescendum, alius alium expectate.

Apostoli quovis die Cœnam celebrârunt.

Ac celebrâsse eosdem Cœnam quovis die, videtur colligi ex eodem 20. cap. ubi uno sabbathorum convenisse fratres ad frangendum panem dicuntur.

Ibidem

Ibidem, Fratres & Paulus vesperi Troade, vel nocte per occasionem Cœnam sumpserunt. *Corinthii etiam circa tempus Cœnæ convenisse videntur.* 1.*Cor.*11.*cap.*

Apostoli omnibus Cænam distribuerunt.

Totam etiam Ecclesiam, tam viros quàm fœminas, tam divites quàm pauperes una communicasse, ex 20.*cap. Act.& ex* 1.*Cor.*11. *apparet, ubi Apostolus dicit:* Num contemnitis Ecclesiam Dei, & pudefacitis eos qui nihil habent? &c. *Summa verborum Pauli hoc spectat, Cœnam Dominicam communem esse debere, ut Corinthios castiget, qui eam dividebant, & privatam quodammodo reddebant. Et nisi hoc statuatur, adversus errorem Corinthiorum de conviviis factiosis & privatis, nihil Apostolus probabit.*

Apostoli panem fregerunt. Apostoli Cænam integram distribuerunt.

Apostoli quoque & alii Ministri Ecclesiæ panem fregerunt: 1.*Cor.*11. *Iidem panem acceperunt, & comederunt, deq. poculo Domini biberunt,* 1.*Cor.*11.

Toti autem Ecclesiæ panē & poculum ad edendum & bibendum porrexisse, ex 1.*Cor.*10. *&* 11. *liquet, ibi enim non Sacerdotes aut Apostolos, sed totam Ecclesiam docet*, eandem esse patrum Iudæorum & fratrum Christianorum escam spiritualem, eundemq; potum spiritualem. Calicem benedictionis esse communicationem sanguinis Christi: *illosq. omnes sic alloquitur*, Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorū: *unde usus quidem Corinthiacæ Ecclesiæ patet. Repetens autem Christi institutionem, Depositum Domini, sicut Vincentius loquitur, tanquam verus Christi discipulus, reponit*, Quod accepit à Domino, Corinthiis tradidit: de pane ut capiant, & comedant: de calice, ubi novum Testamentum confirmatum est in sanguine, Hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & CALICEM bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: utroq; modo usque ad Christi secundum adventum annunciari debet. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit CALICEM Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. *Quod si igitur alterutrum omittatur, si utrumq; non fiat, aut si indignè sumatur, reatus & peccatum est.*

Sequitur, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Non permissio, sed præceptum hoc est.* Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat: *ergo judicium & pœna est. Hæc Pauli institutionis Christianæ Cœnæ repetitio est: utramque speciem non ex se, sed à Christo, ex adjacentibus consequentibus mandando, comminando, Ecclesiæ universæ*, CUICUNQUE *fratri verbis multis sententiis clarissimis iterum iterumq; commēdat, tanquam Christi Depositum: nec est unius ætatis hæc, sed omniū temporū norma & formula.*

Non jejunos, sed post alios cibos Cœnam Corinthios sumpsisse constat: neque id Paulus improbat. Dicit enim: Quòd si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem veniatis.

Corinthii non jejunè Cœnam sumpserunt.

Ap. Tertull. in prima. in adib. Cœnam plerique celebrarunt: & cur.

Iidem propter illorum temporum gravissimas persecutiones, Cœnam plerumque in privatis ædibus, in cœtu tamen fidelium, & quidem super simplici Mensa celebrarunt, & poculis quæ erant ad manum, & quorum usus erat vulgaris: nihil interim curantes, qua vel figura seu forma, vel materia constarent. Unde etiam Paulus 1.*Cor.*10. *totam Cœnæ actionem* MENSAM *Domini per Synecdochen vocat, non Sacramentum Altaris. Et Clemens primus, ut fertur, post Petrum Episcopus Romanus, in epistola, ad Iacobum Hierosolymitanum bis Mensæ Domini meminit: de Consecrat. dist.*1.*cap. Nemo, &c.*

Lingua autem vernacula & omnibus nota, itemq; clara voce Cœnam & cætera omnia in Ecclesiis peregisse Apostolos, ex tota Paulina disputatione, quæ 1.*Cor.*14.*c. extat, liquidissimè apparet: ibi enim hortatur Corinthios, ut lingua vulgari in Ecclesia loquantur, quo ab omnibus intelligantur. Et inter alia*, Sin, *inquit*, incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellū? Ita & vos, nisi per linguam benè significanté, hoc est, claram & altam, vocem ediderit is, quomodo intelligetur quod dicitis? eritis in aera loquentes. *Sed hac de re paulo pòst plura.*

Apostoli linguā vulgari in Cœna usi sunt.

.CAPVT IV.

Apostolorum sententia de Verbis Christi, HOC EST CORPUS MEUM.

Eandem autem fuisse Apostolorum quoque sententiam de vero sensu verborum Christi, quam suprà exposuimus, operæ pretium erit paucis demonstrare. Nam Apostolos & Evangelistas in verbis Christi Tropum & figuratam locutionem agnovisse, ex eo patet, quod in iis recitandis non iisdem omnino verbis & syllabis omnes insistendum putarunt: sed alii aliis breviores sunt: alii verba quædam mutarunt, aut aliter quàm alii reddiderunt, sicut in iis fieri solet, quæ figuratè dicta, alium quam literalem sensum requirunt. Matthæus enim & Marcus Christum de pane dixisse scribunt: Accipite, edite, hoc est Corpus meum: *nec quicquam præterea addunt. Lucas autem adiicit*: Quod pro vobis datur. *Hanc eandem particulam Paulus quoque aliter reddit, nimirum*: quod pro vobis frangitur. *Priores ergo duo panem simpliciter à Christo corpus suum dictum esse testantur. Sed & Lucas, ne quis in panis symbolo hæreret, ad mortem Christi nos remittit, & hujus corpus pro nobis traditum esse ostendit, ut intelligamus, fructum hujus mysterii non ex actione illa mystica, sed ex*

Apostoli in verbis Christi Tropum agnoverunt. Vide de hoc Capite Zach. Ursini Volumen 1. actationum Theologicarū fol. 449. & seq.

morte pendere, in quam Christus seipsum pro nobis tradidit. Pauli autem verba absque Metonymia exponi non possunt. Nam corpus Christi neque frangi debuisse, neque etiam in cruce fractum esse, Ioannes Evangelista diserte testatur. Paulus ergo ad corpus Christi transfert, quod in ejus symbolo, pane nimirum fit, quando Cœna peragitur, ut ita nos distributionis & communionis admoneat, quâ credentes omnes tam illo quàm bonis ejus omnibus fruuntur. Qui vero fractionis vocabulum ad genus mortis referunt, neque ipsi Tropum omnem effugiunt.

Quod si ad poculi verba veniamus, illic & maior diversitas & Tropi plures occurrunt. Nam Matth. illa sic enunciat: Hic est sanguis meus, qui est Novi Testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. *Marcus cum illo per omnia consentit, nisi quòd postremam particulam omittit. Lucas verò verba ista sic recitat*: Hoc poculum est novum illud Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur. *Paulus idem etiam cum Luca dicit. In his verbis autem, velimus, nolimus, admittere cogimur Tropum.* Primò *enim Poculi voce utuntur, continente nimirum pro contento: quæ Metonymiæ species est.* Deinde, *quod Matth. & Marc. de poculo dicunt*, Hoc est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: *id Paulus & Luc. sic reddunt.* Hoc poculum est novum illud Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur. *Loquuntur hic non de re aliqua invisibili, sed de visibili, quam Christus manu sua gestabat, & discipulis porrigebat. Deinde poculum illud novum Testamentum appellant. Hoc verò novum Testamentum non est corporalis potio sanguinis Christi, nec ullam talem nobis promittit: Sed est reconciliatio, pactum & conventio inter Deum & credentes, quâ promittit nobis Deus, se peccata nobis condonare & vitæ æternæ nos participes reddere velle, per fidem, propter effusum pro nobis sanguinem, nostri vicissim nos obligamus Deo. Hæc mutua consensio, vocatur Testamentum seu fœdus in Christi sanguine, id est, quod nobiscum Deus iniit, & quo reconciliatur nobis propter Filij sui sanguinem, non corporis nostri ore à nobis hausum, sed in cruce pro nobis effusum, modò beneficium hoc vera fide amplectimur. Præterea neque poculum hoc, neq. vinum in poculo, neq. sumptio hujus poculi, neq. ulla ceremonia vel actio aliqua externa propriè novum Testamentum, seu reconciliatio cum Deo per Christum, dici potest: alioquin omnes qui sine usu Cœnæ è vita discedunt, æterno exitio devoverentur, & contra quotquot hoc ritu perfunguntur, æternæ salutis fierent participes. Sequitur ergo, hæc verba non nisi Sacramentaliter posse accipi, videlicet, quòd visibile poculum sit symbolum, pignus & sigillum novi Testamenti, hoc est spiritualiter poti sanguinis Christi.*

Ex aliis denique Pauli locis clarissimè perspicitur, eodem sensu Apostolum verba Christi intellexisse. Nam 1. Cor. 10. *non de pane & vino communi & profano, sed jam sanctificato & consecrato, adeoque in usum mysticum destinato, sic loquitur*: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? *Atqui certissimum est, & facilè ex ipsius Pauli verbis evincitur: κοινωνία, seu communionis nomine, eum nequaquam corporalem, sed Spiritualem corporis & sanguinis manducationem & potionem intelligere. Nam* primò, *Paulus ipse definit eo loco Communionem, de qua loquitur, eam esse, qua unus panis, unum corpus multi fideles simus. Non autem alia ratione unus panis & unum corpus efficimur, nisi quia vera fide & Spiritu sancto in cordibus nostris habitante & operante, ipso Christo pane cælesti sic pascimur, ut omnes insiti corpori ipsius, tanquam capiti & viti; inter nos velut membra & palmites cohæreamus.* Secundò, *si juxta Paulum, panis revera est qui frangitur in Cœna, non est utique panis verum & naturale illud corpus Christi, tametsi corpus sed sacramentaliter dicatur. Nec verò sola accidentia depereunte panis substantia, illic manere possunt: quandoquidem accidentia nulli fractioni sunt obnoxia.* Tertiò, *communionem hanc, de qua loquitur Apostolus, talem esse docet, quæ nullum in iis locum habeat, qui dæmoniorum communione sunt obstricti. Illam igitur intelligit, qua soli credentes per veram fidem Christo coniunguntur: non autem corporalem esum, qui etiam impiis & hypocritis, qui cum dæmoniis communionem habent, possit communis esse. Vnde etiam Chrysostomus & Theophilactus non de alia, quàm de Spirituali communione hæc verba interpretantur. Eodem loco Paulus inquit*: Vnus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus. *Hic de uno pane ex multis granis confecto nos participare dicit Apostolus, ad testandam nimirum corporis mystici unitatem, quæ verissimè in ipsa substantia & non in accidentibus panis repræsentatur. Nam si in verum Christi corpus panis immutaretur, & sola accidentia ejus manerent, non certè id Spiritus sanctus fileret, neque tam salutari & necessaria doctrina nos defraudaret.*

Toties quoque Paulus panem pro corpore nominat, quoties sacræ hujus actionis, sanctiq. hujus instituti mentionem facit. Quod non feciſſet utique, si verba Christi, Hoc est corpus meum, ad literam & ut sonant simpliciter accipiẽda credidisset. Sic enim scribit 1. Cor. 10. c. panis, quem frangimus nónne cómunio corporis Christi est? Quia unus panis, unum corpus multi sumus, Nam omnes ex eodem pane participamus.

Paulus quid per κοινωνίαν intelligat.

Paulus panem corpus Christi nominat.

Et

Et 11.c. Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate. *Item*, Quisquis ederit panem hunc indignè, &c. *Et*: Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat.

Rationes aliæ contra corporalem Christi præsentiam in Cœna ex Apostolorum scriptis. Quid ad has rationes obiicitur, & respondendum earum sit, vide Confutationem Pref. fol. 368. &c.

Aliæ quoque ratio peti potest ex his Apostoli verbis: Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit. *Si venit Christus, & corpore ac sanguine suo realiter præsens est in Cœna, cur Cœnam amplius celebramus? Si non venit, qua ratione dicemus eum corpore & sanguine præsentem esse?*

Præterea, Apostoli omnes in Symbolo suo docent, Christum ascendisse in Cœlum. *Et Angeli Act. 1.c. fatentur*, eundem à nobis in cœlum ascendisse, & ibi mansurum esse, donec redeat ad judicandum vivos & mortuos. *Nondum verò Christus rediit, quia noviss imum illud judicium adhuc exspectatur: Consequitur ergo, corpore eum adhuc in Cœlis esse, ideoque falsum, quod de corporali ipsius præsentia in Cœna docetur.*

Deniq; Chrysostomus quoque docet, Apostolos verba Christi, hoc est corpus meum, *non ad literam, sed tropicè: nec de carnali sed Spirituali manducatione intellexisse: idq; duabus de causis. Prima est*, quòd multa iam & magna de hac re antea differentem audierint Christum, *videlicet Ioannis 6.c. Altera, quòd Dominum ipsum prius ex pane edere, & calice bibere viderint: hoc ipso enim ejus exemplo ab omni carnali imaginatione de corporali aliquo esu, abductos fuisse. Et quidem hoc ipso consilio Dominum illud primùm fecisse dicit. Verba ejus hæc sunt*: Ipse quoque Christus bibit ex eo, ne auditis verbis illi dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. Nam & quando priùs de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur id nunc quoque accideret, primus ipse hoc fecit, ut tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. *Quibus nos tertiam addimus, petitam ex subjecta rei materia, de qua loquutus est Christus, & quæ in sensus Apostolorum incurrit. Christum enim in ultima sua Cœna panem accepturn & in frusta confractum discipulis suis porrexisse manducandum, dicendo*, Hoc est corpus meum, *id quidem omnes sensu eorum indicabant, qui etiam docebant, aliud esse quod ex manibus Christi acciperent, & alium esse Christum, qui illud traderet: ut subitò mysterium & in actione ipsa Christi, & in verbis subesse intelligerent. Neque enim erant tam excordes Apostoli, ut Christum, quem integrum mensæ assidentem, & de morte sua differentem conspicerent, ipsum à pane, quem manducaverunt, non discernerent, unoq; & eodem modo sicut porrectum panem, ita & corpus Christi se manducare crederent. Acceperunt ergo panem, & dentibus comminutum verè comederunt: ut Christum interim & natura sua à pane diversum, & loco ab ipso dissitum, solo mentis & fidei intellectu, non ore nec dentibus edendum judicarent. Naturaliter enim & localiter ad mensam Christum discubuit, idemque semper & ante porrectum, & post consumptum panem ab Apostolis conspectus fuit.*

His addi possunt quæ Paulus docet de indignorum manducatione, ex orthodoxo Consensu pag. 182. item. 183.m.

CAPVT V.

Liturgia Christi & Apostolorum.

CVM *itaque Christus* in discipulorum, suorum cœtu, *qui tum Ecclesia ejus erant* panem acceperit, gratias egerit, fregerit, & discipulis suis distribuerit, dixeritque, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in mei recordationem: Cùm etiam poculum sumpserit, gratias egerit, & discipulis porrexerit, dicendo: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus, qui est novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Discipuli verò non solùm panem fractum acceperint, eumque comederint: poculum item sumpserint, & omnes ex eo biberint, sed etiam ipsi post Ascensionem Christi hunc ritum simpliciter observarint, atque aliis quoque Ecclesiis tradiderint, *sequitur hanc fuisse Liturgiam Christi & Apostolorum, quæ etiamnum hodiè in Cœnæ Dominicæ celebratione retinenda & usurpanda sit. Etiamsi enim vel Angelus de Cœlo aliam nobis tradiderit aut docuerit, præter eam quam Christus instituit, & Apostoli tradiderunt, anathema sit. Gal. 1. Nam si alia forma potuisset excogitari commodior & melior, procul dubio eam Christus instituisset, & Apostoli Ecclesiis commendassent. Sed Paulus ait, 1. Corint. 11.* Quod à Domino accepi, id ipsum & tradidi vobis. *Ministri itaque hodiè est, sumere panem & vinum: gratias agere, fractum panem Ecclesiæ comedendum, & poculum bibendum tradere: addita promissione, panem fractum esse communionem corporis Christi pro nobis in crucem traditi, vinum sanguinis ejusdem pro nobis in cruce effusi. Ecclesiæ est, acceptum panem ex ministri manu sumere, ac edere, & vinum bibere, mortemque Domini annuntiare.*

CAPVT VI.

Inclinatio Rituum & Sanæ Doctrinæ de Cœna Domini Apostolorum temporibus.

ETsi verò seculum illud, & ætas illa in qua Christus & Apostolorum chorus in terris floruerunt, verè aurea fuerit, ac virgopura & incorrupta tum manserit Ecclesia; tamen ut nihil ex omni parte beatum est, ita quoque eo ipso tempore ab iis, quæ Christus in Cœna instituit, & Apostoli fidelissimè tradiderunt, retinuerunt & observarunt, quidam nonnihil aberrare cœperunt.

Capernaiticum error.

Hos inter Capernaïte primum locum meritò obtinent, qui verba Christi de corpore suo manducando carnaliter intelligentes, corpus ejus frustulatim & corporaliter in sacra Cœna edi oportere censebant, ut ex Ioannis 6. cap. intelligitur.

Vide Iezlerum de Diuturnitate belli Eucharistici fol. 7.

Eorum errorem Augustinus in Psalmum 54. primam hæresim facit, quam tamen nullius alterius erroris fontem constituit, utpote qui nondum eas controversias vidisset, quas hæc nostra ætas super sacra Domini Cœna movet. Verba eius hæc sunt de Consecrat. dist. 2. c. 44. Prima quidem, inquit, hæresis in discipulis Christi, velut à duritia ejus sermonis facta est. Cùm enim diceret: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam, Illi non intelligentes dixerunt ad invicem: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? dicentes, quia durus est hic sermo, separaverunt se ab illo: remansit cum duodecim. Discedentibus illis: instruxit eos, qui remanserunt. Spiritus est, inquit, qui vivificat: caro nihil prodest: verba, quæ locutus sum ad vos, spiritus, & vita sunt. Intellexistis spiritualiter? Spiritus, & vita sunt. Intellexistis carnaliter? etiam sic illa Spiritus, & vita sunt; sed tibi non sunt Spiritus, & vita, qui spiritaliter non intelligis. Spiritaliter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritaliter intellectum vivificabit vos, Caro autem non prodest quidquam: sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt; quomodo in cadavere venditur, aut in macello dilaniatur. Sciens autem Iesus ait, hoc vos scandalizat, quia dixi, do vobis carnem meam manducare, & sanguinem meum bibere? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi prius erat? Quid est hoc? Hinc solvit, quod illos movebat: hinc aperit, unde fuerant scandalizati: hinc planè, si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum. Ille autem dixit se ascensurum in Cœlum, utiq; integrum, Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum: vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur mortibus. *Item tract 30. in Ioannem.* Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen hic etiam nobiscum est veritas Dominus: corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse oportet: veritas autem ejus ubiq; diffusa est.

Corinthiorum error in Cœna.

Secundò, viventibus adhuc Apostolis, oculatis Christi testibus, horribilem in Ecclesia Corinthiaca mutationem Cœnæ induxit Satan; & talem quidem, ut non amplius Cœna Dominica dici mereretur, quam illi habebant. De qua sic scribit Paulus 1. Corin. 11. c. Quum conveniris in unum, non Dominicam Cœnam editis. Nam unusquisque propriam Cœnam præoccupat in edendo: & hic quidem ebrius est, ille verò ebrius est. Num domos non habetis ad edendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui nihil habent, *Hoc verò ut rectius intelligamus primitivæ seu veteris Ecclesiæ morem noviße oportet, ex quo profanus iste abusus Cœnæ apud Corinthios enatus fuit. Solebant Iudæi ex instituto Dei gratulatoriis sacrificiis convivia conjungere, ad quæ amicos & vicinos vocabant: & inprimis pauperum rationem illos habere iusserat Deus, si ad hunc modum in ejus conspectu convivari vellent. Sunt etiam nonnulli qui affirmant, quum Agnus Paschalis sumptus fuisset, ut Sacramentum, non tanquam cibum ad satiandum, ideò peractò illius esu inter standum, in Ægyptiacæ servitutis signum, tum alia quoque in illo solenni convivio apposita fuisse, quæ sedentes ederint, in libertatis adeptæ memoriam. Colligunt hoc ex Agno Paschali ultimo, quem Christus cum suis discipulis comedit. In ejus enim descriptione Evangelistæ testantur manifestè, Christum cum discipulis accubuisse: quod non de Agni Paschalis esu intelligendum putant (is enim stando sumi debuit) sed de hoc posteriori convivio. Imitati sunt hunc morem per κατοζήλωσιν Ethnici, ut in festis celebrioribus publica convivia & solennes epulas instituerent, sicut videre est in Libro nostro de Festis Ethnicorum.*

Corinthiorum error non tuli.

Hinc occasionem arripuerunt ex Iudaismo & Ethnicismo ad Christianam religionem conversi homines in primitiva Ecclesia, & ne in lata hac redemptionis per Christum facta commemoratione, quò ad pauperum curam, Iudeis & Gentibus inferiores viderentur, qui inter illos opulentiores erant, domo in publicos cœtus afferebant ad epulas, panem, vinum, pecunias & alia necessaria: ad quas post peractam Cœnam Dominicam tota Ecclesia vocabatur, & in his promiscuè divites cum pauperibus discumbebant: unde hæc etiam

Agapæ Christianorum. Vide Iezleri libellum de Diuturnitate belli Eucharistici fol. 7. b. 8.

etiam convivia vocabant Ἀγάπας, id est, Charitates, tanquam fraternæ charitatis symbola atque tesseras: & fuerunt adhuc in usu Tertulliani tempore, ut ex scriptis eius intelligitur. Habuit ergo res ista initium ex bono zelo, sed apud Corinthios mox in fœdum abusum degeneravit. Opulentiores enim neglecto proprio Cœnæ Dominicæ usu, sub illius prætextu sua sumptosia agebant, & soli cum suis luxuriosè convivabantur, illis interim non sine publica contumelia famescentibus, in quorum gratiam potissimùm Agapæ illæ initio fuerant institutæ. In quo primò reprehendendum fuit, Quòd Christi institutum non simpliciter observarunt, sed ei aliquid addiderunt. Et quum infinitæ aliæ rationes essent subveniendi pauperibus, hanc delegerant, quæ à Christi exemplo alienissima erat: qui quum Cœnam suam instituere vellet, Paschale epulum prius abrogavit, Deinde, quòd ex publica & communi Cœna privatam sibi quisque fingebat: unusquisq; enim eorum pro facultatum suarum ratione, aut animi sui arbitrio Cœnam propriam instituebat, ad quam, quos ipse volebat invitabat: quum Christus unam & eandem mensam suis omnibus communem esse voluerit, & adeò nō distinxerit inter divites & pauperes, ut ne inter seipsum quidem & discipulos, quoad externa symbola, discrimen esse voluerit. Sequebatur ex hoc Corinthiorum factio gula & ventris studium, quod quum in tota vita humana vituperio dignum sit, in sacris execrationem extremam meretur. Erat his conjunctus pauperum contemptus, quos non negligebant modò, sed etiam pudefaciebant, quum vel ipsa Cœna eos hic sui officij admonere posset.

Etsi verò Paulus hos abusus graviter reprehendat in Corinthijs, sicut etiam in alijs, Petrus 2. epistola 2. cap. & Iudas Apostolus, eosque ad primam Sacramenti hujus institutionem revocet, non tamen tanta ejus fuit apud posteros authoritas, quò minus ad Corinthiorum exemplum, multa quidem zelo pio ac bono, inconsulto tamen, instituerent, quæ tandem nocentissimas superstitiones pepererunt, & horribiles simul ac pernitiosas tenebras, ceu nubes, quasdam atras totum cœlum occupantes, in Ecclesiam induxerunt, quemadmodum ex sequentibus manifestissimum fiet.

3. Peregrina lingua in Cœnam introducta.

Tertiò, *non hoc fœdo abusu Cœnæ sacratissimæ contentus Satan, eam insuper peregrinarum & non communium linguarum usu in hac ipsa Corinthiaca Ecclesia corrumpere, depravare & fidelibus inutilem reddere primò tentare illo ipso tempore auſus fuit. Cùm enim Corinthij variis gratijs Spiritus sancti, & nominatim dono linguarum donati, ornatique divinitus essent, in confirmationem Evangelij Iesu Christi inter gentes, illis non ut debebant, ad Ecclesiæ ædificationem, decenter & ordine, sed ad ostentationem coram Ecclesia abutebantur, ita ut lectiones Scripturæ, publicas preces, psalmos, gratiarum actiones, & benedictiones seu Sacramentorum administrationem, lingua idiotis peregrina & ignota tractarent. Per ὑπερβολὴν enim, qua voce Paulus eo loco expresse utitur, recte veteres Eucharistiam & Cœnæ Dominicæ administrationem intellexerunt: & Paulus ipse 1. Cor. 10. inquit.* Poculum benedictionis, quod benedicimus, &c. *Et observatione dignum est, quòd Ambrosius ad cap. 14. prioris epistolæ ad Corinthios annotavit*, illos, *quos Paulus eo loco reprehendit*, fuisse præcipuè ex Iudæis, qui apud homines Græcos, quales Corinthii erant, & alios, in precibus, psalmodijs, lectione Scripturarum & Sacramentorum celebratione, interdum Syra lingua, plerunque Hebraica usi sint, ad commendationem, quòd nimirum lingua antiquissima & sancta sit, qua Deus ipse, Patriarchæ & Prophetæ usi, & vetus Testamentum conscriptum. *Abusum igitur linguarum Apostolus corrigens, & fideles à vanitate ac ostentatione ista retrahens, multis adductis argumentis, peregrinam & incognitam in Ecclesia linguam reprehendit, sive orantis, sive psallentis, sive legentis, sive benedicentis, sive aliud quidpiam ignoto sermone in cœtibus Ecclesiasticis agentis.*

Argumenta Pauli contra linguam in sacris.

Inter alia petit argumentum ab effectu inutili, quòd nimirum Sermo non intellectus non ædificet: quum tamen ædificatio omnium actionum nostrarum scopus debeat esse unicus. Non ædificare autem linguam non intellectam, his verbis docet: Si venero ad vos linguis loquens, hoc est, incognito sermone vobiscum agens, quid vos IVVABO. *Ergo qui incognita lingua utitur, auditores suos nihil* IVVAT, *id est, non ædificat. Hoc probè contra Pontificios observetur. Mox illustrat expositam rationem similitudine, petita primò ab instrumentis musicis:* ea licet ad hoc tantùm fabricata sint, ut sonent, tamen hoc in eis spectatur potissimùm, ut sonos significantes edant: *quantò magis igitur homines significanter sonare, hoc est, loqui debent, maximè verò qui in Ecclesia docent. Secundò, petit similitudinem ab instrumentis bellicis, ut tuba:* quæ si incertum & non intellectum sonum dederit, nemo apparabitur ad bellum: *ita nisi is qui loquitur, lingua vulgari utatur, nemo imperitorum quicquam inde discet. Aliud argumentum ab eodem effectu sumit.* Nisi sciero, *inquit*, vim vocis, tot existentibus in mundo vocum generibus, ero barbarus ei, qui loquitur, & qui loquitur mihi barbarus fuerit: *tantùm abest, vult dicere, ut sermo peregrinus ædificet. Aliud sumit Apostolus ab indecoro:* quia si quis peregrina lingua legit, orat & Sacramenta administrat, idiota & plebeius non potest te-

ſtari ſuum aſſenſum, dicendo, Amen.

Nemo enim poteſt reſpondere ad id, quod non intelligit. Aliam rationem affert, quæ ſumpta eſt ab ipſius exemplo, & illuſtrata collatione impariũm hyperbolica. Magis, *inquit*, quàm vos omnes linguis loquor. Sed in Eccleſia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios inſtituam, quàm decem millia verborum linguâ.

4. Simoniacorum & Menandrianorum nouum error.

Quartò, *Ignatius teſtatur in epiſtola ad Smyrnenſes, de Simonianis & Menandrianis hæreticis*, quòd Euchariſtias & oblationes non admiſerint, eò quòd negarint Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti: *Qui locus citatur ex Ignatij dicta epiſtola à Theodoreto Dialogo 3. ubi tamen hodiè non legitur. Non autem docuerunt hæretici illi, panem in Euchariſtia & vinum eſſe reale & verum, ſeu naturale corpus & ſanguinem Chriſti, hoc enim illo ſeculo nemo aſſeruit, ſed negarunt panem & vinum certa, vera & indubitata eſſe ſymbola, ſigna & pignora veri corporis & ſanguinis Chriſti, quæ tum Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum unanimis & conſtans doctrina fuit: ſicut ex Theodoreto intelligitur, qui hoc pro confeſſo ſumit contra hæreticum Dialogo 2.* Divina myſteria, *hoc eſt*, panem & vinum in Euchariſtia eſſe corporis revera exiſtentis ſymbola: *& propterea ſic argumentatur. Si divina myſteria ſunt corporis revera exiſtentis ſymbola, tum ſequitur, corpus etiam nunc eſſe Domini verum. Hoc autem propterea negarunt, & Euchariſtias ac oblationes omninò non admiſerunt, quòd inter cætera doctrinæ ſuæ capita hoc etiam unum fuit, Chriſtum non habuiſſe veram carnem, imò prorsùs non veniſſe eum in carnem, ſed ſe, hoc eſt, Simonem fuiſſe Chriſtum, qui non verè, ſed imaginariè tantùm paſſus ſit: quod poſtea Menander de ſe iactavit. Vt igitur facilius hoc ſuum impium dogma contra orthodoxos defendere poſſent, Euchariſtiam quoque, & in ea ſymbola veri corporis Chriſti repudiarunt. Quod in Bellarmini Ieſuitæ gratiam dico, qui lib. 1. de Euchariſtia cap. 1. putat*, iſtos hæreticos, cum orthodoxis noſtri temporis, *quos ille odioſè Calviniſtas & Zuinglianos perpetuò appellare ſolet*, realem ſolummodò præſentiam in Cœna corporis Chriſti negaſſe: *quum illi Euchariſtiam omninò repudiarint ne veritatem carnis Chriſti, propter ſymbola Euchariſtica fateri cogerentur. Dato enim ſymbolo, vel ſigno & figura corporis, datur quoque corpus verum: quum figura & veritas ſint correlata, quorum relatio eſt figurare & figurari. At in Euchariſtia panis eſt figura corporis Chriſti: ergo Chriſtus verum corpus habet. Contra, phantaſma figuram non recipit. Hoc urgebat iſtos hæreticos; & propterea repudiabant Euchariſtias. Vt de hoc nihil dicam, quòd Euſebius lib. 3. cap. 36. de hac epiſtola Ignatij loquens*: Hîc Ignatius, *inquit*, cùm Smyrnæis ſcriberet, verbis neſcio unde ſumptis uſus eſt. *Et Hieronymus lib. 3. Dialog. contra Pelagianos, hanc epiſtolam in dubium vocat, cùm inquit*: Eius teſtimoniis ſi non uteris ad authoritatem, utere ſaltem ad antiquitatem. *Ideoque Abbas Spanheymenſis, eam velut incertæ fidei omiſit, nec accenſuit aliis epiſtolis, quæ ab Ignatio ſcripta perhibentur.*

Ex his parvis initijs videmus, tantam fuiſſe Satanæ improbitatem & audaciam, ut iam tum primo illo ſeculo, viventibus adhuc Apoſtolis, magis huic Sacramento, quàm Baptiſmo inſidiari auſus ſit, & homines à prima illa forma ſenſim abduxerit, donec illam poſterioribus ætatibus penitus obſcurarit. Cur autem huic potius Sacramento, quàm Baptiſmo, inſidiatus ſit diabolus non dubijs coniecturis colligi poteſt. Primum enim occaſionem faciliorem, & magis pervium ad idololatriam & omnis generis errores ac ſuperſtitiones hinc, quàm ex Baptiſmo nancifci ſe poſſe perſpexit. Deinde ſalutihominum ſic plus officere ſe poſſe, hoc Sacramento adulterato & corrupto, exiſtimavit. Eſt enim hoc Sacramentũ ideò peculiariter inſtitutum, ut per id arctius Chriſto incorporemur, & ab eo vitam continuo tenore hauriamus, multaq; charitate inter nos ſub uno capite Chriſto eò tenacius conglutinemur. Itaque nihil eſt ei magis quàm hoc veluti glutinum noſtræ cum noſtro capite unitionis inviſum & moleſtum. Has ob cauſas ſubinde hoc Cœnæ Sacramentum veterator iſte corrumpere tentavit. Id verò quando, per quos & quibus occaſionibus attentarit, ac tandem obtinuerit, in ſequentibus ordine, & quàm poſſum brevìſſimè exponam.

Cur Satan magis Cœnæ, quàm Baptiſmi ſacramento inſidietur.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Ritibus & Ceremoniis Cœnæ Dominicæ in pleriſque Aſiæ, Africæ, & Europæ Eccleſiis, excepta Romana, à temporibus Apoſtolorum: Hoc eſt, ab anno Domini 100. uſque ad annum 600. ejuſdem.

Verba & Ritus in Cœna audiendi, &c.

POST *Chriſti & Apoſtolorum tempora, manſit quidem aliquandiu ſimplicitas illa Ceremoniarum & Rituum in Cœnæ Dominicæ adminiſtratione, de qua capite primo diximus, quæque expreſſum Chriſti Servatoris mandatum & exemplum habet. Paulatim verò quædam ſuperaddi cœperunt, conſilio primùm nec pravo, nec impio: ſed ut externis illis ceremoniis ac ritibus, fidelibus, præſertim rudioribus in Eccleſia, maieſtas ac dignitas ſacratiſſimæ Cœnæ magis commendaretur, & à contemptu vindicaretur: utque virtus operatio & uſus Cœnæ, in ipſa actione luculentius explicaretur, & clarius ob oculos poneretur. Hanc ob cauſam non tantùm verborum, ſed rituum etiam additiones factæ ſunt. Inſtitutæ enim ſunt variæ exhortationes, preces, gratiarum actiones, lectiones ex ſacra Scriptura, & ſimilia, quibus doctrina de fructu & efficacia Cœnæ explicaretur: utque hæc tenacius ſenſibus & animis imprimerentur, & corda hominum fortius moverent, certi quidam ritus & geſtus illis ſuperaddi cœperunt. Quæ omnia, ut non omninò damnamus, ſic etiam nec illud probare poſſumus, quod Pontificij ſentiunt ac docent, ſine his ſupercradditis Ceremonijs ac Ritibus, nec veritatem, nec dignitatem, nec efficaciam Cœnæ conſiſtere poſſe. Illud verò dicimus, & legentes hiſtorias ac veterum ſcripta volutantes facile deprehendunt, tales ritus & ceremonias in primitiva Eccleſia liberæ obſervationis fuiſſe: neq; enim ubiq; ijdem & ſimiles fuerunt, nec una Eccleſia alias ad ſuorum rituum obſervationem cogebat: & hac libertate boni ac utiles ritus veteris Eccleſiæ etiamnùm hodiè probari, retineri ac obſervari poſſent. Deinde affirmamus, illorum rituum ab initio mirandam fuiſſe parcitatem, paulatim verò cumulari cœperunt, donec in immenſum excreverunt, quod in ſequentibus referemus, unà cum erroribus, qui ſimul cum illis ritibus in Cœnam Dominicam irrepſerunt, eodem ordine ac methodo, quam priore capite obſervavimus.*

De Adminiſtrantibus Cœnam Dominicam.

Qui Cœnam in primitiva Eccleſia celebrarint.

QVemadmodum *Chriſtus ſummus Eccleſiæ ſuæ Paſtor Cœnam primam non tantum inſtituit, verumetiam diſcipulis ſuis adminiſtravit & diſtribuit: diſcipuli verò, quos Chriſtus Apoſtolos & miniſtros Eccleſiæ ſuæ ordinaverat, toti fidelium cœtui diſpenſarunt, ſic etiam in primitiva Eccleſia non cujuſvis erat Cœnam Dominicam adminiſtrare, ſed ejus tantùm, cui hoc muneris concreditum erat, & qui legitimè ad hoc vocatus fuerat, ut prædicatione Evangelij, & diſpenſatione Sacramentorum Chriſto Domino ſerviret. Apparet enim ex Nazianzeni Oratione ſuper funere Patris, & Ambroſij lib. 4. de Sacramentis cap. 5. eo tempore ſolos Sacerdotes huic actioni præfuiſſe. Ac diſertè epiſtola Synodi Alexandrinæ apud Athanaſium, Apologia nimirum 2. teſtatur:* Sanguinem Chriſti nemini propinare, niſi ſolis legitimis Eccleſiæ præſidibus, licere. *Et Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. ſcribit,* Sacerdotes ſacrificare. *Sic Queſt. 101. veteris & novi Teſtamenti dicit,* in Alexandria & per Ægyptum totam, ſi Epiſcopus deſit, Presbyterum conſecrare. *Tertullianus quoq; lib. de Exhortatione Caſtitatis, fatetur,* officium Sacerdotis eſſe docere, tingere & offerre. *Et Epiphanius hæreſ. 79. multis verbis contendit, Chriſtum non mulieribus, imò ne Matri quidem ſuæ permiſiſſe, ut ſacrificarent, ſed ſolis Apoſtolis, quos Doctores Eccleſiæ ordinaverat. Cumq; poſt Apoſtolorum tempora hæretici turmatim erumperent, & ſynceræ Apoſtolorum doctrinæ impudenter contradicerent, Ignatius, unus ex ſenioribus cùm Antiochia Romam captivus traheretur, beſtijs obijciendus, fideli ac ſolliciti paſtoris officio fungens, in itinere multas Eccleſias tam viva voce, quàm epiſtolis confirmavit, admonuitque ut ab hæreticis & clandeſtinis ſeductoribus caverent, qui clam, inſciis Epiſcopis, hoc eſt, legitimis paſtoribus (tunc temporis enim Epiſcopi nondum erant principes, ſed pauperes miniſtri) ſeſe inſinuantes, ſimplicem plebeculam ſeducebant, & privata cogebant conventicula. Inter cætera autem Smyrnenſes quoq; adhortatus:* Non licet, *inquit,* ſine Epiſcopo neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque aliquod aliud publicum officium obire. *Et in epiſt. ad Trallianos dicit,* Infideli deteriorem eſſe, qui audeat aliquid circa altaris miniſterium facere, niſi Epiſcopus aut Presbyter fuerit, *Hùc*

facit & illud Cypriani lib.1. epist. 2. & 9.& lib. 3. epist. 25. docemus ; non posse Eucharistiam conficere nisi Sacerdotes. *Idem etiam D.Hieronymus aliquot in locis affirmat. Theodoretus lib. 4. historiæ , cap. 12. scribit* ; quum Valens Imp.omnes passim Sacerdotes è suis sedibus exturbaret , zelo Dei motum Eusebium Samosatenum militari habitu illa loca omnia peragrasse, & clam variis in locis Presbyteros & Diaconos ordinasse , ut populi Sacramentis non carerent. *Sumus quidem omnes ob unctionem Baptismi Sacerdotes : sed non omnes mysteriorum Dei Dispensatores sumus , nisi per manus impositionem Presbyterii. Neque ergo baptizare , neque in Cœna panem & vinum benedicere aut distribuere , nisi iis licet,quibus ab Ecclesia potestas hæc concessa est. Non igitur illorum sententiam veteres probarunt , qua docent, quemlibet Christianum ex Baptismo consecrandi Eucharistiam habere potestatem. Damnassent quoque illorum verba , quibus contendunt*, Sacramentum verum futurum,etiamsi à Diabolo conficeretur. *Nam Sacramenta, in seipsis considerata , sunt quidem Sacramenta, à quocunque tandem administrentur: Non enim merito consecrantis,sed verbo creatoris,& virtute Spiritus sancti efficiuntur, ipso quoque Lombardo teste lib.4.Sentent.dist.13 quemadmodum & ipsum verbum authoritatem suam non à ministri qualitate habet, sed ab institutione , veritate & potestate Dei : In quam sententiam Chrysostomus quoque dicit* , Sacra illa oblatio , sive eam Petrus, sive illâ Paulus,sive cujusvis meriti Sacerdos offerat , eadem est , quam dedit Christus ipse discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus : Cur id ? quia non hanc sanctificant homines , sed Christus, qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba eadem sunt , ita & oblatio eadem est , eademque Baptismi ratio est,adeò omnia in fide consistunt.Et hæc igitur Christi corpus , & illa est, qui autem hoc illo minus habere putat, ignorat Christum esse,qui nunc etiam adest & operatur. *Nihilominus tamen plurimùm refert, ut administratio Sacramentorum efficax sit, per quos & quales dispensentur. Nec mihi persuaserit aliquis,plebem Domini perinde diaboli ministerio affici, seu etiam hominis vani,reprobi & scelerati,cujus animum & vitam iis , quæ dicit & facit in Ecclesia, non respondere videt : atque hominis fidelis , quem zelum Domini corde , ore & omni vita spirare videt.*

In Neocæsariensi Synodo , tempore Melchiadis Papæ,circa annos Domini 310. *habita , decretum fuit Cap.* 13. Presbyteros , qui corregionales sunt , in Ecclesia præsentibus Episcopis vel presbyteris civitatis , offerre non posse , nec dare panem sanctificatum,nec calicem porrigere.Quod si absentes sint civitatis Sacerdotes,& fuerint invitati ad dandam orationem,solos dare debere.

Diaconis licuit etiam in absentia Presbyterorum Canam celebrare.

Diaconis *etiam in primitiva Ecclesia Eucharistiam consecrare in absentia Presbyterorum licitum fuisse, ex Ambrosio liquet,qui lib.*1. *Offic.cap.*41.*de Laurentio Diacono narrat,quod Sixtum Rom. Episcopum sic allocutus sit , quum ad supplicium duceretur* : Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui consecrationem sanguinis Dominici commiseris. *Et Iustinianus in Authent.*Episcopus,*inquit*,mulieribus sibi subiectis , ejusmodi Presbyterum aut Diaconum præficiat , qualem ipsæ elegerint , qui eis respondeat , aut sacram oblationem eis ministret *Ruffinus etiam Canonem* 18. *Niceni Concilij sic recitat* : Ne Diaconi Presbyteris præferantur, neve in consessu Presbyterorum sedeant : aut illis præsentibus Eucharistiam dividant, sed illis agentibus solùm ministrent. Si verò Presbyter nullus sit in præsenti , tum demùm etiam illis dividere licet. *Canon igitur hic , sicut & alij,in Tomis Conciliorum est depravatus. Eos autem quos Ruffinus descripsit esse veros & authenticos , Cyrillus in epistola ad Concilium Carthaginense testatur. In Synodo quoque Ancyrana, quæ ante Nicenam celebrata est , sancitum legimus in hunc modum :* Diaconi , qui immolaverunt (*nimirum in persecutione*) honorem quidem habeant : cessare verò debent ab omni sacro ministerio,sive à pane, sive à calice offerendo,vel prædicando. *Illo ergò adhuc tempore, Diaconi Eucharistiam administrabant. Refert etiam Theodoretus , ut supra quoque annotavimus lib.*4. *historiæ , cap.* 12. quum Valens Imp. Arrianus omnes Sacerdotes suis sedibus ejiceret , Eusebium Episcopum Samosatenum militari habitu omnia illa loca percurrisse , & clam Presbyteros & Diaconos ordinasse , ne plebs sacramentis careret.

*Hæc autem Diaconorum partes postea multa decreta resciderunt & antiquarunt. Nam in Concilio Arelatensi apud Gallos celebrato , constituitur, ne Diaconi omninò Sacramentum administrent. Verba sic habent cap.*15. De Diaconis , quos cognovimus multis locis offerre, placuit id minimè fieri debere. *In Concilio etiam Laodiceno cap.* 25. *sancitur*, Ne Diaconus panem det ; aut calicem benedicat: *dist.* 93. *Non oportet. Vbi tamen notandum, in Græco esse nomen ὑποδιάκονος , quod Dionysius Subdiaconum vertit : & sic etiam in Aquisgranensi synodo legitur. Hieronymus in lib. contra Lucifer ianos docet*, Hilarium quendam , quia solùm Diaconus erat , Eucharistiam non potuisse consecrare. *Et Epistola* 1. *ad Heliodorum*,

rum, semque epist. 85. *ad Evagrium, hoc potissimum argumento Diaconorum quorundam superbiam retundit, & Presbyteris longe inferiores esse demonstrat*, quòd non habeant potestatem conficiendi Eucharistiam, sicut Presbyteri.

De Communione Laica.

QVOD *si in primitiva Ecclesia Episcopus, Presbyter, Sacerdos, Diaconus vel alius Clericus in hæresin incidisset, & cum hæreticis commercium vel consuetudinem aliquam habuisset, aut ex metu vel in gratiam hominum idolis sacrificasset, aut etiam officio suo negligenter functus esset, aut crimen aliquod turpe commisisset, non solum officio suo privatus est: id quod posterior ætas* Degradationem *nominavit; sed pro delicti qualitate nonnunquam ad certum tempus, interdum etiam prorsus à communione exclusus atque reiectus fuit. Nonnunquam ea tantùm quæ* λειτουργίαν *seu administrationem officii spectabant, ei interdicta fuerunt: sed tamen ad Sacramentum Cœnæ cum cæteris Laicis admissus fuit, donec vera ejus ac seria pœnitentia explorata esset. Et hanc Clericorum Communionem vocarunt* Laicam. *Ea nihil aliud erat, quàm quod Clerici lapsi, & iterum conversi, aliquandiu, vel etiam perpetuò ab officio ministerii suspendebantur, nec eis tunc Eucharistiam administrare licebat, eamque aliis porrigere & distribuere: sed eam tantùm accipere; non quidem inter Clericos, sed post eos cum Laicis, & in alio loco, ubi Laici communicabant. Verissima hæc esse ex iis exemplis & testimoniis, quæ de hac consuetudine in veteri Ecclesia historia extant, intelligemus. Cyprianus libro secundo Epistola ad Stephanum ita scribit:* Addimus plane & adiungimus, frater charissime, consensu & authoritate communi, ut etiamsi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica priùs ordinati fuerint, & postmodum perfidi aut rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à Pseudoepiscopis & Antichristis cótra Christi dispositionem prophana ordinatione promoti sunt, & contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent Laici & satis habeant, quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint, &c. *Quibus verbis Cyprianus nihil aliud significat, quàm Sacerdotes post lapsum conversos, non debere amplius Sacramentum consecrare, & aliis distribuere, sed Laicorum more à legitimis Sacerdotibus accipere. Et rationem hujus Constitutionis mox subjicit:* Oportet enim Sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse.

Eusebius lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. Novatus, *inquit*, tribus Episcopis simplicissimis hominibus, & omnium ignaris, de remota Italiæ parte adhibitis, imò potius subtili ab eo circumventione deceptis, imaginariam magis quàm legitimam ab his manus impositionem extorquet. Ex quibus tamen unus continuò ad Ecclesiam redit, peccatum suum confessus, & in communionem laicam populo pro hoc etiam interveniente susceptus est. In locum verò reliquorum Episcoporum duorum, alii ordinati sunt. *Syricius in Epistola* 1. c. 11. *in hunc modum scribit:* Quisquis Clericus aut viduam, aut secundam conjugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur, Laica sibi tantùm communione concessa. *Habetur idem etiam dist.* 84. *Et Innocentius Papa epistola* 22. *sic scribit:* Lex est Ecclesiæ de his, qui ab hæreticis baptizati sunt, per manus impositionem, Laicam tantùm communionem præbere, nec ex his aliquem in clericatus honore vel exiguo subrogare, &c. 1. *q.* 1. *cap. Cum ergò. In Eliberino Concilio Cap.* 76. *sic decernitur:* Si quis Diaconum se ordinare permiserit, & postea in crimine mortis detectus fuerit, quod aliquandò commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit, eum acta legitima pœnitentia, post triennium communionem accipere. Quòd si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, communionem Laicam debere accipere. *Hujus quoque communionis in Sardicensi Synodo Ca.* 1. *& 2. mentio fit. Can.* 1. *sic habet:* Ne cui liceat Episcopo, de sua civitate ad aliam transire: Nec Laicam communionem habeat, qui talis est. *Can.* 2. Qui avaritiæ ardore inflammati, & ambitioni servientes, & ut dominationem agant, à civitate ad aliam transeunt, nec Laicam communionem in fine accipiant. *In Concilio Carthaginensi sic præcipitur:* Si quis de alterius monasterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterii constituere: Episcopus, qui hoc fecerit, à cæterorum communione sejunctus, suæ tantùm plebis communione contentus sit: & ille neque clericus, neque præpositus perseveret. *Vide etiam dist.* 58. *Concilii Agathensis* 1. *c.* 5. *sic habet:* Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. 13. *q.* 2. *Et Can.* 34. Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in monaste-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

monaſterium retrudatur, & ibi, quandiu vixerit, Laicam tantummodo communionem accipiat. *Ejuſdem communionis Felix 3. epiſtola 1. cap. 2. meminit.*

Laica communio quæ.

Ex his & aliis exemplis ac teſtimoniis Bellarminus lib. 4. cap. 24. de Euchariſtia, probare conatur diſcrimen inter talem Sacerdotum & Laicorum communionem, ut videlicet Laicorum communio unam tantùm ſpeciem Sacramenti, Sacerdotum autem utramque habuerit. Sed hujus rei, in omnibus adductis exemplis ac teſtimoniis, nulla prorſus mentio fit. Et per Laicam communionem iſtis exemplis & teſtimoniis perceptionem unius tantùm ſpeciei non intelligendum eſſe, ex eo manifeſtiſſimè liquet, quòd illis temporibus utraque ſpecies Laicis data eſt: & quidem degradatis, ut vocant, etiam Clericis, & ad Laicam communionem ablegatis, ut ex cap. Accedens diſt. 50. intelligitur.

Hæc adeò manifeſta ſunt, ut nonnulli ex ipſis Pontificiis, velut Gloſſator Gratiani, Vincelius, Tapperus & Lindanus, agnoverint ac faſti ſint, Laicam communionem apud Veteres non intelligendam eſſe de alio quodam communionis genere, ſed de alio, quàm ſub utraq; ſpecie, gradu, ordine & loco tantùm communionis: *hoc eſt*, ut Clerici degradati, partim cum Laicis poſt alios Clericos, nec intra ſacrarium, ſed extra eum locum: partim autem, tanquam perſonæ privatæ in vulgo, non autem ut perſonæ publicæ, ſicut antea, communione uterentur. *Neque pœna hæc Clericis tantùm conſecrantibus, ſed etiam adminiſtrantibus, veluti Diaconis, & aliis inferioribus, infligebatur. Gloſſa Gratiani ad 11. q. 7. Convenientibus, dicit:* Ex hac autoritate datur intelligi, quòd, qui ab unitate Catholicæ fidei in hæreticorum ſocietatem tranſierit, ut de manibus eorum Eccleſiaſticæ dignitatis Sacramenta percipiat, vel qui contemptis orthodoxis, ab hæreticis ordinari deſideraverit, & poſtea ſuæ abrenuncians hæreſi ad Eccleſiam redierit, officio tamen accepto fungi non poterit. *Autoritate verò Cypriani* prohibentur ab adminiſtratione Eccleſiaſtica, qui intra Catholicam Eccleſiam ordinati ad fidei impugnationem dilabuntur. *Hîc expreſſe dicitur, Laicam communionem pœnitentium Sacerdotum nihil aliud eſſe, quàm prohibitionem ab adminiſtratione Eccleſiaſtica. Vvcelius, quamvis propugnator Miſſæ acerrimus, tamen in libello, cui titulus,* Typus Eccleſiæ prioris, *affirmat*, Laicam communionem in epiſtolis Cypriani nihil aliud eſſe, quàm quòd Trophimus ſacerdos cum Laicis communicare, nec ipſe pro jure Sacerdotum celebrare debuerit, quia Apoſtata erat. *Loquitur autem Vvcelius de epiſtola 2. libri 4. Cypriani, in qua hæc ſcripta leguntur:* Tractatu illo cum collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus & reſtituta multorum ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet. *Nihil itaque Bellarminus dicit, cùm obiicit de Felice 3.* qui conceſſit, Clericis quibuſdam communionem Laicam dandam in mortis articulo: *& ex Concilio Sardicenſi, quod præcipit,* ne tum quidem dandam ob quædam crimina graviora. *Etſi enim in privato cubiculo apud ægrotos nulla diſtinctio notari potuerit vel loci, vel temporis inter Clericos & Laicos: diſcrimen tamen & reſpectus perſonarum habitus fuit, quum hujuſmodi ægrotis Clericis, non ut Clericis, & publicis, ſed tanquam Laicis & privatis perſonis Euchariſtia data fuerit.*

Miniſtros autem jejunos ſacram Cœnam celebrare debere, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur, Carthaginen. 3. Synodus circa tempora Syricii Papæ decrevit: de conſec. diſt. 1. c. Sacramenta. Et in Matiſconen. 2. ſynodo præcipitur, ne Presbyter confertus cibo, aut ebrius ſacrificia contrectet, aut Miſſas privatis feſtiſque diebus celebret: injuſtum enim eſſe, ut ſpirituali alimento corporale præponatur: qui contrà fecerit, deponi jubetur. *Ac in Concilio Toletano 7. cap. 2.* Pœna excommunicationis ei intentatur, qui ſumptum cibum quamlibet exiguum, Miſſam celebrare audet. *In Salegunſtadienſi Synodo anno 1023. habita, decretum fuit,* ut Presbyter poſt galli cantum æſtivis noctibus bibens, proximo die Miſſam non celebret: hyemalibus ſimiliter, niſi neceſſitas cogat. *In Bracarenſi 1. ſancitur,* Si quis Presbyter non jejunus, ſed quocunque cibo præſumpto, oblationem conſecraverit in altari, continuò ab officio ſuo privatus, à proprio deponatur Epiſcopo: *Cap. 10. Confirmantur hæc in Conſtantienſi Synodo Seſſ. 13. In Conſtantinopolitano quoque Concilio 6. Carthaginenſis Synodi Canon, ejuſque exceptio abrogatur, & ſic præcipitur:* Carthaginenſis Synodi Canon dicit, ut ſancta altaris non niſi à ſobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur: tunc fortaſſe propter aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles Patribus hac diſpenſatione uſis. Cùm nihil ergo nos inducat, ut accuratam diligentiam relinquamus, ſtatuimus Apoſtolicas ac paternas traditiones ſequentes, non oportere in Quadrageſimæ poſttema ſeptimana quinta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere. *Hoc etiam diu ante, anno videlicet Chriſti 368. in Laodiceno Concilio conſtitutum*

Miniſtri jejunis Cœnam celebrare debuerint

conſtitutum fuit. De qua, non dicam litè, ſed diverſitate rectiſſimè Auguſtinus epiſt. 118. ſic ſcripſit : Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini. Honeſtius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, poſt refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem poſſit occurrere. Quamobrem neminem cogimus Dominica illa Cœna prandere : ſed nulli etiam contradicere audemus : hoc tamen non arbitror inſtitutum, niſi quia plures & propè omnes in pleriſque locis eo die cœnare conſueverunt.

Tandem eò ſuperſtitionis deventum eſt, ut in libro de Cautelis Miſſæ, & à Petro de Lapide in Reſolut. dubiorum, præcipiatur, diligenter cavendum, ne quam aquæ guttulam, os colluendo, ſimul cum ſaliva forbeat Sacerdos. Si quam verò non de induſtria, ſed fortuitò & imprudens, nec tamen magna copia abſorpſerit, à ſacra ara propterea eum non amovendum. Qui autem data opera ciborum reliquias, quæ dentibus retentæ inhæſerint, tranſglutierit : vel os colluendo guttulam aquæ abſorpſerit, eum pro jejuno non habendum, *Hypocritæ rectè de Vobis Chriſtus dixit, quòd excoletis culicem, & deglutiatis camelum : Matth. 23.*

Lingua vulgari ac omnibus nota: itemque clara voce Miniſtros Cœnam in Primitiva Eccleſia celebraſſe.

Exemplum Chriſti, & doctrinam Pauli primitiva Eccleſia magno conſenſu diligentiſſimè obſervavit, utens in ſacris ſuis ea lingua, quæ ſingulis in locis vel popularis & communis fuit, vel ad minimùm à tota Eccleſia intellecta : qualis Latina Linguæ ratio fuit in Africa Auguſtini ætate. Teſtatur enim Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 5. Divinam Scripturam per varias interpretum linguas longè latéque diffuſam innotuiſſe. *Et Chryſoſtomus ſcribit homil. 1. in Ioan.* Syros, Ægyptios, Indos, Perſas, Æthiopas & alias innumeras gentes dogmata divina in ſuam linguam tranſtuliſſe, atque ita homines barbaros philoſophari didiciſſe. *Adſtipulatur huc etiam Theodoretus, qui lib. 5. de corrigendis Græcorum affectibus ſic ſcribit :* Hebraici Libri non tantùm in Græcum ſermonem converſi ſunt, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiacam, Perſicam, Indicam, Armenicam, Scythicam, atque adeo Sauromaticam, & ut ſemel dicam in omnes linguas converſi ſunt, quibus nationes ad hunc uſque diem utuntur.

Quæque de tranſlatione & ſacrarum literarum lectione dicimus, ea quoque de precibus Eccleſiaſticis, deque benedictione & pſalmodia intelligenda ſunt. Vnde Origenes lib. 8. contra Celſum, Græci, *inquit*, Græcè Deum nominant, & Latinè Romani : & ſinguli item nativa & vernacula lingua Deum precantur, & laudibus pro ſe quiſque extollit. Ille enim, qui eſt linguarum omnium Dominus, audit quavis lingua orantes, idque non ſecus, quàm ſi unam vocem exciperet è variis linguis expreſſam. Deus enim quum machinæ univerſæ præſit, non eſt quaſi unus aliquis, qui Linguam vel Græcam, vel Barbaram ſortitus ſit, ut cæteras neſciat. *Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. dicit.* In Orationibus veluti unam vocem communem habent, & unam mentem. *Baſilius in epiſtola ad Clericos Neocæſarienſes, exponens quomodo populus in templo noctu conveniret, pſallere & unà orare ſoleret, ſic in fine ſcribit.* Tanquam ab uno ore, & ab uno corde confeſſionis Pſalmum offerunt Domino, & verba pœnitentiæ eorum quiſque propriè ſibi adſcribit. *Ex quo intelligimus, populum Baſilii tempore unà ceciniſſe, & quid caneret intellexiſſe. Ne verò quis putaret, hoc in una tantùm Eccleſia ſic obſervatum fuiſſe, ſtatim ſubjungit :* Horum gratia ſi nos fugietis, fugietis etiam Ægyptios, & utroſque Lybias, & Thebanos, & Palæſtinos, & Arabas, & Phœnices, & eos qui ad Euphratem incolunt, & in univerſum omnes, quibus vigiliæ, & orationes, & communes Pſalmodiæ in honore habentur. *Chryſoſtomus in 2. Cor. homil. 18.* Non modò, *inquit*, Sacerdos gratias agit Deo, ſed populus etiam totus. Quid autem miraris, quando Sacerdorem & populum in precibus colloquentes vides ? *In Epiſtola Paulæ & Euſtochii ad Marcellam apud Hieronymum legimus*, Hieroſolymis concurſum tum fuiſſe omnium gentium : Gallorum, Britannorum, Armeniorum, Indorum, Ægyptiorum, Æthiopum ; eoſque omnes ſolitos fuiſſe in ſua lingua Deo pſallere, & tot penè fuiſſe pſallentium choros, quot gentium diverſitates ; voce diſſona, etſi una eademque religione. *Cúmque Ambroſii tempore Diabolus attentaret Græca lingua apud Latinos, quod conatus fuit perficere Pauli tempore Hebræa lingua apud Græcos, graviſſimè error ille ab Ambroſio reprehenſus fuit : ita ut tum quoque conatus ejus irritus fuerit. Scribit enim in 1. Cor. 14.* quòd quidam Latini homines ſoliti ſint ſua ætate Græcè cantare, oblectati ſono verborum, quum tamen quæ dicerent, nec ipſimet, nec alii intelligerent. *Iſidorus etiam de*

Eccleſ.

Eccles. Offic. cap. 10. Oportet, *inquit*, ut quandò psallitur, ab omnibus psallatur: & quum oratur, ut ab omnibus oretur: quumque lectio legitur, facto silentio æquè à cunctis audiatur.

Eodem modo lingua vulgari & omnibus nota Sacramenta etiam & alia sacra publica in primitiva Ecclesia administrata fuerunt. Colligitur hoc etiam apertissimè ex eo, quòd in primitiva Ecclesia non Chorus Clericorum, sed Clerici & Laici simul, preces in sacris publicis confirmabant voce, Amen. *Deinde, quòd in celebratione Cœnæ ad Salutationem illam Sacerdotis*, Dominus vobiscum, *totus populus acclamabat*, Et cum Spiritu tuo. *Similiter ad exhortationem illam*, Sursum corda, *universus cœtus respondebat*, Habemus ad Dominum. *Unde Chrysostomus in* 2. *Corinth. homil.* 18. Sacerdos, *inquit*, in sacra Liturgia populum alloquitur, & populus Sacerdotem. *Rursus ibidem*: Non modò Sacerdos gratias agit Deo, sed populus etiam totus. *Item*: Sacerdos & populus in sacra Liturgia colloquuntur. Sacerdos ait, Dominus vobiscum: populus respondet, Et cum Spiritu tuo. *Idem Pater in* 1. *Corint. homil.* 35. *sic scribit*: Si tu benedixeris spiritu, id est, si tu peregrina lingua gratias agis; quam nec ipse intelligas, nec cæteris interpretetis, plebeius non potest subiicere, Amen? *Ambrosius in* 1. *Cor.* 14. Imperitus, *ait*, audiens, quod non intelligit, nescit finem orationis & non respondet, Amen, id est, Sit verum, ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent, Amen, ut omnia dicta veri testimonio in mentibus audientium confirmentur. *Augustinus inquit*: Quamobrem Sacerdos vocem extollit, alteque precatur in Ecclesia? Non ut Deus, sed ut populus illum exaudiat: quo ipsius audita voce, & mente percepta admoneatur, & consensione quadam conjungatur, atque ad Deum excitetur. *Et lib. de Catechizandis rud. cap.* 9. *dicit*, Populum debere id omninò intelligere, ad quod dicere debet, Amen.

Recte igitur Lyranus & Thomas Aquinas in 1. *Corinth.* 18. *cap. fatentur*, in primitiva Ecclesia benedictiones &, cætera officia communia vulgata lingua celebrata fuisse: *scribitque Lyranus apertè*, populum, si intelligat orationem seu benedictionem Sacerdotis, melius reduci in Deum, & devotius respondere, Amen. *Durandus etiam lib.* 4. *capite* 1. *tradit*, Hebræos baptizatos divina mysteria Hebraicè celebrasse. *Et Eccius in Locis communibus fatetur*, Indos rem divinam sua lingua fecisse. *Græci quoque etiamnum hodie, non alia lingua, quam Græca, sacra sua perficiunt. In vetustissima quoque Ecclesia verba Consecrationis alta voce pronuntiata fuisse, apertissimè constat ex Chrysostomi Liturgia, & concedit ipsemet Bellarminus, affirmatq; Bessarion Cardinalis in libro de verbis Cœnæ, & Hermannus Gigas in Floribus temporum.*

De Symbolis vel Signis externis, fidelibus in Cœnæ celebratione distributis & datis.

Panis & Vinum in Cœna ex oblationibus fidelium sumpta.

Symbola vel signa in externo & ceremoniali ritu Sacrosanctæ Cœnæ Domini nostri Iesu Christi fidelibus distributa in primitiva Ecclesia, PANIS & VINUM fuerunt. Constat autem ex Patrum vetustissimorum scriptis, veteres Christianos in cœtus publicos panem, vinum, aliaq; hujusmodi dona, domo quemq; sua ad sublevationem ac sustentationem pauperum attulisse; & in mensa templi obtulisse. Ista verò fidelium oblationes solennibus Ecclesiæ precibus, tanquam Deo dicatæ, commendabantur ac consecrabantur à Ministro Ecclesiæ, & denique ex Pane & Vino tantum non etiam ex aliis donariis, portio aliqua desumebatur, quanta satis esset ad Cœnæ celebrationem, residuum inter pauperes distribuebatur. Horum, quæ dico, evidentissima testimonia atque indicia adducam.

Cyprianus in Serm. de eleemos. invehitur in locupletem matronam nihil ad mensam Domini offerentem, quum tamen multi qui offerrent conspicerentur pauperes. In Dominicum, *inquit*, sine sacrificio venis, atque partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. *Sacrificia vocat munera quæ quisque offerebat. Quum autem panis & vinum, quæ promiscuè omnibus in communione Cœnæ Dominicæ distribuebantur, de more ex iis acciperentur, quæ communiter ab omnibus oblata fuerant, partem quoque de pauperis sacrificio sumebat loculeles illa matrona, quæ ipsa nihil attulerat, sacra symbola percipiens ex iis quæ à pauperibus oblata fuerant. Origenes contra Celsum lib.* 8. Nos, *inquit*, conditori rerum morem gerentes, pro ejus in nos collatis beneficiis, ubi & gratias diximus, oblatis panibus vescimur, qui utique ex oratione & precibus sanctius quoddam corpus efficiuntur, quod sanctiores nos reddit, qui mente integriore hoc ipso utuntur. *Augustinus Epistola* 59. *& lib.* 2. *Retract. capite* 11. *docet*, Memorialis sacrificii celebrationem, in sacrosancta Christianorum oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi (*hoc est, quum populo quod oblatum est, distribuitur*) consistere. *Ambrosius in Prologo Exposit. in Psalm.* 38. *indicat receuter baptizatos, non nisi octavo demùm die ad hujusmodi oblationes faciendas, admissos fuisse, ne ipsorum insciitia oblationis mysterium contaminaret.*

Licet,

Licet, *inquit*, in Baptismate statim plena sit purgatio; tamen quia ablutionis ipsius, sacrificiique rationem baptizatus debet cognoscere, non offert sactificium, nisi octavum ingrediatur diem, ut informatus agnitione sacramentorum cœlestium, & non quasi rudis hostiæ, sed quasi rationis capax, tunc demùm suum munus altaribus sacris offerat, cùm cœperit esse instructior, ne offerentis insciti contaminet oblationis mysterium. *Et apud Socratem in Tripart. hist. lib. 9. c. 38. hæc verba leguntur:* Oblatione facta communicare. *Ex hac verò Ecclesiæ veteris consuetudine apparet, panem cibario, vulgari & infermentato, quem videlicet quisq; secum domo sua afferebat, olim veram Ecclesiam ad Cœnæ Dominicæ communicationem usam fuisse.*

De Benedictione seu Consecratione: & mutatione vel conversione Symbolorum Cœnæ.

Veteres in consecratione Eucharistiæ non quinque tantùm verbis, sed recitatione totius institutionis Filii Dei usi sunt.

VEteres *in benedicenda & consecranda Eucharistia, non quatuor aut quinque tantùm verbis usi sunt, sed recitatione totius institutionis Filii Dei, per quæ crediderunt illum consecrare & sanctificare panem & vinum, ut illud, quod sua substantia non sunt, propriè & per se considerata, id ex gratia & virtute divina fiant, nimirum corpus & Sanguis Christi Vnde Augustinus de Consec. dist. 2. capite 72. dicit,* Sacerdotem consecraturum verba Evangelistarum assumere: reliqua omnia quæ dicat, aut chorus canat, nihil aliud esse quàm laudes & gratiarum actiones, vel certè obsecrationes & fidelium petitiones. *Et quemadmodum Paulus, quum tradere vellet Corinthiis, quomodo non vulgarem sed Dominicam Cœnam celebrare possent, totam & integram institutionem recitat, eisque præscribit: sic etiam Iustinus mentionem faciens verbi à Christo traditi, quo Eucharistia consecretur, refert se ad institutionem quæ apud Evangelistas descripta extat. Dicit quidem*, sacerdotem diu multumque precari & gratias agere: *sed non in hunc finem, ut ita fiat consecratio. Addit enim*, præsulem gratias agere, quòd mysteria illa nobis à Christo instituta & tradita sint. *De ipsa verò consecratione, dicit*, cibum Eucharisticum gratiarum actione sacrari, per precationem verbi, quod ab ipso Christo traditum est. *Quale autem verbum sit ipse mox explicat, videlicet,* quod Evangelistæ in Commentariis suis de institutione Cœnæ, literis consignarint. *Et Ambrosius libro 4. de Sacram. cap. 4. quum dixisset*, panem esse corpus Christi consecratione, *mox quærit*, quibus verbis & cujus sermone benedictio vel consecratio illa fiat. *Respondet autem*, verbis & sermone Domini Jesu: *& addit*, differentiam esse inter reliqua, quę in illa actione dicantur; ea enim esse vel precationes, vel gratiarum actiones, seu Eucharistias: illa verò dicit non pertinere ad consecrationem vel benedictionem Eucharistiæ: *Quando verò jam consecrandum & conficiendum sit sacramentum, tunc dicit*, sacerdotem, non suis amplius sed Christi verbis uti. *Quæ autem illa verba sint cap. 5. apertè indicat, recitans verba institutionis. In omnibus deniq; Liturgiis hujus Classis, tota ac integra institutio in consecrandis, benedicendis & sanctificandis mysteriis recitatur.*

Veteres cur verbis institutionis usi sint in Cœna.

Recitationem verò illorum verborum non ea sententia adhibuerunt, sicut magi & incantatores sua carmina conceptis verbis recitant: puta de Iove Elicio, aut de Luna cœlo deducenda: vi scilicet, & virtute literarum & syllabarum, si certo modo recitentur & pronuntientur: Sed sicut in prædicatione Evangelii Paulus testatur, Christum ipsum per os ministrorum loqui, *Roman. 15 2. Corinth. 13.* & Deum exhortari per nos, *2. Cor. 5. Ita in Eucharistiæ celebratione sentserunt & docuerunt Patres*, ministrum legatione Christi loco fungi, qui ipse adest, & per ministros loquitur, perque verbum suum efficax est.

Recitatione verborum Christi symbola non mutari ex sua propria substantia in aliam.

Non etiam docuerunt, vi verborum illorum symbola vel signa externa ex sua propria & vera substantia in aliam verè mutari & converti, sed tantùm fieri sacramentalem mutationem: quum scilicet antea tantùm esset communis panis & vulgare vinum, jam accedente verbo Christi ex communi illo usu converti in mysticum, & benedictione hac fieri symbolum verum, certum & exhibitivum corporis & sanguinis Christi. Docet hoc nos Augustinus admodum perspicuè altero, videlicet Baptismi Sacramento, Tract. in Ioan. 80. Accedit, *inquit*, verbum ad elementum, & fit sacramentum. Vnde enim ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. *Ex quibus verbis intelligimus, sensisse Augustinum, recitatione verborum Christi & primæ institutionis, non fieri realem aliquam symbolorum mutationem, sed sacramentalem solùm, quâ à prophano & communi usu ad sacrum & mysticum transferantur: Sic enim in Baptismo aquæ substantiam non mutari, ut quæ homines perfunduntur & abluuntur, sed tantùm virtute verbi divini novam acquirere conditionem & dignitatem: ut quod exterius figurat, id Spiritus Sanctum in cordibus purgandis, & à peccatorum sordibus abluendis efficere ostendat. Non ergo Augustini ætate creditum fuit, consecratione, vel benedictione & sanctificatione symbola mutari in substantia, sed accedente verbo mutari solummodo in usu ac dignitate, ut scilicet non*

amplius sint prophana elementa, sed sacramenta, hoc est singularia Spiritus Sancti organa, per quæ fideles rerum divinarum ac cœlestium compotes efficiantur, ac in ipsum usq; cœlum tanquam gradibus quibusdam subvehantur. Idem & Chrysostomus docuit, in Psal. 22. sic scribens: Hæc, *inquit*, aqua primatum tenet in elementis. Sed quum istud elementum acceperit Spiritum sanctum, fit Sacramentum, & jam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. *Ex quibus intelligimus, Chrysostomum nullam in ipsa aquæ substantia mutationem agnoscere, sed totam in ejus usu, quatenus vim sanctificationis exhibeat, constituere. De symbolis autem Cœnæ ad Cæsarium Monachum sic scribit:* Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem appellatione panis, dignus autem habitus est definiri corporis appellatione: ETSI NATVRA PANIS IN IPSO PERMANSIT, & non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur. *Sic etiam Ambrosius de Sacramentis*: Quantò magis operatorius est sermo Domini, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. *Item*: Non sublata panis substantia. *Theodoretus Dialogo 2.* Nequaquam post sanctificationem, mystica symbola propriam amittunt naturam, manent enim in priore substantia & figura, & specie, & cerni, & tangi possunt, sicut antea.

Cùm etiam Patres sæpissimè, ita verum Christi corpus & sanguinem percipi *diserte affirment*, ut panem interim & vinum naturaliter in ventrem traiici & in substantiam corporis aliti converti *dicant, non obscurè significant, talem eos per consecrationem seu benedictionem symbolorum Cœnæ mutationem agnoscere, non quæ elementorum substantiam tollat, sed quæ in eum excellentiæ ac dignitatis gradum evehat, ut non quod exterius videndum, sed quod interius credendum proponunt, veraciter ea exhibere statuant.*

Mutationis symbolorum modus in Cœna figuratè accipiendus.

Iidem Patres mutationis modum, quem per consecrationem fieri dicunt, aperte definiunt, eumq; figuratè & effectivè, non substantialiter accipiendum esse docent: videlicet, panem eatenus fieri ac. dici corpus Christi, quatenus est efficax symbolum, & certum pignus corporis Christi, pro nobis in mortem traditi, quo animæ nostræ ad vitam æternam alantur: Vel quatenus panis est id, quod à communi usu exemptum, in alium, ex Christi institutione, transferitur, ut ejus legitima sumptione obsignetur animis nostris per Spiritum sanctum conjunctio illa cum Christo, qua fuvenus caro de carne ejus, & omnium ejus bonorum participes. Hanc esse veram antiquitatis sententiam de consecratione & mutatione symbolorum in sacramento hùc testimoniis probatur. Cyprianus in Serm. de Cœna, Immortalitatis, *inquit*, alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis divinæ invisibili efficientia probans adesse præsentiam. *Quibus verbis apertè docet, sacramentalem præsentiam de effectu intelligendam esse, quod non sit corporalis, sed efficacis præsentia. Rursus*: Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas, sensibili argumento edocta, visibilibus sacramentis incisse vitæ æternæ effectum. *Quorum verborum hic sensus est: panem & vinum ex institutione Christi, fieri certas corporis & sanguinis Domini tesseras, quibus Spiritus Sanctus efficaciter in nobis excitet, confirmet & augeat fidem. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis inquit*: Non sublata panis substantia, sed adjecta pani corporis Christi gratia, atque adeò impositio illi corporis nomine. *Vbi diligenter observandum, quòd non dicit*, Adjecta corporis Christi substantia, sed gratia: *quia Christus voluit in hunc usum panè sanctificare, ut ejus sumptione Christi corporis participes redderemur. Chrysostomus homil. 44. in c. 6. Ioan.* Panis hic propter advenientem ei spiritum, panis cœlestis efficitur. *Theodoretus Dial.* 1. Visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adiiciens.

De Fractione Symbolici Panis.

Voces, quibus utuntur Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, & alii clare ostendunt, ipsorum ætate in Ecclesia panis fractionem servatam fuisse. Clemens lib. 1. Strom. inquit: ubi Eucharistia, VT MOS EST, divisa vel fracta fuerit, permittitur unicuique ex populo partem sumere. *Dionysius in Hierarch. capite 3.* Opertum, *inquit*, & individuum panem aperit, in frusta concidens. *Theophilus Alexandrinus lib. 1. Paschal.* Panem Dominicum, quo corpus Salvatoris nostri ostenditur, & qui res est inanimata, *dicit*, frangi in nostri sanctificationem. *Et apud Clementem Rom.* Fragmenta oblationum & corporis Dominici *dicuntur*, quæ post communionem supersunt, *Irenæus libro 5. cap. 4. & Cyrillus in Ioannem lib. 4. cap. 14. frusti panis & fragmentorum panis expresse meminerunt.* Quando, *inquit Irenæus*, mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. *Chrysostomus ad verba Pauli*, Panis quem frangimus, &c. *Sic scribit*: Quod non passus est Christus in cruce (*ut videlicet corpus ipsius cõfrangeretur*)

hoc

hoc patitur in oblatione (*quæ scilicet in mystico Ecclesiæ sacrificio fit*) propter te, & sustinet se confringi. *Cyprianus in Serm. de Cœna Domini ait :* Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus, & partimur. *Sed extat apertissimum hujus rei testimonium apud Augustinum Epistola 59. ad Paulinum :* Omnis, *inquit*, vel penè omnis Ecclesia hoc frequentat, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod in Domini mensa est, benedici incipiat, orationes : cùm benedicitur & sanctificatur, & ad DISTRIBVENDVM COMMINVITVR, &c. *Et in sententiis Prosperi, ut citatur de Consecrat. distinct. 2.* Dum frangitur, *inquit*, hostia, dum sanguis è calice in ora fidelium funditur, &c. *Olim quoque, quæ inconsumpta manserunt ex oblationibus, igni solita fuisse tradi, testatur Hesychius. Evagrius autem libro 4. capite 5. Nicephorus & Cedrenus* veterem consuetudinem Constantinopoli fuisse *scribunt*, ut si quando, multæ admodum particulæ in Cœna superessent, Scholastici accerserentur, qui eas manducarent. *Nec dissimile est, quod in Concilio Matisconensi 2. capite 6. statutum legitur*, ut quæcunque sacrificiorum reliquiæ post peractam Missam supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias, vino conspersas, percipiant. *Ex quibus manifestè colligimus, olim usitatam in publica fidelium Communione fuisse, unius vel plurium integrorum panum in multas particulas fractionem : non certum numerum oblatarum jam ante in hunc usum præparatarum.*

De Elevatione & Ostensione Panis & Calicis in Cœna.

IN primitiva Ecclesia, sicut jam ante indicavimus mos fuit, ut singuli ad Cœnam Domini accessuri, pro facultatum modo, panem, vinum & alia munera in publicis Ecclesiæ conventibus offerrent, ut testarētur se Deo gratos esse pro acceptis ab eo beneficiis, ac ut pauperibus ac ministris Ecclesiæ, sacrificia illa & eleemosynæ oblatæ distribuerentur. Hæc munera Sacerdos, ritu ex lege Mosaica sumpto, manibus accepta, paulatim levare & in conspectum tollere, ac Deo pro illis gratias agere solebat. Partem etiam de panibus oblatis consecrabat, & populo rursus commonstratam distribuebat.. Symbola igitur Eucharistica, panis nimirum & vinum, paulùm elevata & populo ostensa, non autem supra caput, ad adorationem elata fuerunt. Dionysius enim lib. 3. de Ecclesiast. Hierarchia sic scribit : Pontifex divina munera seu dona laude prosequutus, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & collaudata εἰς ὅλον ἄγει, in conspectum agit, vel producit, per symbola reverenter proposita : & dona sacrificiorum commonstrans, ad sacram illorum Communionem & ipse accedit, & hortatur alios. *Sacerdos igitur non supra caput extulit seu elevavit symbola illa, sed in conspectum solum produxit, hoc est, commonstravit populo : nisi velis dicere, nihil posse à quoquam conspiciendum monstrari, nisi supra caput efferatur. Neque etiam ostendit ut adorarentur, sed ut consecratum panem, adeoque paratam Communionem indicaret, & ut populus ad communionem se pararet, atq. ad mensam accederet. Hoc ex verbis Dionysii clarè perspicitur, inquit enim :* Dona sacrificiorum commonstrans, ad sacram illorum Communionem & ipse accedit, & hortatur alios. *Hanc ob causam etiam sic in Chrysostomi Liturgia scribitur :* Sacerdos ostendit calicem populo, dicens : Cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite, *Hoc etiam pertinet, quod apud Chrysostomum hom. 36. in 1. Cor. & hom. 3. ad Eph. legitur*, Eucharistiam consecratam ad mensam velis obductam, & deinde reductis velis populo ostensam : *diducebantur igitur vela, ut mysteria præparata à populo cerni possent in mensa : & ostendebantur populo, non in altum supra caput, sed parum à mensa sublata. Basilius etiam lib. de Spiritu S. c. 27.* Panem Eucharistiæ & poculum benedictionis ostendi ait.

Symbola Eucharistica in manus data.

Vide de hac re de Missa pag. 1338

EX verbis etiam Institutionis facilè colligitur, Christum jussisse discipulos Panem sacrum in manus sumere, similiter etiam poculum. Accipiendi enim verbo, nihil aliud designari potest, quàm ut in manus sumatur. Nam ipsa primum relatio, qua aperta est inter verba Dedit & Accipite, *hanc interpretationem, & hunc sensum postulat : aperte siquidem de manu in manum traditionem notant. Et credibile est, Dominum in duas partes panem confregisse, earumque alteram dedisse illi qui proximus ei ad dextram accumbebat, alteram verò illi qui ad sinistram, ut istis deinceps proximè accumbentibus porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent. Hunc processum in poculo observatum fuisse, ita scilicet, ut illud dederit alteri ex proximè accumbentibus, ac tum deinceps singuli ordine alii aliis illud porrexerint, ex his verbis colligitur*, Bibite ex eo omnes : *item ex verbis apud Marcum :* Ex eo biberunt omnes : *ac expressè Lucas 22. capite dicit :* Accipite vos poculum, & partimini vobis ipsis.

Deinde verbo illo Accipite, *nihil aliud Chriſtus ſignificare voluit, quàm in manus acceptionem. In tanta enim verborum paucitate aliquid fruſtra & ſupervacaneum dixiſſe eum, aut (αὐθάδη ἰα) uſum eſſe, minimè credendum eſt. Quicquid ad oris officium pertinet, id unico verbo* Edite *comprehendit. Ergo aut redundantia vocum à Chriſto admiſſa eſt, aut in manus ſumere panem juſſit.*

In cœna nullum diſcrimen inter Sacerdotem & populum.

At quod obiicitur, de diſcrimine Apoſtolorum & populi, indeq; concluditur ac infertur, Etiamſi Apoſtolis in manus data ſit Euchariſtia, non tamen ſequi, populo etiam in manus dandam: ad id reſpondeo ex Chryſoſtomo, qui homil. 18. in 2. Cor. apertè negat hac in re Sacerdotem à ſubdito differre. *Conſtat etiam Paulum, quum repetit, non quæ Presbyteris, ſed toti Eccleſiæ tradiderat, ex formula Chriſti petita, verba utraq; quæ Matthæus & Marcus habent*, Accipite, Edite, *recitaſſe. Hunc eſſe verborum Chriſti ſenſum, nec ipſe Cajetanus Cardinalis diſſimulare potuit, qui in hunc modum ſcripſit:* Non eſt, *inquiens*, veriſimile, quod ſingulorum ori imponendo ſingulas partes porrexerit, vel manu ſua ad manum eorum: ſed exhibuit, & obtulit particulas ſacri panis in patina, à ſingulis particulam propriis manibus accipiendam.

Adhæc totam Cœnæ inſtitutionem atque actionem, ſymbolum & teſſeram eſſe voluit ſummæ inter Chriſtianos & æqualitatis & ſocietatis, non autem inæqualitatis & diſtractionis. Eam ob cauſam omnibus ſine diſcrimine præcipit, Accipite, Edite, & Bibite omnes, *Non enim eſt in Chriſto, neque Græcus, neque Iudæus, neque mas, neque fœmina, neque ſervus, neque liber. Hæc verò æqualitas nuſquam aptius, expreſiuſque, ac ſignificantius, quàm in Cœna nobis repræſentatur.*

In primitiva Eccleſia Euchariſtia in manus data.

Hanc ob cauſam etiam in Primitiva Eccleſia longo tempore Euchariſtia in manus communicantibus data fuit. Clariſſimum hujus rei teſtimonium habemus Dionyſii Alexandrini quod exſtat apud Euſebium lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 9. de eo qui, quum ab hæreticis baptizatus fuiſſet, à Catholicis denuò baptizari cupiebat: ubi ſic inter alia de eo ſcribit: Cùm & gratiarum actionem in Eccleſia audiſſet, & ad illam unà cum aliis Amen accinuiſſet, menſæ aſtitiſſet, manum ad ſuſcipiendum ſanctum cibum extendiſſet. *Cyprianus etiam more receptum fuiſſe memoria ſua oſtendit Serm. 1. de Lapſis*, ut populus ſacra myſteria propriis manibus acciperet à Diaconis: *narratq;* quendam, qui ſe idololatriæ ſcelere obligaverat, & poſtea ad communionẽ à fidelibus percipiendam convenerat, manu aperta Sacramẽtum in cineres converſum inveniſſe. *Idem Serm. 5. de Lapſis*, à diaboli, *inquit*, aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt, & Domini corpus invadunt, plus in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum rogarunt. *Rurſum apud Euſebium lib. 6. c. 33. legitur de Novato*, quòd Sacramenta dividens populis, accipientium ambas manus tenuerit, nec prius permiſerit ſumere, quàm ſibi per ea quæ quiſque tenebat in manibus juraſſet, quòd nunquam ſe relicto ad Cornelium reverti velit. *Ex quo perſpici poteſt, eum communem hac in re ſequutum fuiſſe Eccleſiæ ritum. Eandem quoque accipiendi formam Tertullianus deſcripſit lib. 2. ad Vxorem. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. Eccleſiæ illius conſuetudinem his verbis exponit:* Etiam Euchariſtiam, quum quid im, ut inos eſt diviſerint, permittunt unicuique ex populo partem ejus ſumere.

Nazianzenus Orat. 1 contra Iulianum, Julianus, *inquit*, Apoſtata, impuro & nefario ſanguine lavacrum extergit: initiationis noſtræ execrabilem initiationem opponens: manuſque ſuas profanat, ut nimirum eas ab incruento illo ſacrificio elueret ac repurgaret. *Verba ſunt obſcura, ſed hic eſt eorum ſenſus: Iulianus priſtinam Chriſtianiſmi profeſſionem execrari cœpit, ut quidquid ſanctitatis antè contraxiſſet, id omnibus modis eluere & extergere conabatur. Vt igitur ſanctitatem, quam ei Baptiſmus compararat, eraderet, victimarum Ethnicarum ſanguine ſeſe commaculavit: & ne quid ſanctitatis manibus ex Euchariſtiæ contactu ſupereſſet, eas omni ſtudio inquinavit & profanavit. Cyrillus Hieroſolymit. Myſtag. 5.* Accedens, *inquit*, ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque diſjunctis digitis: ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubiicias dextræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti.

Ambroſius etiam his verbis introducitur apud Theodoretum in Hiſtoria Tripart. lib. 9. cap. 30. Theodoſium Imperatorem, poſt cædem Theſſalonicæ editam increpans, priuſquam ad Cœnæ communionem eum admittere voluerit: Quomodo, *inquit*, manus extendes, de quibus adhuc ſanguis ſtillat injuſtus? Quomodo hujuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini Corpus? Quomodo ad os feres pretioſum ſanguinem Chriſti? *Gaudentius Ambroſii coætaneus ſcribit*, non tantùm Sacerdotes, ſed etiam omnem fidelem populum ſacrificium memoriæ redemptionis ſuæ peragere, dum hoc paſſionis Chriſti exemplar manibus gerant & accipiant. *Cumque nobilis quædam fœmina Cæſaria de eo quidem non dubitarit, utrum laico liceret tuto Sacramentum attingere, ſed tantùm an fas eſſet hujuſmodi hominis Sacramentum in manus ſumere & ad os proprium admovere; Baſilius ei reſpõdit,*

de

de illo nequaquam esse ambigendum, quandoquidem usus id diuturnus confirmasset. Nam & Eremitæ, *inquit*, & Ægyptius, Alexandrinusque populus domi plerumque Sacramentum habet, & sibi quisque sumit. In ipsa etiam Ecclesia, postquam Sacerdos partem Sacramenti dederit, qui eam accipit, in os suum propria manu absque ullo conscientiæ scrupulo, aut dubitatione ingerit, & sive unam, sive plures partes acceperit, efficacitas una est, eademque vis. *Ibidem etiam testatur*, Eremitas à seipsis communicasse: *id est, alios ab aliis accepisse, quum nullum Sacerdotem haberent. Chrysostomus de Sacerdotio libro 3. scribit*, Christum qui sursum sedeat, illo temporis articulo omnium manibus pertractari, quo Cœna distribuitur. *Sermone item 3. cap. 1. ad Ephesios, adhortans auditores ut corde puro ad Dominicam Cœnam accedant*, Quomodo, *inquit*, comparebis ante tribunal Christi, qui manibus & labiis immundis ipsius audes contingere corpus? Oro te, an voles manibus illotis ad oblationem accedere? Non arbitror. Sed malles utique potius omninò non accedere, quàm sordidis accedere manibus. Cùm ergo in modico tam sis religiosus, audes accedere & contrectare, cùm animam habeas impuram? *Eodem pertinet & illud ejusdem patris in Matth. cap. 26.* Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. *Scribit & Sozomenus libro 8. cap. 5. & Nicephorus lib. 13. cap. 7.* fœminam quandam hæreticam Macedonianam, in manus sumpsisse à Chrysostomo panem Eucharistiæ tanquam paulò pòst illum manducaturam, &c. *D. Augustinus etiam scribens contra Petilianum lib. 2. c. 23. sic habet inter alia:* Ego illum commemoro, cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis. *In Concilio quoque Constantinopolitano 6. c. 101. sic decretum est:* Eos qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem divini doni, nullo modo admittimus, ut præferentes materiam inanimem imagini Dei. Si quis Sacerdos particeps fecerit Communionis hujusmodi vascula admoventes, excommunicetur, & qui hæc infert. *Vt non immeritò Rhenanus in Annotat. ad Tertulliani libr. de Corona militis scribat*, Satis liquere ex antiquorum lectione, Eucharistiam manibus laicorum olim attactam fuisse.

Quando primum mos accipiendi Eucharistiam in manus abrogatus.

Duravit autem hic ritus dandi & sumendi Eucharistiam in manus ultra 600. annos à morte Christi, in primitiva Ecclesia, ut ex Constantinopolitano Concilio intelligi potest, quod celebratum dicitur anno 681. vel circa: Quum paulo antè in Antistiodorensi Synodo c. 36. decretum esset, non licere mulieri nuda manu Eucharistiam sumere. *Vnde Maximus qui claruit circa annos Christi 650.* Omnes, *inquit*, Viri, qui communicare desiderant, prius lavent manus suas, ut mente pura & nitida conscientia Christi Sacramenta suscipiant. Similiter & mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi accipiant, &c. Unde constat hoc tempore aliquibus in locis Viris tantùm nuda manu sumere concessum, fœminis verò nonnisi linteamine, quod dicebatur DOMINICALE. *Primum omnium, quod sciam, hæc consuetudo publico decreto omninò abrogata legitur in Rotomagensi Synodo c. 2. quæ decrevit*, nulli laico aut fœminæ Eucharistiam in manus ponendam, sed tantùm in os ejus.

Symbola à Christo in primitiva Ecclesia tum manus data.

Crescente autem superstitione, & Transubstantiationis dogmate in Ecclesia invalescente, hic ritus ita sublatus est, ut Sacerdotes laicos ne summis quidè & extremis digitis attingere passi sint panem & vinum in Cœna Domini, quæ signa tantùm sunt visibilia traditi pro nobis in mortem corporis & sanguinis Christi. Et eo tandem ventum est, ut magnæ impietatis atque profanationis esse credatur, non solùm apud Papistas, sed etiam apud alios nonnullos, qui de recepta Evangelica luce gloriantur, si quis è populo audeat contingere, nedum in manus sumere Eucharistiam: Sacerdotes igitur & Ecclesiarum ministri, Eucharistiam in os plebis ingerunt, ita quidem ut etiam linguæ imponant, caventes ne panis ille attingatur quoque à dentibus communicantis. Eò cæcitatis ventum est, ut religione facere prohibeamur, quod religio ut faciamus flagitat. Flagitare autem religionem, ut panem, dum Cœnam Domini celebramus, in manus sumamus, cùm verbis Christi instituentis Cœnam, tum exemplo primitivæ Ecclesiæ verbis Domini obtemperantis, supra demonstratum est. Adhæc magna fit populo Christiano injuria, si ab externorum symbolorum contactu & contrectatione, arceatur, cui se totum Christus impendit, & hoc ceu privilegium solis detur Sacerdotibus. Haberet id fortasse aliquid rationis, si aut liberalius Christus se impendisset Sacerdotibus, quàm cæteris hominibus: aut si Sacerdotum manus, quæ sæpè ad sacra sua afferunt admodum impuras & pollutas, sanctiores essent quàm aliorum hominum. Denique hæc actio manifestè superstitiosa est: quasi scilicet crimen magnum sit, sanctum illum panem attingi vel manu, vel dentibus communicantium: & quasi ista membra minus sancta sint quàm lingua & intestina, à quibus panem illum attingi necesse est, quatenus deglutitur & in ventriculum traiicitur quum tamen lingua plus peccet quàm manus.

Hanc autem ceremoniam non sine gravi causa à Christo inditutam & in primitiva Ecclesia usurpatam arbitror. Ad magnum enim mysterium eam

eam pertinere non dubito. Nam quum tota Cœnæ institutio eò spectet, ut sciamus, nobisque omninò persuadeamus, Christum nobis à patre datum esse, hunc que se totum nostra causa impendisse: ac ita ipsum cum omnibus suis donis jam esse nostrum, instar possessionis nobis propriæ: proculdubio ritu isto quædam representatur missio in possessionem ipsam. Est itaque nobis hic quasi primus gradus, ad confirmandos animos nostros, in concepta fiducia de Christi corpore in expiationem peccatorum nostrorum tradito, fracto, crucifixo, atque mortuo. Magnum enim ac certum argumentum est, rem nostram esse, quæ nobis in manus datur. Ad significandam igitur applicationem, quæ fit singulis, cujus causa in primis Sacramenta institu'a esse omnes fatentur, plurimum valet hic ritus sumendi symboli externi in manus. Non igitur existimandum vel otiosam, vel frigidam hanc esse ceremoniam, esseq; indignam propter quam multum laboremus ut Ecclesiæ restituatur.

An prorsus non liceat Eucharistiam in os mittere.

Roget hic verò aliquis, An igitur prorsus non liceat accipere Eucharistiam ore? Et, An illæ Ecclesiæ sint damnandæ, in quibus Cœnæ Dominicæ symbola non in manus dantur, sed in os ingeruntur, absque ulla tamen superstitione, sed ex more potius & inveterata consuetudine? Respondeo cum clarissimo Beza, sumptionem simpliciter, & absolutè ac prorsus necessariò ad hujus Sacramenti usum requiri: ut autem hæc sumptio sive acceptio manu fiat, non item: quamvis qui manu sumunt rectius faciant, & cum prima institutione magis congruenter, modo id quidem sine offendiculo & superstitione fiat. Ratio hujus petenda est ex cibi terreni ad cœlestem ἀναλογίᾳ, quæ quidem non modò in ipsis signis panis & vini, verum etiam in ipsius actionis ritibus à Domino institutis spectanda est, ut qui & ipsi ex Dei præscripto ad significandas res Spirituales adhibeantur. Quemadmodum ergo, ut cibo corporali reficiamur, necesse est, ut eum sumamus, ut autem manibus sumamus non item: ita etiam fide recipi Christum oportet, ut vitam æternam ex eo hauriamus: quæ Spiritualis per fidem sumptio sacramentali signorum sumptione tam adumbratur si vola, quàm si digitis, si ore ipso quàm si manu signa accipias, ut postea comedas ac deglutias. Nam certè ore sumere & manducare duo sunt: quum nō quidquid sumitur mãducetur aut bibatur: ac proinde sumptio Sacramẽtalis minimè dici posit ab iis expungi vel omitti, qui ore duntaxat absque officio manus illa accipiunt. Et quod suprà diximus, hunc ritum in manus dandi Eucharistiam à Christo & primitiva Ecclesia propter mysterium usurpatum, ut ista manus acceptione repræsentetur, ipsius Christi veluti traditio, ut nostra fiat, sicuti verè dicitur, ita etiam oris sumptio isti mysterio convenit, imò quod ore sumitur, magis nostrum fieri videtur, quàm quod manu duntaxat accipitur. Cur igitur inquies, rectius facere dicitis, qui manu, quam qui ore Sacramenta sumunt? Minimè profectò, quòd in isto sumendi discrimine tantum positum esse existimemus, sed quoniam ab ea ratione qua ab ipso Christo, Apostolis & puriore Ecclesia usurpata est & servata, non temerè discedendum judicemus: studendum est enim nobis ut Cœnam celebremus eo omninò modo, quo Christus & Apostoli eam celebrarunt. Deinde spectandum etiam dicimus, non solùm quid liceat, sed etiam quid deceat: Decet autem ut qui manus habet, eisque uti potest, quum jubetur cibum porrectum accipere, non ore, sed manu accipere. Tertiò, quod probabile sit, istam oris sumptionem non aliunde initio, quàm à superstitiosa signorum veneratione profectam, quæ postea etiam in manifestam ἀσεβαστείας impietatẽ evasit. Itaq; officium feciſſe existimamus, qui abolita ista oris sumptione sanè monstrosa & à malis initiis profecta, adeoq;, ubi adjunctam habet cultus opinionem planè impia, sumptionem manus in Ecclesiis restituerunt. Sed quidquid rectè fit, non est tamen simpliciter & absolutè necessarium. Ac proinde qui oris sumptione Cœnam in iis Ecclesiis profanari, nec verè Cœnam ibi celebrari judicant, ubi absq; superstitione, multoq; magis absq; impietate, sed vel ex Pastorum aut Magistratus oscitantia, aut quia periculosa sit repentina novatio, adhuc oris sumptio retinetur, ἀνυπαιθύνως quædam peccare videntur. At enim, inquiunt, jubemur facere quod fecit Dominus: concedimus, sed ita, ut in illis etiam quæ facienda præcepit, primariam consilii ipsius intẽtionem, ut loquuntur, ob oculos semper habeamus, formam autem non temerè mutemus (imò nec mutemus quidem ullo modo, si præcisè mandata sit) nec tamen quod per se non est necessarium amplius quàm par sit urgeamus. Iussit Christus nos baptizari, quo verbo certum est significari immersionem. Num igitur malè baptizantur, qui aqua tantùm injecta asperguntur? Imò quod est in illa actione merè substantiale, (nempe aquæ ablutio) rectè observatum est ab Ecclesia. Immersio verò pro ætatis & regionum conditione vel retenta est, vel in simplicem aspersionem nulla cum Baptismi imminutione quodammodo commutata. Sed & in hac ipsa actione, quum eam instituerent Dominus, probabile est, imò Lucas apertè testatur de poculo, alios ex aliis panem & poculum accepisse, adeoq; omnes ex uno poculo bibisse. Num igitur damnare volumus Ecclesias, in quibus non alii aliis Eucharistiam tradunt, sed ex Ministri vel Diaconi manu sigillatim omnes accipiunt, ex diversis etiam poculis bibentes? Minimè profectò; quoniam ipsa sumtio, non autem sumendi modus præcisè præscribitur. Hanc igitur ceremoniam inter illa genera, eorum quæ Christus in Cœna fecit & nobis facienda mandavit, de

Epistola 2.

quibus

quibus supra 1. cap. diximus, ad secundum genus referimus, in quo ea collocavimus, quæ etiamsi non ea ipsa prorsus forma fiant, qua facta sint à Domino, tamen habita intentionis, quam vocant, ratione, rite fieri dicantur.

Quibus in Primitiva Ecclesia Sacra Cœna Domini non data fuerit.

Qui ad Cœnam admittebantur.

Omnes qui peccata sua seriò agnoscunt, de commissis dolent, remissionem à Deo propter Christum sperant, ac respiscentiæ studeant, ad sacram Domini mensam admitti debent. Tales enim non sunt ex porcorum & canum numero, quibus Sanctum Domini & margaritæ obiiciantur. Vnde Hesychius libro 6. in 22. capite Levit. Qui semetipsum probat, si peccati sibi conscius est, & pollutionem animæ se habere sentit, sine dubio pœniteat: & post pœnitentiam de pane comedere, & bibere rursus de calice sancto & impolluto potest. *Hypocritæ ergo & impii, qui veram fidem ac respiscentiam non habent, non debent accedere: cedit enim eis cibus hic atque potus in perniciem corporis & animæ, manducantes & bibentes sibi judicium.*

Qui non admittebantur ad Cœnam.

Ab Ecclesia etiam ad S. Cœnam ii tantùm admittendi sunt, qui per ætatem probare fidem, & celebrare mortem Domini possunt. Christus enim dicit, Hoc facite in mei commemorationem. *Et Apostolus*, Homo semetipsum probet, & sic edat de hoc pane. *Item*, Mortem Domini annúciate donec venerit. *1. Cor. 11. Deinde, Qui prius per Baptismum in Ecclesiam recepti sunt. Fœdus enim in Baptismo cum Deo initum, in Cœna renovatur. Hæc etiam causa fuit, ob quam in veteri Testamento nulli de Paschate edere licuit nisi prius circumciso Turcæ igitur, Iudæi & Ecclesiæ hostes ad Cœnam minimè admittendi sunt. Tertiò, qui eandem fidem cum Ecclesia verbis factisque profitentur: nec solùm dicunt, se credere, sed professionem fidei & pœnitentiæ operibus quoque declarant: sive id verè ac sincerè, sive per hypocrisim occultam faciant. De occultis enim Ecclesia non judicat. Hinc Iustinus Martyr Apolog. 2.* Nullus, *inquit*, ad Eucharistiam admittitur, nisi qui veram esse doctrinam nostram credat.

Qui igitur vel palàm errores atque dogmata cum verbo Dei pugnantia tuentur, vel in manifestis ac notoriis flagitiis & sceleribus vivunt ac perseverant, minimè ad sacrum hoc convivium admittendi sunt.

Primitivæ Ecclesiæ quos admiserit ad Cœnam, & quos non.

Diligenter in Veteri Ecclesia hoc observatum fuit. Chrysostomus enim in cap. 1. epistolæ ad Eph. non modò à communione hujus cœlestis mensæ prohibitos, verùm etiam à tota actione exclusos quosdam *nominatim refert. Addit autem hanc veluti rationem:* Quemadmodum ad mensam accumbente hero, non licet iis, qui illum offenderunt, inter ministros adesse, sed è medio abiguntur: ita & hoc loco, dum oblatio offertur. *Ac rursus*, Quemadmodum nemini eorum qui non initiati sunt, adesse licet: ita neque initiatis si sordidi fuerint. *In c. 10. Epist. ad Hebræos, hom. 17. narrat*, quomodo Diaconus in Ecclesia loco eminentiori, ut omnibus esset conspicuus, constiterit, & sublatis in altum manibus, voce continua clamans, alios quidem vocarit, alios verò prohibuerit accedere. *Homil. 83. in Matthæum, graviter Ministros monet*, ut quos manifesta improbitate teneri sciunt, à sacra cómunione arceát, nulla habita personæ ratione, etiáſi sit dux, consul, aut etiá diademate ornatus. *Et Hom. 84. in c. 26. Matt. ait:* Quòd si ipse pellere nō audes, mihi dicas: non permittam ista fieri: animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè: sanguinemque meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam. Quòd si quis cum sordibus ignoranter venit, nulla vestra culpa est. Nam hæc mihi de noris ac manifestis disputata sunt. Hæc dico, ut non solùm coërceamus, sed ut corrigamus & reducamus, & curam omnium habeamus. *Hesychius lib. 6. in c. 21. Levit. scribit*, Sacerdotem mensam Domini polluere, qui iniquitate pollutos non præcipiat abstinere, sed indifferenter permittat terribilia illa & sancta contingere. *Et in ca.* 22. Quando quis pœnitentiæ lachrymis ablutus fuerit, tunc sanctè comedet, &c. *Ibidem genera quædam hominum recensetur, qui ab ista communione prohibiti sint:* ut Pagani & Infideles, qui non rectè de Sacramento senserunt, sed prophanè & carnaliter: *Item*, qui in ministerio veluti mercenarii, tantùm suum quærunt, sine omni pœnitentia. *Augustinus ad Inquisitiones Ianuarii c. 3. scribit:* Si tanta peccati plaga est atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, autoritate antistitis debet quisque ab altari ad agendam pœnitentiam removeri, & eadem autoritate reconciliari. Hoc enim est indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo pœnitentiam agere debet, non ut arbitrio suo, quum libet, vel se communioni auferat, vel reddat.

Hæreticos quoq; non prius ad societatem Communionis admissos, quàm legitimè hæresi abnegata, argumento est historia quam Sozomenus lib. 8. c. 12. recitat. Nam mulier quædam è Macedoniana hæresi ad catholicam Ecclesiam conversa, incircumspectè ad communionem mysteriorum, priore hæresi nondum abnegata, admissa erat. Sed hanc ob causam Petrus Archypresbyter

accusatus est. Ammonium, & fratres Longos dictos, monachos, qui de injuriis ab Alexandrino Theophilo sibi factis Constantinopolim quæstum venerant, Chrysostomus quidem ad communes in Ecclesia preces admisit: verùm ad communionem Sacramentorum nequaquam, quòd id ante causæ cognitionem fieri neutiquam liceret: ut Sozomenus lib. 8. cap. 13. & Socrates lib. 6. cap. 9. refert.

Imò adeò severi & rigidi hac in parte veteres fuerunt, ut non initiatos, seu baptizatos: Catechumenos, hoc est, in religione Christiana nondum plenè institutos: & pœnitentes ob commissa peccata, ad sacram Christi Cœnam non admiserint. Sic enim Hieronymus in cap. 7. 2. ad Cor. scribit: Catechumeni & pœnitentes communicare non possunt. *Et Augustinus Tract. 11. in cap. 3. Ioannis:* Transeant per mare rubrum, id est, baptizentur: & manducent manna: *id est, corpus & sanguinem Domini. In Constantinopolitana quoque Ecclesia, sicut etiam aliis, Præco clamabat:* Quotquot estis in pœnitentia constituti, abstinete: *ut Chrysostomus in cap. 1. Ephes. testatur.*

Energumeni quoque, qui, licet baptizati fuissent, tamen propter mentis suæ inconstantiam ab immundis spiritibus vexabantur, olim Eucharistiæ celebrationi ne interesse quidem permissi sunt.

Histrionibus Cœna non data.

Quin etiam Histrionibus sacram Cœnam non dandam, Cyprianus docet li. 1. epist. 10. ad Euratium, ubi sic scribit: pro dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suo dedecore perseverat, & magister, & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum id, quod malè didicit, cæteris quoque insinuat: an talis debeat communicare nobiscum? Quod ego puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi judicentur: quantò maioris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam si à theatro ipse cessaverit, cùm tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno plures succedaneos suggerit contra institutionem Dei, eruditis & docens quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte muretur, & diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. *Posit conversionem autem non esse eis denegandam gratiam communionis, in Concil. Carthaginensi 3. c. 35. sancitur his verbis:* Scenicis atque histrionibus, cæterisque hujusmodi personis, vel apostaticis conversis: vel reversis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur. *Cui subjicitur in Summa angelica:* Hoc tamen non est intelligendum sic, ut statim debeat ei dari Eucharistia, sicut fit à multis & malè: sed propter reverentiam Sacramenti debet differri usque post peractam pœnitentiam, quam publicè debet facere: nisi articulus necessitatis vel pietatis aliquando in casu aliter fieri persuadeat.

De Lapsis pœnitentibus, non ad communionem admissis usque ad extremum vitæ articulum.

Lapsis, quoniam excommunicatorum loco habebantur, non ferè Eucharistiæ communio ante concedi solebat, quàm sub mortis articulum: neque id etiam omnibus, sed iis solis, qui eam magnis precibus antea efflagitassent, & in quibus pœnitentiæ signa manifesta exiisterent. Ac ne id quidem ceu periculum de salute foret si sine Eucharistia morerentur: sed contestationis solùm gratia privatim iis data est, ut quoniam à cœtu & Ecclesia secluse, cum ea statu ac certo tempore non communicassent, Eucharistia demùm ad illos missa intelligerent, & se pace donatos ob respicientiam, & ut membra Christi in communionem Ecclesiæ benignè receptos: atque ita lœti è vita, utpote Christi membra migrarent. Nam & pacis & unitatis symbolum Eucharistia est. Sic enim Nicanum Concilium ca. 13. decrevit: De his qui vita excedunt PŒNITENTIBVS, decernunt vacuum nullum debere dimitti. *De eodem sic sancitur in Carthaginensis Synodi 4. c. 76.* Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & pœnitentiam accipiat. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & ori ejus Eucharistia infundatur. Si supervixerit, admoneatur à suprà dictis testibus, petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

Serapion.

Habemus hujus rei apertissimum exemplum in Serapionis historia, qui grassante persecutione mortis & cruciatus terrore victus idolo immolaverat, ob eamque causam ab Ecclesia expulsus & Satanæ potestati traditus fuerat. Hi-

storiam narrat Eusebius lib. 6. ca. 44. ex Dionysio

sto Alexandrino. Serapion, *ait*, quidam erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpatè vixerat, in persecutione verò ceciderat. Hic sæpenumero recipi petierat, verum illi nemo attenderat. Sacrificaverat enim. In morbo autem constitutus totum triduum mutus & sensuum facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die nonnihil convaluisset, nepoti ex filia ad se vocato dixit: Quousque ô fili, detinetis me? Obsecro properate, & me velociter absolvite. Voca ad me aliquem ex presbyteris: quib. dictis iterum obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterum. Erat autem nox. Presbyter ægrotabat, idcoque ire cum puero non poterat. Quoniam verò mandaveram, morituros si petant, & maximè si etiam antea suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum Eucharistiæ puero dedit, jussitque ut id infunderet, & in os senis instillaret. Puer redit adferens Eucharistiam. Cum autem è vicino esset, antequam ingrederetur rursus Serapion, Venis, inquit, fili? Presbyter quidem venire non potest, tu verò confectam facito quod ille præcepit, meque dimitte. Infundit puer ac simul ori senis instillavit. Qui cum parum gustasset, mox spiritum reddidit.

Dominica Cœna omnibus & singulis data fidelibus, quotiescunque celebrata fuit.

IN primitiva Ecclesia non solus Sacerdos Eucharistiam sumebat, sed quotiescunque ea celebrabatur, omnibus ac singulis qui aderant & veram fidem profitebantur, tam Laicis quàm Clericis, viris & mulieribus dabatur. Extant hujus apertissima testimonia & exempla in Patrum scriptis & Conciliorum decretis. Ignatius antiquissimus author & Martyr in epistola ad Philadelph. scribit, Vnus panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ. *Et in Liturgia quæ Iacobo Apóstolo ascribitur*, integra communio populo datur: populus respondet, non clericus solus; populo non sacerdoti soli poculum distribuitur: populo clamatur, Sancta sanctis. *In Carthaginensi Synodo, quæ Constantini M. authoritate à Grato Episcopo Carthaginensi convocata fuit, & ab aliquibus pro prima habetur, præcipitur*, Ne quis vel Clericus, vel Laicus, sine literis Episcopi sui in aliena Ecclesia communicet: cap. 6. *Basilius in epistola ad Cæsariam indicat*, Cœnam quater in hebdomade celebratam, quater quoque populum communicasse. *Gregorius Nazianzenus sic præcepit*: Absque confusione & dubio, comede corpus & bibe sanguinem, si saltem vitæ desiderio teneris. *Dionysius in Hierarch. cap.* 3. Opertum panem & individuum aperit, in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, unitatem signanter multiplicat atque distribuit, *inque his consummat cœleste mysterium. Hieronymus in* 1. *Corinth.* 11. *cap.* Oportet, *inquit*, Cœnam Dominicam esse communem, quia ille omnibus discipulis suis qui aderant, æqualiter ttadidit Sacramenta. *Ambrosius in eundem locum*, Ad invicem, *inquit*, expectandum dicit Apostolus, ut multorum oblatio simul celebretur, utque omnibus ministretur. *Et ad Theodosium Imp. qui Laicus fuit, post patratã Thessalonicæ cædem, sic dixit:* Quomodo manibus, adhuc stillantibus sanguine innoxio, suscipies sanctum Domini corpus? Qua præsumptione poculum pretiosi sanguinis percipies ore tuo, &c.

Chrysostomus in 1. *Corinth.* 11. *cap.* Quod, *inquit*, Dominicum est privatum fecerant. Cœna enim Domini debet esse communis. Nam quæ Domini sunt, non hujus sunt servi, non alterius, sed omnibus communia. Quod enim Dominicum est idem & commune est. Nam si Domini est, non debes tanquam proprium tibi assumere, sed tanquam res Domini, communiter omnibus proponere: siquidem hoc est Dominicum. Nunc autem non finis esse commune, sed tibi comedis. *Hæc verò Chrysostomus minimè scripsisset, si suo tempore Cœna non omnibus distributa fuisset, sed solus aliquis caterorum nomine sumsisset. In* 1. *Cor. homil.* 24. Quidnam, *ait*, appello communicationem? idem ipsum corpus sumus. Quidnam significat panis? Corpus Christi. Quid fiunt qui accipiunt? Corpus Christi. *Quibus non obscurè declarat, Sacramentum Cœnæ sua ætate toti populo fuisse communiter divisum. Et in* 1. *Corinth. homil.* 27. Spiritualia, *inquit*, & reverenda Sacramenta divitibus ac pauperibus æqualiter proponuntur: nec iis dives magis, pauper minus fruitur: Omnes æqualem dignitatem, æqualem accessum habent. Sacramenta semel proposita non auferuntur, donec tota plebs communicaverit, & partem illius spiritualis cibi ceperit: Sacerdotes autem stant, & expectant etiam paupertimos omnes.

Idem Pater homi. 60. *& 61. ad populum Antiochenum, vehementer conqueritur, & vehementissimis exprobrationibus cum populo expostulat, quòd accedere adeò negligebat ad sacratissimam Domini Cœnam, ut sæpenumero præter solum Episcopum, cum Diaconis & Clericis, alius nemo communicaret.* Frustra, *inquit*, habetur sacrificium quotidianum, cùm nemo sit qui simul participet. *Item.* Quisquis mysteriorum particeps non est, impudens & improbus est si adstat. *Rursus*: Si quis ad convivium vocatus,

catus, manus quidem laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit, nonnè infert contumeliam convivatori, à quo fuerat vocatus? *Intelligis hinc, Eucharistiam, licet quotidiè celebraretur, semper tamen præsentibus cunctis, laicis & clericis, dispensatam fuisse. Et homi.* 17. *ad Hebr. de dispensatione & perceptione Eucharistiæ sic scribit* : Hoc etiam Diaconus insonat in illa hora sanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculam inspiciens. Sicut enim in grege, ubi multæ quidem salvæ sunt pecudes, multæ autem scabie plenæ sunt, necesse est, ut hæ prohibeantur à sanis, sic etiam in Ecclesia, quoniam aliæ quidem sunt salvæ pecudes, aliæ vitiatæ, per hanc vocem prohibentur hæ ab illis: penetrat ubique per vocem illam tremendam Sacerdos, sanctos vocans & attrahens. *Testatur his verbis Chrysostomus, in actione & celebratione Eucharistiæ, Diaconum voce sua sanos ab ægris distinxisse, ut alteri communicarent, alteri abstinerent: alteros incipiente communione excluisse, alteros adduxisse & Ecclesia obtulisse. Ergo secundum hanc consuetudinem Chrysostomi tempore usitatam, quotquot ex populo digni erant, communicabant. Et in cap.* 2. *epist. ad Ephesios, item q.* in *Encæniis.* Est, *inquit*, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus digni habemur: *& manifestam differentiam inter Sacerdotes Leviticos & ministros Evangelicos statuit, qua illam omnem effrontem arrogantiam & audaciam Sacerdotum laicis se præferendi retundit.* Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum quorum particeps erat sacerdos: sed nunc, verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum. *Et homil.* 18. *in* 2. *Corinth. scribit*, unum corpus & unum calicem omnibus propositum, & res, quæ in Eucharistia sunt omnes, tam ipsorum mysteriorum communionem, quàm oblationem precum & gratiarum actionem, inter populum & sacerdotem communes esse.

Augustinus de Serm. Domini in monte 12. *item que Hieronimus ad Lucinium, & in Apolog. contra Iovinianum testantur*, Totum populum quotidiè Eucharistiam sumsisse. *Rursus Augustinus, ut legitur de Consec. dist.* 2. *Quia passus, eandem cum Chrysostomo æqualitatem Ministri & Populi ostendens*, In nomine *inquit*, Christi iam tanquam ad Christi calicem venistis, & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis: simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus. *Et in sententiis Prosperi: ut de Consec. dist.* 2. *habetur.* Cùm frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? *Lib.* 20. *cap.* 18. *contra Faustum ait*: Christiani peracti hujus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Domini.

Cyprianus in Serm. de Lapsis testatur, Diaconum puellæ, licet reluctanti de Sacramento calicis infudisse. *Serm.* 5. *de Lapsis: & lib.* 3. *epistola* 2. Fideles in unum convenientes, divina sacrificia cum sacerdote Dei celebrare, & sanguinem Christi in communicantis populi calice offerri dicit.

Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. *ait*: Eucharistiam cùm quidam, ut mos est, divisserint; permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere.

Canone 28. *&* 32. *Concilii Constantinopolitani*, Incruentum sacrificium peragi *dicitur*, non in separata sacerdotis mysteriorum sumptione, sed per oblationem, quæ populo ad vivificationem & remissionem peccatorum distribuitur.

Denique Patres Sacramentum Cœnæ subinde Communionem *vocant: Senserunt igitur Sacerdotem oportere hoc Sacramentum populo communicare, & multos id unà debere accipere, aliquin communionem nullo modo nominare potuissent. Hoc autem Patres* communionis *vocabulo significare voluisse, Pachymeres Græcus author & Dionysii Paraphrastes in ca.* 3. *his verbis docet*: Hanc, *inquit*, Communionem propterea vocat, quòd hunc omnes communicarent, qui digni essent mysteriis. *Communionem ergo inde Cœnam appellatam esse vult, quòd in ea unà omnes communicent. Sic etiam Haymo in Comment. ad* 1. *Corinth.* 10. *cap.* Calix, *ait*, appellatur communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo. *Et Hugo Cardinalis in Speculo Ecclesiæ*, Post hoc, *inquit*, dicatur Communio, quæ appellatur ut omnes communicemus. *Item*, vel dicitur Communio, quia in primitiva Ecclesia populus communicabat quolibet die. *Gerardus Lorichius de Missa publica prorogandа sic scribit*: Dicitur Communio, quia concorditer de uno pane & uno calice multi participamus: Et Communio participationem & communicationem significat. *Micrologus etiam de Ecclesiast. obser. c.* 22. Non potest, *inquit*, proprie dici Communio, nisi plures de eodem sacrificio communicent. *Cùm igitur veteres Patres Cœnam Dominicam* Communionem *appellarint, ex hac recentiorum authorum quoq. interpretatione facilè intelligitur, quo sensu id fecerint, & quòd omnibus in primitiva Eccl. Eucharistia dispensata sit.*

Patres Cœnam communionem vocarint.

Inter

Inter Canones quoque Apostolorum decimus sic habet: Omnes fideles, qui conveniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum & Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes convenit Communione privari. *In Toletano* 1. *Concilio cap.* 12. *sic decretum fuit*. Hi, qui intrant in Ecclesiam & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quod si non communicant, ad pœnitentiam accedant. *De consec. dist.* 2. *cap.* 20. *Et in Concilio Martini Bracaren. cap.* 83. Si quis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua avertit se à communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam, talem proiiciendum ab Ecclesia catholica decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit communione percepta indulgentiam promereri. *In Concilio Matisconensi* 2. *circa annos Domini* 584. *habito sancitur cap.* 4. Vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur. *Et Antisiodorensis Synodi Can.* 42. *sic habet*: Decernimus ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat. (Est autem Dominicale linteolum, in quod mulieres Sacramentum excipiebant.) Quòd si non habuerit, in alium diem Dominicum non communicet. *Ex quibus facile intelligis, olim singulis diebus Dominicis viris & mulieribus dispensatam fuisse.*

His accedit veteris Ecclesiæ ritus & consuetudo, qua Catechumeni & pœnitentes finita concione templo iussi sunt egredi, antequam sacra mysteria peragerentur, ne cum reliquis fratribus communicarent. Ex quo liquido clareque evincitur, cæteros, qui remanserant, omnes communicasse.

Sed quid multis opus est? Ipse Hardingus Pontificius contra Ivellum ingenuè fatetur, populum in Ecclesia primitiva sacram communionem quotidiè percepisse, *Sectione* 7. *Et Durandus in Ration. Div. lib.* 4. *cap.* 1. *aperè & nulla circuitione*, Apostolos *dicit*, frequentasse mysterium, sicut Apostolus Corinthiis protestatur *inquiens*, Quòd accepi à Domino, In primitiva Ecclesia singulis diebus omnes qui celebrationi Missarum intererant (*Missam per abusionem vocans*) communicare solebant, eò quòd Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente, Bibite ex eo omnes. *Iterum*, offerebant magnum panem & omnibus sufficientem. *Amalarius Trevirensis Archiepiscopus*, *li.* 3. *de Officiis in Præfa.* Satis esset, *inquit*, sine cantoribus & lectoribus, & cæteris quæ ibi aguntur, sola benedictio Episcoporum aut presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur POPVLVS ad animarum salutem, sicut PRIMÆVIS temporibus fiebat apud Apostolos.

Quin & ipse adeò Cochlæus contra Museulum de Sacrificio Missæ testis est hujus primitivæ Ecclesiæ consuetudinis: Olim, *inquit*, tum sacerdotes, tum Laici quicunque intererant sacrificio Missæ peracta oblatione cum sacrificante communicabant, sicut ex Canonibus Apostolorum, & ex libris atque Epistolis antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum perspicuè cognoscitur. *Et Clichtoveus in homil. de Tempore Serm.* 7. Voluit, *inquit*, Apostolorum ministerio ac officio ambo illa animæ nostræ enutrienda adminicula, toti suæ Ecclesiæ tradi atque singulis fidelibus loco, tempore, & modo congruenti. *Vualafridus Strabo quoque libro de rebus Ecclesiast. cap.* 22. Relatio, *ait*, maiorum est, ita PRIMIS temporibus Missas fieri solitas, sicut modò in Paraseeve Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicare solemus, id est, præmissa oratione Dominica adhibita, eos corpori Dominico, & sanguini communicasse, quos ratio permittebat.

Erubescant igitur ad hæc decreta veterum, sacrificuli, qui populum, Eucharistiam hodiè avidissimè expetentem, jejunum dimittunt. Ob quam causam etiam, contra hæc edicta pia ac salutaria maior spectatorum pars se, quàm primùm Hostiam salutarint, domum recipiunt, non exspectata Sacerdotis dimissione,

De Ægrotis.

Ægrotorum communio unde orta.

COnsuetudo illa, *qua Eucharistia Lapsis pœnitentibus, non antè dabatur, quàm in ipso mortis articulo, ut supra indicatum est, peperit quoque aliam, ut nimirum Cœna Domini non tantùm ob lapsum excommunicatis in extremo mortis agone privatim domi daretur, sed etiam ad quosvis ægrotos & morituros in privatas ædes deferretur. Vadianus antiquitatis indagator diligentissimus lib.* 6. *de Eucharistia, hanc consuetudinem Gregorio M. autore increbuisse testatur. Refert quidem Paulinus, qui Ambrosii vitam à nonnullis descripsisse existimatur*, Honoratum quendam Vercellensis Ecclesiæ sacerdotem, Ambrosio animam agenti corpus Domini obtulisse. *Sed de Paulino ipse sic scribit Erasmus in Præfatione ad Ambrosii libros*: Idem est artifex, qui tam multa contaminavit in scriptis Hieronymi & Augustini, natus ad hunc ludum. Habebat Historiam Ambrosianæ vitæ, ei attexuit præfationem

tionẽ lepidam: intertexuit inter locutiones, addidit coronidem, & aliquot prodigia affinxit. Conferat qui volet Paulini ſtylum cum hujus aſſutis pannis, &c. *In tomis quoque Conciliorum Canon.* 13. *Nicæni Concilii ſic habet:* De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur iſta, ut ſi quis è corpore egreditur, ultimo & neceſſario viatico mininè privetur. *Et mox:* Generaliter cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. *Vnde colligi ab aliquo poſſet, olim quibuſvis ægrotis Euchariſtiam privatim exhibitam fuiſſe. Sed Canones hujus Concilii in tomis vulgaribus corrupti ſunt. Apud Ruffinum, qui veros Canones habet, Cyrillo teſte, ſic habet Canon iſte:* De his qui vita excedunt POENITENTIBVS, decernunt vacuum nullum debere dimitti. *De lapſis ergo & pœnitentibus hoc decreverunt, ut hoc pacto ante vitæ finem Eccleſiæ reconciliarentur: non de quibuſcunque ægrotis.*

Cæna non quibuſvis ægrotis data.

Hæc tamen conſuetudo progreſſu temporis invaluit, & adhuc hodiè à Papiſtis diligenter retinetur, apud quos Sacerdos Euchariſtiam in pixide cum tintinnabulo, luminaribus & crucibus ad ægrotum portat: & ſine hac extrema morientium communione nulli patere aditum ad vitam æternam ſibi aliíſque perſuadent: ideoque quiſque illa ex hac vita migrant, non in communi Chriſtianorum cœmiterio ſepeliunt. Et hanc extremam Communionem Viaticum *vocant, quaſi illi, qui ejus participes facti ſunt, expediti ſint fœliciter ex hac vita migrandi, non tamen recta in cœlum, ſed in purgatorium.*

Diſcrimẽ inter veterem viticum communicandi lapſos ægrotantes & hodiernam dandi Euchariſtiam quibuſvis ægrotis.

Hoc etiam intereſt inter veterem conſuetudinem communicandi lapſos ægrotantes & hodiernam dandi Euchariſtiam quibuſvis ægrotis, quòd olim ſub utraque ſpecie, hodiè verò ſub una tantùm eis datur. Illis enim adhuc temporibus, quibus mentio fit communicationis lapſorum ægrotantium, utraque ſpecies omnibus data fuit. Collegitur hoc etiam ex Serapionis hiſtoria. Referi enim Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium, quòd Sacerdos monuerit puerum, cui deferendum Sacramentum tradiderat, ut depellendæ ſeni moleſtiæ cauſa panem in vinum Euchariſticum intingeret. *Panem igitur & vinum ſecum puer ille detulerat. Et hunc in primitiva Eccleſia fuiſſe morem, ex Iuſtino intelligitur, qui Apologia 2. apertè teſtatur,* conſecratam Euchariſtiam abſentibus è cœtu miſſam fuiſſe. Illis, *inquit*, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, unuſquiſque participat, eadem ad eos, qui abſunt, Diaconis dantur perferenda. *Conſecratum autem fuiſſe panem & calicem ibidem indicat. Et de Exuperio Toloſano Epiſcopo Hieronymus ſcribit,* quòd corpus Domini in caniſtro vimineo, & ſanguinem in vitro portarit.

Captivis & morte plectendis hodiè aliquibus in locis Euchariſtia datur.

Apud Pontificios etiamſi captivi & morte plectendi Euchariſtiam petant, eis non negandam eſſe Doctores eorum iubent. Sic enim decrevit Moguntinum Concilium 2. ſub Rabano habitum c. 27. Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad Eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & Miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondemus, ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus Communio in fine, ſecundum canonicum iuſſum, danda eſt, cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt? Scriptum eſt enim, Non vindicat Deus bis in idipſum. *Habetur etiam* 13. *q.* 2. *c.* 30. *Vnde Sigehago Comiti ſecuri percuiendo, poſt factam confeſſionem Cæna data legitur, circa annum Chriſti* 1101. *ut in Chronico quodam vulgari annotatur. Communiter tamen eis non datur, & nihilominus ſpes gratiæ & vitæ æternæ illis non denegatur: ſed ſi peccata ſua Sacerdoti in aures confiteantur, à peccatis abſolvuntur, & ſi in vera fide moriantur, vitæ æternæ promiſſionem, abſque Euchariſtiæ perceptione, accipiunt. Vſque adeò in denſiſſimis adhuc Papatus tenebris remiſſio peccatorum & ſpes ſalutis reſpiſcentiæ & fidei veræ in Chriſtum citra Euchariſtiæ perceptionem in hoc caſu tribuitur, licet in aliis diſſimuletur.*

Communio ægrotantium in quibuſdam reformata, in Eccleſiis veritatis hodiè.

In reformatis etiam nonnullis Eccleſiis, etſi exploſa ſit Pontificiorum opinio, retinetur tamen privata & extrema ægrotantium communio & morte plectendorum, ut per corporis & ſanguinis Dominici ſumptionem confirmatores in fide, & ad reſiſtendum tentationibus Satanæ, ſuſtinendoſque mortis dolores, inſtructiores reddantur. Quamvis autem his ſit inſidioſa Operi operati opinio, & imperitorum ſuperſtitio, qua ſacramentorum ſignis plus tribuitur quàm expediat: non tamen prorſus damnandam hanc conſuetudinem cenſuerim, modo fiat aliquis cœtus ex cognatis, familiaribus & vicinis, & fiat diſtributio ex mandato Chriſti: deinde coniunctia ſit actio cum myſterii explicatione, nec quidquam à communi Eccleſiæ ratione diverſum: neve panis tanquam ſacer & incantatus è templo afferatur, & in pompa geſtetur: hoc enim intollerabile, illud propoſterum ac ſuperſtitioſum eſt.

Cauſæ ob quas in multis reformatis Eccleſiis communio ægrotantium non ſit in uſu videre

In reliquis verò Eccleſiis hæc privata & domeſtica ægrotantium communio in uſu non eſt, his de cauſis. Prima, *quòd Dominus Cænam ſuam celebravit in toto ac integro diſcipulorum ſuorum cœtu: & quòd Paulus communicationem hanc voluit eſſe eccleſiaſticam & publicam, ut eſt*

videre 1. Cor. 11. Secunda, ne ob hanc privatam & extremam communionem in contemptum veniat publica & ecclesiastica, & hac minus habeatur frequentior, quàm Ecclesiam rectè instituta deceat. Tertia, ne his privatis & domesticis Cœnis rursus in Ecclesiam introducatur Operis operati error, & præposterа fiduciæ, qua ut Papistæ à Missis privatis, ita carnaliores Evangelici à sacramentorum externis signis, loco Viatici acceptis, plus æquo pendeant. Quarta, quòd veteres multò insuper causas & rationes afferre potuerunt clinicorum Baptismorum, quibus in lecto decumbentes antiquitùs moribundi, & qui de vita periclitari videbantur, tingi solebant, quàm hujusmodi Clinicarum Cœnarum: & tamen Baptismum illum Clinicum improbarunt multi veterum, ut apud Eusebium in hist. Ecclesiast. lib. 6. c. 33. videre est. Quinta, quòd nulla tanta utilitas ex hujusmodi Cœnæ privata exhibitione ad Ecclesiam redire potest, quæ incommoda pensare queat, quæ inde exoritura videntur, cujus rei satis nos admonere potest, quæ inde nata est, & non mediocriter aulæ Papistarum superstitio. Sexta, quòd hæc privata Communio primitivæ Ecclesiæ consuetudini repugnat. In illa ante Gregorii M. tempora, Cœna in conventibus fidelium publicis semper administrata, nec ad quosvis ægrotos, sed excommunicatos saltem ob dictas causas, delata fuit.

Hinc vetustissimi Græcorum Theologi Cœnam Συνάξιν appellarunt, à verbo συνάγειν, quod cogere, congregare & in unum cœtum convenire significat, & proinde frivolum est, quod aliqui ad defendendas Cœnas privatas, συνάξεως nomen non de publicis cœtibus & congregationibus particularium Ecclesiarum, sed de participatione ejusdem panis & poculi universalis Ecclesiæ exponunt. Ob eandem causam veteres etiam Cœnam sacram λειτουργίαν vocarunt, quod ministerium, officium & munus quodvis publicum significat: sicut λειτουργὸς publicum ministrum. Unde nonnulli per λειτουργὸς, quasi ἀπὸ τοῦ λεῖν ἔργα ἔχων: λεῖτα namq; dicuntur τὰ δημόσια, hoc est, publica. Neque aliò Latini Patres spectarunt, qui Cœnam & sacros conventus de COLLECTARVM nomine appellarint, à colligendo deducto, quo & populi ad Sacra hæc mysteria collectio, & mos ille in cœtibus colligendæ stipis in pauperum alimoniam, designatus & comprehensus fuit. Nec obstat, quòd Apostolorum ætate & post fideles interdum in privatis ædibus hac sacra peregisse dicuntur. Nam primò, consuebant eò omnes uniusloci fideles, sicut ex Epistola Plinii ad Traianum Imp. intelligitur: & proinde Cœna sacra in congregatione & cœtu fidelium celebrabatur, nec erat privata, sed publica Cœna. Secundò, fiebat hoc tempore persecutionum, quando ob metum tyrannorum Christianis publicè convenire non licebat. Cessantibus autem persequutionibus & pace reddita Ecclesiæ, Cœna non ampliùs in privatis ædibus, sed in publicis congregationibus celebrabatur. Quumque Romæ & aliis in locis nonnulli veterem hunc morem retinerent, & in domibus privatis communicarent, reprehendit eos ob id Hieronymus, & ut in Ecclesia communicent, hortatur: ut est videre in Apologia, quam pro libris suis contra Iovinianum Pammachio inscripsit. Et Iustinianus Imp. hanc consuetudinem lege lata prorsus abrogavit. Nam in Constitut. Novel. 57. ad Menam Archiepiscopum Constantinop. sic scribit: « Omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, imò & totius nostræ ditionis, in « domibus suis habere quasdam quasi oratio- « num domos, & in his sacra celebrare mysteria, & hinc fieri quædam catholicæ & « Apostolicæ traditioni contraria. Sed siqui- « dem domos ita simpliciter aliqui habere « putant oportere in sacris suis, orationis vi- « delicet solius gratia, & nullo celebrando « penitùs horum, quæ sacri sunt mysterii, hoc « eis scilicet permittimus, &c. In his duo ob- Nota. servanda sunt: Primum est, quòd dicit, celebrationem sacrorum mysteriorum in privatis ædibus, contrariam esse Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ. Alterum, quòd permittit quidem fidelibus Imperator in ædibus privatis orare, mysteria autem vel sacra, hoc est, Cœnam Dominicam ibidem celebrare, eis non vult concedere. Hesychius etiam in 8. cap. Levit. omninò requirit, ut in Ecclesia, hoc est, cœtibus & congregationibus publicis Sacramenta tractentur. Et hæ quidem satis graves ac prægnantes causæ mihi videntur esse, ob quas ab hujusmodi Cœnis clinicis abstinendum sit, modò ægroti à ministris verbi ac pastoribus diligenter invisantur, ac serio doceantur, salutem nostram magis pendere à rerum spiritualium communicatione, quæ externis Sacramentorum signis denotantur, quàsque etiam extra Sacramentorum actionem sine symbolis illis, fideles participare possunt, quàm ab ipsis externis earum notis, & earundem externa sumptione: Deinde si diligenter admoneantur, ne contemnant Sacramenti hujus communionem, dum sani sunt & benè valent: Tertiò, ut frequentius per annum Cœna Domini publicè in templis administretur: hoc enim si fiat, Cœnarum clinicarum utilitas per quàm exigua erit.

Eucharistia integra data.

IN ea Ecclesia, quæ vetustissimorum Patrum temporibus extitit, Sacramentum Cœnæ integrum, hoc est, utraq; Specie panis & vini, tam Laicis, quàm Clericis administratum fuit. Cujus aliquot saltem testimonia & exempla adducam.

Ignatius, *qui Ioannis Evangelistæ discipulus fuit, in epistola ad Philadelphensem Ecclesiam sic scribit:* Adhortor vos, ut una fide, una prædicatione, & una Eucharistia utamini. Vna est enim caro Domini nostri Iesv Christi, & unus ejus sanguis pro nobis effusus: unus etiam panis pro omnibus confractus, & unum poculum universis distributum. *Vt hoc tam apertum testimonium Bellarminus eludat, primò dicit, Corruptos esse Græcos codices. In Latinis enim codicibus non haberi*, Vnus calix omnibus distributus, *sed*, Vnus calix totius Ecclesiæ. *Quasi verò Latinis codicibus plus sit tribuendum, quàm Græcis: & Græci codices sint emendandi ex Latinis: quum Ignatius Græcè scripserit. Perinde hoc est, ac si quis iuberet Hebræa Biblia ex Latinis versionibus emendare. Deinde dicit*, Ignatium docere velle, unum tantùm calicem esse, non autem debere vel etiam solere ab omnibus sumi. *Sed hunc sensum à Iesuita verbis Ignatii falsò affingi, quivis intelligit, qui obiter modo ea inspexerit. Tandem igitur veritatem confitetur, & dicit*: Ex his verbis Ignatii nihil aliud elici posse, nisi fuisse usum illo tempore, quum pauci Christiani erant, ut omnibus poculum distribueretur. Sed hoc exemplum esse, non præceptum. *Respondeo, Non præceptum est Ignatij, sed Christi instituentis & mandantis omnibus usum calicis: & verè exemplum hoc est, quod Ignatius refert, Ecclesiæ obedientis præcepto Christi. Lib.* 2. Constitutionum Apostolicarum *cap.* 61. *præcipitur*, ut Cœna Domini administretur sub utraque specie viris & mulieribus. Dionysius *in Ecclesiast. Hierarchia c.*3. *dicit*, Vnitas poculi omnibus distribuitur, Iustinus, *quum non tantùm consecrationem descripsisset, ut Bellarminus vult, sed etiam communionem sub utrâq; specie, mox subiungit:* Apostoli in Evangelijs, ita sibi Christum præcepisse, tradiderunt. *Et Iustini ætate Romæ utranque speciem datam etiam populo, cap.* 5. *referemus.*

Origenes *homil.*16. *in Num. dicit*, Populus Christianus in usu habet bibere sanguinem. *Bellarminus respondet, In usu habuisse, sed non in præcepto. Respondeo, Etiam in præcepto habet populus Christianus, ut suprà audivimus; & quia in præcepto, ideò in usu. Deinde Iesuita dicit, ut eum usum maximè habeat populus Christianus: non necesse tamen est, ut singuli de populo bibant, sed satis est, si in Ecclesia aliqui sint, qui id faciant: multa enim sunt in usu populi Christiani, quæ tamen à singulis non fiunt. Respondeo, Loquitur Origenes non de Clericis vel Sacerdotibus Christianorum, sed manifestè de populo seu plebe: & propterea Iesuita nihil dicit.*

Cyprianus *epist.* 2. *lib.* 1. *sic scribit:* Quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? *Quid contra Iesuitas clarius dici potuisset? Et mox:* Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos faciemus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? *Ius ergo habent Laici ad sanguinem Domini petendum, nec potest eis sine iniustitia denegari. Respondet Bellarminus*, Ex his verbis colligi, jus Laicorum ad communicandum à sacerdotibus dari & tolli: & ideo posse eos etiam de modo communicandi sub una vel altera specie ordinare. *Respondeo, Loqui hic Cyprianum non de jure Sacerdotum, sed de jure Laicorum, quod habent ex Christi institutione & mandato ad poculum, quasi diceret, Iure poculum illis debetur, quia Christus sic ordinavit & præcepit. Quo ergo iure eos non admittemus? Deinde Iesuita dicit*, Si tempore Cypriani habuissent Laici ius petendi calicem, certè ex consuetudine illius temporis habuissent. Ergo quum sit hoc tempore contraria consuetudo, non habent amplius hoc ius Laici. *Sed ad hoc iam responsum est. Habuerunt enim Cypriani ætate jus communicandi sub utraque specie: non ex consuetudine illius temporis, sed ex institutione & mandato Christi. Deinde concedit his verbis aliquo modo Iesuita, fuisse consuetudinem Cypriani tempore dandi Laicis poculum, sed hodiè esse contrariam: sed quo jure, quave injuria hoc fiat, ipsi viderint. Tertiò Cyprianus eadem epistola dicit:* Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit & docuit. *Respondet Bellarminus*, Cyprianum hoc loco non agere, oporteatne calicem populo præbere, an non, sed tantùm, de administratione solius aquæ, & qui hoc faciant, eos non facere, quod Christus fecerit & docuerit. *Est ita ut Iesuita dicit: sed tamen sic de eo agit, ut intelligamus, eo tempore calicem populo datum fuisse. Et si Aquarij tam graviter à Cypriano reprehenduntur, qui loco vini aquam ministrabant, quanto gravius reprehenderet, si hodie viveret, Pontificios sacerdotes, qui totum calicem plebi eripiunt. Sed hanc consuetudinem absurdam esse Iesuita dicit.* Nam qui dant in sola aqua consecratum, corrumpunt Sacramentum Christi, quia mutant materiam: & populum decipiunt, cui pro sanguine Domini aquam dant, quæ gravissima sacrilegia sunt: denique etiam cum præcepto Domini pugnant, quod semper Cyprianus urget, quia Dominus jussit fieri, quod ipse fecit, dum ait: Hoc facite: ipse enim calicem vini mysticè consecravit, non calicem aquæ. At præbere populo Eucharistiam sub una specie, nullum sacri-

Quantùm sacrilegium Cana mutatio.

sacrilegium, nullam fraudem, nullius præcepti prævaricationem continet: *Hæc omnia Bellarmini verba sunt. Respondeo: Suo ipsius gladio Iesuita iugulatur. Nam si Sacramentum corrumpunt qui materiam saltem mutant: quantò magis qui mutilant? Si populum decipiunt, qui pro sanguine aquam porrigunt, quanto magis qui calicem populo omnino eripiunt, & sub una specie panis, utrunq;, tam corpus quàm sanguinem edere ac bibere eos fingunt? Si grave sacrilegium est pro vino aquam exhibere, longè ceriè grauissimum est, hanc speciem prorsus tollere. Si Aquariorum factum cum præcepto Christi pugnat, multo magis Pontificiorum facinus cum mandato Domini pugnat, quod Cyprianus sapissimè urget, quia Dominus iussit fieri, quod ipse prior fecit, dicens, Hoc facite: ipse autem panem cum vino dedit, & dare iussit, non panem sine calice. Qui igitur Eucharistiam sub una specie dat, sacrilegium & fraudem committit, & mandatum Christi transgreditur.* Quartò *Cyprianus in Serm. de Cœna dicit*, Lex esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur, *Respondet Iesuita primò*, Evangelium præcipere ut bibatur, sed non ut ab omnibus bibatur. *Respondeo, Evangelium, hoc est, verba Christi præcipere, ut hoc à cunctis fiat, supra probatum est. Deinde quia Cyprianus à contrario argumentatur, nobis quoque idem licet facere: Lex enim sanguinis esum non tantùm sacerdotibus prohibuit, sed universo populo: sic Evangelium etiam non tantum sacerdotibus præcepit bibere sanguinem Christi, sed etiam plebi. Secundò respondet*, Cyprianum non facere vim in bibendo, sed in sumendo sanguinem: promiscuè enim loqui eum de esu & potu sanguinis. *Sed Iesuita Cypriano injuriam facit, non enim promiscuè, sed distinctè de eo loquitur. Non enim sanguis animalium bibitur, sed editur. Vnde etiã Lex Dei, Levit. 7. sic habet, Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo. E contra, Sanguis Christi non editur, sed tantum bibitur. Rectè ergò Cyprianus dixit*, Lex esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur: *nec pro eodem sumit esum & potum. Probave tamen vult Iesuita suam sententiam ex eodem Cypriani Sermone, ubi dicit*, Potum & esum ad eandem pertinere rationem: *vult igitur, hæc duo, unum & idem esse: ac proinde Catholicos sub specie panis cum corpore etiam edere sanguinem: quod mox aliis verbis ejusdem Sermonis probare conatur, quæ sic habent:* Manducaverant, & biberant de eodem pane. *Respondeo ad priora verba, Iesuitam ea longè in alium sensum trahere, quàm à Cypriano dicta fuerint: Non enim loquitur de significatione horum verborum, quasi idem significent & pro iisdem accipiantur in Eucharistia: sed loquitur de vi & efficacia esus & potus Eucharistiei, & sensus est, eandem efficaciam utrumq; habere, & sic ad eandem pertinere rationem: Hoc ex verbis sequentibus clarissimè intelligi potest. Quum enim dixisset*, Potus & esus ad eandem pertinent rationem, *mox addit*, Quibus sicut corporea nutritur substantia, & vivit, & incolumis perseverat, ita vita spiritus hoc proprio alimento, nutritur, *&c. Quod ad postremæ verba attinet, per* Panem *Cyprianus totum Sacramentum intelligit, juxtà morem & consuetudinem Christi. Sic enim eodem Sermone*, Hoc Sacramentum, *inquit*, aliquandò corpus suum, aliquandò carnem & sanguinem, aliquandò PANEM Christus appellat. Quintò *eodem Serm. dicit*: Nec solos Sacerdotes ad panes hujus dignitatis Leviticæ prærogativa admittit, universa Ecclesia ad has epulas invitatur. *Vbi etiam per panes & epulas, integrum Sacramentum; seu utramque speciem ut supra, intelligit. Ex his omnibus Cypriani verbis intelligimus, eius tempore, utramq; speciem Laicis communicatam fuisse. Quod etiam Gabrielem Biel fateri oportet Lect. 84. lit. R.* Loquitur, *inquit*, Cyprianus iuxta morem suæ Ecclesiæ, cui ipse præsedit, in qua fortè tempore suo particulariter viguit communio sub utraque specie.

Cypriani tempore Laicis utraque species data.

Hieronymus *super* 1. *Cor.* 11. *dicit*: Dominica Cœna omnibus communis esse debet, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter Sacramenta tradidit. *Et in cap.* 2. *Malach.* Sacerdotes, *ait*, qui Eucharistiam conficiunt, & sanguinem Domini populo distribuunt, *&c. Et alibi*, Sacerdotes Eucharistiæ servientes, sanguinem Domini populis divisisse sua ætate confirmat.

Ambrosius *de initiandis mysteriis, cap.* 9. *ait*: Illis aqua è petra fluxit tibi sanguis è Christo. *Et ad Theodosium Imp. inquit*, Qua audacia poculum sanguinis pretiosi, ore tuo participabis? *ut Theodoretus li.* 5. *hist. ca.* 18. *refert. Ad quæ testimonia nihil aliud Bellarminus respondet*, quàm datam fuisse aliquandò utranque speciem Laicis, sed non iure divino. *Hoc verò à nobis supra probatum est. Et in* 1. *Cor.* 11. *rationem reddens cur ambæ partes recipi debeant*, Sub utraque ait, specie sumitur, quod ad utrumque valet, quia sub utraque sumitur, ipse totus Christus. Sed si in altera tantùm sumeretur, ad alterius tantùm, id est, animæ vel corporis, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur.

Chrysostomus homil. 18. *in* 2. *ad Corinth. scribit*: Est autem ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim ut illa percipiamus, digni habemur. *Respondet Bellarminus*, Chrysostomum vim facere in re, quæ sumitur, non in speciebus vel modo sumendi.

Sed clariora sunt verba, quàm ut sic eludi possint. Inquit enim manifestè Chrysostomus, Omnes dignos haberi, ut mysteria hæc percipiamus, & in hoc nullum esse discrimen inter sacerdotem & Laicum. *In Liturgia Chrysostomi & Basilii orat Sacerdos*, Dignare Domine dare nobis corpus & sanguinem tuum, & per nos populo.

Augustinus *Quæst. super Levit. cap.* 17. Quid sibi vult, *inquit*, quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: à cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum omnes exhortantur qui volunt habere vitam? *Quid quæso clarius dici potuisset? Respondet Bellarminus*, eodem modo Augustinum de potu sanguinis loqui, quo supra Cyprianus: nec vim facere in modo bibendi, sed in ipsa sumptione sanguinis, qui idem efficiat, sive sumatur per modum cibi, sive per modum potus. *Sed ad hæc supra responsum est. Deinde petit, ut in hac quæstione subinde facit, principium quum suam Concomitantiam pro confessa sumat, de qua tamen controvertitur.*

S. Martialis *ad Burdegalenses sic scripsit:* Nunc autem Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in calice & pane vivo multò magis honorare debetis.

Cyrillus Hierosolymitanus 4. Catechesi Mystag. In typo, *inquit*, panis datur tibi corpus Christi, & in typo vini datur sanguis, ut participato corpore & sanguine Christi fias σύσσωμος καὶ σύναιμος, *hoc est*, concorporalis & consanguis Christi. *Quibus verbis docet, unumquenque ex ovibus Christi oportere esse σύσσωμον & συναίμονα Christi: conflat ergo ex his, ne in mentem quidem vel Cyrillo vel aliis Patribus venisse, ut Christi fideles à typo vini arcerent.*

Quomodo in primitiva Ecclesia Eucharistia sumta fuerit. Primò Caste.

TErtullianus *lib. 2. ad uxorem, de Paschate in quo Cœna Domini majori solennitate, quàm alio tempore celebrabatur, sic scribit.* Quis solennibus Paschæ obnoctantem uxorem securus sustinebit? *Et Epiphanius lib. 3. tom. 1. hæresi* 75. In diebus, *inquit*, Paschalibus apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ ac jejunia. *Cæsarius etiam, qui floruit circa annos Christi* 670 *homil.* 18. In paschate, ait, castitatem, sicut in Quadragesima, servate, abstinentes ab uxoribus, castitatis luce vestiti. *Hinc, ut opinor, Canon extat apud Gratianum de Consec. dist. 2. c. Omnis homo. Eliberitani Concilii, qui tamen inter Canones ejus non habetur in tomis Conciliorum, in quo præcipitur*, ut omnis homo ante communionē sacram à propria uxore abstineat tribus, aut quatuor, aut etiam octo diebus. *Unde Hieronymi adhuc ætate, quum universus populus quotidiè Eucharistiam perciperet, multi autem mariti & uxores secum reputantes, quòd inter se occulta commertia habuissent, seque propterea cæteris aliquantò impuriores & contaminatores esse judicantes, ad Ecclesiam eo tempore non accesserunt. Hanc superstitionem Hieronymus multùm promovit, qui multa satis inverecundè de Conjugio & scripsit, & dixit. Nam in lib. 1. contra Iovinianum dicit:* Bonum est non tangere mulierem: ergo malum est tangere mulierem. *In eodem errore etiam alij ex Patribus fuerunt: Tertullianus inquit:* Ergo, ais, iam & primas, id est, unas nuptias destruis? Nec immeritò: quoniam & ipsæ ex eo constant, quod est stuprum. *Origenes*, Videtur, *inquit*, mihi, quòd illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se castitati devoverit. *Contrà vero piorum matrimonium castum esse, & in omni hominum genere sanctum Paulus docet Hebræ.* 13. *cap. Et Chrysostomus homil. 7. ad Hebræos*, Vtere, *inquit*, cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno Dei. *Rursus homil. 8. hæc Pauli verba explicans*, Matrimonium est honorabile, *sic scribit:* Hic Iudæos pulsat, qui pollutū putabant conjugalē concubitū, & dicebant immundū esse, quicunq; ab eo veniret. Non est pollutū, quod ex natura est ô ingratissimè & insensatissimè Iudæe, &c. *Contra hunc etiam errorem Augusti. scripsit, in li. De bono conjugij inscripto. Hieronymus etiam posteà suam hac de re ad Pammachium scripsit Apologiam. In Cabillonensi tamen Synodo 2. anno Christi* 813. *habita, cap.* 46. *rursum decretum fuit*, ut abstinendo aliquot diebus ab operibus carnis, & purificando corpus, animamque suam, præparet se homo quilibet ad perceptionem Cœnæ Dominicæ: exemplo Davidis, qui, nisi se fassus fuisset ab heri & nudius tertius abstinuisse ab opere conjugali, panes propositionis nequaquam à Sacerdote accepisset.

Contra coniugii patrit.

Pro conjugio.

Secundò Jejunè.

IN *primitiva Ecclesia quoque Iejuniis vacabant in* hebdomada Magna, *quum tempus Paschale appropinquaret, quo sacrosanctam Domini Cœnam celebraturi erant. Chrysostomus enim homil. 20. in 10. cap. Genes.* hebdomadam Paschalem

Ante Cœnæ sumptionem jejunabatur.

Paſchalem iejuniis,vigiliis,pernoctationibus ſacris & eleemoſynis decorandam *docet auditores ſuos. De præparatione etiam ad hoc feſtum ſic loquitur ad auditores ſuos Cæſarius homil.*18. In Paſchate,*inquit*,caſtitatem,ſicut in Quadrageſima,ſervate,abſtinentes ab uxoribus,caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbari,orationibus, jejuniis, & vigiliis, veluti quibuſdam margaritis cœleſtibus ornati,pacifici cum amicis & inimicis,ut poſſitis libera conſcientia ad altare Domini accedere. *Et hoc olim in uſu fuiſſe Epiphanius quoque lib.*3. *tom.*1.*h.ref.*75.*teſtatur.*

Iejunia aliis libera.

Non tamen omnes hoc tempore eaſdem jejuniorum leges ſequebantur,nec illa ciborum ſuperſtitione tenebantur,nec etiam dura illa neceſſitate conſtringebantur, quæ poſtea papiſticis traditione introducta ſunt.

Pœdenata conſuetudo ſumendi Cœnam à jejunis.

Hinc verò mox conſuetudo illa nata eſt, ut Euchariſtia non niſi à jejunis hominibus ſumeretur, eamque progreſſu temporis lege obtruſit Eccleſiæ Synodus Carthaginenſis 3. *anno Domini* 397. *celebrata, cap.* 29. *& habetur etiam de Conſecr. diſt.*1.*cap.*49. *De hoc paulò aliter ſcribit Chriſtianus Druthmarus, qui circa annum Domini* 800. *floruit, in Matth.* 26. *cap. ad verba illa*, Dico autem vobis, non bibam, &c. Dominus, *inquit*, ſacramentum corporis & ſanguinis ſui poſt Cœnam dare voluit diſcipulis ſuis. Fecerunt autem multo tempore Apoſtoli ſimiliter, poſt alium cibum Dominicum ſumentes. Poſt verò quum venirent ebrii ad communicandum,tunc præceptum eſt in ſynodo, ut unuſquiſque homo,ſi etiam de aliis peccatis purificatus fuerit, prius reficiatur de cibo ſpirituali, & poſtmodum temporali.

An ſupra cibo Euchariſtia ſumende ſit propter exemplū Chriſti.

Cyprianus *lib.* 2. *epiſt.* 3. *docet*, Chriſtum certa de cauſa obtuliſſe ad veſperam,& poſt Cœnam: *quibus ſubiicit*, Nunquid ergo poſt Cœnam Dominicum celebrare debemus? *quaſi diceret*, *Nequaquam. Chryſoſtomus homil.* 27. *in* 1. *Corinth. ferè in fine*, Tu, *inquit*, priuſquam accipias, jejunas, ut aliquomodo dignus communicatione videaris. *Et in epiſtola* 3. *ad Cyriacum*, *ſe accuſatum ſcribit*, quòd non jejunis Communionem dederit: ac jurat, ſe id non feciſſe: Si id feci, *inquit*, abiiciat me Chriſtus à regno ſuo. Auguſtinus *de eadem conſuetudine epiſt.* 118. *cap.* 6. *ſic ſcribit*: Liquidò apparet, quandò primum acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Chriſti, non eos accepiſſe jejunos: nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret,quàm cæteri cibi:nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neq; enim quia Dominus poſt cibos dedit propterea pranſi aut Cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent: aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta mitcere. Namque Salvator quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem,ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat: & ideò non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur,ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat,ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſer, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quòd illum morem nemo variaſſet. *Fatetur hoc loco Auguſtinus*, Chriſtum nihil præcepiſſe de Iejunio ante Euchariſtiæ ſumptionem: ſitne à jejunis vel pranſis ſumenda, an non. *Fatetur igitur*, Dominum hanc rem liberam Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe. *Nam quod nec præceptum, nec prohibitum eſt, ἀδιάφορον ſeu indifferens eſt, quod obſervari poteſt, vel non.*

An ſumere Cœnam jejunis ſit Apoſtolica traditio.

Sed non obſcurè innuit Auguſtinus, Jejunium hoc traditionem Apoſtolicam eſſe, à Spiritu ſancto & Apoſtolis profectam, ideoque neceſſariò ſervandam. Dicit enim, Placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. *Item*, Non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur,ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat,ſervaret hunc locum. *Reſpondeo*, *Auguſtini ætate, vulgo creditum fuit. Quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem receptum eſſet devotionis, à traditione Apoſtolica & Spiritus ſancti doctrina id poteſtis; ſicut totidem verbis atteſtatur Leo Romanus Serm.* 2.*de jejunio Pentecoſtes. Deinde quæro, ubinam in ſcriptis Apoſtolicis hæc. ſive doctrina, ſive traditio extet? Melius igitur Socrates, quum ex diverſitate obſervationis, tùm ex eo, quòd nemo ſcriptum aliquod præceptum de Quadrageſima poteſt oſtendere, concludit*, Apoſtolos in jejuniorum ratione liberam cuique poteſtatem reliquiſſe. *Addit Auguſtinus*, Morem hunc per univerſum orbem ſuo tempore ſervatum. *Reſpondeo ex Cypriano*, Non eſt quod aliquis exiſtimet, ſequendam eſſe quorundam conſuetudinem. Quærendum enim eſt ipſi quem ſint ſequuti. Nam ſi in ſacrificio,non niſi Chriſtus ſequendus eſt,utique id nos audire & facere oportet, quod Chriſtus fecit & faciendum eſſe mandavit. *Et mox*: Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem,&c. *Chriſtus autem de hac re nihil vel præcepit,vel mandavit:liberam igitur obſervationē ejus fidelib. reliquit. Quibus & illud adiiciendum arbitror,quod Auguſtinus ad Caſſulanum ep.* 86. *ſcribit:*

ſcribit : Si de iis, *inquit*, de quibus nihil certi divina Scriptura ſtatuit, diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, & nempeſtate contentionis ſerenitas obnubilabitur charitatis. *Et tamen* Conſtantienſe Concilium *poſtea hanc conſuetudinem tanquam neceſſariam Eccleſiæ rurſus obtruſit. Sic enim decrevit Seſſ.* 13. Licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum : tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quòd hujuſmodi Sacramentum non debet confici poſt Cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à jure vel Eccleſia conceſſo. *Servatur igitur hæc lex etiámnum hodie religioſiſſimè in Papatu: ſic tamen, ut in caſu neceſſitatis etiam poſt cibum communionem ſumere permittant : Vt quando ægrotus aliquis de vita periclitatur, & nondum Viaticum, ut vocant, accepit, & periculum in mora eſt, quacunque hora ei communio dari ſolet. Et extra hunc caſum qui inter abluendum aliquas aquæ guttas in ſtomachum trajecerit, non ſolviſſe jejunium cenſetur, nec vel à ſacro faciendo prohibetur, vel à communione ſumenda, ut eſt apud Thomam* 3. *par. q.* 80. *art.* 8. *Hypocritæ, colantes culicem, & deglutientes camelum.*

Quod ſi quis ſummo jure hiſtoriam inſtitutæ Cœnæ, ut eſt ab Evangeliſtis deſcripta, urgere vellet, longè facilius eſſet confirmare, Cœnam non eſſe celebrandam & ſumendam, niſi antea cœnatis, quàm quod in contrariam partem docetur. Clariſſimum enim exemplum habemus Chriſti & Apoſtolorum, cui & Corinthiorum exemplum adjicere poſſumus. Chriſtus enim ipſe Sacramentum hoc inſtituit & celebravit poſt Cœnam Paſchalem : Apoſtoli itidem poſt eandem Cœnam panem Euchariſticum ederunt & de poculo biberunt : non igitur jejuni hoc Sacramentum ſumpſerunt. Et ſi Ieſuitis credimus, Chriſtus in Emaus veſperi Euchariſtiam præbuit duobus diſcipulis, quos uſque ad veſperam jejunos manſiſſe non eſt veriſimile. Ex Pauli quoque reprehenſione, qua Corinthiorum conſuetudinem emendare ſtudet, clarè evincitur, illis temporibus Chriſtianos Cœnæ celebrationi convivia adjicere ſolitos fuiſſe. Nec id in Corinthiis reprehendere videtur Apoſtolus, ſed hoc potius, quod nec juſta in iis conviviis pauperum ratio habebatur, nec ù ordo ſervabatur, eaque reverentia adhibebatur, quam ſacra illa actio requirebat. Socrates quoque refert, Ægyptios Alexandriæ vicinos, & Thebaidos habitatores, poſtquam fuerint epulati & cibis omnibus adimpleti, circa veſperam oblatione facta communicaſſe. *Et Auguſtini ætate in multis Eccleſiis, ut ipſemet epiſtola* 118. *ad Ianuarium refert*, die Jovis ante Paſcha, ut magis Chriſti actio referretur, noctu atque poſt Cœnam Euchariſtia dabatur: *quæ tamen conſuetudo poſtea in Synodo* 6. *Conſtantinopolitana in Trullo habita, abrogata fuit. Chryſoſtomus etiam in epiſtola* 1. *ad Innocentium narrat*, ſe cum omni clero ad veſperam diei magni ſabbathi fuiſſe in ſacrario, ut ſcilicet baptizatis Euchariſtiam adminiſtraret. *Et Cœnam ſolitam olim celebrari, non tantùm ante meridiem, ſed & circa nonam horam, aliquando etiam ad veſperam præcipuè verò in Sabbathis Paſchæ & Pentecoſtes, Caſſander multis veterum teſtimoniis probat. Hùc accedit, quod verum jejunium non in eo conſiſtit, ſi quis à media nocte uſque ad meridiem nihil cibi aut potus ſumat, atque interim faciat quod carni ſuæ allubeſcat, quale plerunque eſt hominum jejunium. Sed hoc eſt verum jejunium quod elegit Dominus :* Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam : quum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. *Si quis hoc modo jejunus ſit, liberè accedat ad menſam Domini, nulla habita ratione, antene ſumptum cibum, an poſt id fiat. Denique conſuetudo hæc à cibis abſtinendi in perceptione Sacramenti conjuncta eſt apud multos cum impia ſuperſtitione. Nam quia opinantur reale corpus Chriſti in Cœna adeſſe, volunt hunc honorem Chriſto ejuſque carni deferre, ut prius corpus hominis ingrediatur, quàm ullus alius cibus ſumatur, ne cum aliis ventris cibis miſceatur.*

Jejunium verum quod ante Communionem Cœnæ.

Neque tamen hæc ita à quoquam accipi velim, quòd placeat eos qui nondum edormierunt crapulam & exhalarunt, ad hoc ſacroſanctum convivium accedere. Fatemur enim honeſtam & laudabilem conſuetudinem eſſe, hoc Sacramentum ante prandium matutinis horis tractandi. Sunt enim jejuni ad omnia munera obeunda aptiores, quàm ii, quorum corda ebrietate & crapulâ gravantur. Vnde & Dominus Aaroni præcepit : Vinum & omne quod inebriare poteſt, non biberis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini : & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter Sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, *Levit.* 10. *Et ſapientes quidam Ethnici biduò non guſtarunt vinum, quum in Senatum ipſis eundum fuit. Quantò magis convenit hoc venerabile Sacramentum à jejunis cum ſobrietate & reverentia tractari & ſumi ? Sed hoc volumus, jejunium*

hoc

hoc debere esse liberum, nec damnandum, qui moderato cibo sumpto, ad hoc convivium accesserit, præsertim si aliqua urget necessitas, maximè verò cujus tanta est corporis imbecillitas, ut diu famem tollerare non possit sine valetudinis jactura, cujusmodi sæpe sunt senes & gravidæ mulieres: his tam strictas severasque jejunii leges non indicendas arbitror, sed eos Christianæ libertati relinquendos.

Quando sumpserint Cœnam in Primitiva Ecclesia.

Non uno sed diverso tempore pro ratione libertatis Christianæ celebrata Cœna.

NOn uno & eodem, sed diverso tempore, pro ratione libertatis Christianæ, Cœna Dominica in Primitiva Ecclesia sumpta fuit. Neque enim vel Servator, vel Apostoli hac de re quicquam decreverunt, sed liberam hanc temporis circumstantiam fidelibus reliquerunt. Ne enim videretur Christus communionem ad certum tempus alligasse, quod illo ipso tempore, quo Iudæi suum Pascha celebrarunt ex legis præscripto, Cœnam suam instituit: expressè dixit, Hoc facite, quotiescunque ederitis & biberitis, ad mei recordationem: *sicut Paulus* 1. *Cor.* 11. *cap. his repetit, & dicit,* se à Domino accepisse, quod ipsis tradiderit. *Duplici autem errori his verbis occurrere voluisse videtur: Primò, ne Communio Cœnæ putaretur ad certum tempus alligata esse; sicut Pascha Iudæorum: Secundò, ne existimaretur illud, de quo Christus dixit,* Hoc facite, *semel tantùm in anno faciendum esse: sicut in lege semel tantùm in anno Pascha comederunt. Certissimum igitur est ex verbis Institutionis Christi, celebrationem Cœnæ Dominicæ non esse alligatam certo cuidam anni tempori.*

Alicubi Cœna quotidie celebrata.

Hinc in primitiva Ecclesia nonnullis in locis Eucharistiam quotidie sumpserunt: ut ex Eusebii lib. 1. *cap.* 10. *de Demonstratione Evangelica colligitur. Et Cyprianus super oratione Dominica,* Hunc, *inquit,* panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad Salutis cibum percipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absenti, & non communicantes à cœlesti pane, prohibemur, à Christi corpore separemur. *Ambrosius quoque lib.* 5. *de Sacram. cap.* 4. *monet,* quotidie accedendum esse: quotidie enim memininisse oportere mortis Christi, & homines quotidie peccare. *Et Hieronymus ad Lucinium scribit:* Utinam Eucharistiam absque condemnatione nostri semper accipere possimus. *Augustinus etiam Epistola* 118. *refert,* Sacramentum corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie sumi: *idem in Tract.* 26. *in Ioannem testatur. Chrysostomus hom.* 17. *in c.* 10. *Heb. inquit:* Nonne per singulos dies offerimus?

Cùm verò quotidiana communio postea à populo intermitteretur, clerici tamen iisdem in locis eam retinuerunt, & quotidie ad communionem convenerunt, ut ex Micrologo Cassander indicat.

Alicubi bis in hebdomada: nimirum Sabbatho & Dominico, Augustino teste epistola 118. *Cœna alicubi bis in septimana celebrata.*

Apud quosdam Eucharistiæ communio usitata fuit die Dominica, feria quarta, sexta, & Sabbatho. *Sic enim Basilius in epistola ad Cæsariam Patritiam scribit:* Communicamus quater in hebdomada: die Dominica, die Mercurii, die Veneris & die Saturni. *Et Epiphanius in Compendiaria forma fidei Catholicæ ait,* ex Constitutionibus Apostolicis, Synaxes ordinatas esse die Dominica, feria quarta & sexta. *Hoc tamen incertum esse, varietas indicat: de qua Socrates lib.* 15. *cap.* 21. *Et multa rituum diversitate exposita, addit ibidem memorabilem sententiam, contra eos qui ejusmodi ad originem & ordinationem Apostolicam illicò revocant, sic inquiens:* Causa quidem & authores ejusmodi discrepantiæ fuerunt Episcopi, qui variis temporibus Ecclesiæ præfuerunt. Qui verò talia acceperunt, velut legem quandam posteris præscripserunt. *Et Augustinus Epiphanio manifestè contradicit epistola* 118. *ad Ianvarium.* *Cœna alicubi certis diebus in septimana celebrata.* *Nota sententia Socratis.*

Apud nonnullos Dominicis *tantùm* diebus *ut Augustinus indicat Epist.* 118. *Cœna celebrata: quod etiam intelligitur ex epistola synodica Alexandrini Concilii in Macarii cujusdam defensionem scripta. Probare enim volens Concilium Macarium sacrum calicem non confregisse, inter alia etiam hoc argumento utitur,* non fuisse tum diem Dominicam: *Et Socrates refert lib.* 5. *c.* 22. Omnes ubique totius orbis Ecclesias una die Sabbathorum, per omnem septimanæ periodum mysteria celebrare; Romanos tamen & Alexandrinos ex vetusta quadam traditione id facere detrectare. *Concilii Toletani* 4. *Canon* 9 *sic habet:* Nonnulli Sacerdotum in Hispania reperiuntur, qui Dominicam Orationem, quam Salvator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicant. Quod si Hispaniæ Sacerdotes Orationem Dominicam dominicis tantùm diebus recitarunt, & communio sine Dominica oratione nunquam celebretur, sequitur Cœnam Dominicam à Sacerdotibus Hispanis Dominicis tantùm diebus administratam fuisse. *Cœna alicubi die Dominicâ tantùm celebrata.*

Augustinus Epistola 118. *ad Ianvarium scribit,* feria quinta ultimæ hebdomadæ Quadragesimæ, in nonnullis Ecclesiis bis celebrari Cœnam Dominicam, mane, & vesperi post cœnam, in nonnullis tantùm vesperi. *In Tract.* 26. *in Ioannem,* Hujus rei, *inquit,* Sacramentum alicubi quotidie, alicubi *Varietas temporis in celebratione Cœnæ.*

certis intervallis dierum, in Dominico præparatur, & demensa DOMINICA SVMITVR. *Ambrosius in* 1. *Tim.* 3. *c. aliquando bis in hebdomada, non quotidie hoc fieri scribit. Nicephorus etiam lib.* 12. *cap.* 34. *sic scribit.* In Synaxi plutimam varietatem fuisse invenimus. Cùm enim pleræque omnes per orbem Ecclesiæ diebus Sabbathi consuetudinem haberent hebdomadis unius tempore divinis mysteriis operari, Romani & Alexandrini ex antiqua quadam traditione hoc non faciebant. Ægyptii verò Alexandrinis vicini, & qui circa Thebaidem habitant, synaxes quidem die sabbathi peragebant: sed non eadem, qua tum Christiani utebantur consuetudine, divinam sanctificationem percipiebant. Verùm cùm abundè convivati essent, & omnis generis cibis delicatius se repleviſſent, à prandio scilicet, circiter vesperam multam, mysteria oblatione peracta percipiebant. Quarta hebdomadis die, & ea quæ parasceve dicitur, Alexandrini scripturas legebant, doctoribus eas interpretantibus: omniaque quæ ad Synaxim pertinent peragebant, præterquam divinorum mysteriorum perceptionem. Atque eam illi antiquitus habuere consuetudinem. Dicunt etenim, & Origenem plurimùm diebus illis in Ecclesia docuisse, atque synaxes seu conventus egisse. *Hæc ille.*

Observatio temporis in Cœna celebrationi Eucharistiæ.

Totum hoc genus rerum liberas habuit in primitiva Ecclesia observationes, nec propterea unitas Ecclesiæ scissa est: ut Augustinus epist. 118. *scribit. Vnde idem Pater eodem loco*, Dixerit quispiam, *inquit*, non quotidie accipiendam Eucharistiam: alius affirmet quotidie: faciat unusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si salubertimum Sacramentum certatim honorare contendunt: *ut compendiosè legitur de Consec. dist.* 2. *c. Quotidie. Et de Ecclesiast. dogmatibus cap.* 53. Quotidie Eucharistiæ, *ait*, communionem percipere, nec laudo, nec vitupero: Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, &c. *De eodem Hieronymus ad Lucinium sic scripsit:* De Eucharistia quòd quærit, an accipienda sit quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ & Hispaniæ observare perhibentur: Ego illud breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt: Nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti. *Rursus*: Unaquæque provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur. *Chrysostomus homil.* 17. *ad Hebræos de eodem sic scribit*: Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alii bis, alii sæpius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos qui hic sunt tantùm, sed etiam ad eos qui in eremo sedent. Illi enim semel in anno participantur, fortassis enim, & post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? eosne qui semel; an eos, qui sæpius: an illos, qui rarò accipiunt? Neque illos qui semel, neque qui sæpius, neque qui raro: sed eos, qui cum munda conscientia, & cum mundo corde, cum vita irreprehensibili: isti semper accedant. Qui verò tales non sunt, neque semel. Quid ita? quia judicium sibi accipiunt, & damnationem, & supplicium.

In Festis majoribus & frequentia maior cùm celebravit quàm aliis diebus.

In Festis tamen majoribus & solennioribus mixta frequentia & multitudo hominum, & quidem longè major quàm aliis diebus, Cœnam celebravit. Sic Chrysostomus indicat, in sua Ecclesia, talem solemnem communionem in Paschate celebratam fuisse. *Eodem sensu homil.* 11. *ad populum Antiochenum, & ad Hebr.* 10. unius in anno communionis meminit. *Huc etiam respicit Leo, qui ad Dioscurum Alexandrinum ita scribit*: Si solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, quem recipere simul una basilica non posset, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, &c. *Vnde & Agathense* 1. *Concilium Can.* 21. in privatis Oratoriis usum communionis concedit: *hac tamen conditione*, ut in majoribus festis omnes conveniant ad Parochiale templum, & legitimum, ordinariumque cœtum. *Sic enim habet Canon*: Si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ; justa ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, & Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus, aut in parochiis teneant.

Vnde Nundina à Germanis vocentur Miss.

Beatus Rhenanus putat, ex frequentioribus his conventibus ad solennem hanc communionem, reliquum adhuc esse, post collapsam illam consuetudinem hoc vestigium, quod Nundinæ in celebrioribus Germaniæ urbibus Missarum nomen retinent. Verba ejus hæc sunt in Præfatione ad Liturgiam Chrysostomi à Leone Thusco versam: Missæ publicæ tanta populi religione, & tam frequenti conventu fiebant solennibus duntaxat diebus, ut in Francorum legibus, quæ ipsi Capitula vocitabant, & aliis Scriptoribus præcedentium seculorum, quoties præfinitum terminum nominare opus est, ad Missam Ioannis vel Andreæ, vel Candelarum Missam, aut inter duas D. Mariæ Missas, Assumptionem & Nativitatem intelligentes,

ligentes, aliquid faciendum intelligant. Quemadmodum autem ad publicam Missam tanta populi vis undique confluebat, ita solebant & mercatores peracto sacro, res venales proponere, ex opportunitate frequentiæ populatis quæstum captantes. Unde factum est, ut à Gallis & Germanis Missæ vocabulum nundinis ac mercatui tribuatur: Vocant enim Missam Lugdunensem, Francofordiensem, Antuerpiensem, &c. ubi merces solenni negotiatorum conventu distrahuntur. Proinde non est mirandum, cur Calixtus Pontifex Romanus prohibuerit, ne Abbas publicas Missas cantet, & Gregorius ne Episcopi, vel Clerici in monasterio idem facere tentent: ne videlicet, ut idem ad Castorium scribit, in Dei servorum recessibus, & eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occasio conventûs. Siquidem promiscua hominum multitudo, viri, mulieres, adolescentes, & puellæ, sacram etiam communionem, si quibus collibuisset, unà cum Sacerdote percipiebant. *Nec malo consilio hæc solennis communio, olim instituta fuit, sed ut hæc publica professione declararent, se esse membra veræ Ecclesiæ, & admonerentur, sicut unus est Panis, ita multos se unum corpus esse: atque etiam hoc modo consensus in doctrina & fide retineretur.*

Cur solennis illa communio olim instituta.

Hic verò creberrimus Cœnæ Dominicæ usus, & quotidiana ejusdem celebratio, mox pristinum fervorem populi Christiani extinxit, & in tam fœdum abusum totam sacrosanctam hanc actionem adduxit, ut jam olim non solùm Episcopi aliique Ecclesiarum Doctores de eo sæpè graviter conquesti sint, sed etiam exhortationibus & severissimis increpationibus eorundem, præterea anathematismis & excommunicatione Conciliorum ad frequentiorem Eucharistiæ usum, quamvis fructu, cogendus fuerit populus.

Celebrior Cœnæ usus in contemptum eã abduxit.

Chrysostomus sua jam ætate palàm sæpe conquestus est, ac vehementissimis exprobrationibus cum populo expostulavit, tum quod usque eò moræ erat impatiens, & pro nihilo sacra illa mysteria habebat, ut retineri in templis nulla ratione posset, tantisper dum peractis sacris omnes uno ore solennes gratias agerêt: tum quòd ad ea accedere adeò negligebat ac fastidiebat, ut sæpenumerò præter solum Episcopum, cum Diaconis, & Clericis, alius nemo communicare dignaretur. Sic igitur in hos graviter destomachatur homil. 60. 61. ad populum Antiochenum: Sacrificium, *inquit*, fructra quotidianum. Incassum assistimus altari: nullus qui communicetur. Hæc non ut temerè communicemini dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus vel communione? igitur nec oratione. Astantem audis præconem atque dicentem, Quotquot estis in pœnitentia, omnes orate. Quicunque non participes fiunt, in pœnitentia sunt (*Intelligit hæc de publica pœnitentia*) Quid stas? Si es in pœnitentia, sumere non debes. Qui namque non communicat, est ex pœnitentibus. Cur itaque dicit, Abite qui non potestis orare? Tu verò stas impudens. At ex his non es, sed ex iis qui possunt esse participes, aut nihil curas, aut magnum opus censes. *Et paulò post*, Omnis enim qui mysteriorum participio non fruitur, impudens & procax est si adstat. Propterea qui sunt in peccatis, priores ejiciuntur. *Iterum*, Sicut itaque profanorum fas est adesse neminem, ita nec ullum sacratorum quidem, ac sordidorum. *Item*, Ita scilicet, & tu venisti: cecinisti Deo laudem, cum omnibus es confessus de dignis esse, cum indignis non secedendo. Quomodo mansisti, neque participas de mensa? Indignus sum, *inquit*, igitur & illa quæ per preces fit communione. *Et paulò post iterum*, Hæc dico, non uno & annuo vos prohibens accessu, sed vos semper ad sancta volens accedere. Propter hoc & Diaconus acclamat tunc, sanctos vocans, & per hanc vocem, omnium taxans maculas. Sicut enim in grege, ubi multæ quidem sunt oves sanæ, multæ verò lepra squalidæ, opus est has à valentibus arcere: itidem & in Ecclesia, quoniam & hæ quidem oves sanæ sunt, hæ verò morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis dividit passim circumiens Sacerdos per illum clamorem nimis horrendum, & omnes vocans sanctos & trahens. *Iterum*, per singulos dies Ecclesiam ingrederis, & adhuc hoc ignoras? Tamen ne vel hoc prætendas, propterea sublimis constitutus magna voce, terribili clamore, quasi quidam præco, manum in altitudinem tollens, stans erectus, omnibus apparens, & magnum in illa tremenda quiete exclamans, hos quidem vocat, hos autem arcet: non hoc manu faciens, sed per linguam quàm per manum efficacius, &c. *Quibus verbis, sicut in tota hac concione, graviter accusat & increpat Chrysostomus sacrosanctæ Cœnæ & communionis contemptores, quibus satis erat semel tantum tempore Quadragesimæ & Paschatis quotannis communicare. Queritur utique quòd omnes in sacris interfint, non tamen ad sacram Domini mensam accedant. Homil. 17. in* to. *cap. Epistolæ ad Hebræos inquit:* Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alii bis, alii sæpius. Eremitas semel tantùm in anno, interdum vix biennio sumpsisse hoc sacramentum, ibidem expresse memorat. *In* t. *cap. ad Ephesios homil.* 3. Fructra, *inquit*, habetur quotidiana oblatio, fructra stamus ad altare: nemo est qui simul participet. *His verbis*

Contra veterem usum & contemptũ Cœnæ

verbis significat, miniſtros quidem ad diſtribuendum promptos eſſe, verùm paucos accedere. Ambroſius quoque lib. 5. de Sacram. cap. 4. indicat, in Oriente nonnullos ſua ætate, non niſi ſemel quotannis Sacramentum ſumere conſueviſſe : *eos autem acriter reprehendit, qui hanc conſuetudinem ſequebantur :* Si quotidianus, *inquit*, eſt cibus, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt?

Concilium quoque Martini Bracarenſis decrevit c. 83. ut ab Eccleſia proiiciatur, qui à communione ſacramenti ſe ob luxuriam ſuam avertit. *Et in Agathenſi Synodo c.* 18. *ſtatutum*, ut non Catholici habeantur, qui ſaltem tribus temporibus quotannis non communicent. *Et Cap.* 47. ut Miſſas die Dominico ſeculares totas audiant : vel ſecus facientes ab Epiſcopo publicè confundantur. *In Toletana* 1. *Synodo Cap.* 13. *ſancitum*, ut corripiantur qui in Eccleſia communicare contemnant. *In Aurelianenſi* 1. *Synodo Cap.* 28. ut populus non ante diſcedat, quàm Miſſa ex integro celebrata ſit. *Et in Cabilonenſi Synodo cap.* 46. *præcipitur*, cavendum, ne ſi nimium in longum differatur perceptio corporis & ſanguinis Chriſti, ad perniciem animæ pertineat.

Ad hæc autem tractanda & perficienda uſi ſunt Veteres Templis, Menſis & Sacris Vaſis, de quibus nunc agemus.

De Templis.

Nō licuit alibi quàm in Templis Cœnam celebrare.

CEſſantibus perſecutionibus, *quæ Apoſtolorum tempore, & diu poſt graviſſimæ fuerunt, & vel Templis Ethnicorum occupatis, vel aliis de novo extructis à Chriſtianis, in illis quoque Cœna Dominica publicè adminiſtrari cœpit, nec fas amplius fuit intra privatos parietes communicare. Hinc Synodus Gangrenſis ſub Conſtantino M. Imp. celebrata, Euſtathium Epiſcopum Sebaſtiæ Armeniæ condemnavit*, quòd præter eccleſiaſticas formulas, nonnullis domi communicare conceſſerat, *ut Socrates teſtatur lib.* 2. *cap.* 43. *Et Laodicenum Concilium cap.* 58. *prohibet*, ne fiant in domibus oblationes vel ab Epiſcopo, vel Presbytero. *In Concilio quoque Aurelianenſi cap.* 3. *ſic decretum eſt :* Unicuique fidelium in domo ſua Oratorium habere licet : Miſſas autem ibi celebrare non licet. *Idem etiam in Aconenſi Concilio, & aliis compluribus cautum fuit. Hieronymus quoque contra Iovinianum indicat, Chriſtianos Romæ ſuo tempore domi communicare conſueviſſe : ſed graviter reprehendit morem illum :* Quare, *inquit*, non ingrediuntur in Eccleſias ? An aliàs in publico, aliàs in domo Chriſtus eſt ? *Et Heſychius in capite* 8. *Levit. omnino requirit, ut in templis & congregationibus publicis Sacramenta tractentur. Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Caloſyrium ſic ſcribit :* Donum ſive oblationem, quam myſticè celebramus, in ſolis orthodoxorum ſanctis Eccleſiis offerri oportet, neq; alibi omninò : qui enim hoc facit, apertè legem violat. Iuſſit enim lex ſacrificari ovem ipſo die ſive feſto Paſchæ, quod quidem typum Chriſti præ ſe ferebat : ſed in domo unà comedetur, inquit, neque efferetur quicquam carnium ejus foràs. Efferunt autem foràs donum, qui non in una atque eadem catholica domo Chriſti, hoc eſt, Eccleſia ipſum celebrant. Quocirca oblationes, quæ in Eccleſiis fiunt, ſanctificari, benedici & conſecrari à Chriſto credimus.

In Templis igitur hodie quoque, quum liquet, Cœnam celebrandam cenſemus. Sacramenta enim à Chriſto magna ex parte ideò ordinata ſunt, ut tanquam teſtimonia eſſent & contéſtationes fidei & religionis, atque mutuæ conſenſionis inter ejuſdem doctrinæ & religionis profeſſores & conſortes. Ergo res ipſa palàm nos admonet, ut in publico aliquo loco, & publicis congreſſibus Sacramenta etiam celebrentur. *In Templis Cœna cur celebrata.*

Nec abhorremus à templis, vel ab Ethnicis, vel à Papiſtis extructis & uſurpatis : modò à ſuperſtitione idolorum & aliorum abuſuum ſint expurgata. Vnde D. Auguſtinus quoque Epiſtola 49. *ad Deo gratias, Templa per ſe non damnat, ſed vult ut uni & ſoli Deo ſerviant.* Templum, *inquit*, ſacrificia, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, quum exhibentur Deo, ſecundum ejus inſpirationem atque doctrinam, vera religio eſt : quum autem dæmonibus ſecundum eorum impium ſuperbiam, noxia ſuperſtitio. Quapropter qui Chriſtianas literas utriuſque Teſtamenti ſciunt, non hoc culpant in ſacrilegis ritibus Paganorum, quòd conſtruant templa, & inſtituant ſacerdotia, & faciant ſacrificia, ſed quòd hæc idolis & dæmoniis exhibeant. *Non abhorrendum à Templis ſimpliciter vel Ethnicorum vel Papiſtarum.*

Qui verò inter medios hoſtes verſantes, publicorum templorum aditu arcentur, exemplum Chriſti, Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum ante Conſtantinum M. ſequantur, niſi ſe velint execrandis idolatrarum ſacris polluere. *Quid hic faciendū iis qui inter idolatras degunt.*

De Altaribus.

COnditio illorum temporum, *quæ Apoſtolos proximè ſecuta ſunt, ſatis probat, eis Altaria lapidea, integra & fixa prorſus ignota fuiſſe, quibus fideles metu tyrannorum in ædes privatas, ſylvas, ſolitudines & antra ſubterra-* *Apoſtolorum ætate & poſt nulla altaria lapidea.*

nea

Vide Matth. Stelivium cõtra libl. de Missa pag. 298. & seq. itemque Pluſſium de Missa.

nea plerunque convenerunt. Teſtatur hoc etiam Origenes lib. 4. & 8. contra Celſum : Obiicit nobis, *inquit*, Celſus, quòd non habeamus imagines, aut aras, aut templa. *Idem colligitur ex Clemente Alexandrino, qui lib. 7. Stromat. ait* : Hic apud nos eſt altare, terreſtris congregatio eorum, qui incumbunt orationibus, &c. *Similiter ex Arnobio, qui aliquantò poſt Origenem vixit. Is libr. 4. contra Ethnicos ſcribens, Accuſatis, inquit, nos, quod nec templa habeamus, nec imagines, nec aras*, &c.

Primitiva Eccleſia in celebratione Cœnæ Menſas *ligneas, & quidem portatiles. Et retentas fuiſſe hujuſmodi ligneas Menſas, etiam poſt Conſtantinum M. in plurimis, iiſque celeberrimis Eccleſiis, ex Athanaſio intelligitur, qui in epiſt. ad Orthodoxos de Arianorum & Macedonianorum furoribus ſcribens*, In ſacroſanctam, *inquit*, Menſam, proh! quanta impietas & facinora commiſſa? *Et in epiſt. ad Solitarios, expreſſè Menſæ ligneæ meminit. Canon Nicenus habet* : In divina Menſa ne humiliter intenti ſimus, ad propoſitum panem & poculum, ſed exaltata mente, fide conſideremus, ſitum eſſe in ſancta illa menſa, Agnum Dei, tollentem peccata mundi.

Habuit autem Primitiva Eccleſia in celebratione Cœnæ Menſas *ligneas, & quidem portatiles. Et retentas fuiſſe hujuſmodi ligneas Menſas, etiam poſt Conſtantinum M. in plurimis, iiſque celeberrimis Eccleſiis, ex Athanaſio intelligitur, qui in epiſt. ad Orthodoxos de Arianorum & Macedonianorum furoribus ſcribens*, In ſacroſanctam, *inquit*, Menſam, proh! quanta impietas & facinora commiſſa? *Et in epiſt. ad Solitarios, expreſſè Menſæ ligneæ meminit. Canon Nicenus habet* : In divina Menſa ne humiliter intenti ſimus, ad propoſitum panem & poculum, ſed exaltata mente, fide conſideremus, ſitum eſſe in ſancta illa menſa, Agnum Dei, tollentem peccata mundi.

Ejuſmodi Menſas in Aphrica quoque in uſu fuiſſe ex Auguſtino patet, qui Tract. 26. In Ioannem ſcribit, Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti in Dominica Menſa præparari, & de Menſa Dominica ſumi. *Et epiſt. 50. dicit*, Donatiſtas horrendo impetu & furore crudeli Epiſcopum ſauciaviſſe, & LIGNA altaris effregiſſe. *In Queſt. item Veteris & Novi Teſtamenti quæſt.* 101. Officium eſt, *inquit*, Diaconi portare altare : *quod certè non de Altari fixo, aut lapidum mole aliqua, ſed tantùm de Menſa Euchariſtica intelligi poteſt. Chryſoſtomus homil. de Euchariſtia in Encæniis, inquit*, Menſam myſteriis inſtructam eſſe : *Et eundem contra Eutropium ſub Menſa jacentem, ſplendidam Orationem habuiſſe, teſtatur Sozomenus lib. 8. c. 7.*

Menſas Cœnæ cur Veteres etiam Altaria vocarint.

Has autem Menſas *interdum etiam* Altaria *vel* Aras *appellarunt iidem Patres: non quod ita revera eſſet, ſed cùm ex Veteri Teſtamento phraſi petita, & propter eam, quæ illis cum veteris legis Altaribus intercedebat ſimilitudinem: tùm quia in Menſis illis Chriſtiani, panem, vinum, aliaq. dona, pro alendis pauperibus offerre ſolebant, quæ dona ſacrificia vocantes, Menſam etiam, in qua illa colligebantur, Altare vocabant, tùm denique Menſam Dominicam Veteres nominarunt. Altare, ea ratione, qua fractionem panis nominarunt immolationem Chriſti in cruce. Sic quam Auguſtinus Tract. 26. in Ioh.* Menſam Dominicam *vocat, mox ibidem*, Altare *nominat. Chryſoſtomus quoque utranque appellationem habet, ut videre eſt, in Comment. 1. ad Corint. 11. & in 1. c. ad Epheſios.*

Quando autem Altaria lapidea ac fixa primò cœperint erigi, & Cœnæ Dominicæ celebrationi adhiberi, capite quinto hujus libri referemus.

De Vaſis Sacris.

Vaſa Cœnæ ab initio lignea fuerunt.

VAſa, *in quibus ſacroſanctæ conficiebantur myſteria, calices fuerunt & patinæ: de consec. Diſt. 1. c. vaſa. Ea ab initio fuerunt vel vitrea, vel lignea vitreum calicem, & patinam vitream olim in ſacris myſteriis fuiſſe in uſu, negari non poteſt. Nam de patinis vitreis legitur in Damaſi libro de Pontificibus Romanis, ſic de Zephyrino : Hic fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patinas vitreas miniſtrantes Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret. De vitreo calice Hieronymus in epiſtola 4. ad Ruſticum, agens de S. Exuperio Toloſano ; Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. Rurſus etiam Cyprianus Gallus in vita S. Cæſarii, Epiſcopi Arelatenſis, qui claruit temporibus Theodorici, Regis Italiæ ; Annon, inquit, in vitro habetur ſanguis Chriſti? Ac videtur à temporibus Apoſtolorum vitreus calix in uſu fuiſſe. Vnde Marchus Hæreſiarcha illis temporibus proximus, & ipſe Catholicam Eccleſiam æmulatus utens calice vitreo in ſuis Sacris, impoſturâ quadam per magicam artem exhibita populum dementabat ; dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam præſtigiis mutabatur in rubrum, adeò, ut vinum converſum in ſanguinem videretur : De quo vide* Epiphanium *hæreſ. 34. In Concilio autem Remenſi Caroli M. temporibus celebrato, calix vitreus vetitus eſt, ob periculum, quod immineret materiæ fragili : De his habes Can. ut calix. de conſec. Diſt. 1. Bonifacius Martyr & Epiſcopus, cùm interrogaretur,* An liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere? *reſpondit* : Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contrario, lignei Sacerdotes aureis calicibus utuntur.

Aurei vel Argentei vaſis uſi caput.

Huic ſimplicitati in Cœnæ & Sacrorum publicorum celebratione, ſi inſiſtere perrexiſſent poſteri, melius ſe res hodie haberent. Sed quum primùm pace modica frui & creſcere cœpiſſet Eccleſia, ſimplicitas iſthæc Apoſtolica magis magiſque ſordere cœpit, & paulatim vel aureis, vel argenteis, vel pretioſiſſimis vaſis uti cœperunt.

Vſum pretioſorum vaſorum in ſacris Patres reprehenderunt.

Non immeritò igitur Patres invaleſcentem jam ſuo tempore hunc luxum aureorum & argenteorum vaſorum in templis graviter reprehenderunt. Lactantius *in Inſtitutionibus inter alia inquit* : Auri, gemmarum & eboris pulchritudo

chritudo acriter oculos perſtringit, nec ullam religionem putant, ubi illa non fulſerint. Veniunt igitur ad Deos, non tam religionis gratia, quàm ut aurum oculis hauriant. Adeò Religio Deorum nihil aliud eſt, quàm quòd cupiditas hominum miratur. *Hæc Lactantius de Ethnicis, quæ de noſtris Chriſtianis quoque veriſſimè dici poſſunt.*

D. Hieronymus *de Exuperio Toloſano Epiſcopo in epiſtola ad Ruſticum ita ſcribit* : Nihil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro : qui AVARITIAM EIECIT E TEMPLO, qui abſque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id eſt, dona Spiritus Sancti, menſaſque ſubvertit mammonæ, & nummulariorum æra diſperſit, ut Domus Dei domus vocetur orationis, & non latronum ſpelunca. In vita Malachiæ, poſtquam, *inquit*, Eccleſia Chriſti ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt.

Chryſoſtomus *homil.* 51. *in Matth.* Animarum, *inquit*, munditia opus eſt : Propter quas etiam vaſa hæc Deus recipit. Et certè non erat ex argento illa menſa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis ſanguinem ſuum præbuit : pretioſa tamen erant omnia & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant. *Notavit his verbis Chryſoſtomus ſuorum temporum mores, quòd homines vaſa deſtinata myſteriis pretioſiſſima conquirerent, animorum autem ſuorum munditiem negligerent, cujus primam oportuit eſſe curam. His etiam noſtri ſeculi mores reprehendit : quum enim pleriq; Chriſtiani vel lignei ſint, vel plumbei, tamen in aris ſuis nihil ligneì haberi volunt, ſed id tantùm, quod vel aureum, vel argenteum ſit. Addit eodem loco Chryſoſtomus:* Hoc dico, non quòd vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quòd dignum putem, ante omnia miſericordiæ & benignitati incumbendum. Nam & vaſa Deus ſuſcipit : ſed iſta multò magis illi grata ſunt. Et vaſa quidem danti ſolùm profuerunt : benignitas verò etiam accipienti. *Chryſoſtomus ait, ſe nolle quidem vetare uſum pretioſorum poculorum, ea tamen parvi, vel potius nihili eſſe ſi ad eleemoſynam conferantur.* Quòd ſi eleemoſynæ Deo gratiores ſunt, quæ, *inquit*, inſania eſt ad illas non potius opes noſtras convertere, præſertim quum Sacramenta nec meliora, nec præſtantiora ſint, cùm in aureis, quàm quum in ligneis poculis exhibentur.

Ambroſius *lib.* 2. *de Officiis c.* 28. Aurum, *inquit*, Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. *Socrates lib.* 7. *hiſt. cap.* 21. *ſic reſpondiſſe Acacium Amidæ civitatis Epiſcopum, refert, quum accuſaretur, quòd ſacra vaſa propter captivorum militum redemptionem vendidiſſet :* Deus noſter neque diſcis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit. *Adhæc duo poſtrema teſtimonia reſpondet Bellarminus tom.* 1. *de Eccleſia triumphante libro tertio capite ſexto, & tomo* 2. *de Miſſa libro ſecundo capite* 14. Vaſa hæc pretioſa Sacramentorum non eſſe abſolutè neceſſaria ad Sacramenta miniſtranda : ideoq; velle Patres licere ea conflare & vendere, ad ſubveniendum pauperibus aut liberandum captivos. Et hoc eſt, *inquit*, quod Ambroſius ſcribit : Aurum Sacramenta non quærunt : id eſt, non neceſſariò exigunt. Et quod ſubdit, Nec auro placent, non, non ſignificat, in auro diſplicent, vel, nullo modo placent, quia miniſtrantur in auro. Ad eundem modum Acacium dicere velle ait : Vaſa aurea vel argentea nullam Deo utilitatem adferre. *Reſpondeo, Si hæc ita ſe habent, ut libenter concedimus, cur Pontifices Romani & Synodi, vaſa Sacramentorum, quo ad materiam non libera reliquerunt ? Si pretioſa vaſa non ſunt abſolutè neceſſaria ad Sacramenta miniſtranda : Si aurum Sacramenta non neceſſariò exigunt : Si non ideò principaliter Sacramenta placent, quia miniſtrantur in auro : Cur ergo uſum ligneorum vaſorum abſolutè damnarunt & improbarunt ? Cur aurea & argentea vaſa tanquam abſolutè neceſſaria Pontifices Rom. poſtularunt ? Itemque Concilia, videlicet Triburienſe, Remenſe & alia, vt in ſequentibus indicabitur ? Ideoque Ieſuita pro nobis, non pro Pontificiis reſpondet. Neque enim nos docemus, vaſa Sacramentorum vel lignea, vel aurea, vel argentea abſolutè neceſſaria eſſe : ſed concedimus, quamvis materiam congruam adhiberi poſſe : luxum tantùm, ſuperſtitionem & faſtum, ut in aliis, ſic etiam in his reiicimus atque damnamus.*

Ethnici quoque, à veri Dei cognitione alieni, frugalitatem & ſimplicitatem Diis ſuis gratam acceptamque eſſe exiſtimarunt. Hinc Romulus lege ſanxit, ſacrificia Deorum frugalia eſſe debere. *Vnde apud Romanos in ſacris eorum ædibus Cœnæ Diis appoſitæ in menſis ligneis antiqui operis, pulſque in caniſtris & quadrulis fictilibus. Libarunt etiam non argenteis aureiſve poculis, ſed culignis & ampullis teſtaceis : ut Dionyſius Halicarnaſeus lib.* 2. *refert. Cùm autem progreſſu temporis ab hac ſimplicitate & frugalitate receſſiſſent, Iuvenalis Poëta exclamavit.*

Ethnici quoque in ſuis ſacris frugalitati probarunt.

Dicite Pontifices, in ſacris quid facit aurum ?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Quò ſumptuoſiore autem cultu Ethnici ſuos Deos colere cœperunt, eò fides & pietas magis inculta

inculta & neglecta fuerunt : teſtante hoc Tibullo ad Lares :

Ne pudeat Priſco vos eſſe è ſtipite factos:
Sic veteres ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Idem omninò etiam Eccleſiæ Chriſti accidit. Nam quò magis ejus Antiſtitum & Epiſcoporum ambitio crevit, & cæcus amor habendi, eò Chriſtus vilior & contemptior habitus eſt: & excrescentibus in immenſum opibus, pietas tota & religio proſtigata ſunt. Vt rectè & verè Bonifacius dixerit, Cùm ab initio ligneis calicibus uſi ſint, aureos fuiſſe ſacerdotes: quum primũ autem uti cœperint aureis vel argẽteis vaſis, ligneos Sacerdotes, *adde tu etiam*, Chriſtianos fuiſſe. *Qui plura de Templis, Altaribus & Vaſis ſacris Cœnæ Dominicæ ſcire deſiderat, legat Librum noſtrum, de Origine, Vſu & Abuſu Templorum, & rerum omnium ad Templa pertinentium: ibi enim hæc copioſè omnia ſunt pertractata.*

CAPVT II.

De inclinatione & corruptelis Ceremoniarum ſeu Rituum, multiſque erroribus in Cœnæ Dominicæ celebratione in Eccleſiis hujus Claſſis, excepta Romana, exortis.

Symbola Euchariſtica vel corrupta, vel prorſus mutata.

Vinum aqua mixtum in Cœna. Vide Petrum de miniſt. eccl. & Sacram lib. 14. c. 9.

OMNES ferè Eccleſiæ hujus claſſis non merum vinum *in ſacroſancta Cœna retinuerunt, ſed* aqua id miſcuerunt; *quem ritum Pontificii hodie ita neceſſarium eſſe credunt, ut non poſſit ſine gravi peccato omitti: imò non poſſe calicem Domini eſſe ſtatuunt, ſi vinum ſolùm ſumatur.*

Origo hujus ritus.

Nonnulli hujus ritus originem ad Chriſtum referunt, quem dicunt credibile eſſe, aquam vino miſcuiſſe, quod in illis regionibus fortiſſima vina eſſent. Sed hæc ratio conjecturis tantùm nititur, non ſolidis argumentis. In primitiva autem Eccleſia poſt Communionem, convivia quæ Ἀγάπας nominarunt, magna ſobrietate celebrabantur, ideoq; non merum, ſed mixtum vinum obtulerunt. Et ne Gentes calumniarentur, Chriſtianos Cœnam Dominicam crapulæ aut ebrietatis gratia celebrare, Veteres in ea vino aqua mixto uſi ſunt. Hæc conſuetudo veteris Eccleſiæ ex Patrum ſcriptis nota eſt, quanquam univerſalis non fuerit. Nam Durandus lib. 4. cap. 42. in Græca Eccleſia hoc univerſaliter non fieri, atteſtatur. Deinde hæc ceremonia ab initio libera fuit.

Ea vero progreſſu temporis traditionis Apoſtolicæ titulo venditari cœpit, ut apud Cyprianum libro 2. epiſtola 3. videre licet. Nec mirum profectò, cum illa ætate vulgò crederetur, quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem receptum eſſet devotionis, à traditione Apoſtolica, & Spiritu Sancti doctrina id prodiiſſe: ut Leo Ser. 2. de Jejunio Pentecoſtes ſcribit. Romani verò Pontifices inde legem valde neceſſariam extraxerunt.

SECVNDÒ *fuerunt, qui* Lac *vini loco offerrent: ut de Conſec. diſt. 2. c. Cùm omne habetur. Alii* Uvas *tantùm: ibidem. Quidam* uvas in poculum tritas atque preſſas: *ibidem. Cui non diſſimile illud eſt, quòd etiamnum hodie apud Pontificios in Feſto Transfigurationis Chriſti, aliquibus in locis vinum in Miſſa conficitur de expreſſis uvis, ut refert Durandus in Ration. l. 7. c. 22. Alii* Pannum lineum muſto intinctum *per totum annum aſſervarunt, & tempore Euchariſtiæ cum aliqua ejus parte lavarunt, & ſic obtulerunt, ut etiam habetur de Conſecr. dicto capite, & diſtinctione. Fuerunt etiam, qui* panem in vinum intingerent, *in eoq; humectarent ſolùm, & deinde pro Euchariſtia integra ſumerent, ſicq; communicarent.*

Errores hi damnati.

Damnantur autem hi errores omnes in Concilio Carthaginenſi 3. c. 24. ubi præcipitur, ut in Sacramento corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit. *Et paulò infra*: Ne quid in ſacrificiis offeratur, quàm de uvis & frumentis. *De Conſec. diſt. 2. cap. In Sacramento. In Synodo 6. ſancitur cap. 28.* Ne oblationis ſacrificio ſacerdotes uvas conjungant, quæ ſecundum uſum in altari offerantur, & ſic ſimul utraq; populo diſpenſent, ut in aliquibus Eccleſiis fiat. *Iulius quoque Papa de eodem ſic ſcripſit Epiſcopis per Ægyptum:* Audivimus quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra divinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones lac pro vino in divinis ſacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento Communionis porrigere: quoſdam etiam expreſſum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre: alios verò pannum lineum muſto intinctum per totum annum ſervare, & in tempore ſacrificii partem ejus aqua lavare, & ſic offerre. Quod quàm ſit Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini Eccleſiaſticæ adverſum: non difficile ab ipſo fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipſa Sacramentorum myſteria proceſſerunt. Cùm enim magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, non illis lac,

sed panem tantùm, & calicem sub hoc Sacramento cognovimus dedisse. Legitur enim in Evangelica veritate: Accepit Iesus panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Cesset ergo lac sacrificando offerri: quia manifestum, & evidens Evangelicæ veritatis exemplum illuxit, quod præter panem & vinum, aliud offerri non licet. Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, ne hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis corpus suum, & sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non leginus: excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella, magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur: quia calix Dominicus juxta canonum præcepta vino & aqua permixtus offerri debet.

Quibus non ritè data fuerit Eucharistia: ubi primò de Mortuis.

Mortuis data, & unà cum iis in Primitiva Ecclesia Eucharistia sepulta fuit: quod multis exemplis demonstrari potest: sed clarissimè intelligitur ex Concilio 3. Carthaginensi, can. 6. quem infra citabimus, Et Legenda Basilii fingit, ipsum panem consecratum in tres partes divisisse: quarum unam communicarit: alteram in columba aurea super altare reposuerit: tertiam consepeliendam secum reservarit. *Hæc consuetudo Benedicti Monachi ætate adhuc circa annos Christi 500. duravit: siquidem vera sunt, quæ Gregorius M. libro secundo Dialog. capite 24. de eo narrat.* Puer enim quidam Monachus, impensius amans suos parentes, & visitans eos, obiit: verùm ex sepulchro denuò ejectus fuit. Id quum ad Benedictum relatum esset, jussit communionem Dominici corporis in pectus defuncti reponi, atque sic tumulari. *In Papatu quoque etiamnum hodie, licet Eucharistia mortuis non detur, tamen pro iis offertur: imò sacrificulus Missator illorum loco edit & bibit.*

Videamus dein de Eucharistiæ mortuis.

Ista autem consuetudo seu potius insignis abusus & horribilis profanatio Eucharistiæ, inde per occasionem invaluisse videtur, quod, (sicut ex Cypriano patet libro 3. epistola 2. & 9. Nicephoro lib. 6. capite 6.) qui tempore persecutionis in apostasiam lapsi, idolis sacrificassent, Ecclesiasticæ disciplinæ severitate, toto vitæ suæ tempore ab Eucharistiæ communione excluderentur, neque nisi in ipso mortis periculo ad Communionem admitterentur, quo ipso sic per Eucharistiæ perceptionem Pacem *ab Ecclesia accepisse dicebantur. Nam apud Patres sæpenumero* Pacem dare *pro eo, quod est Eucharistiæ Communionem dare, scriptum legitur. Hinc quia non raro accidebat, ut, quibus nonnisi in mortis, sicut dictum est, periculo communicare licebat, inopinata morte præventi, Eucharistiæ communione, non absque ipsius desiderio, excederent ex hac vita, ideò ipsis in hoc pio affectu ita defunctis, nè extra Ecclesiæ pacem obiisse viderentur, cæpta est à quibusdam in testimonium & confirmationem quasi piè in Ecclesiæ pace defunctorum, Eucharistia, quam vivorum desiderio præveniens mors non concessisset, saltem post mortem adhuc exhiberi.*

Pacem dare, quid sit apud veteres.

Sed quia ista Pacis per Eucharistiæ communionem mortuis dandæ, vel testificandæ ratio & causa non fuit sufficiens, ad introducendum hunc adeò irreligiosum, & cum Christi instituto pugnantem in Ecclesia morem: ideò damnatus fuit in Carthaginensi Synodo 3. can. 6. qui sic habet: Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum enim est à Domino: Accipite & edite: Cadavera autem nec accipere nec edere possunt. *Quod postea iisdem penè verbis etiam sancitum & repetitum fuit in Concilio Antisiodorensi cap. 12. & Constantinopolitano 6. in Trullo habito c. 83. Nos quoque sic ex institutione Cœnæ Dominicæ sentimus, communionem corporis & sanguinis Christi sacramentaliter dispensandam esse vivis Christi fidelibus, qui non modo accipere & edere, sed & Redemptori gratias agere, & quod exhibetur vera fide apprehendere possunt. Vt enim Evangelii prædicatio non competit mortuis, sed viventibus: ita & Cœna Dominica non est administranda mortuis, sed vivis fidelibus. Non tamen excludimus mortuos fideles ab efficacia & virtute mortis Christi, per quam sunt & illi redempti: sed discernimus inter rem Sacramenti, cujus virtute salvi sunt etiam illi, qui in Domino sunt mortui, atque ita communis redemptionis participes: & inter sacramentalis signi dispensationem, quæ ad solos vivos pertinet. Quemadmodum enim fidelis, si absque Baptismo moriatur, non quòd hunc contempserit, sed quòd impeditus aliunde, baptizari nequiverit, non baptizatur, quum fructum illius sit fide assecutus: sic & mortuis fidelibus non est dispensanda sacramentalis Cœnæ Dominicæ communicatio, quum per fidem, virtutem & efficaciam corporis & sanguinis Domini adepti sunt.*

Mos dandi Eucharistiæ mortuis damnatus.

2. De

2. De Infantibus.

Infantibus data fuit Eucharistia tempore Innocentii I. Papæ, Cypriani & Augustini, tam in Europa, quam Asia & Africa, ut ad salutem necessaria. Habemus consuetudinis hujus evidens exemplum apud Cyprianum Ser. 5. de Lapsis: Parentes, *inquit*, fortè fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt: relictam nutrix ad magistratus detulit. Illi ea apud idolum, quò populus confluebat, quòd carnes necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Mater postmodum filiam recepit: sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu fluctuabunda jactari, velut tortore cogente, quibus potuit initiis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis, rudis anima fatebatur. Ubi verò solennibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instincta divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare: perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento infudit. Tunc singultus, & vomitus sequitur: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit, sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit.

Testantur quoque Hieronymus, Augustinus, aliique Patres, eos qui baptizarentur, non solum adultos, sed etiam infantes, nulla mora interposita, mox sacra mysteria accepisse, & quidem utroque symbolo. Hieronymus enim contra Luciferianos: Non potest, *inquit*, baptisma tradere sine Eucharistia, *Et Augustinus li. de Dogmatibus Ecclesiast. c. 52.* Si parvuli sunt, *ait*, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur. *Et epistola 107. sic inquit*, Infantes, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt, non secundùm ea quæ si diu hic viverent gesturi fuerant, indicantur, *Libro etiam 5. Hypognosticon contra Pelagianos:* Quomodo, *inquit*, vita Regni cœlorum parvulis promittitur, non renatis ex aqua & Spiritu sancto, non cibatis carne, atque non potatis sanguine Christi, qui in remissionem peccatorum fusus est?

Panis Cœnæ infantibus asservatus.

Mos hic receptus antiquitus usque eò invaluit postea, maxime Caroli M. seculo, ut non modo infantibus Eucharistia communicaretur in publico Ecclesiæ cœtu post Baptismum vel alio tempore, quo ad sacram Synaxin Ecclesia convenire solebat: verùm etiam panis Cœnæ asservabatur: parvulis ægrotantibus perinde ac adultis exhibendus & communicandus. Ansegisus Abbas Leodiensis, qui Canonem Carolinum lib. 1. de Legibus Francorum capite 155. super hac re editum recitat, hujus nobis rei loculpes esse testis potest. Sic enim Canon ille habet: Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. *Ioannes etiam Teutonicus, qui Scholia scripsit in Gratianum, de Consecrat. dist. 4. capite 4. testatur, eam quibusdam in locis sua adeò ætate consuetudinem invaluisse, ut Sacramentum infantibus darent.*

Apud Æthiopes, ut testis est Osorius lib. 9. de Gestis Emmanuelis, infantes eo die, quo salutaribus sacris initiati sunt, Eucharistiam in panis mica sumpserunt. *His adde, quòd Sigismundus Liber Baro ab Herberstein scribit in suis Comment. rerum Moscovit.* Moscovitas pueris septem annorum Sacramentum porrigere: dicunt enim hominem tum peccare: & si puer fortè aut infirmus fuerit, aut animam cœperit agere, ut de pane sumere non possit, gutta ex calice ei infunditur.

Et ante paucos adhuc annos consuetudinis hujus in Lotharingia & vicinia extiterunt reliquiæ aliquæ. Nam ubi baptizatus est illic infans, sacrificulus qui illum baptizavit, è sacrario acceptam capsulam, in quâ Sacramentum asservatur, ad altare detulit, & hostiam, ut vocant, unam ostentavit populo: deinde in capsulam reposuit, & duos digitos, quibus eam prehenderat, vino lavandos porrexit aditno, & ex illo vino distillavit in os baptizati infantis, dicens: Sanguis Domini nostri Iesu Christi tibi in vitam æternam proficiat. *Quin etiam Græci, & Græcorum more Iacobini sive Iacobitæ, pueris adhuc lactentibus & ab ubere matris pendentibus, Cœnam sub utraque specie hodie administrare dicuntur.*

Veteres autem, & inter hos Augustinum maximè,

Infantibus cur Patres Eucharistiam dederint.

maximè, ut infantibus quoque Eucharistiam darent, movit inprimis dictum illud Christi Ioan. 6. capite. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & sanguinem ejus biberitis, vitam in vobis non habebitis. *Vnde necessarium esse existimarunt, ut infantes quoq; ad Eucharistiam admitterentur, quò gratiæ Christi ac vitæ æternæ participes reddcrentur: in eo errantes, quòd externo signo tribuerunt, quæ signato adscribēda sunt: hoc est, quòd, quæ Christus de spirituali carnis & sanguinis esu ac potu dixit, illi ad externa signa & sacramentalem ceremoniam traxerunt.* Ac certè, si valent Patrum, Papistarum, aliorumque argumenta, quibus salutem Baptismo alligarunt, rectè fecerunt, qui infantibus Eucharistiam dandam quoque judicarunt, eodem enim jure Eucharistiæ perceptionē eandem consequi eos posse viderunt. Atque eam ob causam parem videntur voluisse Cœnæ communicationis necessitatem imponere, ei quam Baptismo imposuerunt: inter quos Augustinus plus nimiò sibi adversus Pelagianos indulsit, in Baptismi quæstione, damnans nimis inconsiderate Christianorum infantes, qui ex hac vita non baptizati migrabant. Nihil autem habet, quod magis urgeat, & quo firmius nitatur, quàm illa Christi quoque verba, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei. *Quod si Papistæ & alii hanc sententiam hodie sequi volunt, suaque argumenta satis firma esse arbitrantur ad probandum quod volunt: horum sententiam damnare non possum, qui pueris etiam Cœnam dandam existimant, nisi eadem opera seipsos etiam damnare velint. Si enim quæ Christus apud Ioann de regeneratione per aquam & Spiritum loquitur: &c. de usu ac potu carnis & sanguinis sui, interpretari volunt de externis Baptismi & Cœnæ symbolis, eorumq; externa ceremonia: non de Baptismo interno & spirituali manducatione ac potatione corporis & sanguinis Christi, eadem quæ in altero horum Sacramentorum ratio valebit, idemque efficere debebit. Nam qui dixit*, Nisi quis denuò natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regnum Dei: *idem ille quoque paulò pòst dixit*, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et hoc posterius non semel tantùm, ut prius, sed sæpius repetit & inculcat, ac proinde longe magis necessarium alicui, quàm illud, videri possit. Vtrobique excluduntur à regno cœlorum ac vita æterna, qui his ipsis carueriut quæ Christus prædicat. Proinde si hæc verba ad literam urgemus, & ad externa signa trahimus, non minus de salute periclitabuntur infantes, qui ante perceptionem Cœnæ moriuntur, quàm qui non baptizati è vivis migrant.*

Quid de necessitate Sacramentorum & de exhibitione Cœnæ infantibus faciendis

Vt autem explicemus quid de hac re statuendum sit, dico, Primò, *hanc necessitatem Sacramentorum, & consuetudinem dandi Eucharistiam infantibus, nullum firmum fundamentum in verbo Dei habere.* Deinde, *sicuti Papistæ nimium tribuunt externis Sacramentorum symbolis atque signis, præsertim in Cœna: sic metuendum est, ne Cœna in contemptum veniat, si pueris etiam exhibeatur, qui nulla sui probatione ad eam se comparare possunt, ac ne hanc ob causam adulti quoque minus reddantur de sui probatione solliciti, tanquam re non admodum necessaria.* Tertiò, *non privatur vera corporis & sanguinis Christi communicatione, qui ex vita excedit sine Eucharistiæ perceptione, si modò per Baptismum membrum Christi factus, in corporis ipsius unitate permanet. Qui enim id jam assecutus est quod Cœnæ Sacramentum significat, non potest cum externis ejus signis, rebus quoque privari quas referunt.* Quartò, *non solùm ipsa Cœnæ verba, sed etiam ejusdem institutio, ad eos propius diriguntur, qui ipsa mysteria intelligere, & cætera per se, non autem per alios præstare possunt, quæ ejus actio postulat. Christus enim expressè testatur, Cœnam ideò à se institutam, ut ea mortis suæ memoria renovetur ac celebretur. Quum verò infantes hoc neque intelligere, neq; præstare queant, ad Cœnam hercle admittendi non sunt, præsertim quum Paulus addat*, Quotiescunque ederitis panem hunc, & de hoc poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: *item*, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. *Requirit his verbis Apostolus longè difficiliora, quàm quæ à pueris præstari possint, utpote quæ ejusmodi sint, ut adultioribus quoque, & quidem Sancto Spiritu donatis, multum laborandum sit, ut ad ea se ita comparent, ut judicium effugere valeant, quod ad hæc Sacra indignè accedentibus minatur.* Quintò, *quæ inter Circumcisionem & Baptismum, eadem etiam inter Agnum Paschalem & Cœnam proportio & convenientia est. Nemini autem patuit aditus ad Agni Sacramentum nisi adulti, qui interrogare poterant, Quæ est religio hæc? Exod.* 12. Sextò, *dictum Christi Ioan. 6. de spirituali manducatione carnis & communione ipsius, detorserunt à genuino sensu, ad manducationem sacramentalem.*

Quod si quæratur, quum ea sit vis fœderis Dei cum majoribus facti, ut infantes dignos reddat Baptismi communicatione: cur idem non efficiat etiam in Cœnæ administratione, curque ad eam aditum illis non præbeat? Respondeo ex præcedentibus, longè aliam esse Baptismi & Cœnæ rationem: nec ea omnia in Baptismo tam accuratè requiri, quæ disertis verbis in Cœna præcipiuntur. Nec etiam existimandum, eadem injuria pueros affici, si ad Cœnam non admittuntur ante eam ætatem qua id præstare queant, quod ejus institutio

institutio & finis postulat, quæ ab iis afficiuntur, qui Baptismum eis denegant. Longè enim gravius est eos ab aditu Ecclesiæ penitus arcere, iisque & parentibus eorum denegare, quod ipsis jure fœderis à Deo concessum est, quàm ad Cœnam non admittere, sine ullo eorum incommodo, ac idipsum in suum tempus differre, quod in prima illa ætate eis nec convenit, nec quicquam prodesse potest. Satis enim illis esse debet pro suæ ætatis ratione & modo, in Ecclesiam semel publico Dei testimonio se receptos & cooptatos esse.

Consuetudo data Eucharistiam infantibus abrogata

Non immeritò ergo vetus hæc consuetudo abrogata est progressu temporis, & improbatur etiam à Tridentino Concilio Sess. 5. iisdem fere rationibus quæ jam adduximus. Sic enim cap. 4. legitur : Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem : siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres, sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione, habuerunt : ita certè eos, nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est. *Ac proinde hujusmodi Canonem contra hunc antiquum morem edidit :* Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit. *Thomas etiam parte 3. quæst. 8. art. 9. morem hunc parvulis Sacramentum Eucharistiæ exhibendi aperiè reiicit.*

3. De Concubinariis.

Concubinarii ab Eucharistia non repelluntur.

Concilium Toletanum primum circa annos Christi 400. celebratum ca. 17. decrevit, eum qui non uxorem habet, sed pro uxore concubinam, à Communione non repellendum esse, tantùm ut unius concubinæ conjunctione contentus sit. *Sed hæc conjunctio est pollutio, & pro conjugio nequaquam habenda : Hebr. 13. Imò 30. quæst. 5. cap. Aliter pro adulterio, vel stupro, aut fornicatione reputatur. Adulteri autem, & scortatores vel fornicatores manifesti ad Cœnam non sunt admittendi. Erravit ergo hoc Concilium : quod tamen Leo I. Papa approbavit c. 21. ejusdem. Et glossa ipsa in Can. Is qui. dist. 34. hoc decretum graviter reprehendit.*

Bellarminus lib. 2. c. 8. de Conciliorum authoritate, ut hunc errorem elevet, scribit, cùm in jure Civili, tum in hoc Concilio, veram uxorem appellari Concubinam ductam sine dote & externa solennitate. *Sed falsum dicit Iesuita: Nam & diversa sunt nomina, & res diversa: diversi etiam tituli & Rubricæ in jure Civili, Nuptiæ & Concubinatus : Vxor & Concubina, ut est in Can. Omnibus, quem Iesuita citat & Can. Christiano. dist. 34.*

De his, à quibus juramenta per Eucharistiæ exhibitionem exacta sunt.

Evsebius libro sexto Ecclesiast. histor. c. 33. de Novato loquens, qui lapsis spem veniæ negabat, quamvis seriam pœnitentiam agerent, Sacramenta, *inquit*, populis dividens, accipientium manus tenebat, nec prius permittebat sumere, quàm sibi per ea, quæ unusquisque tenebat in manibus, juraret, quòd nunquam se relicto ad Cornelium remearet. *In historia quoque Gregorii Turonensis lib. 5. c. 49. legitur*, quòd in tribus Missis sese exuerit juramento.

De his quibus Cœna Domini injustè hoc tempore denegata fuit.

His quibus secundas nuptias contrahentibus Cœna Dominica negata.

His verò, qui secundas nuptias contraxerunt, Cœna Dominica in aliquibus Ecclesiis hoc tempore injustè denegata fuit. Sic enim in Laodiceno Concilio c. 1. statuitur. De his qui secundum Ecclesiasticam regulam liberè ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore transacto, vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus. *Similiter capite 18. Toletani 1. Concilii*, Ministrorum Ecclesiæ uxoribus viduis, si secundas nuptias fecissent, toto vitæ tempore singulari superstitione communio denegabatur, morientibus tantum exhibebatur. *Nuptiæ enim illæ habebantur olim pro illicitæ, & pro vera fornicatione, ex malè intellecto loco Pauli 1. Tim. 3. Vnde etiam in Neocæsariensi Synodo Bigamis pœnitentia injuncta fuit: cap. 3. Et c. 7. prohibetur*, ne presbyteri secundarum nuptiarum conviviis interfint, ne sua præsentia illis consentire videantur nuptiis 13. qu. 1. *capite*. *De his. Et author imperfecti operis in Matthæum, quod Chrysostomi libris junctum, sed ejus non est, homil. 32. fatetur quidem*, secundam uxorem accipere, secundum præceptum Apostoli esse : *Addit autem*, secundum veritatis rationem, verè fornicationem esse : & dum permittente Deo publicè ac licenter committatur, honestam fornicationem esse. *Et mox :* Propterea benedixit, quia Moses permisit, non præcepit. Aliud est enim præcipere : aliud permittere.

Quod enim permittimus, nolentes præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenam prohibere non possumus. *Sed longè cautius loquitur verus Ioannes Chrysostomus, cùm alibi, tùm potissimùm in exempla ad Viduam juniorem, de non iterando secundo conjugio; quæ nuper Romæ expressa est:* negatque perspicuè, secundum matrimonium fornicationem esse.

Eodem tamen modo ferè Bellarminus de Conciliorum authoritate libro secundo, cap. 8. de Bigamia scribit, quo author imperfecti Operis in Matthæum. Nam de Laodiceni Concilii decreto modo citato, sic scribit: Apparet, *inquit*, ex hoc loco, aliquos Episcopos particulares, ex Zelo, non secundum scientiam, negasse communionem bigamis: quorum errorem Concilium corrigit, & jubet bigamis communionem restitui: nam etiam ideò initio Canonis vocat nuptias bigamorum legitimas & liberas. *Mox tamen, ceu Monachus, nuptias easdem, veluti minus bonas, pronunciat.* Illud verò Canonis, *inquit*, Secundum indulgentiam, sumptum est ex 1. Cor. 7. ubi Paulus dicit, usum conjugii se non imperare, sed indulgere. Ut ergo Paulus, quum ait, se indulgere usum conjugii, non vult dicere, se ignoscere peccatum, sed se concedere minus bonum, quamvis optaret majus bonum ab illis teneri: ita Concilium hoc dicit, se indulgere secundas nuptias: id est, concedere, ut minus bonum, quamvis cuperet magis eligi viduitatem, quæ est bonum quoddam excellentius conjugio.

De his, qui non ritè sumpserunt Cœnam Domini.

Eucharistia domum delata & asservata.

IN *Veteri Ecclesia, peractâ Cœnâ, nonnulli Eucharistiam domum detulerunt. Factum hoc fuit ab ipsis diversis ex causis.* Primò, *ob immanissimas persecutiones, propter quas non poterant, quoties vellent, Eucharistiam sumere. Vt igitur tunc se confirmare in fide possent, particulas illas è cœtu domum deferebant, quo iis uti possent, quum opus esset. Testatur hoc Basilius in epistola ad Cæsariam his verbis:* Illud in persecutionibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote, aut ministro, communionem propria manu sumere, nequaquam esse grave, supervacaneum est demonstrare, propterea quòd longa consuetudine, & ipso rerum usu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes, alius alium communicat. In Alexandria verò & in Ægypto, unusquisque eorum, qui sunt de populo, plurimùm in domo sua communionem habent, &c. *Hùc etiam opinor, mulieris illius exemplum pertinet, cujus Cyprianus in Serm. de lapsis meminit, quæ Eucharistiam in arca asservatam habuit.* Mulier, *inquit*, quædam, quum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. *Quum autem persecutiones cessarint, & hodie ad templa tutò venire liceat, ibiq. Eucharistiam sumere, cessare quoq. hac consuetudo debet: præsertim quum hac divulsio partium Eucharistiæ non sit consentanea primæ institutioni.* Deinde, *nonnulli è templis Eucharistiam domum secum detulerunt, ut in aliis quibuscunque periculis constituti, ea sese munire possent. Ob hanc causam Eucharistiam secum ii ferebant, à quibus Ambrosii frater Satyrus in naufragio constitutus, Eucharistiam petiit, quamque positea in Orario involutam à collo suspendit. Et Nazianzenus de sorore Gorgonia indicat, quòd solita fuerit partem Eucharistiæ in conspectu subinde habere: aliique peregrinantes, & navigantes Eucharistiam secum circumtulerunt. Quia verò consuetudo hæc ex superstitione nata fuit, ne ab ipsis quidem Pontificiis hodie approbatur.* Præterea *domum delata fuit, in usum novarum nuptarum, & novorum sponsorum: qui olim non cum cæteris ad publicam Cœnam in templum convenerunt, sed domi Eucharistiam privatim acceperunt: ut Hieronymus ad Pammach. in Apol. pro libris contra Iovinianum indicat. Cùm enim populus universus sacram Cœnam quotidie sumeret, novi autem conjuges interdum secum reputantes, quid inter se ipsi occulti commercii habuissent, seque propterea cæteris impuriores aliquanto & contaminatiores esse judicantes, ad Ecclesiam eo tempore non accesserunt, sed Sacramentum ad se domum missum privatim sumpserunt. Huic superstitioni Hieronymus non mediocrem sæpè ansam præbuit, qui multa & scripsit sæpè, & dixit de matrimonio inverecundius.* Adhæc, *particulæ Eucharisticæ à quibusdam domum ex cœtu delatæ fuerunt, ut ab iis domi prandia & cœnas convivialeque, tanquam à re omnium sacratissima auspicarentur. Sumptum hoc ex vetusto illo more conjungendorum cum Cœna conviviorum videtur, quem fuisse apud Corinthios observatum ex iis apparet, quæ Paulus in eorum sacris conventibus corrigit & reprehendit. Veteres enim Christiani arbitrabantur hoc velut felici auspicio sacrarum epularum, quas jejuni prægustabant, alios communes cibos consecrari. Testem hujus rei Tertullianum habemus, qui libro secundo ad uxorem, de Eucharistia domum ab ea delata, sic inter alia scribit:* Non sciet, *inquiens*, maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciverit, panem non illum credet esse, qui dicitur. *Erant* denique *Toletani primi Concilii tempore, tempe-*

circa

circa annos Domini 400. qui Sacramentum quidem hoc accipiebant, verum non edebant & bibebant acceptum panem & vinum, sed secum domum deferebant, non tàm ut privatim domi communicare possent, quàm ad veneficia & alias execrandas artes exercendas.

Observandum autem obiter hoc loco, etsi interdum particulas aliquas domum ferre licuerit, iis qui vellent de corpore Domini, sanguine in Ecclesia sumpto, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent: Sapius tamen utrunque speciem iis datam domum deferendam. Hoc non obscurè ex Nazianzeni verbis de sorore sua Gorgonia colligitur. Si quam, *inquit*, Symbolorum pretiosi corporis & sanguinis partem manus reposuisset, &c. *Quibus utique partem utranque ab ea servatam fuisse Nazianzenus testatur. Amphilochius quoque scribit*, Iudæum quendam se in cœtum fidelium insinuasse, unaque cum illis communicasse, & partem secum utriusque speciei domum detulisse. *Qua autem ratione, quove instrumento usus fuerit, non exponit. Cyprianus in Serm. de Lapsis scribit*, mulierem quandam Sanctum Domini (*integrum Sacramentum intelligit*) in arca sua asservasse.

Consuetudine deferendi Eucharistiam domum rerum usus quæ pertinuit.

Hæc verò consuetudine, Cœna in alienum usum conversa est, quàm à Christo instituta fuit. Sacramentorum enim Symbola nec propriè Sacramenta sunt, nec verè Sacramentorum notæ, extra ipsam Sacramentorum legitimam actionem atq; usum, quatenus nimirum ad Christi præceptum non administrantur & percipiuntur.

Deum non probasse hunc ritum.

Historiola etiam illa, quam Cyprianus de Lapsis lib. 5 commemorat, satis indicat, morem hunc deferendi Eucharistiam in ædes privatas, includendi in arcas & privatim communicandi, Deum non probasse: flammis ex arca micantibus, in qua Eucharistia à quadam muliere conclusa tenebatur. *Et Constantinopolitana 6. Synodus c. 10. de eodem sic decrevit*: Eos qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem divini doni, nullo modo admittimus, ut præferentes materiam inanimem Dei imagini. Si quis Sacerdos, particeps fecerit cõmunionis hujusmodi vascula admoventes, excommunicetur, & qui hæc infert.

Patres etiam improbarunt hunc ritum.

Hieronymus quoque consuetudinem illam inveteratam Romæ vehementissimè citato loco reprehendit, nec cuiquam concedit ut domi accipiat. Verba ejus hæc sunt: Quare ad Martyres non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est.

Deportatio etiam illa Eucharistiæ ad exercendas artes illicitas; imò domestica hæc quoque communio in Toletana prima Synodo prorsus abrogata fuit, tali decreto: Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur: *ca. 14. Et in Cæsaraugustana Synodo anno 518. habita, ca. 3. sancitur*, Si quis Eucharistiam non consumpserit in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. *Quia verò hæc decreta nimis dura ipsis videbantur, qui vel propter infirmam valetudinem, vel aliam aliquam naturæ imbecillitatem Sacramentum aut repudiarent, aut non in stomachum ingererent, aut evomerent & inviti reicerent, ideò Concilium Toletanum 11. cap. 11. quasi interpretatione adhibita statuit, ut si quis ista faceret morbi atrocitate impulsus, hoc ei fraudi non esset. Sic enim Canon ille habet*: Cùm nihil in divino Canone confusum esse debeat, nihil dubium, nihil etiam indiscretum, in collatione nostri cœtûs relectus est Canon Toletani Concilii primi, in quo præceptum est, ut si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur: nec adjecta est ibi discretio voluntatum, cùm & infidelis infideliter hæc talia agat, & fidelis fideliter accipiat, quòd naturalis illum necessitas deglutire non sinit. Solet enim humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui, optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à sacerdote Eucharistiam rejecerunt: non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergo hujusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt, præsertim his, de quibus nihil fidei sinistræ sentitur. Placuit ergo definire, quòd nec fideli efficiat, nec infideli multum existat. Quicunque ergo fidelis, inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam reiecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subiaceat. Similiter, nec illos cujusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, quid fecerint, ignorare videntur. Iam verò, quicunque aut de fidelium, vel infidelium numero, corpus Domini absque inevitabili (ut dictum est) infirmitate proiecerit, si fidelis est, perpetua communione privetur: si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quòd si horum quilibet hujusmodi excessus digna pœnitentiæ satisfactione defleverit, post quinquennium licebit*

licebit illum cõmunioni priſtinæ reformari.

Quidam panem ſolum ſumebant, calicem autem averſabantur.

Hvic *numero, qui Cœnam Dominicam non ritè in primitiva Eccleſia ſumpſerunt, ii quoque accenſendi videntur, qui verum Chriſtianiſmum ſimulantes, cum aliis conveniebant ad conciones, preces & Sacramenta: ut autem tutius laterent, accedentes in turba corpus Chriſti accipiebant, calicem autem declinabant, horum Leo meminit, & Sermone quarto Quadrag.* ſacrilegium appellat, ſi quis calicem ſanguinis noſtræ redemptionis haurire decliner.

Gelaſius I. *Papa indicat*, ſuo quoque tempore non hæreticos, ut priùs, ſed nonnullos homines ſuperſtitioſos à calice ſacri cruoris abſtinuiſſe, ſumpta tantummodò corporis ſacri portione: hoc autem ſine grandi ſacrilegio ab illis non fieri docet.

Intinctæ Euchariſtiæ improbata.

Cumque in caſu neceſſitatis, & metu effuſionis, in communione parvulorum & infirmorum pœnitentium, apud veteres intincta & infuſa interdum Euchariſtia eſſet: ſicuti ex hiſtoria Serapionis, ex Cypriani Sermone quarto de Lapſis colligitur, ex his caſibus extraordinariis, quidam poſtea voluerunt conſuetudinem intinctæ Euchariſtiæ in legitimam Eccleſiæ communionem invehere. Sed Iulius Papa graviter hunc morem reprehendit, & docet eſſe contra divinum ordinem, contra Apoſtolicas conſtitutiones: item eſſe contrarium Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, & conſuetudini Eccleſiaſticæ adverſum: &c. *ut eſt videre de Conſec. diſt. ſecunda. Cum omne. Et hoc modo repreſſa aliquandiu fuit ſumptio intinctæ Euchariſtiæ: ſed circa annum Domini* 580. *rurſus invaluit, & in Bracarenſi Synodo iterum ſublata fuit decreto Iulii.*

De Reliquiis Euchariſtiæ & aſſervatione earum.

Reliquiæ Cœnæ à pueris abſumptæ.

Nicephorus *libro* 17. *ca.* 25. *narrat*, à multis annis conſuetudinem fuiſſe in Conſtantinopolitana Eccleſia, ut reliquiæ Euchariſtiæ vel à Clericis, vel ſi conſumendis Clerici non ſufficerent à pueris è ludo literario evocatis abſumerentur. *Mentionem hujus ritus quoque faciunt Evagrius libro quarto hiſt. cap.* 35. *& Gregorius Turonenſis lib.* 1. *de Gloria Martyrum c.* 10.

Reliquiæ Cœnæ igni tradita.

Heſychius ad verba illa Levit. 8. *Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis conſumet*; *docet*, ſui ſeculi morem fuiſſe, ut igni traderentur quæcunque in celebratione Euchariſtiæ remanere contigerit inconſumpta. *Hujus conſuetudinis paulò poſt facta quædam mutatio. Nam Concilium Matiſconenſe* 2. *circa annos Chriſti* 587. *habitum, reliquias has quarta aut ſexta feria demùm à Scholaſticis vino conſperſas conſumendas eſſe præcipit Can.* 6.

Apud Græcos per totam quadrageſimam tantùm ſabbatho & Dominico fiebat conſecratio: reliquis quinque diebus ex προηγιασμένων, id eſt, Præſanctificatis, Sabbatho nimirùm & Dominico. fiebat diſtributio & communicatio.

Reliquiæ intra triduum reſervatæ.

Alii rurſus apud veteres Euchariſtiam intra tridui ſpatium concluſerunt, quod prætergredi noluerunt. Nam tunc temporis, quum frequentiſſimè Cœna celebrari conſueviſſet in Eccleſia, nihil erat opus diutina reliquiarum aſſervatione, ſicut nec diutina admodum, ſaltem in vino, eſſe potuit, quod olim etiam reſervatum fuiſſe legimus. Quare quod ex proximæ Cœnæ reliquiis exhibebatur, velut quædam ejuſdem Cœnæ appendix & continuatio eſſe videbatur, & Cœna eadem, quæ à proxima, unde ſumptæ eſſent illæ reliquiæ, nihil niſi temporis & locorum ratione differre cenſeretur. Huc accedit, quòd panis & vinum, quæ aliquando his myſteriis conſecrata & dedicata erant, & proinde etiam ſacra habebantur, non exiſtimarunt poſtea in uſus profanos convertenda. Maluerunt igitur, ſi quando id uſus exigeret, illis, quod licuit, uti, quàm nova conſecrare. Quæ res olim multis dubitationem peperit, an hujuſmodi reliquiæ vim myſticæ benedictionis, quæ prius ſacris Cœnæ myſteriis conſecrata fuerant, iſta retinerent, ut adhuc uſui eſſe poſſent, & pro ſacris habere deberent. Antropomorphitæ hoc negabant: quos Cyrillus in epiſtola ad Caloſyrium Epiſcopum Arſen. inſanire dicit. *Non autem illos reprehendit, quòd ſentiant myſticam benedictionem, ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilem eſſe, in alium quàm in Sacramenti uſum adhibitis ejuſmodi reliquiis. Sed cùm Deo humana membra affingerent, & vim, efficacitatem ac gratiam Spiritus Sancti in Sacramentis nullam agnoſcerent, ſed omnia earum myſteria pro carneo ſuo ſenſu conciperent, exiſtimabant Chriſti corpus & ſanguinem perinde mutationi obnoxia fore atque eorum ſymbola, ſi eorum reliquiæ reſervarentur, quarum poſtea idem uſus eſſet qui antea fuerat. Hoc Cyrillus vehementer negat, docetque myſticæ benedictionis vim non eſſe in nobis efficacem ratione externorum elementorum, ſed ratione corporis Chriſti, in quo benedictionis virtus, & vivifica gratia perpetua eſt.*

Reliquiæ Cœnæ an vim benedictionis retineant. Vide Oſiand. *amp. Diſt. fol.* 149. *b.* 150. *Vide etiam* Bullum *contra* Hardingum *pag.* 724.

Aſſervatio reliquiarum in triduum damnata.

Patres autem nonnulli hanc conſuetudinem in triduum, aut plures dies includendi ſeu aſſervandi Euchariſtiam improbarunt, & diſertis verbis reprehenderunt. Origenes in cap. 7. *Levit. inquit*: Dominus panem, quem diſcipulis dabat, & dicebat eis: Accipite & manducate, non diſtulit, nec ſervari iuſſit in craſtinum. *Quibus verbis apertiſſimè docet, nihil omninò Chriſtum præcepiſſe de Euchariſtia aſſervanda, dum primùm hanc*

Cœnam

Cœnam instituerat, & cum discipulis suis celebraret.

Reliquiæ Cœnæ domi asservatæ.

In veteri quoque Ecclesia permissum unicuique fuit ex populo partem Eucharistiæ vel in cœtu manducare & bibere, vel etiam domum secum deferre, & asservare illam in cistulis aut arcis, ut iis in persecutionibus, cum opus esset, uti possent: sicut intelligitur ex Tertulliani libro secundo ad Vxorem: & Cypriani Sermone de Lapsis. Basilius etiam, in epistola ad Cæsaream patritiam testatur, Anachoretas, qui non poterant commodè sæpius Ecclesias frequentare, consuevisse Eucharistiam secum in eremum deferre. Nazianzenus de sorore Gorgonia indicat, quòd solita fuerit partem Eucharistiæ, quam servaverat, in conspectu subindè habere. Ambrosius de fraire suo Satyro scribit, eum in Orario involutam Eucharistiæ particulam suspendisse. Hæc verò consuetudo in Toletano 1. & Cæsaraugustano Concilio prorsus abrogata est.

Reliquiæ Cœnæ in templis asservatæ.

Denique in Templis quoque & similibus locis asservata quoque olim fuit Eucharistia ad usum Pœnitentium, ut ex Serapionis & aliorum historia intelligitur: Itemque ex cap. 6. Arelatensis Synodi: ubi sic statuitur, Vt qui non benè custodierit sacrificium, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, 40. dies pœniteat: Qui autem perdiderit in Ecclesia, nec inventa fuerit, 30. dies pœniteat. *Citatur à Gratiano de Consec. dist. 2. cap. 94. Tria autem Concilia Arelaten. sunt habita: primum, anno Domini 320. secundum, anno 326. tertium, anno 454. & tamen in nullo hoc decretum invenitur.*

CAPVT III.

De vero sensu verborum Christi, Hoc est Corpus meum, &c. Et orthodoxa sententia de sacratissima Cœna Dominica, omnium Patrum & Doctorum primitivæ Ecclesiæ.

Patres Ecclesiæ primitivæ quomodo verba Cœnæ intellexerint.

QVOD IAM *verba Christi attinet*, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, &c. *omnes Patres hujus Classis ea non ut sonant, sed figuratè & sacramentaliter intellexerunt: ideoque affirmarunt, docuerunt & crediderunt, quòd, sicut in Baptismo ablutio sit gemina, una Sacramentalis, externa, symbolica, quæ fit aqua: altera Spiritualis, interna, viva & vera, quæ in Spiritu sit sanguine Christi: sic etiam manducatio corporis & sanguinis Christi in Cœna alia sit Sacramentalis, panis scilicet & vini, externa, similiter typica, quæ fit ore: altera Spiritualis, corporis & sanguinis, interna quæ sit fide in Spiritu, quæ sola sit perceptio, participatio & applicatio significatarum & oblatarum rerum. Quòd tota actio externa sit interna symbolum, & unio sacramentalis sit communio rerum cum signis, in verbo gratiæ & promissionis, ex instituto & ordine, qua res cum signis offeruntur conjunctione promissi, secundum analogiam signi ad rem signatam: eoque Symbola non mutari in res signatas, quarum figuræ & typi sunt, quandò commutatione quadam nomina rerum suscipiant; Nec esse ipsas res significatas absolutè, ᾗ καθ' ἑαυτα, substantia, aut qualitatibus, sed κατα τι, ἢ κατ' ἄλλο, ac relativè, usu & fine ex ordinatione divina, tanquam signa ad res significatas. Quòd verba institutionis vera sint ac maneant, & panis sit corpus, vinum sanguis Christi, non tamen substantia, sed ex sensu Scripturæ, ex ordinatione & interpretatione Christi, relativè in usu, quem Christus ipse declaravit. Ideoque illa oportere intelligi μεταφυσικῶς, non ὑποκειμενικῶς, nec σωματοδυκικῶς ne concipiatur animo, aut mutatio Symbolorum aut ad ea alligatio aliquâ. Docuerunt etiam Patres, quòd accedente verbo ad elementum fiat Sacramentum: eoque percipi utrunque, elementum ore, verbum autem & promissionem cum beneficiis omnibus fide promissis, sine qua symbola sumenti nuda sunt & inania symbola: quia fides verbo nititur & symbolis, quatenus sunt verbum visibile. Quòd etsi tota Trinitas præsens se nobis conjungat, vera, viva & efficaci societate, & fide in nobis habitet, non momentanea, sed durabili, & nobis sua beneficia communicet: Filium Dei tamen, ut qui in carne nostra pro nobis victima factus est, & pretioso suo sanguine nos redemit, testari Sacramenti hujus inprimis ritu, sacrificio sui corporis, id est, merito mactati corporis, ac profusi sanguinis, opus hoc & donum misericordiæ divinæ partum & completum esse: ideoque credentes non tantum effici per fidem corporibus suis templa & habitacula Dei Patris, Filii & Spiritus sancti: sed & membra Christi. Denique iidem Patres orthodoxi affirmarunt, quòd Filius Dei in hac ultima Cœna, tanquam Testamento ultimo, & monumento perpetuo, appellationibus corporis & sanguinis sui, pani & vino attributis, commendare & consecrare fideli posteritati memoriam passionis & mortis suæ: mansu verò pasque corporis & sanguinis fidem veri, unius solius & spiritualis fructus in virtute & efficacia Spiritus sancti, ac præsentiam suam in cordibus per fidem perpetuam, ac societatem perpetuò durantem, coalitumque cum suo corpore confirmare & obsignare voluerit.*

Patres docuerunt, de pane dictum, Hoc est corpus meum.

Hæc autem sic se habere, testimoniis Patrum probabo PRIMO, *eos sensisse & docuisse, Christum de pane dixisse*, Hoc est corpus meum: &c. *atque etiam post benedictionem panem fregisse,*

ziſſe, dediſſe diſcipulis : diſcipulos etiam panem accepiſſe & comediſſe, non reale, verum & naturale corpus Chriſti : adeoque toto hoc temporis ſpatio, annis nimirum 600. poſt Chriſti & Apoſtolorum ætatem, portentoſum dogma de annihilatione & tranſubſtantiatione elementorum, prorſus incognitum Eccleſiis Chriſti earumque Doctoribus fuiſſe.

Irenæus. Irenæus *dicit*, Euchariſtiam conſtare duabus rebus : terrena, pane videlicet & vino : & cœleſti, corpore nimirum & ſanguine Chriſti. *Quod ergo idem Pater dicit*, Panem fractum & calicem mixtum, poſtquam perceperit vocationem Dei, non amplius eſſe communem panem, ſed Euchariſtiam corporis & ſanguinis Chriſti : *id ſic interpretatur, Cùm antea una tantùm eſſet res, terrena videlicet, iam fieri Euchariſtiam, conſtantem duabus rebus, pane & corpore, vino & ſanguine Chriſti. Idem lib. 4. cap. 34. ſcribit:* Panis, in quo gratiæ actæ ſunt, eſt corpus Domini. *Vbi manifeſtè panem vocat etiam poſt conſecrationem ſeu benedictionem.*

Idem lib. 5. Quæ de calice, *inquit*, nutritur, qui eſt ſanguis ejus : & de pane, qui eſt corpus ejus, augetur. *Rurſus :* Chriſtus panem, qui eſt creatura, ſecundum nos, corpus ſuum eſſe confeſſus eſt. *Item*, De pane, qui eſt corpus Chriſti, nutritur caro hominis. *Hic quum Irenæus dicat, ſymbola, quæ in Euchariſtia percipiantur, augmentum & nutrimentum corporibus noſtris ſuppeditare, quia hæc corpori & ſanguini Chriſti nequeunt competere, ſequitur Irenæum nullam elementorum ſubſtantialem, ſed ſolùm ſacramentalem mutationẽ ſtatuere. Nihil enim naturaliter corpus noſtrum nutrit, niſi quod per alterationem in carnem noſtram & ſanguinẽ convertitur. Hoc verò quum de corpore & ſanguine Chriſti ſine magna impietate dici non poſſit, intelligimus, ſacramenta ſive ſymbola externa, quæ ſuo modo & ſunt & dicuntur corpus & ſanguis Chriſti, ſola eſſe, quæ non permutata, ſed in ſua natura perſiſtentia, verè corporibus noſtris nutrimentum & augmentum ita ſuppeditant, ut interim propter res ipſas cœleſtes, quæ ſimul cum eis fide & animo percipiuntur, corporibus noſtris incorruptionem, certamque reſurrectionis ſpem faciant.*

Tertullianus. Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem ait,* Dominus acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, dicendo, Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei. *Hic manifeſtè Tertullianus dicit, Chriſtum* PANEM *accepiſſe, &* PANEM, *non corpus ſuum, diſcipulis ſuis diſtribuiſſe : & ex eo quidem feciſſe corpus ſuum, id eſt, figuram corporis ſui. Idem lib. 2. ad Vxorem :* Non, *inquit*, ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes. Et ſi ſciverit, Panem non illum credet eſſe, qui dicitur. *Hic claris & diſertis verbis Panem eſſe teſtatur Tertullianus, id quod pro ſacramento accipitur, & quo veri corporis Chriſti in mortem oblatio pro fidelibus ſignificatur.*

Origenes. Origenes *in Matth. tract. 12. inquit*, Panem Dominus diſcipulis dabat, dicens : Hoc eſt corpus meum. *Et in Matth. cap.* 15. Panis, ait, iſte, quem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur, &c.

Cyprianus. Cyprianus *lib. 2. epiſt. 3.* Vinum fuit, quòd ſanguinem ſuum dixit : *Sed non eſt, quod multa ex hoc Patre adducam teſtimonia : quum omnia ejus ſcripta teſtentur, in Euchariſtia veram panis & vini exhiberi ſubſtantiam, ut ſimilitudo alimenti vivifici, quod à fidelibus ex corpore Chriſti percipitur, & adunatio ac ſocietas totius populi in unum corpus congregati, rectè ſuo reſpondeat ſacramento.*

Hieronymus. Hieronymus *lib. 17. in Iſaiam, cap. 62.* Hoc autem triticum, *inquit*, & hoc vinum, quod non comedunt, niſi laudantes Dominum, & non bibunt niſi in atriis ſanctis ejus, de quo Dominus in paſſione dicebat, Non bibam de hoc germine vitis hujus, donec illud bibam novum in regno Patris mei. *Et ad Hedibiam :* Nos autem, *inquit*, audiamus panem, quem fregit Dominus, dedítque diſcipulis, eſſe corpus Salvatoris, ipſo dicente ad eos, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.

Theophilus Alexandrinus. Theophilus *Alexandrinus lib. 1. Paſchalis contra Origenem de eodem ſic ſcribit :* Dicit, Spiritum ſanctum non operari ea, quæ inanimata ſunt, nec ad irrationabilia pervenire : Quòd aſſerens, non recogitat, aquas in Baptiſmo myſticas adventu Spiritus ſancti conſecrari, panemque Dominicum, quo Salvatoris noſtri corpus oſtenditur, & quem frangimus in ſanctificationem noſtri, & ſacrum calicem, quæ in menſa Eccleſiæ collocantur, & utraque inanimata ſunt, per invocationem & adventum Spiritus ſancti ſanctificari. *Docet Theophilus his verbis, eandem eſſe ſanctificationem aquæ in Baptiſmo, & ſymbolorum in Cœna : quemadmodum igitur aqua Baptiſmi per conſecrationem & ſanctificationem, hoc ipſo in ſe non deſivit eſſe, quod antea fuit, inanimata : ſic etiam panis & vinum in Cœna etiam poſt ſanctificationem manent in ſua ſubſtantia, quod antea fuerunt.*

Poteſt etiam ex his verbis Theophili tale argumentum formari. Quod inanimatum eſt, non eſt reale & naturale corpus Chriſti : Sed panis Dominicus in quo Salvatoris corpus oſtenditur, & quem frangimus in ſanctificationem noſtri (hoc eſt, Sacramentum) eſt inanimatum ; & per invocationem & adventum Spiritus ſancti ſanctificatur (hoc eſt, ex elemento fit ſacramentum

tum & symbolum quo Christus Spiritualiter & verè fidelibus exhibet suum corpus:) *Ergo non est reale & naturale corpus Christi. Nec possunt Papistæ hic elabi dicendo, Theophilum loqui de pane ante consecrationem, cùm adhuc non sit Sacramentum: quia in pane ante consecrationem, corpus Christi non ostenditur: neque panem ante consecrationem frangimus in sanctificationem nostri. Theophilus igitur loquitur de sacramento, & uno verbo connectens aquam Baptismi, & panem Cœnæ, dicit, Inanimata sunt.*

Cyrillus Alexandrinus.

Cyrillus *Alexandrinus in Ioannem lib. 4. cap. 24. dicit*, Christum dedisse fragmenta panis discipulis suis, quum dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum. *Rursus in Ioannem lib. 11. cap. 26. dicit.* Si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur. *Et in epistola ad Calosyrium scribit, in Pane & vino sumi corpus & sanguinem Christi.* Christus, *inquit*, nostris quodammodò unitur corporibus per sacram ejus carnem & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione vivifica in pane & vino. *Quibus verbis apertè substantialem panis in corpus Christi conversionem negat, & transsubstantiationis figmento contradicit. Respondet Bellarminus, lib. 2. de Eucharistia cap. 25. Col. 653.* Sic loqui Cyrillum, quia in specie panis & vini detur Eucharistia: hoc est, ob similitudinem vel apparentiam panis & vini, vel propter accidentia, quæ post consecrationem sola iam restare fingit. *Monstret autem Iesuita vel unicum ex omni vetustate Patrem, qui vel exiguam mentionem faciat de accidentibus per se sine omni subiecto subsistentibus, vel in aëre pendentibus. Neque dicere possunt, loqui Cyrillum de Pane & vino ante consecrationem: nam ipsa verba hujus authoris vanissimum hoc commentum repudiant, quæ corpus & sanguinem Christi in pane & vino percipi apertè testantur. Idem Cyrillus dicit:* Suum corpus tanquam panem distribuit, & vivificum suum sanguinem tanquam vinum dat. *Vbi particula ὡς* Tanquam, *non significat similitudinem, ut Turrianus vult, ut in similitudine panis & vini, corpus & sanguinem dari à Christo Cyrillus docere voluerit: sed certam potius & solidam approbationem hac voce denotare voluit: hoc est, ipsam substantiam panis & vini. Hoc sensu etiam usurpatur à Ioanne:* Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre: *id est, reapse unigeniti: & à Paulo Ephes. 5.* Estote imitatores Dei tanquam filii dilecti. *Item*: Fuistis quondam tenebræ, nunc verò lux in Domino, tanquam filii lucis ambulate. *Quid multa? Grammatici particulam ὡς apud Homerum & alios sæpissimè exponunt per ὄντως, ἀληθῶς, id est*, certè, verè. *Huic respondet apud Hebræos littera* Caph, *quæ non semper denotat similitudinem, sed interdum ea utuntur ad firmandam rei veritatem. Vnde Scholia Hebræa, cùm isto sensu ponitur* Caph, *illud appellant* Caph veritatis: *& hinc referunt illud Iobi 24. cap.* De nocte est tanquam fur: *& Gen. 25.* Iura mihi sicut hic dies: *ut hoc dicat, tam verè, quàm verum est diem hunc existere.*

Ambrosius lib. 4. c. 4. de Sacramentis inquit: Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud convertantur. His verbis Ambrosius nullam materialem mutationem elementorum, sed tantùm sacramentalem & spiritualem docet. Ait enim de Sacramento: Quanto magis operatorius est sermo Christi, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. Ergo si sunt quæ erant, ut ait Ambrosius, tunc panis & vinum manent ut erant ante consecrationem. Et commutantur, ut ait idem in aliud. Hoc est, panis & vinum accessione verbi Dei & mystica operatione Spiritus Sancti, commutantur in sacramentum & symbolum, quo Christus arcano ministerio Spiritus Sancti, Spiritualiter & verè exhibet syncerè credentibus in ipsum, suum ipsius corpus & sanguinem. *Lanfrancus hoc tam clarum testimonium non potuit aliter eludere, quàm quod dixit*, Verba illa non reperiri in libris Ambrosij. *Sed quia hoc non consilit, Scotus dixit, Ambrosij sententiam esse*, quòd manent, in aliud scilicet mutata, ut si aqua mutata in vinum dicatur aqua. *Sed duo distinctè dicit Ambrosius: Primò, elementa in Eucharistia esse & manere, quæ ante consecrationem & mutationem fuerint. Secundò, & tamen adiici etiam illam gratiam, ut simul quoque fiant corpus & sanguis Christi. Idem, apertissimè dicit:* Non sublata panis substantia, sed adjecta pani corporis Christi gratia. *Ipsemet igitur Ambrosius sui interpres est, quòd nimirum intelligat talem panis & vini conversionem, ut sint quæ ante conversionem erant, & adiiciatur illi gratia. Vt simul etiam ibi adsit corpus & sanguis Christi, quæ fidei & menti exhibentur. Et in libro de Init. mysteriis cap. 9. scribit:* Non aliam hic requirimus Dei vim & facultatem, quàm quæ effecit, ut præter ordinem virgo generaret. Eundem enim illum Spiritum, qui obumbravit Mariam, ut conciperet, non dubito adesse pani, & vino, ut efficiantur sacramenta corporis & sanguinis Domini. Et quod verè ac naturaliter externis elementis vescamur, ut interim esum carnis & sanguinis Christi carnalem significemus. *His verbis apertè docet, ipsam panis & vini substantiam verè in sacramento manere, & non sola accidentia, quum dicit nos verè & naturaliter externis elementis vesci.*

Ambrosius.

Rursus

Rursus lib. 4. ca. 3. testatur, in Eucharistia esse creaturam solennem & notam. Venisti, *inquit*, ad altare: vidisti sacramenta super altare posita, & ipsam quidem miratus es creaturam: tamen creatura solennis & nota. *Talis autem creatura non est panis sublata substantia, nec in locum ipsius reali existentia, sub specie panis succedens phantasticum illud, sine veri corporis modo, corpus, quo nihil in tota rerum natura magis esset incognitum & admirandum.*

Idem Pater in Epistolam ad Hebr. cap. 5. dicit, Mentem humanam concipere vivificam & salutarem substantiam in pane & vino. Ergo panis & vinum manent.

Chrysostomus *in Matt. homil. 83. ait*, Christus, cum hoc mysterium tradidit, Vinum tradidit. *Idem ad Cæsarium affirmat*, veritatem carnis Christi; cuius appellatione panis per sanctificationem Sacerdotis dignus est factus, sic incorruptæ naturæ suæ proprietatis agnitionem retinere & conservare, sicut ipsa natura & substantia panis manet. *Rursus ibidem scribit*, symbolum liberatum esse appellatione panis, & naturam tamen panis in eo permanere. *His verbis apertissimè testatur, sacramentalem panis, non autem substantialem, in hoc mysterio mutationem esse intelligendam, secundum quam videlicet externa elementa ipsarum rerum significatarum nomine vocentur, & itares ipsas fidelibus exhibeant, ut pristinam tamen substantiæ suæ naturam retineant. Hoc perspicuum Chrysostomi testimonium quum Bellarminus refellere non posset, satis esse putavit ad authoritatem ejus elevandam, si epistolam illam Chrysostomi esse negaret, & diceret*, Nihil ejusmodi unquam scripsisse Chrysostomum: neque enim in toto Chrysostomi opere ullum esse librum, vel epistolam ad Cæsarium: *c. 2. li. 2. de Sacramento Eucharist. Col. 631. Etsi verò hoc illis concedamus, non tamen quod vult obtinere poterit Iesuita, ut nimirum novam & recentem doctrinam esse, quam nos tuemur, criminari possit, quum eam tanto vetustatis patrocinio comprobatam cernat. Quicunque enim illius epistolæ author fuerit, vetustissimum tamen eum esse apparet, cujus scripta ad authorem usque Chrysostomum & non ad recentiorem aliquem scriptorem referuntur. Idem in Psalm. 22.* Vt quotidiè in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in Sacramento. *Et quia non dicit, Panem & vinum ostendi ante Sacramentum, sed in Sacramento, eo ipso futile Iesuitarum commentum redarguit, quo dicunt, Panem & vinum quidem à Chrysostomo vocari, verum ante, non post consecrationem. Et homilia 60. ad populum Antioch. ac 83. in Matthæum scribit:* Cùm ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, & oculis intellectus id perspiciamus, *Quod si, juxta Chrysostomum, corpus Christi solo intellectus oculo in Sacramento cernitur, non utiq. panis & vinum, quæ carneis videntur oculis, ipsum Christi corpus, amissa sua substantia, existunt, aut in id permutantur. Cumque alibi dicat*, nihil sensibile traditum nobis esse à Christo, sed rebus sensibilibus omnia insensibilia tradita esse, *vel inde intelligimus, non sic præsentem in Cœna statui à Chrysostomo Christum, ut quod oculi vident, id non esse Panem, sed ipsum Christum aliquis existimet. Quod autem alibi in suis scriptis* negat videri Panem & vinum, *non eam ob causam fit, ut non amplius retinere substantias panis & vini credamus. sed ut divina mysteria & rerum cœlestium sacramenta illa esse scientes, sensus omnes nostros à rebus visibilibus avocemus, & in ipsum Christi corpus & sanguinem fidei & intellectus oculos conticiamus.*

Augustinus *in Serm. ad Infantes sic loquitur:* Quod vidistis panis est, & calix, quod etiam vobis oculi vestri renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis. *Ergo sensit Augustinus, ipsa panis substantiam, non solas species vel accidentia panis exhiberi. Deinde, cum apertè dicat, Panem esse corpus Christi, & calicem ejus sanguinem, figuratè eum hoc dixisse nemo est, qui non intelligat: aut quomodo panis corpus Christi propriè & sine figura dici queat, nobis explicetur. In eodem Serm. Panem & vinum integra, sine ulla sui mutatione, quod ad substantiam eorum attinet, in hoc sacramento existere, etiam authoritate Pauli confirmat. qui 1. Cor. 10. c. in Pane mysterium corporis mystici recte repræsentari docet:* Sicut, *inquit* Augustinus, ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergantur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta, erat illis anima una, & cor unum in Deum: sic & de vino fratres recolite, unde sit vinum: grana multa dependent ad botrum, sed liquor granorum in unitatem confunditur. Ita Dominus noster Iesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit. *Vbi manifestè mysterium unitatis & conjunctionis nostræ in Christo dicit Augustinus, secundum mentem Pauli, in pane & vino repræsentari: qui ergo Panem & vinum ex hoc sacramento auferunt, mysterium quod ipsum tollunt. Et in Tract. in Ioannem 26. Propterea, inquit, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Nam & aliud in vinum ex multis granis conficitur & constat, aliud in vinum ex multis acinis confluit. Ergo, secundum*

Augustinus.

Augu-

Augustinum, non in accidentibus, sed in substantia panis & vini Christus corpus & sanguinem suum commendavit : non enim accidentia ex multis granis & acinis sed ipsa substantia panis & vini conficitur & constat. Et hoc omnes Patres atate ipsum antecedentes, idem docuisse testatur. Idem lib.3.c.10.de Trinitate scribit, Panem in altari positum peracta celebratione consumi. Igitur quod etiam post consecrationem sumitur & consumitur, Panis est.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Cyrillus *Hierosolymitanus Mystag.*3. Quemadmodum, *inquit*, panis Eucharistiæ post Spiritus sancti invocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, *&c. Non negat amplius Panem esse post benedictionem, sed negat communem tunc amplius Panem esse. Et Catech. Myst.5. in illa Oratione, quæ recitatur post institutionis Cœnæ Dominicæ verba, iuxta morem omnium Liturgiarum,* verum adhuc Panem & vinum vocat. *Vnde constat, substantiam eorum per hanc rationem non annihilari seu transubstantiari, nec id creditum tunc sic fuisse in Ecclesia.*

Theodoretus.

Apud Theodoretum manifestissima testimonia habemus, ex quibus intelligimus, quæ veterus Ecclesiæ hac de re fuerit sententia. Nam Dialogo 1. *dicit cap.*8. Christum in institutione Cœnæ permutasse nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuisse, symbolo verò corporis nomen. *Hoc autem propterea eum feciss dicit*, ut Sacramentis utentes non intenti sint in naturam eorum quæ cernuntur, sed per nominum permutationem, ei credant mutationi, quæ ex gratia facta est.

Vide de hoc Theodoreti loco Pessini Controversiarum C. controversia 11. *sect.* 2. *& sq.*

Qualis autem illa sit mutatio, ipse met explicat sic inquiens : Non naturam mutans, sed gratiam naturæ adiiciens. *Talem igitur docet symbolorum in Eucharistia fieri mutationem, ut eorum, panis nimirum & vini, natura vel substantia maneat, & tantum eis adiiciatur gratia. In secundo Dialogo cap.*24. *clarius adhuc veteris Ecclesiæ sententiam explicat. Cùm enim Eutychianus dixisset, Quemadmodum symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante sacerdotis pronuntiationem, post eam verò mutantur & alia fiunt: ita Dominicum corpus post ascensionem in divinam essentiam mutatum est : Respondet ei Orthodoxa antiquitas*, Implicatus es laqueis quos contexuisti. Nequaquam enim post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam. Sed manent in priore substantia, figura & specie, & cerni possunt ac tangi. Intelliguntur autem quæ facta sunt & creduntur, & adorantur, quasi essent illa quæ creduntur.

Et ut summatim dicam, panem, non aliquid aliud sub specie panis existens, corpus Christi esse, catholicus & orthodoxus totius veræ Ecclesiæ consensus jam olim semper fuit.

His testimoniis rationes etiam ex Patribus desumptæ accedunt. Sacramentum nihil aliud est, quàm sacræ rei visibile signum : aut, invisibilis gratiæ visibilis forma. Si verò panis substantia : quæ ab aliis Patribus dicitur signum corporis Christi, amittitur in Cœna, & solùm ejus accidentia relinquuntur, nulla amplius restabunt signa, ac proinde nulla poterunt esse Sacramenta: Et ita hæc doctrina tota Sacramenti natura evertitur. Altera ratio hæc est. Signum, seu significatio hujus Sacramenti in reficiendo & alendo consistit : hoc enim testatur Cyprianus de Cœna. Iustinus etiam Apol. 2. *& Irenæus lib.* 5. *referunt,* Panem Eucharisticum carnis nostræ substantiam augere. *Rabanus quoque lib.* 1. *cap.*31. *ita habet :* Quia panis corporis cor confirmat, ideò congruenter corpus Christi nuncupatur : Et quia vinum sanguinem operatur in carne, ideò illud ad sanguinem Christi refertur. *Nullus autem dixerit, corpora nostra formis & accidentibus sustentari : ex iisdem enim nutrimur & sumus : quare si corporis nostri substantiam accidentibus nutriri quis dixerit, tum etiam corporis substantiam ex accidentibus constare dixerit necesse est. Hinc igitur sic argumentamur : Accidentia, seu species panis & vini, non alunt corpora nostra, sicut animas nostras corpus Christi nutrit: Ergo, Accidentia, speciesque panis & vini non sunt Sacramenta corporis Christi. Contra autem Cyprianus, Iustinus, Irenæus, Rabanus, aliique prisci Patres, Panis substantiam nutrire corpora nostra affirmant : Ergo, panis substantia est sacramentum corporis Christi.*

Rationes ex Patribus probatur, Panis substantiam in Cœna manere.

Patres qualem mutationem symbolorum in Cœna statuant.

Fuit igitur hæc doctrina de conversione seu transmutatione elementorum Panis & vini in res ipsas quas significant, puriori antiquitati incognita, Mentionem quidem faciunt Patres interdum mutationis & conversionis, *sed non realis, in qua substantia panis & vini verè in corpus & sanguinem Christi transmutetur : sed sacramentalis, & Spiritualis, qua fit ut elementa hæc post consecrationem, non amplius sint communis panis, & vulgare vinum, sed Eucharistia. Vnde Chrysostomus ait :* Intelligibilia esse, quæ in sacramento dentur : *deinde rationem miraculi, quod sic* κατεχρησεν *vocat, constituit: non in novæ alicuius substantiæ introductione, sed in sanctificatione illa, qua symbola in usum sacrum, ex Domini ordinatione destinata intelliguntur, nempe, ut fidelibus sint corporis & sanguinis Domini efficacia pignora, cum quibus per arcanam Spiritus sancti virtutem nobis summa & ineffabilia dona verè exhibentur & applicantur.*

Sic etiam Scriptura de Saule dicit 1. *Sam.*10. *Spiritus Domini prompte te invadet, ut prophetes & tu cum eis, mutêris in virum alium. Prior autem & naturalis ejus substantia mansit, &*

tantùm Spiritualis in eo mutatio facta est.

Patres quo sensu vocabula Speciei, figuræ, &c. usurpēt.

Iidem Patres quum interdum vocabulis, speciei, similitudinis, effigiei, typi & figuræ utantur, non certè ita substantiam Panis & vini ex Sacramento excludunt: solaque accidentia relinquunt: sed docere volunt, ut ab externis symbolis oculos avertamus, & quæ ex natura sua sint non amplius intendamus, sed quid significent in id animi & fidei oculos defigamus.

Patres verbum EST, per significat, repræsentat, &c. explicāt.

QVVM verò duo disparata in uno eodemque subjecto simul esse non possint, idcirco Patres SECVNDO, *verba Christi non* κυριολεξίᾳ *sed* τροπολογικῶς *intellexerunt: quòd nimirum figuratè tantùm & μεταφορικῶς panis dicatur à Christo corpus suum esse, & vinum sanguinem: non literaliter, ut panis non modò dicatur, sed sit etiam revera ipsum corpus Christi naturale & essentiale: ideoque etiam verbum* EST, *per verba* Significandi, Repræsentandi & Memorandi *interpretantur.*

Tertullianus. Tertullianus *enim lib. 1. contra Marcionem*, Christus, *inquit*, non reprobavit panem, quo ipsum corpus suum repræsentavit. *Contra hunc locum obiicit Bellarminus lib. 2. de Eucharist. cap. 7.* verbum Repræsentandi ambiguum esse: significare enim præsentem rem aliquam facere, sive reipsa, sive in signo aliquo: cumque ambiguum sit, nihil certi posse inde colligi. *Sed ad hanc objectionem paulò infrà in Hieronymi testimonio respondebimus.*

Basilius. *Basilius lib. 1. de Baptismo:* Quid utilitatis, *inquit*, habent hæc verba, Hoc est corpus meum? nempe ut edentes & bibentes, perpetuò memores simus ejus, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Eusebius. *Eusebius Cæsariensis lib. 1. de Demonst. Evang.* Christus nobis memoriam pro sacrificio reliquit, quam Deo perpetuò offeramus. *Item*: justit nos offerre memoriam pro sacrificio.

Hieronymus. Hieronymus *ait*, Dominum in Cœna ultima nobis sui memoriam & quasi pignus quoddam, reliquisse. *Idem in 1. Corinth. 12. cap.* Quia, *inquit*, morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem Domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. *Et in c. 26. Matth. Christum in Cœna nobis per panem veritatem corporis sui representasse.* Postquam, *inquit*, Pascha mysticum fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transit sacramentum; ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis repræsentaret. *His verbis docet, Christum panem in manu acceptum Ecclesiæ suæ sacramentum ordinasse, ut eo veritatem corporis sui repræsentaret. Iesuitæ ut eludant hoc testimonium clarissimum, in unica Repræsentandi vocula insistunt, eamque ex usu sermonis Latini non modò scriptoribus prophanis, sed sacris etiam pro eo usurpari dicunt, quod est rem præsentem exhibere & ostendere. Vt verò hoc minimè difficultemur, ita negare Iesuitæ non possunt, sapissimè etiam idem verbum apud probatissimos authores usurpari pro eo quod est, rem aliquam similitudine quadam aut imagine referre. Quod si locus hic Hieronymi conferatur cum reliquis ejus de Cœna scriptis, in posteriori hac significatione voculam Repræsentandi omninò accipiendam esse hoc loco mox intelligetur.*

Chrysostomus. Chrysostomus *Homil. 61. ad populum Antioch.* Hoc sacrosanctum, *inquit*, corporis & sanguinis Christi mysterium, ideò sanctum & Ecclesiæ commendatum est, ut nos perpetuam & beneficij Christi, & salutis nostræ memoriam conservaremus. *Homil. 17. ad Hebræos*: Sacrificium nostrum est recordatio sacrificii: *Ergo non ipsummet Filii Dei sacrificium.*

Augustinus. Augustinus *in Sent. Prosperi de Consecrat. dist. 2. testatur, quòd visibilia elementa sint corpus Christi, non rei veritate, sed significatione, sic enim inquit*: Caro carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis: carne & sanguine, utroq; invisibili, intelligibili, Spirituali significatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus palpabile. *Et paulò post dicit, visibile elementum esse corpus Christi, ea ratione qua Sacerdotis actio Christi passio dicitur, inquiens*: Sicut cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ manibus sacerdotis fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est. *Ad hæc verba Glossator hæc adiecit.* Cœlestis, id est, cœleste sacramentum, quod verè repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi impropriè. Unde dicitur suo modo, non rei veritate, sed significante mysterio: ut sit sensus, vocatur Christi corpus, id est, significat. *Et epistola 23. ad Bonifacium*, Si Sacramenta, *inquit*, quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine pleruque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est.

Ex

Ex his Augustini verbis duo colligi possunt: primum est, quòd neque panis revera in substantiam corporis Christi convertatur: secundum, quòd neq; sola accidentia panis in Sacramento manere possint. Si enim propter similitudinem sacramenta rerum ipsarum nomina accipiunt, non sanè in res ipsas mutantur, quandoquidem sacramenta in res ipsas mutata, verè ac propriè rerum nomine censerentur, non autem propter similitudinem, nomina earum acciperent. Aqua enim à Christo in vinum permutata, non propter similitudinem aliquam cum vino, vini nomen acceperat, sed quia vinum verè facta fuerat, ideò nomen etiam vini verè ac propriè retinuerat. Similitudinem autem & analogiam cùm panis, & non accidentia ejus cum corpore Christi habeat, ipsum extra omnem controversiam in sacramento manere, & non accidentia, res ipsa evincit & probat. Panis enim in cibum assumptus alit & confirmat corpus hominis, non autem ipsa accidentia. Similitudinem igitur quandam habet cum corpore Christi, quòd nimirum sola caro Christi sit, quæ cibum spiritualem animæ exhibeat, eiq; vitam immortalem suppeditet. Hæc licèt manifestissima sint, tamen ut Lectori abunde satis fiat contra Iesuitas, qui contendunt, sacramentum hoc loco ab Augustino pro solis speciebus visibilibus accipi, de quibus secundùm quendam modum, non propriè corpus Christi prædicari dicat: Sciendum est, Augustinum eo loco de utroq; Sacramento verba facere, & generalem doctrinam tradere, cur videlicet Sacramentum, vel externa signa, rerum ipsarum quas significat nomina accipiant: & docet, quemadmodù diximus, similitudinem quandam, quam habent signa cum rebus ipsis hoc efficere. Inde fieri, ut Baptismus dicatur esse fides, qui revera non sit fides, sed fidei signum: & panis dicatur esse corpus, qui tamen propriè non sit corpus, sed signum corporis. Quod si Augustinus Sacramentorum nomine solas visibiles species, abolita ipsorum substantia, ut Iesuitæ somniant, intelligeret, tunc non solum panem & vinum in Eucharistia, sed aquam quoq; in Baptismo transsubstantiari: & sicut illic sola accidentia sine subjecto remanere dicuntur, ita etiam in Baptismo sola accidentia aquæ reliqua esse oporteret. Sed quemadmodum hoc falsum est, sic & illud. Vt enim integra substantia aquæ manet in Baptismo, sic integra substantia panis manet in Cœna. Non ergo Augustinus Sacramenti nomine inanes rerum intelligit formas, sed ipsas substantias, ut panis dicatur corpus, quia est signum corporis, & vinum sanguis, quia est signum sanguinis. Eodem pertinet quod Augustinus contra Maximinum Arrianum lib. 3. cap. 22. ita scribit: In Sacramentis non quid sint, sed quid ostendant, attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. *Quod si, juxta Augustinum, sacramenta aliud existunt, & aliud significant, non sanè in id quod significant permutantur, siquidem permutata non amplius existerent, sed hoc saltem unum quod Pontificij hodie volunt, sine ulla significatione demonstrarent. Neque enim lapis lapidem, aut equus equum significat cùm unam & eandem speciem rei constituant.*

Augustinus per Sacramentum non visibiles species intelligit.

Cyrillus *Alexandrinus lib. 12. cap. 58. inquit:* Participatio mysterii vera quædam confessio & commemoratio est, quòd propter nos, & pro nobis Dominus mortuus est & resurrexit, & divina benedictione nos propter hoc replet. *Cyrillus Alexandrinus.*

Hæc sententia Patrum non modò cum verbis Christi consentanea, sed ex illis desumpta est. Quid enim Christi verba, Hoc facite in mei commemorationem; *aliud significant, quàm totum hoc mysterium figurativum & representativum esse, corporis ipsius in mortem traditi? Commemoratio nihil aliud est, quàm representatio quædam & memoriale rei illius quam commemoramus, adhibitis scilicet signis & figuris ad rem illam præsentem accommodatis.*

Agnoscunt igitur illi Patres omnes in Christi verbis, panem dici corpus Christi non naturaliter, sed representativè, memorativè, & significativè, seu figurativè. Unde *etiam fit, ut ipsum panem & vinum Cœnæ, iidem passim nominent* Signa, Sacramenta, Figuras, Symbola, Typos, Anticypos, Mysteria, Exemplaria, Similitudines, Imagines, & Memorias *corporis Christi.*

Patres panem & vinum figuras, signa, symbola, typos, & volunt corporis Christi.

Origenes *in Psal. 138.* Hæc omnia (*hoc est quæ in Cœna afferuntur*) imagines sunt spiritualium rerum, & corporalibus officiis cœlestia designantur. *Et in Matth. 15. c.* Panem *nominat* typicum & symbolicum corpus. *Origenes.*

Gregorius Nazianzenus *in Orat. de Paschate*, Antitypa pretiosi corporis & sanguinis Christi. *In Apologetico:* Quando, *inquit*, auderet ipsi offerre foris magnorum mysteriorum antitypum. *In Epitaphio fratris Cæsarii:* Sicubi, *ait*, aliquid antityporum venerandi corporis & sanguinis manus collegerat, id permiscens lachrymis, &c. *Antitypa autem aliud sunt per naturam & in specie aliud per analogiam & intelligibilem mysterii significationem.* *Gregorius Nazianzenus.*

Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* Si, *inquit*, mortuus Christus non est, cujusymbolum & signum hoc sacramentum est? *Homil. 17. ad Hebr.* Hoc autem sacrificium exemplar est illius. *Et in Psal. 22.* Vt quotidiè in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in sacramento. *Et author Operis imperfecti in Matthæum, quod vulgo Chrysostomo tribuitur, scribit,* *Chrysostomus.*

In vasis sanctificatis non esse ipsum verum Christi corpus, sed mysterium corporis in iis contineri.

Hieronymus. Hieronymus *contra Iovinianum lib.* 2. In typo, *inquit*, sanguinis sui non obtulit aquam sed vinum. *Et alibi*: Testamentum sanguine constitutum est, quia beneficij divini sanguis testis est, in cujus typum nos calicem sanguinis mysticum percipimus.

Theodoretus. Theodoretus *Dialogo* 1. Visibilia, *inquit*, symbola corporis & sanguinis sui appellatione honoravit. *Item*: Non dubium est, quin illorum symbola & typi sint, quorum & nomina acceperunt.

Augustinus. Augustinus *contra Adimantum Manichæum, ca.* 12. *ut ostendat hæc verba Mosis Deut.* 12. Sanguis est anima: *tropica, eorumq; intellectum in signo positum esse, adfert simile exemplum ex verbis Cœnæ Dominicæ.* Nam & Dominus, *inquit*, non dubitavit dicere: Hoc est corpus meum cùm signum corporis daret. *Et hoc postea ex generali quadam de sacramentalibus locutionibus doctrina confirmat, inquiens*: Quod sanguis est anima, in signo positum esse dicimus, sicut & alia multa, & penè omnia illarum scripturarum sacramenta signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ jam per Dominum nostrum Iesum Christum declarata est. Sic enim sanguis est anima, quomodo Petra erat Christus, sicut dicit Apostolus: bibebant enim de spirituali sequente eos Petra: Petra autem erat Christus, *Quæ rursus ne carnaliter acciperentur*, Spiritualem illam vocat, *id est, spiritualiter eam intelligi docet.* Longum esset, & tamen non necessarium nunc, sacramenta ejusdem legis exponere, nisi cùm breviter possint. Sufficit autem scire, non ea ita nos intelligere, ut isti Manichæi qui solent hæc irridere, sed quemadmodum Apostoli omnia intelligentes pauca exposuerunt, ut ad easdem regulas cætera posteris intelligenda relinquerent. *Augustinus igitur, sicut in sacramentis signa & figuras agnoscit; ita etiam locutiones sacramentales ex communi ratione & regula figuratas esse, ideoque non carnaliter, sed spiritualiter intelligi debere docet, quia nimirum non secundum naturæ substantiam, sed spirituali intellectu hoc sunt, quod de ipsis affirmat Scriptura: Hac de causa, quòd ad modum locutionis attinet, quem in signo positum esse Augustinus dicit, hoc est, quia signum quod significat, ejus rei quam significat nomine appellatur, uno eodemq; sensu*, Sanguis anima, Panis corpus, Petra Christus: *nimirum propter analogiam, quam inter se habent, ut signa & res signata. Ex his igitur verbis Augustini hæc tria colligi possunt*: Primò, *quòd cùm per verba Cœnæ, velut adducto figurata locutionis exemplo, explicare voluerit verba Mosis, quibus sanguinem animalium dicit esse animam; non existimarit, nec pro Ecclesiæ doctrina Manichæis persuadere voluerit, verba Cœnæ substantialem aut insustatum in se prædicationis modum, qui similem non habeat, continere: alioquin nulla potuisset inde sumi alterius locutionis explicatio, cujus modus in signo positus est.* Secundò: *quòd dicit Christum signum corporis sui discipulis dedisse, sicut & alibi figuram dedisse scribit, externa nimirum sacramenti participatione.* Tertiò, *quòd non aliud quiddam realiter in signo existens, sed hoc ipsum signum quod dedit, corpus suum esse dixit: adeoque figuratè locutum esse & verbis ejus inesse tropum nulla ratio negabit. Cumque Bellarminus nihil haberet quod ad tam clarum testimonium Augustini responderet propriè, tres saltem solutiones ineptissimas, & quæ sensum verborum Augustini manifeste corrumpunt, recitat*: nempe, Augustinum vel loquutum ex Manichæorum sententia: vel intelligere non nudum signum, sed cum quo reipsa conjuncta sit res significata: vel de signo corporis, ut in cruce immolati loqui. *Cùm tamen hoc unicum docere voluerit, quo sensu dicatur corpus, eamque non propriam, sed tropicam esse dicendi formam. Idem lib.* 10. *ca.* 19. *de Civit. Dei fatetur & defendit*, visibile sacrificium in rebus terrenis offerri, non tamen ut in ipsis, in quibus exigua sunt, per se, sed velut in rerum invisibilium & divinarum, quibus ipsa sacrificii oblatio constat, signis. Ideoque in maxima ignorantia versari *dicit* eos, qui non intelligunt, visibilia hæc sacrificia sic esse signa rerum invisibilium, sicut verba seu voces signa sunt rerum, quas significant: *ut alibi contra Faustum ait*: Sacramenta nihil aliud sunt, quàm visibilia quædam verba. *Et contra Porphyrium lib.* 10. *c.* 28. *docet apertè*, in Sacramentis esse significantem figuram, & res per hanc significatas. *Idem Pater lib.* 3. *contra Maximum Arrianum cap.* 22. In sacramentis, *inquit*, non quid sint, sed quid ostendant semper attendendum: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, aliud significantia. *Et lib.* 2. *de Doctr. Christ. c.* 1. *de pane & vino loquens*, Ne quis attendat, *ait*, in eis quod sunt, sed potius quod signa sunt, hoc est, quod significant. *Idem de Pœnit medit. ca.* 20. *& homil.* 50. *de utilit. pœnit.* panem & vinum Cœnæ *vocat*, divinorum mysteriorum signacula. *Idem, in lib. Sentent. Prosperi*, Cœlestis panis, *inquit*, qui Christi caro est, Suo modo nominatur corpus Christi, quum revera sit Sacramentum corporis Christi (*quid autem Sacramentum sit, alibi explicat, nimirum*, sacræ rei Signum) vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. *Hæc verò Augustini sententia in*

Bellarminus Augustini interpres.

Decretis etiam, de Consec. dist. 2. c. Hoc est. habetur. Cui hanc Decretorum Glossa interpretationem addidit. Cœleste Sacramentum, *inquiens*, quod verè carnem repræsentat, corpus Christi dicitur, sed impropriè: unde dicitur, Suo modo, sed non rei veritate, sed significante mysterio. Vt sensus sit, vocatur corpus Christi, id est, significat. *Tanta vis veritatis est, ut qui professi illius hostes sunt, testimonium illi perhibere cogantur. Manifestior siquidem hæc Augustini sententia est, Tropum in verbis Christi agnoscentis, quàm ut ab impudentissimis etiam rabulis pernegari possit.*

Basilius. Basilius *in Liturgia post enarratum humanæ redemptionis modum, sic ait:* Ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram majestatis tuæ in excelsis, qui & venturus est ut reddat unicuique secundùm opera ipsius. Reliquit autem ὑπομνήσεις, hoc est, memorialia, seu monumenta salutaris passionis suæ hæc, quæ proposuimus secundùm ipsius præcepta. *Et post recitata verba Cœnæ Dominicæ:* Confidenter, *inquit*, appropinquantes sancto altari tuo, proponentes ἀντίτυπα sancti corporis & sanguinis Christi tui, te obsecramus, &c. *Cumque in lib. de Baptismo de verborum Christi*, Hoc est corpus meum, &c. *mysterio quod in se continent, quæstionem movisset: nihil omnino de miraculosa quadam symbolorum in ipsum corpus & sanguinem Christi reali transmutatione respondet; nihil enim de hoc monstro vel somniavit quidem vetus Ecclesia: sed simpliciter dicit*; ut credentes & bibentes, perpetuò memores simus ejus, qui mortuus est & resurrexit.

Dionysius. Dionysius, Visibilia, *inquit*, Sacramenta sunt rerum invisibilium & intelligibilium, quas significant, imagines. *Item*, Panis sanctus & calix benedictionis sacræ sunt symbola, & venerabilia signa, per quæ Christus signatur & sumitur, *cap. 3.*

Macarius. Macarii *Monachi in libro ejus, qui nuper prodiit, hæc verba leguntur:* ἄρτος καὶ οἶνος αἷ πίτυποι τοῦ σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος· οἱ μεταλαμβάνοντες ὃν τὸ φαινόμενον ἄρτον, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι. Panis & vinum antitypa vel signa sunt carnis & sanguinis ejus: & qui communicant de apparente pane, spiritualiter carnem Domini edunt.

Maximus. Maximus *Græcus Scholiastes, in Dionysii Hierarchiam de pane & vino Cœnæ sic loquitur,* σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια, Signa hæc, non autem veritas.

Panis & vinum in Cœna sunt figuræ. Origenes. Figuræ *porrò nomen eodem sensu reperitur apud* Origenem, *qui in hac verba Christi*: Nisi manducaveritis carnem, &c. *ait*: Agnoscite figuras esse, quæ in divinis voluminibus scriptæ sunt: & ideò tanquam spirituales examinate, & intelligite ea quæ dicuntur. Nam si quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, non alunt. *Ephrem in libro quem ad eos scripsit, qui Filii Dei naturam humana ratione scrutari conabantur, sic loquitur:* Inspice diligenter, quomodo sumens in manibus panem, benedicit ac frangit, in Figura immaculati corporis sui, calicemque in Figura pretiosi sanguinis sui, &c. *Ephrem.*

Hilarius, Corpus, *inquit*, Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videntur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate intrà creditur: *De consec. dist. 2. cap. 79. Hæ verbis, quod de altari sumitur, dicitur ab Hilario* Figura: *impropriè panem & vinum corporis nomine vocans, quæ reipsa corpus Christi non sunt, sed nobis corpus & sanguinem Christi adumbrant.* *Hilarius*

Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem sic scribit:* Christus acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis fuisset corpus. Cæterum (*hoc est, Tertulliani idiotismo, Quoniam*) vacua res quod est phantasma, figurari capere non posset. *Vt sensus horum Tertulliani verborum melius percipiatur, sciendum est, Marcionem hæreticum inter alia nefanda dogmata etiam docuisse, Christum è virgine Maria non ipsam humani corporis naturam atque substantiam, sed externas duntaxat ejus formas & species assumpsisse. Ex quo fonte suam Pontificii de Accidentibus à subjecto abstractis & in aëre pendentibus omnino hausisse videntur. Contra hanc detestandam hæresim libris illis quinque Tertullianus disputat, quos contra Marcionem scripsit. Et hoc quidem loco argumento ab Eucharistiæ sacramento petito, Christum verum, non phantasticum sive imaginarium habuisse corpus, ad hunc modum probare vult. Figura corporis naturale corpus arguit: Spectri enim seu phantasmatis figura esse non potest, Christus autem discipulis suis corporis sui figuram distribuit: panis enim ille, quem Dominus corporis sui figuram effecit, dicendo, Hoc est corpus meum, figura est corporis ejus. Sequitur ergo, Christum verum & naturale, non phantasticum vel imaginarium habuisse corpus. Hujus argumenti cum pars quæ, vera est, tum ipsa analogia & forma ejusdem necessariam rationis consequutionem continet. Et ne Marcion obicere posset: Christum figuram visibilem & verè corpoream phantastico, vel imaginario & non existenti corpori illi suo affingere voluisse, excipit Tertullianus:* Si propterea Christus panem corpus sibi finxisset, quia caruerit corpus veritate, ideo panem debuisse tradere pro nobis. *Faciebat enim ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur:* *Tertullianus.*

hoc eſt, plurimùm faciebat ad figmentum Marcionis confirmandum, ut phantaſma, ſeu ſpectrum illud in cruce potiſſimùm panis ſubſtantia tegeretur, & ſic panis traderetur & crucifigeretur pro nobis. Denique Tertullianus ſubiicit Marcioni jam convicto inſultans, Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis Peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe figuram? Nam Pepones, proverbiali dicendi genere, dicuntur apud Homerum etiam vecordes & ſtolidi. Dicit igitur irridens Marcionem Tertullianus, tam potuiſſe Peponis, quàm panis figuram Chriſtum corpori illi ſuo imaginario affingere, quod Marcionis hæreſi fuiſſet convenientius. Addit demum, eo ipſo quod panem potius, quàm aliud aliquid delegerit Chriſtus, ut corpus ſuum figuraret, impleviſſe Deum quod jam olim prædixerat per Ieremiam: cujus tamen teſtimonio (quod pace tamen tanti viri dixerim) planè abutitur. Hæc Tertulliani argumenta ut ſibi conſtent, tria à Pontificiis concedenda ſunt: primùm, oportet panem manere panem, alioquin retorto argumento dixiſſet Marcion, non eſſe panem, ſed mera accidentia, quæ panis eſſe videbatur. Deinde, *corpus audimus exponi corporis veri figuram, quum pani attribuitur in his ipſis verbis*, Hoc eſt corpus meum, *contra id quod Pontificii dicunt in Scripturis non inveniri.* Audimus *etiam veritatem corporis eo probari, quòd vera & ſubſtantiali figura repræſentetur, ut ſublata panis ſubſtantia efficiatur corporis quoque veritatem in Sacramento deſtrui.*

Bellarminus corripit Tertullianum

Hanc autem planam & perſpicuam Tertulliani ſententiam, Bellarminus lib. 2. de Euchariſtia c. 7. neſcio quibus Cimmeriis tenebris involvit, & ex luce aperta ereptam, in cæcas quaſdam & atras nubes abdit, ut ſicut ipſe per devia libenter oberrat, reliquos etiam omnes in communem errorem ſecum abducat. Ne enim concedere cogatur, panem illum Cœnæ myſticum, à Tertulliano vocari figuram, primò, Tertulliani verbis affingit, Panis realem mutationem in corpus Chriſti apertè in iis ſtatui: *deinde concedit quidem* panem Euchariſtiæ eſſe figuram corporis Domini, ſed quod olim fuit figura in Veteri Teſtamento, nunc in corperis veritatem eſſe mutatum, *deque eo prolixè ibidem nugatur. Nam ſi Tertullianus ſenſiſſet, ſic panem eſſe figuram corporis, quemadmodum ieſuita docet, nihil hoc argumento in probanda corporis & humanæ naturæ in Chriſto veritate contra Marcionem concludere potuiſſet: Rem enim controverſam argumento longè obſcuriore & rei probandæ aperte contrario, probare voluiſſet. Etenim argumento huic à figura ad veritatem rei ſumpto reſpondiſſet Marcion.* Primò, *verbis Cœnæ non contineri, quòd veritas corporis Chriſti figuræ panis reali præſentia conjuncta ſit.* Deinde, *ſi alterum ex his verum eſſe oporteat, aut ſub pane, aut ſub panis ſpecie ſubſtantialiter corpus latere: hoc ipſo veritatem corporis non probari, quod pluribus in locis incircumſcriptivè præſens, non veri corporis argumentum ſit, ſed potius veri corporis proprietati repugnet. Non igitur ſic ſenſit, vel docuit Tertullianus, ſed hoc voluit, Si Chriſtus non habeat verum, ſed imaginarium aut phantaſticum corpus, panem & vinum in Euchariſtia non rectè dici ſignum vel figuram ejus eſſe: quòd ejus rei, quæ revera non exiſtit, ſed ficta, vel umbra, vel phantaſma eſt, non poſſit eſſe verum ſignum, vel figuram, quæ vere in myſterio repræſentaretur. Proinde ſic Tertullianus infert: Si veri corporis figura non fuit panis, ſed propterea ſibi corpus panem finxit, quia Chriſtus corporis veritate carebat, debuit panem pro nobis tradere. Fatendum igitur eſt, aliud fuiſſe verum Chriſti corpus, cujus figuram panem dedit. Ex fine itaque rei probandæ, de qua controverſia erat, interpretationis Bellarmini falſitas apparet.*

Ambroſius

Ambroſius *Mediolanenſis Epiſcopus*, ſubinde utitur verbis Significandi, Repræſentandi, Memorandi, *ac nominibus* Figuræ, Typi, Imaginis, Similitudinis, Sacramenti, &c. *ex quibus evidentiſſimè, apertiſſimeque intelligi poteſt, quæ ipſius de ſacroſanctæ Cœnæ Dominicæ ſententia & doctrina fuerit. Nam lib. 4. de Sacram. cap. 4. itemque lib. 4. cap. 48. de Offic. Oblationem, quam Eccleſia in peragenda ſacrificii memoria fieri petit, manifeſte dicit eſſe* Figuram *corporis & ſanguinis Domini, ipſiuſque veri ſacrificii, quo ſe apud Patrem pro nobis offert imaginem.* Quotieſcunque enim, *ait*, offerimus ſacrificium, mors Domini, aſcenſio & reſurrectio ſignificatur. *Item in 1. Cor. 11. capite*. Quicunque, *ait*, morte Domini liberati ſumus, in memoriam hujus rei edendo & potando corpus & ſanguinem ipſius, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus. *His verbis Ambroſius utrunque eodem modo ſignificari docet, corpus & ſanguinem, & eorundem oblationem. Quid igitur hodie in Miſſa Pontificia offertur, ſi non alio modo ſub forma panis & ſpecie vini inviſibilis caro & ſanguis Chriſti adeſt & continetur, quàm horum immolatio eſt paſſio, mors & crucifixio Chriſti, nimirum non ipſa rei veritate, ſed myſterii ſignificatione. Clariſſimè ſiquidem Ambroſius docet, ritum edendi & bibendi in quo memoria redemtionis noſtræ celebratur, ſignificationem carnis & ſanguinis ejus eſſe, quatenus pro nobis in mortem tradita ſunt. Nam & ipſa mortis Chriſti commemoratio, propter quam Cœnæ Dominicæ ritus & ſacramentalis communio inſtituta eſt, non in ipſomet vero ac reali corpore & ſanguine Chriſti, ſed in panis & vini ſumptione, tanquam mortis Chriſti typo, velut Ambroſius ait lib. 4. capite 48. de Officiis,*

ſimili-

ſimilitudine & imagine celebratur. *Quam ob cauſam etiam propter myſticam ipſarum rerum in hac ſacra memoria, repræſentationem, nomina earum ſuſcipiunt, & myſticæ res fiunt. Vnde ad Cæſarem Ambroſius*, Veræ illius carnis, *inquit*, verum ſacramentum eſt, dicente Domino, Hoc eſt corpus meum. *Vult ergo, aliud eſſe verum Chriſti corpus, aliud veri ipſius corporis ſacramentum. Alioquin ſi reale Chriſti corpus, & verus ejus ſanguis ſacramentum eſſet, ex vera Sacramentorum ratione, alterius alicujus rei ſignum & figura eſſent, & cum ea quandam in myſterio & analogia ſacramentali ſimilitudinem & cognationem haberent, unde Sacramentum dici, & ipſius rei, quam ſignificant nomine appellari poſſent. Nam ut Ambroſius lib. 4. c 4. de Sacram. docet*, Sacramenta non pro rebus ipſis, ſed in ſimilitudinem rerum, quarum ſacramenta dicuntur, & nomina ſortita ſunt, accipiuntur. Hinc in Cœna ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti dicitur, ſicut in Baptiſmo ſimilitudo mortis & reſurrectionis in Chriſto. *Hæc autem de reali corpore Chriſti nec dici, nec intelligi poſſunt. Cujus enim hoc ſignum eſſet? Cujus etiam nomen & ſimilitudinem haberet? Quid in ipſo ſacramenti uſu eo majus ac dignius eſſet, propter quod & in cujus rei ſignificationem & ſimilitudinem acciperetur? Vnde Ambroſius verba Chriſti*, Hoc eſt corpus meum, *idem valere docet, ut de Conſec. diſt. 2. c. 69. habetur, quod veri corporis ſacramentum eſſe.* Quia, *inquit*, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. *Item*, Quia divini beneficii teſtis eſt ſanguis, in hujus typum calicem ſanguinis myſticum percipimus. *Vnde ad vulgatam objectionem, Cur non dixerit Chriſtus*, Hoc eſt figura, vel Signum corporis, *ſed*, Hoc eſt corpus meum? *ex Ambroſio ſic reſponderi poteſt: Neque etiam dictum eſſe, Baptiſmus ſignificat mortem Chriſti, ſed mors eſt, non quidem in ipſius mortis corporeæ veritate, ſed in ſimilitudine. Nam ſicut hanc in Baptiſmo, ita etiam in Dominica Cœna carnis & ſanguinis Chriſti ſimilitudinem accipimus: & ut cum Chriſto revera ſepulto conſurreximus, ſic etiam participatione corporis & ſanguinis ejus, in ipſum tranſimus. Ex uſitato igitur Scripturæ loquendi modo de Sacramentis, cùm* Petra *dicitur* eſſe Chriſtus, Baptiſmus ſepultura in mortem cum Chriſto, & Panis corpus Chriſti, *ſignum quod ſignificat ejus rei, quam ſignificat nomine appellatur. Hanc etiam ob cauſam Chriſti in Cœna præſentiam totius myſterii eſſe dicit, in lib. De his qui myſt. init.* Crede, *inquit*, adeſſe Dominum ipſum invocatum precibus Sacerdotum. Qui enim dixit: Ubi duo aut tres in nomine meo congregati ſunt ibi ego in medio eorum ſum. Quantò magis, ubi eſt Eccleſia, & ibi myſteria ipſius ſunt, dignatur ſuam nobis impartiri præſentiam. *Item*, Non ea contemplanda ſunt, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quia quæ videntur, temporalia ſunt, quæ non videntur, æterna. Crede ergo ibi Divinitatis eſſe præſentiam, operationem credis, & non credis præſentiam. *Ex Ambroſii igitur ſententia, in Cœna non eſt corporalis præſentia per realem carnis Chriſti, in, vel ſub pane, aut ſpeciebus panis exiſtentiam, ſed ſacramentalis, hoc eſt, quæ Sacramentis propria eſt, & quam Sacramenti ratio & effectus requirit.*

Et cùm quærit Ambroſius: Quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? *Non reſpondet, Hoc eſt ſubſtantialiter, ſeu reali inexiſtentiâ, ſub, in, vel cum pane: ſed dicit*: Conſecratione, *hoc eſt, ſacri uſus, ac ſtatis in myſterio deſtinatione. Sic enim hoc explicat, ut legitur de Conſec. diſt. 2. c. 69.* Vera utique, *inquit*, caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt. Verum ergo illius carnis eſt ſacramentum. Ipſe clamat Dominus JESVS, Hoc eſt corpus meum, Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur: poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. *Quòd ſi Ambroſius putaſſet, panem eſſe, & dici corpus Chriſti propter ſubſtantialem carnis in pane exiſtentiam*, Primò, *inepta fuiſſet ejus quæſtio: videlicet, quomodo hoc quod eſt panis, poſſit eſſe corpus Chriſti: Nam hoc ſenſu, non ipſemet panis, ſed aliud quod eſt, vel in pane latet dicendum foret corpus Chriſti eſſe.* Secundò, *non minus ineptum fuiſſet reſpondere: conſecrationem. Non enim hoc eſt, panem eſſe vel fieri conſecratione corpus Chriſti, ubi aliud quod eſt in, vel ſub pane, verè & realiter corpus Chriſti eſſe intelligitur. Nam aliud eſt, panem eſſe corpus Chriſti ſubſtantiâ, aliud conſecratione. Hinc Ambroſius cùm eodem loco dicit*: Ex pane fit corpus Chriſti, & vinum & aqua in calice mittitur, & fit ſanguis Chriſti conſecratione: *id quomodo intelligendum ſit, ſibiipſi obiicit*: Sed dices ſpeciem ſanguinis non videri. *Quòd ſi ſanguinem realiter vino commiſceri, & ſub eo ſubſtantialiter contineri, adeoque hinc vinum propriè ſanguinem dici pro myſteriorum natura initiatos docere voluiſſet: nihil certè, pro eorum fide inſtruenda, ad hujus rei intelligentiam hæc reſponſio pertinuiſſet*: Sed ſimilitudinem ſanguinis habet: Sicut enim mortis ſimilitudinem in Baptiſmo ſumpſiſti, ita & ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis. *Ab eo namque quod Paulus dicit: Conſepulti eſtis per Baptiſmum in mortem cum Chriſto: Baptiſmus, inquit, mors eſt, non quidem in mortis*

Species pro partis ſubſtantia.

Quid reſponderi ad quæſtionem Cur Chriſtus non dixerit, Hoc eſt figura corporis mei.

corporalis veritate, ſed ſimilitudine. Quod ex hac utriuſque ſacramenti collatione etiam de pane Euchariſtico intelligi debet: in cujus rei explicatione tota hujus myſterii vis, virtus & efficacia conſiſtit. In ſimilitudinem quidem, inquit Ambroſius libro quinto c. 1. de Sacram. accipis Sacramentum, ſed veram naturam, gratiam & virtutem conſequeris. Ego ſum, inquit Chriſtus, panis, qui de Cœlo deſcendi: & tu qui accipis panem, divinæ ejus ſubſtantiæ in illo participas alimento. *His verbis inter ſe Ambroſius confert ſimilitudinem Sacramenti, & veræ naturæ gratiam in divinæ ſubſtantiæ participatione, ex analogia corporalis & ſpiritualis alimenti. Et quamvis aliud ſit ſimilitudo Sacramenti, quæ accipitur, aliud verò naturæ gratia & virtus: tamen in hac Sacramenti ſimilitudine, unde & nomen rei habet, ineſſe dicit, ipſius gratiæ & virtutis, in divinæ ſubſtantiæ participatione, ſpiritualem & myſticam diſpenſationem.*

Auguſtinus in Pſalm. 3. inquit : Chriſtus adhibuit Iudam ad convivium, in quo corporis ſui figuram diſcipulis ſuis commendavit. *De doctrina Chriſt. 3. ca. 16. interpretans illa verba* : Edite, Hoc eſt corpus meum: Figura eſt, *inquit*, præcipiens paſſioni Domini communicandum eſſe. *Item*, Corpus Chriſti, & veritas eſt, & figura: veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus S. in virtute ipſius ex panis & vini ſubſtantia efficitur: Figura eſt, quod exterius ſentitur. *Vbi Auguſtinus, cui familiare eſt, externum ſymbolum ſive ſignum nomine ipſius rei ſignatæ nuncupare, ſecundum generalem doctrinam ab ipſo traditam, qua Sacramenta rerum ipſarum dicit accipere nomina, corpus ipſum Chriſti vocat, quod ſoli externo & viſibili competit elemento: ut nimirum panis ille myſticus, ſit ſimul figura ac veritas. Veritas quidem, quia ſub viſibili pane rem ipſam, corpus videlicet Chriſti in mortem traditum, & à fidelibus verè manducandum repræſentat: figura autem, quia ſimilitudine quadam, id quod inviſibile eſt, oculis & ſenſibus noſtris ſubiicit. Quod autem nomen corporis pro externo & viſibili ſymbolo Auguſtinus uſurpet, ex eo intelligitur, quòd ſimul & veritas & figura ſui corpus Chriſti eſſe non poſſit. Nam quæ reipſa exiſtunt, ea nullam ſui figuram circumferunt, quandoquidem figura in hoc ſolam adhibetur, ut rem, quæ ſub aſpectum non cadit, ſimilitudine aliqua repræſentet.*

His addam poſtremo loco graviſſimum teſtimonium Nicephori Calliſti, qui lib. 7. c. 40. florentem Eccleſiæ ſtatum, in unitate Spiritus & fidei, diviniq. cultus puritate, ſub Conſtantino Magno deſcribens, ſic inquit : Adhæc, divini verbi prædicatio, atque arcana, myſticaque miniſteria piè, ſanctéq; peracta, & ſalutifera Paſſionis inenarrabilia ſymbola & ſigna ſumpta. *In florentis igitur Eccleſiæ ſtatu, Cœna Domini, non reale ſacrificium, ſed ſalutiferæ paſſionis ſolennis memoria fuit: quæ arcano, myſticoque miniſterio, inenarrabilium ſymbolorum & ſignorum publica ſumptione, piè ſanctéque peracta fuit.*

Hæc autem omnia quidam egregiè eluſit in præfatione, Theodoreto, Romæ anno 1547. *imprimendo; nempe venia hos patres dignos cenſet, qui ſæpenumero panem & vinum Symbola &c. vocant corporis & ſanguinis Chriſti, propterea quod nondum œcumenici Concilii decreto promulgatum eſſet, panem in corpus tranſſubſtantiari. Quaſi verò penes Romaniſtas ſit, in ſuis conciliabulis id decernere, quod non modò cum Verbo Dei, ſed cum ipſa etiam ratione pugnat.*

Ex his teſtimoniis apparet, Patres verba inſtitutionis non ſimpliciter ad literam, & κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed Sacramentaliter, hoc eſt, figuratè & ſignificativè κατὰ ἀλληγορίαν interpretatos eſſe: Nam ſigna, figuræ, ſymbola, typi, antitypi, &c. non ſunt ipſæ res, quod omnes norunt, ſed umbræ tantùm rerum. Myſterium etiam, ut definit Chryſoſtomus homil. 7. in 2. Corinth. 2. c. id dicitur, quod credimus non intuemur: *Ideoq. etiam alibi diligenter monent, ne literam, ſeu literalem ſenſum: ſed Spiritum, hoc eſt, Spiritualem intelligentiam in hoc myſterio explicando adhibeamus. Auguſtinus enim libro tertio de Doctrina Chriſti. ca.* 5. Cavendum, *inquit*, ne figuratam locutionem ad literam accipias, ad hoc enim pertinet, quod ait Apoſtolus: Litera occidit, Spiritus autem vivificat. Cùm enim figuratè dictum ſic accipitur, tanquam propriè dictum ſit, carnaliter ſapitur. Neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quàm cum id etiam quod in ea beſtiis antecellit, hoc eſt intelligentia carni ſubiicitur ſequendo literam. Qui enim ſequitur literam, tranſlata verba ſicut propria tenet: neque illud quod proprio verbo ſignificatur, refert ad aliam ſignificationem. *Et paulò poſt*: Ea demum eſt miſerabilis animæ ſervitus, ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non poſſe. *Iſta autem c. 9. præſertim 16. manifeſtè ad Sacramenta noſtra accommodat: ſimul docens quomodo propria locutio à figurata diſtingui in Scripturis debeat.* Servabitur, *inquit*, in locutionibus figuratis regula hujuſmodi, ut tam diu verſetur diligenti conſideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam propriè ſonat, nulla putetur figurata locutio. Si præcepriva locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam

Auguſtinus.

Nicephorus Calliſtus.

tiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, *inquit*, carnem Filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. *Hæc verbis docet Augustinus, si quando Scriptura aliquod flagitium patrare jubeat, ut id non propriè, sed figuratè accipiamus. Ac propterea cum Dominus carnem suam manducare & sanguinem bibere præcepit, figuratè id intelligendum esse tradit, ut non manducationem ciborum confuetam imaginemur, sed mentis, fidei & memoriæ ventriculum asseramus, in quem passionem & mortem Christi pro nobis peractam utiliter reponamus. Nam si quis proprie, prout verba sonant, manducari corpus Christi putaret, nec figuram hîc ullam admittere vellet, iste demum, inquit, aut scelere se obstringeret, aut cum Capernaitis, sermonem Christi tanquam durum averfatus, à Christo refugeret. Si omnes huic Augustini sententiæ accederent, quod manducandi & bibendi verbum in Cœna Dominica non sit proprie, sed figuratè intelligendum, & pro Spiritali manducatione, quæ sola fide & Spiritu constat, accipiendum, adeò de corporali præsentia carnis Christi non controverteretur, ut potiùs fidem omnes in cœlum attollerent, & ibi animas suas pascendas Christo offerrent.*

Chrysostomus. Chrysostomus, *hom. 47. in Ioan.* Quid est, *inquit*, carnaliter intelligere? Est simpliciter ut res dicuntur, neque aliud quidpiam cogitare. *Hoc verò in mysteriorum vel Sacramentorum explicatione maximè esse vitandum, diligenter ibidem monet.*

Origenes. Origenes *homil. septima in Levit.* Si, *inquit*, quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, non alunt.

De præsentia & manducatione corporis Christi in Cœna Patrum sententia. *Hinc quoque intelligitur, qualem Orthodoxi Patres Ecclesiæ Primitivæ tum præsentiam, tum manducationem corporis Christi in Cœna agnoverint, & Ecclesiæ credendam tradiderint: non corporalem aliquam & realem, sed Sacramentalem. Quod alibi etiam disertis verbis docent. Quæ enim Irenæi hæc de re sententia & doctrina fuerit ex Oecumenio apertissimè intelligitur. Is enim S. Petri Epistolam explicans, sic inter alia scribit: Obloquentes, ait, de nobis gentes introducit Petrus: Quod si quis cognoscere velit, ex iis quæ Irenæus Episcopus Lugdunensis de Sancto & Blandina martyribus memoriæ tradidit, potest perspicere. Ea ut brevius referamus, sunt hujusmodi. Cùm Græci Christianorum prima institutione instructorum, quos Catechumenos vocant, servos comprehendissent, eosque cogerent, ut aliquid arcani de Christianis proderent: servi hi cùm nescirent quid jucundi ipsis possent referre, quantum ab heris suis audierant, corpus scilicet & sanguinem Christi esse, quòd in sacra mensa sumeretur, id revera ipsi carnem & sanguinem existimantes, inquirentibus evulgarunt. Ipsi verò id certò fieri à Christianis rati, in reliquos Græcos diffamarunt: & Sanctum & Blandinam confiteri fidem tormentis coëgerunt: quibus Blandina sumpta fiducia, dixit: Quo pacto, inquiens, hoc Christiani fieri paterentur, qui ne concessis quidem carnibus exercitationis & continentiæ causa frui volunt. Ex his Oecumenii verbis colligimus, Veteres symbola Eucharistica corpus & sanguinem nominasse, ne videlicet nimium tenuiter de iis sentire viderentur: inde verò factum, ut Catechumeni, & nondum plenè in his mysteriis edocti, symbola illa carnem & sanguinem esse existimarent.*

Dionysius. Dionysius, *quem Pontificii Areopagitam prædicant, in Hierarchia Ecclesiastica docet*, quod cœlestis mysterii, id est, Eucharistiæ, spirituali intelligentia significetur ea quæ nobis cum Christo est, κοινωνία vel societas & arctissima per fidem conjunctio. Sicut enim unica illa & simplex Christi Dei Verbi essentia, humanitatis nostræ assumptione ad compositum quoddam & sensibile, tamen absque sui immutatione elementissima ejus bonitate processit, & nostram, qua sibi jungeremur societatem summa cum beneficentia excogitavit, humilia divinis suis jungens, ad hoc ut & nos illi tanquam membra copulemur: ita Pontificem per hæc quæ mysticè fiunt, dum operta dona in apertum profert, ipsorumque unitatem per fractionem in plura confeindit, seu partitur, atque socios eorum illos qui ea sumpserunt efficit: describere in his quasi sensibiliter, & velut in imagine quadam ob oculos ponere ipsum Iesum Christum ex Divinitatis occulto perfecta & inconfusa nostræ mortalitatis assumptione elementissimè proprietatem ex nobis accepisse, atque ad divisibile nostrum sine sui immutatione ex naturali unitate processisse, perque hanc elementiam ad sui suorumque bonorum participationem genus humanum invitare, quatenus sacratissimæ ejus vitæ inseramur, exactissima ejus quantum fieri possit imitatione: atque ita nos verè κοινώνους Christi, divinorumq; consortes & participes reddi, & propter hanc fracti panis significationem, Sacramentum hoc visibile verbum & rerum intelligibilium imaginem nominavit. *Realis igitur corporis Christi præsentiæ & distributionis, in, cum, vel sub pane, seu specie panis, ne semel quidem meminit: sed κοινωνίαν corporis Christi, spiritualem*

Dionysius.

ejus

ejus Communionem & societatem, qua ad similitudinem assumptæ carnis nostræ & humanitatis membra ejus & divinorum bonorum consortes efficiamur, atque in Deum (qua phrasi sæpius utitur) transeamus, interpretatur. Vnde salutaria symbola vocat per quæ secretiùs fit, ut qui iis initiantur, in Deum & Dei consortium transeant: Hùc ipsis symbolis Christum signari atque sumi, individuamq; cum eo sanctorum conjunctionem indicari, unius etiam ejusdemque panis & calicis pacificam Communionem concordiæ velut inter fratres doctrinam esse & divinas continere leges docet, c. 3.

Hac Dionysii de spirituali κοινωνίᾳ & communicatione Christi, sententia & explicatio plenius elucescit, ex eo, quod quærit c. 3. Cur cùm aliis venerandis mysteriis commune vocabulum sit, Eucharistiæ Sacramentum, Communio sive Synaxis dicatur? In unaquaque enim Sacramentorum institutione hoc agi, ut vitas nostras in plura divisas, in unicum illum statum, quo Deo conjungimur, colligat, nostrorumque dividuorum divina hac collectione nobis ejus quod unum est κοινωνίαν individuorumque unionem largiatur. *Quòd si verò Eucharistiæ participationem à corporali aliqua distributione corporis Christi sub pane aut ejus specie latentis & præsentiâ κοινωνίαν dici, intelligi voluit Dionysius, absque causa hanc quæstionem movisse videri potest, cùm nihil tale in Baptismo fieri constet. Respondet autem:* Plurima sacrarum rerum signa, hoc augustissimo Sacramento, ejusque divinis consummantibus donis perfici atque compleri: unde & Sacramentorum consummatio & archisymbolum dicatur. *Scholiastes Dionysii ita vocari dicit,* quia symbola hæc sint, non veritas, *ne quis aliquam panis cum corpore copulationem fingat. Mystica autem in hac sacra actione, qua humana salutis dispensatio continetur, relationem & conjunctionem statuit. Quod eleganter Dionysius c. 2. & 3. his verbis explicat.* Sicut, *inquit,* visibilia Sacramenta rerum invisibilium imagines sunt, sic etiam ipsa invisibilia sunt visibilium initium atque scientia. Itaq; universam mysteriorum traditionem significativam esse docet, quum ex visibilibus Sacramentis recto itinere ad intelligibilium rerum, quarum sunt imagines, contemplationem perducamur. Eam ob causam vetat in exterioribus hærendum esse, sed potiùs sursùm & supra cœlos cœlorum, ubi cadaver Christi corpus est, ut aquilas ascendere & subvolare communicantes debere, quia sursum, ubi ab Angelis adoratur, accipitur, & degustatur. *Et hæc est Dionysii mysteriorum doctrina, de rebus sensibilibus & intelligibilibus.*

Cyprianus. Cyprianus *dixit*, Sacrosanctum Christi corpus non esse cibum ventris, sed mentis. *Et in Sermone de Cœna*: Hæc, *inquit*, quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod divinum & humanum est, distinguimus & separamus, itemque simul separata jungentes unum Deum & hominem fatemur: sed & nos ipsi corpus ejus facti Sacramento, & re Sacramenti capiti nostro connectimur, & unimur. *In quam sententiam etiam* Chrysostomus *ait homil. 9. in Matth.* Magnum istum panem replere mentem, non ventrem. *In homil. de Cruce Domini ait:* Hodie volo mensam vobis apponere Spiritalem, non corpus reficientem, sed animam lucidantem. Talis etenim est mensa Spiritualis, non sicut illa quæ ventrem onerat, & obtundit animam: sed sicut ille, qui cùm mirum aliquid comederit, odorem suavitatis eructat.

Cibus mentis non corporaliter sumitur. *Quæ verò ad animæ ac mentis alimoniam sumuntur, non per os corporis ingeri necesse est. Quæ enim intrant per os, abeunt in ventrem, ut postea egerantur: sicuti Dominus ipse ait apud Matth. 15. c. Quum igitur hic cibus ventris non sit, sed mentis, manifestum ex eo fit, non esse hic opus ulla orali manducatione, ne in ventrem simul cum altero illo pane immittatur. Quomodo autem cibus hic in animum sit transmittendus, ad illius alimoniam perficiendam, elegantèr Tertullianus ostendit in libro de Resurrect. carnis.* Auditu, *inquit*, devorandus est: intellectu ruminandus: & fide digerendus. *Recte enim Basilius in Psal. 33.* Est etiam, *inquit*, quoddam Spirituale interni homini os, quo pascitur, recipiens verbum vitæ, qui est panis qui de Cœlo descendit, nempe caro Christi. *Hujus ergo oris respectu dicimur manducare corpus Christi.*

Theophilus Alexandrinus. *Theophilus Alexandrinus dicit*, panem & vinum in veritatem carnis & sanguinis converti, & panem non tantùm figuram corporis esse, sed in proprium corpus Christi transmutari: quia tamen panis & vinum de nostra consuetudine est, speciem panis & vini conservare scribit, quia carnem & sanguinem si cerneremus, fumere non sustineremus. *Hæ verbis Theophilus tria docet*, Primò, *panem & vinum figuras esse corporis & sanguinis Christi:* Secundò, *panem & vinum species suas conservare, hoc est, in substantia sua manere integra:* Tertiò, *panem non ita figuram corporis Christi esse, ut nihil præterquam panem manducemus, sed simul cum figura rem etiam ipsam nobis exhiberi docet: ita tamen, ut sola sint panis & vini elementa quæ oculis videntur, cùm corpus Christi non videatur, ideoque sensibiliter non edatur. Nam si sensibus nostris caro Christi*

exposita

expoſita, & hic cibus ventris, non fidei eſſet, edentibus eam omnibus horrorem incuteret: Auguſtinus enim tradit, crudeliùs eſſe humano corpore veſci, quàm hominem occidere.

Cyrianus. *Rurſus, Cyprianus in Sermone de Cœna:* Panem, *inquit*, Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris, eundem ſine Sacramento manifeſtiùs edemus in cœlis, non miniſterio corporali ſæpe repetitis actionibus, ad eadem (videlicet Sacramenta) revertentes, ſed conſummato Sacerdotio noſtro, erit & permanebit perpetua ac ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia, qua ſe palàm proferet abſque ullis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi Sacerdotis præſentia. *His verbis, Cyprianus eundem præſentiæ & communicationis modum conſtituit, & quo nunc Chriſtum ſub Sacramento in his terris percipimus, & quo in æterna vita abſque Sacramento, & tamen magis conſpicuè, eo fruentur electi. Illa autem præſentia Chriſti, qua ſe fruendum exhibebit Sanctis in cœleſti vita, non erit, nec eſt inviſibilis, ab omni humani corporis forma remota: nec illa manducatio ejus in cœlis corporaliter & ore fiet: Conſequens eſt igitur, neque in terris modum iſtum præſentiæ Chriſti in pane corporalem eſſe. De Reſurrectione Chriſti, explicans myſterium verborum Chriſti,* Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, *ſic ait*, Significantia & ſignificata: Res & ſigna: virtus inviſibilis, & viſibilia Sacramenta ſic faciunt unum corpus, ſicut caro & Spiritus: & quod videtur: & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur. Si enim Apoſtolus ſecretiùs impreſſa veritate imbutos fuiſſe dicit à Chriſto, in ultimo convivio, quo propriis ſuis manibus panem & vinum dedit: In cruce verò militum manibus corpus ſuum vulnerandum tradidit, ut gentibus exponerent, quomodo panis & vinum caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus convenirent, & diverſa nomina vel ſpecies ad unam eſſentiam redigerentur. *Non dicit Cyprianus, Apoſtolos à Chriſto imbutos fuiſſe, ut Gentibus exponerent, quomodo corpus ejus realiter exiſtat in pane, & ſanguis in vino: ſed quòd per inviſibilem myſterii virtutem, ſigna rerum ſignificatarum nominibus appellentur. His etiam verbis myſticam Sacramenti unitatem in relatione rerum & ſignorum elegantiſſimè expreſſit Cyprianus. Dicit enim ex ſignis & rebus ſignificantibus, & ſignificatis, viſibilibus Sacramentis, & inviſibili gratia, ſic fieri unum corpus, ſicut ex carne & Spiritu. Non quaſi ſint totum aliquod materiale, tanquam ex partibus integrantibus compoſitum, ſed quòd ſignificantia ſigna, & viſibilia Sacramenta in hac unitate myſterii ſint, velut caro, ſignificata verò & res arg. gratia inviſibilis ſit velut Spiritus. Et quia communis eſt appellatio, ideo dupliciter corpus & nomine, & re atque virtute cenſeri. Præterea, quòd panem & vinum eſſe dicit, qua propriis manibus à Chriſto data, caro ipſius & ſanguis verbis Cœnæ ſint appellata: popinariam Vbiquiſtarum loquendi formam de vino & cantharo, quam in myſteriis uſitatam eſſe volunt, ab hoc Cœnæ Dominicæ myſterio procul abeſſe debere confirmat. Denique quòd panem & vinum propriis Chriſti manibus data eſſe dicit: in cruce verò militum manibus corpus ipſius vulnerandum eſſe traditum perſpicue indicat, quòd ſicut panis & vinum non ſunt in cruce tradita militum manibus, ita quoque non eſſe propriè & realiter ipſum corpus & ſanguinem, ſecundùm quendam modum & ſecretam myſterii veritatem. Lib. 2. Epiſt. 3. ſcribit:* ſicut in aqua populus, ita in vino ſanguis intelligitur & oſtenditur. *At verò populus in aqua non realiter oſtenditur, aut eſſe intelligitur, ſed Spiritualiter: ergo eodem modo quoque ſanguis in vino. Rurſus*, Si vinum in calice deſit, ſola aqua ſanguinem Chriſti exprimere non poteſt. *Non dicit ſola aqua in ſanguinem tranſſubſtantiari non poteſt: ſed, Exprimere, hoc eſt, repræſentare & effingere.*

Athanaſius. Athanaſius *de verbis Chriſti*, Qui dixerit verbum contra Filium &c. Quæ locutus ſum vobis, *inquit*, Spiritus & vita ſunt: quod perinde eſt ac ſi diceret Chriſtus: corpus meum, quod oſtenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut ſpiritualiter unicuique tribuatur, & fiat ſingulis tutamen præſervatioque ad reſurrectionem vitæ æternæ. *Vnde intelligimus, neque utilem neque neceſſariam eſſe corporalem Chriſti corporis in pane, aut ſpeciebus panis exiſtentiam, & corporeo ore factam perceptionem. Addit ibidem Athanaſius, Dominum Samaritanam abſtraxiſſe à rebus ſenſibilibus, Spiritum appellando Deum, ne poſtea corporaliter, ſed ſpiritualiter cogitaret de Deo. Vide integrum locum Athanaſii in Oecolampadii Dialogo fol. 143. a. & b.*

Auguſtinus. Auguſtinus *hanc quæſtionem omnium clariſſimè in omnibus ferè ſuis ſcriptis illuſtrat & explicat Tractat. 26. in Ioh.* Et nos, *inquiens*, hodie accipimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur. *Item*, videte ergo fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. *Ibidem ad illa verba:* Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit: Hunc, *inquit*, panem ſignificavit Manna, hunc panem ſignificavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diverſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur paria ſunt. Apoſtolum audi: Nolo enim vos, *inquit*,

inquit, ignorare fratres, quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moſem baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud: ſpiritalem verò quam nos. *Rurſus*, Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur: ſed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. *Item:* Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. *Quibus verbis docet, quod Spiritu ac fide, non ullis corporis humani inſtrumentis caro Chriſti ſit manducanda.* Denique, *ait*, jam exponit, quomodo id fiat quod loquitur, & quid ſit manducare corpus ejus, & ſanguinem bibere. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit. *Et Tract.* 27. Expoſuit, *inquit*, modum attributionis hujus & doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo. Signum quia manducavit & bibit, hoc eſt: ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur, ſi hæret ut non deſeratur. Hoc ergo nos docuit & admonuit myſticis verbis, ut ſimus in ejus corpore ſub ipſo capite in membris ejus: edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant plures non intelligendo ſcandalizati ſunt: non enim cogitabant hæc audiendo, niſi carnem, quòd ipſi erant. Apoſtolus autem dicit, & verum dicit: Sapere ſecundùm carnem mors eſt. Carnem ſuam dat nobis Dominus manducare, & ſapere ſecundùm carnem mors eſt. Cùm de carne ſua dicat, quia ibi eſt vita æterna: ergo nec carnem debemus ſapere ſecundùm carnem, ſicut in his verbis. *Et paulò poſt:* Gratia ejus, *inquit*, non conſumitur morſibus. *Ex præcedentibus autem appareat, eum per Gratiam donum, ac diſtributionem corporis Chriſti intelligere. Hoc autem donum nonniſi ſpiritualiter fruendum dari à Chriſto, modo docuit Auguſtinus Apoſtoli verbis Rom.* 8. *Et paulò poſt:* Verba, *inquit*, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. Diximus enim fratres hoc Dominum commendaſſe in manducatione carnis ſuæ, & potione ſanguinis ſui: ut in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autè in illo, cùm ſumus membra ejus: manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum ejus. Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quæ facit niſi charitas? Et charitas Dei unde? Apoſtolum interroga. Charitas, *inquit*, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Ergo Spiritus eſt qui vivificat: Spiritus enim facit viva membra. Nec viva membra Spiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat ipſe Spiritus invenerit. *Rurſus:* Verba, *inquit*, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. Quid eſt, Spiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. *Et in Tract.* 25. *in Ioan.* Quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti. *Quibus verbis oralem manducationem veri corporis Chriſti apertè reiicit, quòd illud corde ſolummodò per fidem ſpiritualiter manducetur.*

Contra adverſarium Legis & Prophet. lib. 2. *cap.* 9. Sicut, *inquit*, Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, nobis carnem ſuam manducandam, bibendumque ſanguinem ſuum dantem, fideli corde & ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum ſanguinem potare quàm fundere. Atque in omnibus ſanctis Scripturis, ſecundùm ſanæ fidei regulam, figuratè dictum vel factum ſi quid exponitur, de quibuſlibet rebus & verbis, quæ in ſacris paginis continentur, expoſitio illa ducatur, non aſperè, ſed ſapienter audiamus. *Hic apertè loquitur Auguſtinus de ſacra Cœna: & quia horribilius eſſe dicit humanam carnem edere, quàm occidere, idcirco manducationem corporis Chriſti in Sacramento, ipſius quidem corporis reſpectu, figuratè & ſpiritualiter accipiendam eſſe. Et hanc expoſitionem non eſſe contemnendam dicit, ſed ſapienter audiendam & amplectendam. De verbis Domini in Lucam, Sermone* 33. Nolite parare fauces, ſed cor: inde commendata eſt iſta Cœna. Ecce credimus in Chriſtum, cùm fide accipimus: in accipiendo novimus quod cogitemus, modicum accipimus, & in corde ſaginamur. Non ergo quod videtur, ſed quod creditur paſcit. *Omnes hæ tam clarè & manifeſtè Auguſtini ſententiæ apertiſſimè nos docent, non aliam corporis Chriſti manducandi eſſe rationem, quàm fidem:*

& ſi

& si quis dentes ac fauces profide & corde afferat ad hoc Sacramentum, eum nullum vitæ alimentum, sed certum animæ exitium reportaturum. Idem contra Faustum libro 20. capite 21. Caro, *inquit*, & sanguis Christi per ipsam veritatem in passione reddebatur: post passionem Christi per Sacramentum memoriæ celebrabatur. *Et c.* 18. *hæc tria inter se confert, Sacrificia Levitica, Sacrificium Christi in cruce, & immolationem corporis ejus in Cœna, & inter hæc, talem differentiam ostendit: quòd in veterum sacrificiis figuræ & similitudines fuerint promittentes futurum Christi sacrificium: in cruce redditum esse hoc corporis & sanguinis sacrificium in veritate: in Cœna Domini, per Sacramentum, memoriæ hujus perfecti in cruce sacrificii, commemorationem celebrari: ut verum ac reale corpus Christi sub pane contineri prorsus non sit necesse.*

De Civit. Dei lib. 21. *cap.* 25. Quod ait Dominus Jesus: Hic est panis qui de cœlo descendit, si quis ex ipso manducaverit non morietur: ego sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum: quomodo sit accipiendum meritò quæritur, *ait Augustinus.* Qui ergo est in ejus corporis unitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cujus corporis Sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse verè dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinem ejus. Ac per hoc hæretici & schismatici ab hujus unitate corporis separati, possunt idem percipere Sacramentum, sed non sibi utile, imò verò etiam noxium, quo judicentur graviùs, quàm vel tardiùs liberentur. Non sunt enim in eo vinculo pacis, quòd in illo exprimitur Sacramento. *In Sermone secundo de verbis Apostoli dicit,* Manducare carnem Christi nihil aliud esse, quàm refici ejus vita: & bibere nihil aliud quàm vivere. *Deinde ut spiritualiter hæc omnia, non corporaliter gerì intelligeremus, ait:* Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur; in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audivimus enim ipsum Dominum dicentem, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ locutus sum, Spiritus sunt & vita. *Opponit hic Augustinus manifestè esum Sacramenti, id est, signorum panis & vini, esui veritatis, hoc est, veri corporis & sanguinis Christi, per illa signa representati. Et illum quidem sacramentalium signorum esum ac potum visibiliter fieri fatetur: hunc autem non nisi spiritualiter.*

De eadem manducatione Augustinus in Enarrat. Psal. 98. *aperè, Christi verba interpretans,* Non, *inquit*, hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. *His verbis apertissimè docet, totum hoc mysterium spiritualiter intelligendum esse, & ita quidem animos noſtros ad spiritualem manducationem ablegari, ut oralis esus carnis Christi in proprio subjecto consideratæ, prorsus tollatur. Et in Sermone ad Infantes*, Nulli est, *inquit*, aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam ponem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. *His verbis Augustinus docet, omnes fideles in Baptismo corporis & sanguinis Christi participes fieri. Unde discimus, quæ vera manducandi corporis Christi sit ratio, & quàm non sit necesse, externa elementa Cœnæ in ipsum reale corpus & sanguinem Christi permutari, ut sic demum oris instrumento corpus Christi percipiatur, & carnaliter cum corporibus nostris, secundùm Pontificiorum doctrinam, conjungatur. Si enim fideles jam tum in Baptismo veri corporis & sanguinis Christi participes fiunt, quum tamen nihil ore manducent, sequitur inde irrefragabiliter, mentem solam & animam fidelium à Spiritu sancto regenitam, corpori & sanguini Christi communicare, & in ipsis etiam externis symbolis seipsam hoc cibo vivificeo, non ventrem saginare. Procul igitur ab Augustino hæc crassa & carnalis Pontificiorum opinio absit, quæ non solùm corpus Christi, verum cum corporibus nostris permiscet, sed in elementa quoque corruptibilia, aut accidentia terrenæ substantiæ visibili includit: ut non aliter percipi posse corpus Christi, nisi ore, & sub visibilibus specicbus comprehensum indicet.*

Etsi verò Augustinus duplicem manducationem corporis Christi statuit, Spiritualem videlicet & Sacramentalem, & hoc loco de Spirituali propriè loquitur, ita tamen Sacramentalem & externam oris manducationem usurpandam docet, ut necessario Spiritualem copulandam cum illa ostendat. Sacramentalis enim manducatio in hunc finem à Christo instituta est, ut quàm verè symbola visibilia manibus attinguntur & ore corporeo in alimentum percipiuntur, ita verè verum Christi corpus, verumque ejus sanguinem fide & Spiritu in alimentum cœlestis vitæ percipi ostendat. Nunquam ergo externa illa & Sacramentalis signorum manducatio à fidelibus perficitur, quin intrinseca & Spiritualis rei

ipsius significata semper conjungatur. Nuda autem & simplex symbolorum manducatio, quæ ab infidelibus & Spiritu Sancto carentibus usurpatur, nunquam hoc efficit, ut corporis ipsius & sanguinis Christi participes faciat, cibumque solis filiis Dei proprium, impiis & incredulis tribuat.

In eodem Sermone ad Infantes & Populum, inquit : Quod transacta nocte vidistis, panis est & calix, quod etiam oculi renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus ; & calix, seu quod habet calix, est sanguis. Breviter quidem hoc, quod fortè fidei sufficiat: at fides institutionem desiderat. Nisi enim credideritis, non intelligetis. Potestis ergo dicere mihi : Præcepisti ut credamus ; expone ut intelligamus. Potest enim cuiquam talis cogitatio oboriri : Dominus noster Jesus Christus nonne carnem ex Virgine assumsit, in cruce mactatus est, sepultus, tertia die resurrexit, & quo die in cœlum ascendere voluit, illuc levavit corpus suum, ibi modò sedet ad dextram Patris, inde venturus est ad judicium : quomodo igitur panis est corpus ejus, & calix sanguis ejus. *In his postremis verbis movet quæstionem Augustinus, Quum Christi corpus ex virgine assumptum, & non ex pane factum, crucifixum, sepultumque sit, item resurrexerit, ascenderit in cœlum, ibique modo sedeat ad dexteram Patris, unde venturus sit ad judicium : quomodo igitur sit panis corpus ejus & calix sanguis ejus ? Ad hoc respondet in sequentibus ex natura mysteriorum, quæ non vulgarem & omnibus notum sensum habeant, sed in quibus fides instruenda sit.* Fratres, *ait*, hæc Sacramenta seu mysteria sunt, in quibus aliud videtur, aliud intelligitur : quod videtur speciem habet corporalem ; quod intelligitur fructum habet spiritualem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus; Vos estis corpus Christi, & membra : Si ergo vos estis corpus Christi ; mysterium vestrum in mensa positum est ; mysterium Dei accipitis, & adhoc, quod estis, Amen respondetis : Esto membrum corporis Christi, & verum sit Amen tuum. *Item :* Commendavit nobis in hoc Sacramento corpus & sanguinem suum, quod etiam fecit nos ipsos : Nam & nos corpus ipsius facti sumus, & propter misericordiam ejus, quod accepimus, nos sumus. *Quibus verbis docet initiatos, in Sacramentis quadam sensibus, quadam fide sola percipi. Quemadmodum autem ex hac Augustini responsione intelligitur, corporalem sub specie panis præsentiam, non esse hoc, quod in Sacramento videtur, & speciem habet corporalem videlicet visibile Sacramentum: neque quod intelligitur, & fructum spiritualem habet, virtutem nimirum & efficaciam Sacramenti : Sic etiam ex his intelligimus, nihil Augustinum, in explicando fidei mysterio, de reali seu corporali illa præsentia initialis respondere, & ad credendum proponere. Sed docet, mysterium Cœnæ hunc spiritualem intellectum habere, quòd sicut fideles suo modo sint corpus Christi : sic etiam panem & vinum, quæ exteriùs videntur, corpus & sanguinem esse Christi. Fideles autem non sunt realiter corpus Christi, sed tantùm spiritualiter : ergo sic etiam panis & vinum.*

In libro de Catechisandis rudibus, vult Augustinus de hoc mysterio fidei docendos esse initiatos, quòd eis signacula rerum divinarum visibilia sint : Res tamen invisibiles in iis honorari : ideoque speciem, benedictione sanctificatam, non sic habendam esse, quemadmodum habetur in usu quolibet : Dicendum etiam iis esse, quid res, seu species illa & sermo, quem audierunt, significet: quid in illo reconditum sit, & cujus illa res similitudinem gerat: atque ex occasione ipsos monendos, ut si quid in Scripturis audiant, quod carnaliter sonet (sicut hæc verba mysterii sonare videntur) etiamsi non intelligant, credant tamen spirituale aliquid significari: quod hac velut brevi regula comprehensum, facile discent, & intelligent ; ut videlicet, si quid audierint ex Scripturis, quod ad dilectionem Dei, & veritatis, & sanctitatis, & ad proximi dilectionem referri non possit, figuratè dictum vel gestum esse credant.

Præterea corporalem per transsubstantiationem panis & vini præsentiam, non esse spiritualem istum mysterii intellectum, qui vivificet, ex his Augustini verbis apertissimè intelligitur, quæ in tract. 50. in Ioan. extant, ubi sic scribit : Si bonus es & ad corpus Christi pertines, habes Christum & in præsenti, & in futuro: In præsenti per fidem, in præsenti per signum Christi, in præsenti per Baptismatis Sacramentum: in præsenti per Altaris cibum & potum, habes Christum in præsenti, sed habebis semper, quia cùm hinc exieris, ad illum venies, qui dixit latroni: Hodie mecum eris in Paradyso. *Ex quibus verbis intelligimus, Augustinum non solùm eandem præsentiam Christi in Baptismi & Cœnæ Sacramento facere, sed etiam illam à corporali carnis præsentia apertè distinguere. Item Serm.* 140. Voluit agnosci Dominus in fractione panis, securi sumus, panem frangimus, & Dominũ agnoscimus. Noluit agnosci nisi propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi ejus carnem. Quisquis ergo fidelis es: quisquis verbum Dei cum timore & spe audis ; consolatur te fractio panis : Absentia Domini non est absens : habeto fidem

fiam & tecum est, quem non vides. *Et postea* Dominus ergo præsentavit seipsum in fractione panis: Discite, ubi Dominum quæratis, discite ubi habeatis: discite ubi agnoscatis, quando meditatis. Norunt enim fideles aliquid, quod meliùs intelligunt in ista lectione, quàm illi, qui non noverunt, Dominus his cognitè est, & postquá cognitus est, nusquá comparuit eis. Abfuit corpore, dum tenebatur fide: Ideo enim Dominus noster absentavit se corpore ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum, ut fides ædificetur. Si enim non nosti, nisi quod vides, ubi est fides? Sin autem credis, & non vides, cùm videris gaudebis: Ædificatur fides, quia redditur species, veniet quod non videmus, gaudebunt fideles, confundentur infideles. *Et Serm.* 18. *de verbis Dom.* Antequam videas, quod videre non potes, crede, quod non vides: Ambula per fidem, ut pervenias ad speciem: Species non lætificabit in patria, quem fides non consolatur in via. Sic enim dicit Apostolus: Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, sed quare à Domino peregrinamur quamvis crediderimus? Per fidem, *inquit*, ambulamus, non per speciem. Tota igitur opera vestra, fratres, in hac vita est, sanare oculum cordis, unde videtur Deus: Adhæc sancta mysteria celebrantur: ad hoc sermo Dei prædicatur in Ecclesia. *Item*: Nisi corporaliter à nobis abiisset Christus, semper ejus corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus. *Iuxta Augustinum igitur, Christus non corporaliter præsens est in mysterio Cœnæ: neque tamen absens, sed fide præsens tenetur.*

Augustinus explicat Est per significat.

Cùm autem contra hanc doctrinam vulgò obiiciatur, Non dixisse Christum, Hoc Significat, *sed* Hoc est corpus meum: *ad hoc Augustinus respondet*, Neque etiam dictum esse, Petra significat Christum: sed Petra erat Christus: tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non erat, sed per significationem. Sicut nec dictum est, per Baptismum sepulturam in mortem cum Christo significamus, sed prorsus consepulti sumus, licet per mortis similitudinem *l.* 18. *c.* 48. *de Civit. Dei. Tract.* 63. *in Iohan. super Levit. c.* 47. *contra Adim. cap.* 12. *cont. Max. l.* 3. *c.* 12. *Epist.* 23. *&* 202.

Absoluta Augustini doctrina de manducanda Christi carne.

Idem Pater, Non ergo, *inquit*, timeamus manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & postea quid manducemus non inveniamus. Manducatur Christus, vivit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus, & quidem in Sacramento sic fit, & norunt fideles, quemadmodum manducant Christi carnem unusquisque accipit partem suam, per partes manducatur, & manet integer totus, per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in cœlo. *His verbis Augustinus perfectam & absolutam de manducanda Christi carne doctrinam tradit: & sic quidem ut in Sacramento credentibus proponitur manducandi. Cùm enim Sacramentum re terrena & cœlesti constet, sic per mysticam & sacramentalem unionem utrasque conjungit, & simul à fidelibus percipi tradit, ut quod ad locorum attinet spatia, quibus res terrenæ ac cœlestes, à se invicè distant, nihil impedimenti afferant, quo minus uno eodemq; tempore id fides apprehendat, quod terrena illa & aspectabilia sensibus renunciant, & Sacramentū quidem manibus fidelium tractetur, oreq; ipsorum percipiatur: Christus autem fide manducatus, totus & integer in cœlo maneat. Idem ergo verissimè August. sensit, quod & nos hodie docemus, sic videlicet in Sacramento credentes manducare Christum, ut cùm totus sit in cœlo, neque in pane & vino delitescat, nihilò tamen minùs verè se manducandum præbeat fidelibus quàm verè ipsi Sacramenta percipiunt. Fides enim in cœlum semper erecta, spiritualis vitæ fuccum ex Christi corpore percipit, & per Sacramenta tanquā per scalas ad hauriendum illud cœleste lumen sese sublevat. Aug. ergo docet, solos fideles scire, quomodo Christi carnē manducent, ut sine fide nullum corporis Christi participē fieri posse ostendat, licet Sacramentum percipiat: frangunt autem fideles, & per partes manducant Christum; & tamen partes nullas ex illo faciunt: nam quid Sacramento, & quid Christo competat, soli optimè discernunt, neque res natura diversas confundunt.*

Contra Faustum Manichæum lib. 10. *c.* 2. *&* 13. *docet*, injustè à Paganis quibusdam obiici Christianis, quòd in suo panis & calicis sacrificio Cererem & Bacchum, Paganorum Deos, colerent: & tamen plus ipsis Paganis errare dicit Manichæos, qui eandem Christianorum religionem esse putabant, circa panem & vinum, quæ Manichæorum circa omnes cibos. Pagani enim Cererem & Bacchum, non tanquam in pane & vino præsentes à Christianis coli putabant: Manichæi autem Christum, tanquam in iis inclusum & præsentem (*sicut de universis cibis suis docebant, quibus, ut Augustinus de iis loquitur, ore aperto exspectabant, si quis una cum iis inclusum inferret Christum*) agnosci putabant. Atque ideo quæ ipsorum esset sententia, propter hanc Christi inclusionem, in universis suis escis, hanc peculiariter quoque Christianorum esse dicebant circa panem & vinum. *Hinc sic infero: Si sensissent Augustinus, ut Pontificii hodie docent, ipsum reale Christi corpus, sub reali specie panis inclusione & existentia aut in sacrificio offerri, aut corporali oris māducatione percipi: nullo jure potuisset in Manichæis,*

tanquam Christianorum religioni contrarium, reprehendere, quòd ore aperto expectarent, si quis inferret Christum: hoc ipsum enim Christianis quoq; obiici potuisset, quod nimirum aperto ore expectarent, quando in pane & vino Cœnæ Christus inferretur: Multoque minus negare debuisset Augustinus, generalem illam corporis Christi præsentiam in omnibus terræ fructibus, si Vbiquistarum sententia vera est, qui dicunt, corpus Christi in cibo & potu, in terræ fructibus, in omnibus arborum foliis, lapidibus, herbis, cantharis cervisiariis, imò in ipso laqueo Iudæ præsens esse. Ex his & similibus multis locis apparet, Augustinum nullam corporalem aut naturalem corporis Christi præsentiam vel manducationem in Cœna celebratione vel credidisse vel docuisse.

Huc pertinet locus Augustini ad Dardanum contra præsentiā corporalē Christi in terris. Vide Oecolāpadii Dialogū fol. 164. Origenes.

Origenes quoque dogma illud de proprio & naturali esu corporis per se considerati, tanquam pernitiosum repudiavit, ac proinde docuit, in Cœna Dominica improprie & figuratè accipiendam esse corporis Christi manducationem. Nam homil. 7. in Leviticum, Agnoscite, *inquit*, quia figuræ sunt, quæ in diuinis voluminibus scripta sunt, & ideo tanquam spirituales, non carnales, examinate & intelligite, quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista accipitis, lædunt vos, & non alunt. Est enim & in Evangelio litera, quæ occidit, non solùm in Veteri Testamento occidens litera deprehenditur. Est enim in Novo Testamento litera, quæ occidat eum, qui non spiritualiter, quæ dicuntur, advertit. Si enim secundùm literam sequeris hoc ipsum, quod dictum est: Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum: occidet hæc litera. *Rursus:* Panem Dominicum ab ipso pane Domini discernens: Panis, *inquit*; qui vocatur à Domino sanctificatus per verbum & preces, suapte natura non sanctificat utentem, aliàs illum etiam sanctificaret, qui eum indignè Domino comedit: de quo tamen aliter Paulus. Non igitur materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indignè eum Domino comedente. *Hæc de typico vel symbolico corpore. Ideo non de illo ipso reali Christi corpore & pane vitæ de cœlo loquitur, qui sua natura propter hypostaticam unionem sanctificare potest.* Symbolicum autem, *inquit*, juxta id quod naturale habet, in ventrem abit: sed juxta precationem aut sanctificationem, quæ ei accessit proportione fidei, fit utile: efficiens ut perspicax sit animus respiciens ad hoc quod utile est. *De re autem Sacramenti & ipso pane Domino, sic inquit:* Verbum verò caro factum, quod verus est cibus, de eo qui comederit, omnino vivet in æternum, quam nullus malus edere potest. Etenim si fieri possit ut qui malus adhuc perseverat, edat verbum carnem factum, quum sit verbum & panis vivus, nequaquam scriptum fuisset: Quisquis ederit panem hunc, vivet in æternum. *Et hæc est causa, ob quam Origenes verba & ritum Cœnæ, quatenus ad corporis & sanguinis Christi manducationem referuntur, mystice & spiritualiter interpretatur.*

Chrysostomus *etiam pronus repudiat carnalem intellectum, quo corpus proprie & simpliciter, secundum literam, vel, ut verba sonant, manducari putatur, quique figurate opponitur. Sic enim expressè definit his verbis:* Caro non prodest quicquam, &c. *cum ait:* Quid est carnaliter intelligere? Simpliciter, ut res dicuntur, neque quicquam aliud intelligere. Non enim ita judicanda sunt quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda sunt, hoc est, spiritualiter. *Vbi observanda est antithesis inter Carnaliter, & Spiritualiter, quæ nullum cavillandi locum relinquit. Idem homil. 11. in cap. 5.* Matthæi, operis imperfecti, in explicatione dicti (si quis dixerit fratri suo Racha sine causa, reus erit consilio,) ita scribit: Omnis enim sermo vanus qui dicitur, immundo Spiritu dictante profertur. Vanum ergo sermonem dicentes, non tantùm ideo peccamus, quia per illum sermonem aliquem lædimus: sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus agendi quod volunt: Hoc sciens Salomon dicebat ad Dominum: Duo postulo à te, Ne auferas gratiam tuam à me, priusquam moriar, & vanum verbum non exeat de ore meo. Si enim vasa sanctificata ad privatos usus tranferre peccatum est, & periculum: sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis, de regno depositus est, & de vita. Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis Christi detinetur, quantò magis vasa corporis Christi, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare Diabolo agendi in eis quod vult. Hunc locum, quia Pontificiis & Vbiquistis Sudes in oculis est, variis modis eludere conantur. Sed si scopus observetur, quem Chrysostomus præ oculis habuit in hac homilia tota, mox intelligiet Lector, verba ejus de corpore Christi pro nostra sententia firmissimè facere. Explicanda sibi sumpsit pater ille verba Christi, si quis dixerit fratri suo Racha &c. Ubi perpulchrè & doctè indicat, quomodo quivis Christianus corde, ore, ac mente erga proximum suum affectus esse debeat, sic nimirum, ut ne ullum quidem verbum contumelioſum in illum evomat, caveatque, ne locum det Diabolo, *Chrysostomus.* *Prov. 30.*

bolo, ut per illum erga proximum quodcunque voluerit perficere queat. Hoc ut firmius probet Chrysostomus, à minori ad majus argumentatur, sic colligens; Si periculosum est sacris vasis cultui Divino destinatis abuti, & ea ad privatos usus transferre (ut in exemplo Balthasaris videre est, qui propter abusum vasorum sacrorum in Babylonem translatorum, regno, & vitâ privatus est,) in quibus tamen non est verum corpus Christi, sed mysterium ejus continetur, quantò magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, Diabolo tradere non debemus, ut per ea omnis generis peccata operetur. Quòd igitur Pontificii & Ubiquistæ verba Chrysostomi, si hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, &c. quæ apertè de vasis Novi Testamenti loquuntur, prioribus ejus verbis, de vasis in Babel translatis annumerant, adeoque de Veteri Testamento intelligenda esse contendunt, in eo vehementer falluntur, & Chrysostomo injuriam faciunt, sequentibus de causis: Primò, quod postrema verba Chrysostomi, quæ de vasis Novi Testamenti loquuntur, à prioribus de vasis in Babel translatis, manifestis commatis distincta sunt. Secundò, si verba hæc loquuntur tantùm de vasis in Babel translatis, ostendant nobis Pontificii, quæ illa vasa Veteris Templi fuerint, in quibus Mysterium corporis Christi contentum sit. Quum verò nullum possint ostendere, vel nominare, sequitur rectè hæc verba à nobis de vasis sacris Novi Testamenti intelligi. *Idem*, Credamus, *inquit*, ubique Deo nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur quod dicit, in omnibus, & præcipuè in mysteriis ita faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodo aspiciamus, sed verba quoque ejus teneamus. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilis est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, & oculis intellectus ad id perspiciamus & intueamur. Nihil enim sensibile nobis traditum est à Christo, sed rebus sensibilibus omnia quæ tradidit insensibilia καὶ νοητὰ sunt. *Quòd si, juxta Chrysostomum, corpus Christi solo intellectus oculo in Sacramento cernitur, non utique panis & vinum, quæ carnem videntur oculis, ipsum Christi corpus realiter existunt, aut in id permutantur. Ex quibus liquidò intelligimus, qualem præsentiam corporis Christi in Sacramento statuerit Chrysostomus, non eam nimirum quam sensus nostri requirant, sed quam solus fidei intellectus, prout caro Christi in crucem pro nobis est tradita, apprehendat. Et quia quæ ante nos jacent, aspicere vetat, iniegram profectò elementorum substantiam restare profitetur. Nam si abolita panis & vini substantia, ipsum Christi corpus extraneis accidentibus vestitum in altari jaceret, ut hodie fingunt Pontificii, non certè ab aspectu ejus nos Chrysostomus arceret: sed diligenter hoc solum, quod jacet, tanquam verum Christi corpus, spectandum proponeret, quod isti faciunt. Homil. 7. in 1 Cor.* Ego non aspectu judico ea, quæ videntur, sed mentis oculis corpus Christi video. *Homil. 45. in Ioan.* Mysteria, *inquit*, non sunt carnaliter, seu simpliciter, ut res dicuntur, quasi non aliud quidpiam in iis sit cogitandum, sed interioribus oculis, hoc est, spiritualiter consideranda & contemplanda: Inde enim mysterium sic dictum est, quoniam id, quod credimus, non intuemur, sed quod aliud credimus, aliud videmus. Hujusmodi enim est mysteriorum natura. Aliter igitur ego, & aliter incredulus disponitur: Ille cùm baptismatis lavacrum audit simpliciter aquam sibi esse persuader. Ego verò non simpliciter video, quod video, sed animæ per Spiritum purgationem. Non enim aspectu judico, quæ videntur, sed mentis oculis: Audio corpus Christi: aliter ego hoc, aliter incredulus accipit, seu intelligit. Increduli enim quamvis audiant, non tamen videntur audire: Fideles autem per Spiritum experientiam assecuti, in absconditis virtutem intuentur. *Ex hac mysterii doctrina carnale esse dicit dubitare, quomodo nobis possit Christus carnem suam ad manducandum dare, cùm hoc sit mysticè & spiritualiter intelligendum. Rursus:* In Baptismo per aquam, quæ res est sensibilis, dum illud conceditur, & quod in ea conficitur, regeneratio videlicet & innovatio, intelligibile est. Nam si tu incorporalis esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi. Quoniam verò corpori conjuncta est anima in rebus sensibilibus, intelligibilia tibi traduntur. Sicut igitur in Baptismo sensibili aquæ elemento intelligibile donum regenerationis confertur: ita etiam intelligibile hoc corporis & sanguinis Christi donum non corporis sensibili aliqua actione, sed spirituali fidei intelligentia, animo atque mente percipitur. *Quod nihil est aliud, quàm sic in verbis Cœnæ panem credi esse corpus, ut Baptismus est lavacrum regenerationis: Hoc est, res spirituales dicuntur de rebus sensibilibus, quibus significantur, offeruntur, & obsignantur. Quæ apertius per ea, quæ sequuntur, explicat.* Si prorsus, *inquit Chrysostomus*, incorporales essemus, spiritualia & incorporea dona (*regenerationis videlicet & corporis Christi*) nudè nobis essent

Vide Bellarmini Tolmäni Exegemata argumentorum Synusiastarum p. 116. b.

Vide Oecolampad. Dialogis. fol. 146.

tradita absque sensibilibus elementis, vel symbolis: At quia corpori conjuncta est anima, ideo rebus sensibilibus hæc intelligibilia proponuntur. *Quòd si intelligibilia hæc, & spiritualia dona nudè nobis, si incorporales essemus, distribuerentur: quomodo hinc verbis Cœnæ posset institutum videri, ut corpus & sanguis Christi, velut incorporea & spiritualia dona, corporali oris manducatione percipiantur. Hoc enim ad ipsam mysteriorum virtutem, qua fidelibus se ipsos conjungit & commiscet Christus, & quos in Baptismo regeneravit, per semetipsum corpore & sanguine suo nutrit, omninò non est utile & necessarium. Et Chrysostomus aperte dicit:* Oculis intellectus videt & intelligit corpus Christi. *Nihil autem corpori, quàm res sensibiles, intelligibilia verò dona animæ dari.*

Hieronymus *in Leviticum*, De hac, *inquit*, hostia, quæ in Christi commemorationem mirabiliter fit, edere licet: de illa verò, quam Christus in ara crucis obtulit secundùm se, nulli edere licet. *Loquitur hoc loco Hieronymus de orali manducatione carnis Christi, & confert veram Christi carnem cum Sacramentali, nempe pane, qui post benedictionem fit caro Christi, hoc est, carnis sacrum signum: id est, duobus modis carnem Christi considerari, simpliciter secundùm se, in proprio suo subjecto, & relativè, in alieno subjecto, videlicet pane, ejus Sacramento. Manifestissimè autem negat, carnem Christi propriè, secundùm se, & in sua propria essentia consideratam, oraliter comedi, sed solummodo in Sacramento, cùm nimirum panis ejus symbolum, comeditur. Idem in capite tertio Ecclesiastæ*, Hoc solùm, *inquit*, habemus in præsenti seculo bonum, si vescamur carne ejus, cruoreque potemur, non solùm in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione. *Si ergo una eademque ratio corporis Christi manducandi, sanguinisque ejus bibendi, & in Verbo, & in Sacramento proponitur, non profectò Hieronymo Sacramentalis manducatio ullam transubstantiationem requirit, quando nec manducatio illa, quæ verbo Dei audiendo conflat, eandem desiderat.*

Hieronymus.

Clemens *Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 2.* Hoc est, *ait*, bibere Jesu sanguinem, esse participem Incorruptionis Domini.

Cyrillus *Alexan. vetustissimus & orthodoxus Pater in lib. contra Theodor. sic scribit:* Sacramentum nostrum hominis manducationem non asserit, mentes manducantium ad crassas cogitationes inducens, & attentas humanis cogitationibus tractare quæ sola pura & inexquisita fide accipiuntur. *Quid autem est, hominis manducationem non asserere? & mentes ad crassas cogitationes non inducere, nisi carnalem omnem, ac corpoream, oralemque manducationem carnis Christi è Sacramento procul repellere? Iuxta Cyrillum igitur, Christi corpus non ore percipitur, esset enim hoc, ut ipse dicit, crassa quædam & profana imaginatio, sed pura & simplici fide comeditur, & proinde non corporalem carnis Christi manducationem, sed solam spiritualem apertissimè docet, veram tamen, qua intrinsecus se mentibus offert, & à suis fidelibus nunquam recedit.* Initium enim, *inquit Cyril. l. 4. c. 29. in Ioa.* & fundamentum in sanctificatione & justitiam Christus est, per fidem scilicet, & non aliter, hoc enim modo in nobis habitat. *Rursus Cyrillus:* Christus, *inquit*, suum corpus, tanquam panem, distribuit: & vivificum suum sanguinem, tanquam vinum dat. *Quibus docere vult, Christum tradere nobis corpus suum tanquam panem, & sanguinem simul tanquam vinum: ut quemadmodum verè panem edimus, & vinum bibimus, ita verè exhiberi carnem & sanguinem nobis spiritualiter participandam credamus.*

Cyrillus Alexandrinus. Vide integrum locum in Occolamp. Dial. fol. 32. a b

Et quamvis lib. 10. c. 30. in Ioan. pro communicatione carnis suæ, Christum in nobis esse dicat, participatione quadam naturali, qualis est membrorum cum suo capite: tamen non solùm corporalem carnis Christi præsentiam cum fidei articulis pugnare, sed etiam ad vivificationem non prodesse, nec postulari debere apertissimè docet li. 11. c. 3. 26. & 27. in Iohannem. Non carni, ut caro est, *inquit*, sed naturæ verbi divinæ operationis virtutem attribuimus. Hoc enim & non aliud significat in nomine patris illos servatos fuisse. Desolationis ergo formidinem pellens, salutem se discipulis non corporali præsentia carnis, sed Deitatis potentia futurum ostendit. Nulla enim res quæ propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit. *Et post:* Nihil ergo mali vobis accidere potest, *ait*, etsi carne abfuero, quum Deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque servavit, etiam in posterum sit servatura. Hæc non ideò dicimus, quia Domini corpus non magni æstimemus, sed quia mirabiles hos effectus gloriæ Deitatis attribuendos esse putamus. *Et post:* Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam, apertè namque hoc ad sanctificandum vivificandumque nihil prodesse carnem ostendit, in quantum scilicet, humanæ naturæ caro est. Quum igitur Deitati servatio attribuitur, non debetis, *inquit*, carnis præsentiam propter hoc desiderare, hoc enim solummodo pacto etiam carne absens servare suos potuit. *Idem in Levit. lib. 7. dicit,* Christum de carnis suæ manducatione in Cœna mysticè loquutum esse, ac proinde ab iis, qui initiati sunt mysteriis figuratè & spiritualiter intelligi oportere. *Ne autem solo carnis Christi merito, fructu & efficacia, spiritualem carnis man-*

Vide Occol. Dialogum fol. 56. 157. ubi intelligatur quo modo bibi cum fit participatione naturali

Vide alibi dicti Cyrilli in Eundem in Occolamp. Dialogo f. 158. &

manducationem constare arbitraremur, addidit Cyrillus : Naturali ipsius participatione, qua corporaliter Christo unimur, ut arctissimam Christi nobiscum conjunctionem significet: qua fiat, ut vitam ex ipso, sicut palmites ex vite hauriamus, substantiæ & corporis communicatione, non autem reali aliqua seu essentiali copulatione & unione corporis Christi cum pane, quem fideles in Cœnæ mysteriis percipiunt : *In Ioan. lib. 10. c. 13. l. 11. c. 21. & 26.*

Macarius Ægyptius *homil.* 27. Percipientes, *inquit*, ex eo, qui videtur esse panis, spiritualiter carnem Domini manducant. *Vbi Turrianus cum sociis solam apparentiam panis, abolita ejus substantia, statui à Macario dicit: & spiritualiter edere corpus Christi, idem esse vult, quod invisibiliter: ut non spiritus & fidei, sed oris & ventris cibum esse contra Augustinum confirmet.*

Macarius.

Gaudentius.

Gaudentius *Ambrosii coætaneus*, Necesse est, *inquit*, ista vitæ æternæ mysteria celebrari per universas totius orbis Ecclesias, usque quò Dominus de cœlis adveniat: quò & ipsi sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi, exemplar passionis Christi, (*Eucharistiam videlicet*) ante oculos quotidie habentes & gerentes in manibus, pectore etiam atque ore sumentes, redemptionis suæ incredibilem memoriam teneant, & contra Diaboli venena dulcem medicinam consequantur. *Vocat Gaudentius æternæ vitæ mysteria, Eucharistiam panis & vini, & dicit, quòd in iis passionis Christi exemplar fidelibus ante oculos quotidie ponatur, & quod non tantùm sacerdotes, sed & omnem fidelem populum sacrificium memoriæ redemptionis suæ peragant, dum hoc passionis Christi exemplar manibus gerunt atque accipiunt : & non solùm ore, sed & pectore memoriam, redemptionis suæ tenentes, sumunt. Horum autem nihil de invisibili & reali existentia corporis sub specie panis verum esse potest. Nam ut corpus ejusmodi non est pro nobis passum, nec etiam pati potuisset : sic etiam non est veræ passionis visibile ante oculos positum exemplar, quod manibus geri & ore sumi posset.*

Cyrillus *Hierosolymitanus in suis Catechesibus Mystagogicis*, Aliud, *inquit*, gustat ibi corporeum palatum, aliud fides. At verò cum ad sacrorum mysteriorum communionem hac melodia invitamur : gustate & videte, quòd Christus est Dominus : num hoc corporeo palato, ut istud dijudicetis, vobis præcipitur ? Nequaquam, sed potius fide certa, & omnisdubitationis experti. *Item :* Sicut panis corpori, sic verbum animæ convenit. Ne ergo consideres tanquam panem nudum & communem, nec ut vinum nudum. Corpus est enim & sanguis est Christi, in eo te fides confirmet, & habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio esse tibi donata corpus & sanguinem Christi. *Sicut igitur panis propter verbum non amplius est vulgaris & communis panis, sed corpus Christi : sic una cum verbo ipsum quoque corpus Christi animæ convenit, & eandem habet ad ipsam ex mysterio fidei analogiam, quam panis ad corpus. Sic etiam* Cyprianus *Serm. de Cœna :* Potus, *inquit*, & esus ad eandem pertinet rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia, & vivit, & incolumis perseverat : Ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur : & quod esca est carni, hoc animæ fides est: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui, excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter & finaliter. *Et* Augustinus *Psal. 33. & tract. 25. in Ioan.* Qui credit, manducat, invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur : Novus intus est : Infans intus est : ubi novellatur, ibi saginatur : Qui manducat intus & in corde, non qui manducat foris, & premit dente.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Cyprianus.

Augustinus.

Fulgentius *Ruspensis Ecclesiæ in Africa Episcopus, pios & eruditos libros de Mysterio Dominicæ incarnationis, ad Thrasimundum Vandalorum Regem Arianum, scripsit circa annos Domini* 500. *quibus ex professo Phantasticam illam corporis Christi in terris præsentiam confutare voluit. Inter alia sic scribit :* Unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre, unus idemque secundùm humanam substantiam, absens Cœlo, cùm esset in terra, & derelinquens terram, cùm ascendisset in Cœlum, secundùm divinam verò & immensam substantiam nec Cœlum dimittens, cùm de Cœlo descendit, nec terram deserens, cùm in Cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui ut localem ostenderet humanitatem suam, dixit Discipulis suis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrũ: Deum meum, & Deum vestrum. De Lazaro quoq; cùm dixisset: Lazarus mortuus est, adjunxit, dicens : Gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suæ Divinitatis ostendens Discipulis, dicit : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quomodo ascendit in Cœlum, nisi quia localis & verus est homo ? aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus ? *In hanc sententiam plura apud eundem Patrem extant, quibus solidissimè probat, non aliam Christi præsentiam in terris & mysteriorum sumptione agnoscendam, quàm spiritualem : quæ propriè est Majestatis & Divinitatis, qua intus se mentibus offert & à fidelibus*

Fulgentius. Vide de hoc loco Dialogũ Orientalis fol. 164. b. Vide ib. fol. 165. alium locũ ex Fulgentio.

suis nunquam recedit. Hinc etiam, cùm ab Arrianis ei obiiceretur, si toti Trinitati, Ecclesiæ sacrificium offeratur, ad sanctificandum hoc oblationis munus, cur sancta tantùm Spiritus missio postuletur? ita respondet lib. 2. ad Monimum: Non esse propterea existimandum sacrificium Patri oblatum ab eo non sanctificari, nec etiam à Filio, quasi verò is sacrificium corporis sui sanctificare non posset, quod nos offerimus, cùm ipse corpus suum sanctificaverit, quod ipse obtulit, ut nos redimeret. *Quibus verbis aperte sacrificium corporis in terris oblatum, ab ipsomet vero Christi corpore discernit, quod is in cruce obtulit. Sic autem sacrificium corporis, sicut & corpus dici intelligit. Nam sacrificii appellationem in Cœnâ à corporis in mortem traditi ratione Patres sumpserunt, Nempe, quia traditum in mortem corpus, sit ipsum pro nobis à Christo oblatum sacrificium. Eodem etiam modo corporis in mortem traditi, panis in Cœna mysterium & symbolum nominatur, quod utrisque sacramentum est, sive sacrum signum, quod propter ipsius rei, cujus sacramentum est, similitudinem in mysterio, nomine ejus appellari solet, ut ab Augustino etiam explicatur, quem Eulgentius secutus est. Porrò quod idem Fulgentius*, à corpore, *id est, Ecclesia Christi*, in sacramento panis & calicis corpus & sanguinem ejus offerri docet, quia Paulus dicit: Calix benedictionis cui benedicimus, & panis quem frangimus, communicatio corporis & sanguinis Christi est: Vnus enim panis, & unum corpus multi sumus: *Non de reali aliqua in pane existentia & oblatione (quod ne Arriani quidem sentiebant) intelligendum est, sed opponitur verè ipsius corporis semel factæ oblationi, quasi hac Ecclesiæ oblatio in significante mysterio, imagine & typo fiat. Et propterea*, panis & vini sacrificium, in locum brutorum animalium, quæ etiam in Veteri Testamento in significante mysterio immolabantur, substitutum, *Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum, docet (quem Fulgentii, non Augustini esse multi putant). Hæc enim illa sunt proposita, super quibus pro sanctificatione sacrificii, missio & descensus Spiritus sancti fieri postulabatur. Alioquin inexplicabilis est in Liturgiis sacrificiorum collatio si Filium Dei sub speciebus panis & vini in Missa sacrificio offerri, aut sub pane contineri, cogitemus. Fulgentius certè hac Veteris & Novi Testamenti sacrificia in libro de Fide ad Petrum c. 19. his verbis inter se confert:* In illis, *inquit*, carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato oblaturus erat, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem nostrorum peccatorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio, & commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit Christus. In illo ergo sacrificio, quid nobis donandum esset, figuratè significabatur: In hoc autem sacrificio quid donatum sit, evidenter ostenditur. *Ex hac collatione liquidò apparet, ipsam corporis Christi quasi in sacrificio oblati veritatem non conferri cum carnalibus brutorum animalium victimis, sed ipsam gratiarum actionem, & corporis Christi commemorationem, qua semel donatum esse ostenditur. Hinc sequitur irrefragabiliter, nec ipsammet corporis Christi in pane existentiam, esse hoc ipsum sacrificium, quod in Liturgiis sic gratum acceptumque à Deo haberi petitur, sicut munera Abel, & sacrificium Noah.*

Vide sacrificii appellationem in Cœna apud Patres.

Non conferitur hic comparis Christi in pane veritas cum victimis veteris Test.

Gregorius Emissenus.

Gregorius *Emissenus inquit:* Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis; & illaturus syderibus, necessarium erat, ut die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraretur, ut perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia vera, unica & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, neque exteriore censenda visu, sed interiore affectu, *ut citatur à Gratiano de Consecrat. dist. 2. Non ergo credidit Emissenus corpus Christi realiter in Cœna præsens esse. Nam illam hostiam, quæ mysticè fit in Christi commemorationem, & in qua per mysterium, redemptionis nostræ semel in cruce factæ, memoria recolitur, non dicit esse illam ipsam hostiam Christum, seu corpus ejus assumptum, & syderibus illatum. Sed hoc per sacramenti similitudinem in memoria recolitur, non igitur reipsa offertur. Hinc dicit etiam*, Fide hæc æstimanda esse, non specie, nec exteriore visu, sed interiori effectu: *Quasi diceret, Hujus mysticæ mutationis, quæ in Sacramento fit, intelligentiam, in eo consistere, ut sciamus, Cœnæ communionem, non esse propter hoc institutam, quod exterior usus in specie præbet, sed quod interiori virtute & effectu accipit fides, juxta promissam à Christo carnis suæ in spiritualem animæ cibum manducationem. Idem author dicit:* Cùm reverendum altare cibis spiritualibus fatiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente contingere, cordis manu suscipe, & maximè totum Christum haustu interioris hominis assume.

Hesychius: Fide etiam alium locum Hesychii in Dialogo Oecolampad. fol. 148. & 158.

Ex Hesychio *quoque intelligitur, ne ejus quidem tempore creditum fuisse, carnem Christi per se & absolutè considerataṁ propriè ac realiter manducari, sed quatenus eam, ut victimam in sacris symbolis, quæ passionis memoria & recordatio sunt, animi intellectu per fidem symbolis illis visibilibus excitatam & confirmatam, spiritualiter apprehendimus, & sacrificii illius fructum nobis applicamus, cujus applicationis gratia Sacramentum hoc à Christo institutum est.*

est. Sic enim inquit : Carnem ejus, quæ ad comedendum inepta erat ante passionem (quis enim comedere cupiebat carnem Domini?) apram cibo post passionem fecit. Si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis ejus minimè comederemus.

Patres hortantur Christi corpus in cœlis quærere.

Hæc etiam pertinent testimonia Patrum, quibus à signis illis terrenis piorum communicantium animos ad quærendam non in terra, sed in cœlis rem significatam, nempe corpus Christi, semper hortati sunt. Nota sunt illa Niceni Concilii *verba, quibus fideles à visibilibus & naturalibus illis panis & vini elementis, apertè revocant ad internum & spiritualem mentis aspectum & apprehensionem*, Ne, *inquiunt*, proposito pani & poculo humiliter intenti simus, sed sublata in altum mente per fidem, consideremus proponi in sacra illa mensa agnum Dei tollentem peccata mundi, qui sine mactatione, à Sacerdotibus sacrificatur : & prætiosum ejus corpus & sanguinem verè accipientes nos, credamus hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Nam ideo etiam non multum, sed parum accipimus ut agnoscamus, quòd non ad satietatem, sed ad sanctificationem accipiatur. *Testantur etiam, ut supra indicavimus*, Cyprianus, *Serm. 6. de Orat. Dominica*, & Augustinus, *hunc fuisse morem usitatum in Ecclesia, ut Sacerdotes non solùm precaturi, sed Sacramentum etiam distributuri, pararent animos plebis dicendo*, Sursum corda: *quibus respondebat populus*, Habemus ad Dominum. *Quorsum verò hoc?* Nempe, *inquit Augustinus lib. 2. de Bono persev. cap.* 13. ut quæ sursum sunt, tunc maximè sapiant, ubi est Christus in dextera Dei sedens, non quæ super terram : cui de hac tanta re (id est, de tanto beneficio, quo nos ad se ipse attollit ut nos pascat, & liberet à morte,) gratiæ agendæ sunt : *Hæc igitur adhortatione satis docebant, non in pane ullo nec in manibus ministrorum, neque adeò in mensa ulla terrena, quærendum esse corpus Christi, ut ejus fiamus participes : sed mente ac spiritu per fidem in cœlos illi communicandum esse. Vsi sunt & hac adhortatione ut admonerentur, nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere, ut Cyprianus scribit. Ideo* Chrysostomus *in 1. Corinth. homilia vigesima quarta, ait.* Ad hoc nos inducit sacrificium illud formidandum & admirabile, quod jubet nobis, ut cum concordia & charitate maxima, ad se accedamus : & aquilæ in hac vita facti, ad ipsum in cœlum evolemus, vel potiùs supra cœlum. Vbi enim cadaver, ibi & aquilæ : Cadaver, Domini corpus propter mortem : nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. *Aquilas autem appellat, ut ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit : & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare & in Solem justitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.* Aquilarum enim, non Graculorum est hæc mensa, *Et rursus*: Ascende igitur ad cœli portas, imò cœli cœlorum, & tunc, quæ dicimus, intueberis. *Eodem sensu dixit &* Leo, Circa hoc corpus Christi Aquilas esse, quæ alis circumvolant spiritualibus. *Et* Hieronymus *ad Hedionem q. 2.* Ascendamus, *inquit*, cum Domino in Cœnaculum magnum, stratum & mundatum, & accipiamus ab eo sursum Calicem Novi Test. menti, ibique cum eo Pascha celebrantes, inebriemur ab eo vino sobrietatis. *In eandem sententiam scribit* Ambrosius *lib. 1. de Offic. cap. 48. & Psal. 28.* Hîc Christus in imagine offertur : illic verò, (*in cælo*,) in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Ascende igitur ô homo in cœlum, & videbis illa, quorum umbra hîc, vel imago fuit. *Item lib. 10. cap. 24. in Lucam :* Quæ sursum sunt, *inquit*, sapite, non quæ sunt super terram. *Ergò non super terram, nec in terra, nec secundum carnem quærendus est Christus, si volumus eum invenire. Si etiam corpus Domini coràm in Cœna realiter præsens est, & manibus ac ore sumitur, imò intra ipsa corpora nostra substantialiter traiicitur, cur fide in cœlum ascendere jubemur, ut illud ibi apprehendamus? Cur non in panem & vinum intentos nos esse opera precium fuerit, si Vbiquistica majestate, aut Transubstantiatione, in pane, aut specie panis præsentem corporaliter credi & accipi oportet?*

Hæc etiam facit quòd Augustinus *Tract. 20. in Ioan. habet, dum illis respondet, qui non putant homines fideles corporis Christi fieri posse participes, si ab ipsis ille corporali præsentia absit. Ita enim se interrogari fingit à Iudæo.* Quem tenebo? Absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? *Respondet :* Fidem mitte, & tenuisti : Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde. Quoniam Christus absens, etiam præsens est. Nisi enim præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset : sed quoniam verum est quod ait, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi : & abiit, & hîc est : & rediit, & nos deseruit. Corpus enim suum cœlo intulit : Majestatem non abstulit mundo. *Intelligimus igitur ex his, ubi & quomodo Christi corpus quæri etiam in Cœna celebratione voluerit Augustinus : ex quibus etiam apparet, & qualem præsentiam, & qualem inducationem crediderit idem Pater in ea fieri, nempe merè spiritualem, verum tamen & substantialem.*

Multa alia & evidentissima testimonia Patrum

rum adduci possent, ex quibus sola spiritualis corporis Christi manducatio ita clarè demonstratur, ut qui Christum carnaliter in externis symbolis comedendum & dentibus lacerandum docent, tantoque errori Patres patrocinari putant, insigni quadam calumnia, vel volentes, vel per summam insciitiam & stoliditatem ipsos onerare videantur.

Patres argumentab. Ascensione Christi sumpto oralem corporis Christi manducationem repudiarunt.

PATRES *quoque de articulo Ascensionis Christi ita docuerunt, ut eo ipso realem corporis Christi in terra, ejusdemque oralem manducationē in Cœna diserè & constanter repudiarint.* Athanasius *explicans illud*, Qui dixerit verbū contra Filium hominis, &c. *inter alia*, Quot hominibus, *inquit*, corpus eius sufficeret ad cibum, si universi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, ut eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinceps carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritualem alimoniam, quam ipse daret, intelligerent. *Vbi oralis illa manducatio veri corporis Christi in Cœna funditùs evertitur Ascensionis articulo. Aliquin non satis firma & concludens, aut etiam ad eruditendos Apostolos accommodata rei, ab Ascensione adducta ratio videretur, si non obstante hinc locali corporis ipsius insinuata decessione, posset ullo modo hic Christus adhuc corporaliter manducari.*

Augustinus *quoque docet Tract. 27. in Ioan. quum putassent Capernaïtæ, Christum Ioan. 6. cx. de corporali carnis suæ erogatione loquutum, eamque velut absurdam & impossibilem esse existimantes, dixissent*: Quomodo potest hic nobis carnem suam ad manducandum dare? *Illorum errori Christum, posteaquam primò manducationem carnis suæ, eo, quo ipse intelligi voluit, modo, non solum non absurdam & impossibilem, sed & omninò ad vitam necessariam esse pluribus ostendisset, tandem argumentum ab ascensione in cœlum oppositisse, ex qua vel tum animadvertere possent, quod non eo modo, quo ipsi putabant, carnem hic suam esset erogaturus.* Hoc scandalizat vos, *inquit Augustinus in persona Christi*, quia dixi: Nisi carnem meam manducaveritis, non habebitis vitam in vobis. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi prius erat? Quid hoc est? Hinc soluit, quod illos moverat. Hinc aperit, unde fuerant scandalizati. Illi enim (*Capernaïta*) putarunt, eum erogaturum corpus suum. Ille autem dixit, se ascensurum in cœlum, utique integrum: quum videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat priùs, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, eroget corpus suum, certè tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus. *Sensit ergo Augustinus, Christum corpus suum non erogare oraliter comedendum. Et quamvis ista loquatur de Capernaïtis, qui imaginabantur quandam lanienam, commolitionem & digestionem corporis Christi, nihil tamen vetat, quo minus etiam de iis dicantur, qui etiamnum hodie oralem ejusdem corporis esum somniant. Quemadmodum enim, juxta Augustinum, Capernaïtæ, audientes Christum in cœlos corpore suo ascensurum, inde debuerunt intelligere, corpus Christi non oraliter, sed spiritualiter ore cordis & animæ, hoc est, fide comedendum esse: sic idem quoque Pontificii & alii hodie discere ex ascensione Christi debebant. Idem Pater Tract. 50. in Ioannem*: Ascendit, *inquit*, ad cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris: Hoc audiant & teneant. Respondet aliquis: Tenebo absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti: Parentes tui tenuerunt carne: tu tene fide. *Item*: Qui Christum in cœlo jam sedentem manibus contingere non possumus, fide tamen contingere possumus. *Item Serm.* 140. Ideo enim Dominus noster absentavit se corpore ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum, ut fides ædificaretur. *Hic Augustinus aperiè Christum, propter corporalem suam in cœlo absentiam, non manibus & corpore, sed fide tantùm contingi & teneri posse dicit. Ignoravit igitur corporalem sub specicbus sacramentalibus præsentiam Christi, qua quotidie palpam manibus sacerdotum & fidelium ore, verum ejus corpus & sanguis contrectaretur & contingeretur.*

Patres tandem manducationem in Cœna institutā docuit, quam Christus communicat Ioan. 6. cap. chrysostomus.

ADHÆC, *etsi Concio illa Christi apud Ioannem 6. cap. de manducatione carnis suæ, ad sacramentalem Cœnæ ritum, & externa panis ac vini symbola propriè non pertineat: Patres tamen veteres omnes talem Carnis Christi veram manducationem in Cœna Sacramentali ritu institutam & traditam esse docent, qualis à Christo in sua illa Concione commendatur, nec aliter corpus & sanguinem Christi in Cœna ad manducandum & bibendum dari, quàm Christus de eo apud Ioannem discipulos docuerit. Sic enim* Chrysostomus *verba Cœnæ Domini, & veram carnis Christi manducationem interpretatur homil. 83. in Matth. & 60. ad populum Antiochenum*: Gratias: *inquit*, egit, ut nos instituerret, quomodo hoc mysterium facere debeamus. Accipite & comedite, ait, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum. Quomodo turbati non fuerunt, cùm hoc audissent Apostoli? Quia multa jam & magna de hoc ante disseruit, quapropter nec illud, quod jam crebrò perceperant, confirmavit: Hic est sanguis meus, *inquit*, qui effundetur in remissionem peccatorum: quod dicebat, ut osten-

oſtenderet, paſſionem & crucem eſſe hoc myſterium, & ut diſcipulos hinc conſolaretur. Et quemadmodum Moſes dicebat, Hoc vobis erit æternum memoriale, ſic & ipſe ait, In meam facite commemorationem, donec veniam. Hac de cauſa deſiderio deſideravi, hoc Paſcha vobiſcum comedere, quo vos ſpirituales faciam. Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: quid igitur ſanguinem bibimus? & ideo perturbarentur. NAM & quandò prius de his verba fecit, multi ſolummodo propter hæc verba ſcandalum paſſi ſunt. Ne igitur hoc tunc quoq; accideret, primus ipſe hoc fecit ut tranquillo animo ad myſteriorũ communicationem induceret. *Et paulò poſt*: Credamus itaque Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum videatur, quod dicit, & ſuperet ſenſum & rationem noſtram, quod in omnibus, & præcipuè in myſteriis faciamus: non illa tantùm, quæ ante nos iacent, & præ oculis poſita ſunt, aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes. Verbis enim ipſius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facilis eſt. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, Nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus & intueamur. Nihil enim ſenſibile traditum eſt nobis à Chriſto, ſed rebus ſenſibilibus, omnia quæ tradidit, inſenſibilia & intelligibilia ſunt. Sic & in Baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur, & quod in ea conficitur, regeneratio ſcilicet, & renovatio, intelligibile eſt. Nam ſi tu incorporalis eſſes, nudè ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam verò corpori conjuncta eſt anima, in rebus ſenſibilibus intelligibilia tibi traduntur. *Item*: Vnicuique fidelium per hoc myſterium ſeſe coniungit & agglutinat Chriſtus, & quos regenuit, per ſemetipſum nutrit. Nos miniſtrorum locum & ordinem tenemus, qui verò ea ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt. *Ex his verbis perſpicuè intelligimus, quæ non ſolùm Chryſoſtomi, ſed totius Eccleſiæ illo tempore hac de re conſtans ſententia fuerit: nempe, hoc myſtico & ſpirituali ſenſu parem à Chriſto in Cœna inſtitutione fractum & diſcipulis datum, corpus ipſius dici, quo ipſe Chriſtus jam antea Ioannis 6. cap. de manducatione carnis ſuæ diſcipulis concionatus fuerat. Et hanc ob cauſam, tum etiam quòd exemplo ejus eruditebantur, auditis illis verbis in prima Cœna, Hoc eſt corpus meum, &c. turbatos non fuiſſe diſcipulos, exiſtimantes ſe corpus eius edere & ſanguinem bibere, in externa videlicet Cœnæ manducatione: ſed myſteriorum in ea communicationem inſtitutam eſſe, quæ ſpiritualiter ſunt conſideranda, non ſimpliciter, ut res dicuntur, intelligenda. ſicut idem Pater ſignificanter homil. 46. in Ioannem monet.*

Eodem etiam modo D. Auguſtinus *verbâ Cœnæ ex Sermone Chriſti Ioann. 6. cap. deſcripto, intelligit & interpretatur.* Nam *ut ex teſtimoniis ejus ſuprà citatis ex 26. & 27. Tractat. in Ioannem, & ex Serm. 2. de verbis Apoſtoli, intelligimus*, in Sacramento Cœnæ figuram & veritatem agnoſcit, indeque duplicem manducationem docet, quarum illa viſibiliter; externè & in Sacramento: hæc verò ſpiritualiter, internè & in veritate fiat; & in Sacramento quidem, ſeu in externo & ceremoniali titu Corporis ſacramentum vel ſymbolum exhiberi: Veritatem autem carnis ſic manducandam dari, quemadmodum Chriſtus ipſe his verbis docuerit: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Panis quem ego dabo, Caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita: Chriſtum itaque manducari juxta illud: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo: Qui igitur in Chriſto non maneat, nec in quo maneat Chriſtus, ſpiritualiter & in veritate carnem ejus non manducare, nec ſanguinem bibere, licèt carnaliter, externè & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis ejus. *Id verò clariùs adhuc exponens, ſic inquit*: Nos hodie viſibilem cibum accipimus, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Et qui manducat de hoc pane, non morietur, ſed qui pertinet ad virtutem ſacramenti, non qui pertinet ad viſibile ſacramentum, qui manducat intus & in corde, non qui manducat foris; & premit dente. *Viſibilem igitur Sacramenti cibum, de externa actione & ceremoniali ritu Cœnæ, virtutem autem ſacramenti, ex verbis & concione Chriſti, de manducatione carnis ſuæ intelligi Auguſtinus voluit. Rurſus lib. 21. de Civit. Dei cap. 25.* Chriſtus, *inquit*, dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: oſtendit, quid ſit, non Sacramentotenus, ſed revera corpus Chriſti manducare, & ſanguinem bibere: hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat Chriſtus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneò, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. *Ex his omnibus non obſcurè intelligimus, juxta Auguſtinum veram manducationem corporis vel carnis Chriſti, cujus in ſacra Cœna Sacramentum inſtitutum eſt, non eſſe aliam, quàm de qua Chriſtus apud Ioannem concionatus eſt. Imò ipſe Auguſtinus hoc apertiſſimis verbis teſtatur. Nam in Tract.* Auguſtinus.

26. *in Ioan. sic scribit:* Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & QVID SIT MANDVCARE CORPVS EIVS & sanguinem bibere, dicendo: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo: &c. *Et ab initio Tractatus* 27. Expoſuit Chriſtus: *inquit*, modum attributionis hujus & doni ſui quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam, &c.

Origenes. Origenes *quoque homil.* 35. *in Matth. & homil.* 16. *in Numeros, ritum & verba Cœnæ Dominicæ, quatenus ad corporis & ſanguinis Chriſti communicationem referuntur, myſticè & ſpiritualiter interpretatur: ideoque ſanguinem Chriſti ita à nobis in ritu ſacramentorum bibi, & corpus manducari, ſicut Chriſtus de eo loquitur ſit, inquiens:* Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ſanguinem ipſius, non habetis vitam in vobis, &c.

Orthodoxus conſenſus. *Authores etiam Orthodoxi Conſenſus cap.* 1. *certo & irrefutabili argumentorum robore & perſpicuitate demonſtrarunt, non aliam, in myſtica Cœnæ benedictione, veri corporis & ſanguinis Chriſti communionem ab Epheſina Synodo doceri, quàm qualis eſt commendata à Chriſto ſua apud Ioannem 6. cap. Concione: eamque non eſſe realem ſeu corporalem, ſed ſpiritualem & vivificam, tantumque fidelium propriam, quibus hæc caro, ad manducationem vitæ, factus eſt panis vitæ de cœlo.*

Rationes ex Patrib. ſcriptis contra realem præſentiam corporis Chriſti in Cœna, ejuſque oralem manducationem Auguſtinus. *His accedunt etiam* RATIONES *ex Patribus deſumptæ, quibus firmiſſimè probari poteſt, eos nullam realem præſentiam corporis Chriſti, ejuſdemque oralem manducationem in Cœna aut credidiſſe, aut docuiſſe. Ex multis paucas addúcam.*

Auguſtinus, *In Sententiis Proſperi, de Conſecrat. diſt.* 2. *dicit*, Sic panis cœleſtis vocatur corpus Chriſti, ut Sacramentum Fidei, per quod Baptiſmus intelligitur, Fides eſt. *Baptiſmus autem vocatur Fides, non quòd aqua Baptiſmi ſit fides, aut ipſe fidei motus. Igitur nec illud, Hoc, vel Hic panis eſt corpus meum, de reali præſentia Chriſti in Cœna intelligitur ex Auguſtini ſententia. Idem, ut citatur à Gratiano* 1. *q.* 1. *c. Interrogo, dicit*, Non eſſe minus Dei verbum, quàm Chriſti corpus: Nec minus eſſe reum qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit. *Aut igitur Auguſtinus corporis appellatione non intellexit verum Chriſti corpus ſubſtantialiter in Cœna præſens: aut falſum dixit Auguſtinus, Non eſſe minus Dei verbum, quàm Chriſti corpus: Nec minus eſſe reum, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm is, qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit. Idem Pater Epiſtola* 23. *ad Bonifacium, verba Chriſti,* Hoc eſt corpus meum, confert cum hoc Pauli dicto, Conſepulti ſumus unà cum Chriſto per Baptiſmum in mortem, &c. *Et diſertè addit:* non ait, Sepulturam ſignificamus, ſed prorſus inquit, Conſepulti ſumus. *Sacramentum ergo tantæ rei, non niſi eaſdem rei vocabulo nuncupavit. Nemo autem hîc realitatem aliquam corporalem agnoſcit. Nec verba igitur Cœna ullam corporalem præſentiam docent.*

Veteres Patres dicunt ſæpè, corpus Domini in Cœna videri, tangi, dentibus comminui, & naturaliter commutatum corpora noſtra alere. *Mentionem etiam facimus* fragmentorum corporis Chriſti. *Sed hæc de vero Chriſti corpore, in gloriam cœleſtem aſſumpto, non poſſunt verè dici. Ergo appellatione corporis in ſacramento præſentis, non ipſum verum Chriſti corpus, abſolutè, & in ſua propria eſſentia conſideratum, intellexerunt veteres, ſed ſymbolum ejus, hoc eſt, panem benedictum, qui ſuo modo, ut inquit Auguſtinus, id eſt, ſacramento tenus Chriſti corpus appellatur.*

Hieronymus. Hieronymus *in epiſtola ad Epheſios inquit:* Dupliciter caro Chriſti & ſanguis intelligitur. Vel ſpiritualis illa atque divina, de qua ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: vel caro quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea. *His verbis diſtinguit carnem Chriſti, quæ in Cœna editur, ab ea quæ cruci affixa eſt. Ergo Hieronymus non credidit corpus Chriſti per ſe & abſolutè conſideratum in Cœna manducari, alioquin duo ſubſtantialia diſtincta corpora Chriſti ſtatuiſſet: ſed manducari relativè in ſubjecto altero, nimirum pane, ut ſacramento, ſigno & ſymbolo, in quo fidei intellectu ſpiritualiter & myſticè eſſe cenſetur.*

Heſychius. Heſychius *teſtatur, ſuo tempore morem fuiſſe in Eccleſia*, ut igni comburerentur, quæcunque in celebratione Cœnæ remanſerint. *Ergo vel tum non fuit creditum, Panem Cœnæ eſſe verum & naturale corpus Chriſti, vel horrendum flagitium, & quidem majus Iudæorum crucifixione, patrarunt Veteres, quando reliquias panis in Cœna combuſſerunt.*

Ambroſius. Ambroſius *de Officiis lib.* 4. *cap.* 8. Umbra, *inquit*, in Lege, imago in Eccleſia, veritas in cœleſtibus. *Rurſus:* Chriſtus offert ſe hîc (*in Cœna*) in imagine: ibi (*in cœlo*) in veritate, ubi apud Patrem quaſi advocatus pro nobis intercedit. *Quibus verbis Ambroſius præſentiam Chriſti in cœlo opponit ſacramentali, tanquam veritatem imagini. Non ergo tam verè præſens eſt Chriſtus ſua carne in Cœna, quàm verè & ſubſtantialiter ea præſens eſt in cœlo, iuxta Ambroſii ſententiam. Idem in Lucam:*

cam: Nos non corporaliter, sed per fidem tangimus Christum. *Quibus verbis aperiè negat corporalem Christi in Cœna & nostris corporibus præsentiam.*

Chrysostomus. Chrysostomus *rationem reddens, cur Apostoli mandato Domini de vescenda ipsius carne, & bibendo ejus sanguine, non fuerint offensi, sicut Capernaitæ, & horrore perculsi, sic inquit:* Quia multa jam & magna de hac re antea disseruit. *Hoc verò alio loco ab eo non factum fuisse legimus, quàm Ioannis 6. cap. loquitur autem ibi de spirituali tantùm manducatione & potu corporis & sanguinis sui. Certò igitur hinc colligimus, Chrysostomum, & cum eo orthodoxam omnem vetustatem, nullam aliam corporis Christi in Cœna manducationem, quàm spiritualem agnovisse.*

Idem Chrysostomus *homil. 11. in Matth.* Si ergo, *inquit:* hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus cõtinetur, quantò magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare Diabolo, agendi in eis quod vult. *Respondet Bellarminus*, Opus hoc Chrysostomi Homiliarum imperfectum, variis erroribus scatere. Sed contrà, ex particulari, non sequitur universale. *Deinde dicit*, sermonem non haberi isto loco de vasis Cœnæ Dominicæ, sed de vasis Templi Solomonici, quæ Balthassar profanavit & quæ non modò non corpus Domini, sed ne mysterium quidem ejus continebant. *Respondeo: Observetur intentio Chrysostomi qui, ut probet, grande peccatũ esse, permittere corpus Diabolo ut eo abutatur, duas rationes affert; primam, à vasis antiquæ legis quæ erant sacrata Deo: secundam, à nostris vasis Cœnæ Dominicæ, & argumentatur à minori ad majus, hoc modo: Balthassar transferens vasa Templi Deo sacrata, ad privatum, & profanum usum, graviter peccavit, & propterea à Deo punitus fuit, similiter periculosum est, ad privatos usus transferre vasa illa, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium duntaxat illius continetur, Multò magis periculosum est, & gravius peccatum, Diabolo prostituere nostra corpora, quæ sunt Templa & domicilium Spiritus sancti.*

Alii excipiunt: Rectè dici, vasa illa non continere verum corpus Domini, extra sumtionem, de qua Chrysostomus non loquitur. *Sed hæc frivola cavillatio facilè refellitur ex ipsius Chrysostomi verbis, qui vasis Cœnæ Dominicæ ita negat inesse verum corpus, ut tamen corporis hujus mysterium continere affirmet. Ergo loquitur de vasis respectu usus, vel sumptionis institutæ, consideratis: Id est, tribuit eis hoc, quod in usu instituto habent, extra quem nec Christi corpus, nec mysterium ejus propriè continere dicuntur.*

Cyrillus. Cyrillus *ad Calosyrium sic scribit:* Ne horreamus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens eam veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ, quasi quoddam germen vivificum, inveniretur in nobis. *Quibus verbis docet, carnem Christi in sacris altaribus non apponi, ut corporaliter comedatur, quia hoc esset horroris plenum.*

Clarè etiam & constanter docent omnes Patres in scriptis suis, Christum corporis præsentiam subduxisse nobis, corpore suo mundum reliquisse, eodemque non ampliùs nobiscum esse. Recessisse à nobis carne sua, secundùm carnem & corpus: Abesse à nobis secundùm quod homo est: secundùm humanam naturam dereliquisse terram: corpore præsentem non posse in terra inveniri: *& similibus phrasibus utuntur passim.* Augustinus, Abiit, *inquit*, per id quod Homo, & uno in loco erat: mansit per id quod Deus, & ubique erat. *Item*, Quia secundùm carnem ascendit in cœlum, non est hîc, & ibi non autem hîc sedet ad dexteram Majestatis. *Item*, Dominus sese corpore absentavit ob omni Ecclesia, & ascendit in cœlum, ut fides ædificetur. Cyrillus *disertis verbis testatur*, nullum ambigere Christum præsentia carnis abesse. *Et ne per præsentiam carnis, quisquam cavilletur significari carnalem modum præsentiæ, qui invisibili & ineffabili, reali tamen nescio cujus præsentiæ modo opponatur. Idem alibi*, Corpore, *inquit*, absens Christus, sedet & interpellat apud Patrem, qui Spiritu, *(id est, secundùm Deitatem & efficaciam)* in sanctis habitat. *Item*, Quum, *inquit*, Spiritum immitteret Apostolis, non potuit cum eis carne conversari, ut qui ad Patrem ascendisset. *Item:* Sanè post ascensionem quæsiverunt eum illi pro affectu, qui Petro prædicante, compuncti sunt corde, dicentes: Quid faciemus viri fratres? Non tamen corpore præsentem invenerunt, quamvis secundùm Divinitatis præsentiam, eis non defuit, secundùm quam nobiscum est usque ad consummationem seculi: *lib. 5. in cap. 8. Ioan. Secundùm Cyrillum igitur Christus in terra corporaliter non invenitur, multoque minùs ore percipitur.* Vigilius *Eutychiani dogmatis oppugnator, idemque fidelis Christi Martyr, qui claruit circa annos Domini* 480. Dei Filius, *inquit*, Humanitate sua recessit à nobis, qui secundùm Divinitatem dixit, Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. *Item*, Quando caro fuit in terris, non fuit in cœlis: & nunc quia in cœlo est, non est

utique in terra, cùm è cœlo ventura sperétur. Fulgentius, *qui floruit circa annos Domini* 500. Christus, *ait*, secundùm humanam substantiam abfuit cœlo cùm esset in terra, & dereliquit terram cùm ascenderet in cœlum. *Item*, Ascendit in cœlum, quia verus & localis homo, sicut adest fidelibus, quia immensus & verus est Deus. *Ex his quivis intelligit, Patres nequaquam sensisse aut docuisse: corpus Christi revera & essentialiter in Cœna adesse, & ore corporis verè percipi.*

Vasa, in quibus ab initio Cœna administrata fuit, lignea fuerunt & vitrea. De Exuperio Tolosano Episcopo Hieronymus refert, quòd corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem portarit in vitro. *Ergo non senserunt reale corpus Christi in Cœna adesse: alioquin pretiosissima vasa adhibuissent.*

Veteres etiam, ut supra dictum est, Eucharistiam mortuis præbuerunt, & in ora illis intulerunt. Non ergo crediderunt, naturale & reale corpus Christi esse, alioquin non quasi rem de mortuam & exanimem sepeliissent: id enim nefarium cujusdam blasphemiæ fuisset.

Infantibus quoque data fuit Eucharistia, quam facile evomere potuissent. Quod si credidissent antiquitas, substantialiter Christi corpus in Cœna esse, hoc utique non feciſſet.

Cyprianus scribit, cuidam dæmoniacæ etiam reluctanti infusum fuisse à sacerdote sacramentum calicis, ut etiam per vomitum redderet. Benedictus Monachus iussit Eucharistiam ingeri in os defunctæ Monialis. Ergo illis temporibus ignota fuit doctrina de reali conversione panis & vini in ipsum verum corpus & sanguinem Christi: quæ enim magis impia & intolerabilis potuisset esse profanatio sanguinis Christi?

In Arelatensi Synodo pœna decernitur ei, cujus negligentia mus sacrificium comederit. Non ergo senserunt panem realiter in corpus Christi transsubstantiari, & à muribus comedi posse.

Hesychius *in cap.* 8. *Levit. refert, suo tempore morem fuisse, ut igni traderentur & comburerentur fragmenta, quæ in celebratione Eucharistiæ inconsumpta remanserint. Non igitur crediderunt illa ætate consecrationem esse rem permanentem, & post illam verum ac naturale corpus Christi, quod ex Maria virgine assumpsit, in Cœna adesse: alioquin facinus non minus horrendum patrassent, quàm Iudæi, quoniam corpus Christi igne cremassent illi, quod hi cruci affixerunt.*

Patres ergo veteris Ecclesiæ & crediderunt, & docuerunt, nec panis substantiam in ipsum verum & naturale corpus Christi converti vel transmutari in Cœna, nec idem præsens esse cum pane, aut cum pane distribui, & ore corporis comedi: sed esse in cœlo, ibique quærendum & participandum ore fidei seu mentis regenitæ.

Patres docuerunt non ea corpus Christi ab infidelibus. Chrysostomus.

VNDE *illud quoque constanter docuerunt, non sumi corpus Christi, nec bibi ejus sanguinem in Cœna ab ullis infidelibus, qui ore animæ, hoc est, fide carent. Id verò non feciſſent Patres, si credidiſſent, panem verè mutari & converti in corpus Christi: aut sub, vel in pane idipsum conclusum teneri. Suprà enim audivimus* Chrysostomum *dicentem*, hanc mensam, *in qua scilicet vera & viva Christi caro participatur*, non esse graculorum, qui humi ad terrena tantùm symbola comedenda volitent, sed aquilarum, sursum sese ad Solis intuitum attollentium. *Quo sensu etiam* Cyprianus *in Serm. de Cœna ait*, Quamvis ab indignis se sumi sacramenta, vel contingi permittant, tamen Spiritus participes esse, quorum infidelitas & incredulitas tantæ sanctitudini contradicit, non posse.

Cyprianus.

Hæc verba apertissimè docent, Cyprianũ non sensisse, quod impii edant carnem Christi, nemo enim est particeps carnis Christi, nisi qui est particeps Spiritus Christi, (quia caro ejus à Spiritu ejusdem nequit divelli) Ideo qui Spiritum Christi habet, Christum ipsum habet *Rom.* 8. 1. *Cor.* 13. Sed fidelis tantùm est particeps Spiritus Christi, quia iuxta Cyprianum infidelis non est particeps Christi Spiritus, nullus igitur infidelis est particeps carnis Christi. Si obiiciatur, Infideles non esse participes carnis & Spiritus Christi ad salutem & regenerationem sed tamen ad condemnationem: Respondeo, Quicunque particeps est carnis & Spiritus Christi, in illo est & vivit Christus, & per Spiritum suum & gratiam regenerantem virtutem suam exercit: *Rom.* 8. *v.* 10. & 11. Idem Cyprianus eodem sermone, *inquit*, Esus carnis Christi est quædam aviditas & quoddam desiderium manendi in Christo: hac autem aviditate & desiderio impii carent: Ergo non edunt carnem Christi.

Hieronymus *In Hoseam*: Isti, *inquit*, hæretici multas immolant hostias, & comedunt carnes earum: unam Christi hostiam deserentes, nec comedentes ejus carnem cujus caro cibus est credentium. *Quod si, juxta Hieronymum, corpus Christi cibus fidelium est, non certè eo vescuntur infideles & impii, licèt externa sacramenta percipiant. Idem in cap.* 66. *Isaiæ*: Dum non sunt sancti corpore & Spiritu, nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem ejus, omnes voluptatis magis amatores, quàm amatores Dei, Christo ipso testante: Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam. *Contra hæc tamen clarissima verba Iesuitæ negant Hieronymum excludere à manducatione carnis Christi malos & infide-*

Hieronymus.

infideles, sed saltem à vita æterna: ut comedant quidem illi corpus Christi, sed non ad vitam æternam. Cùm autem omnibus corpus suum edentibus, & sanguinem bibentibus, Christus vitam æternam promittat, Hieronymus ex necessario consequenti negat malos ac improbos homines corporis & sanguinis Christi participes fieri posse, quoniam vitam æternam non consequantur. Neque sibi contrarius est Hieronymus eo quòd dicit in cap. 1. Malach. Pollui panem, id est, corpus Christi, quum indignè accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus, mensa Domini despecta est. *Nam panem, qui sacramentum corporis Christi est, & quo repræsentatur corpus Domini, ut idem scribit in ca. 26. Matth. sumptum ab indignis pollui dicit Hieronymus, ut sacramenta quidem illi percipiant ad damnationem & pœnam, eò quòd ipsa violantes. Dominum, cujus sunt sacramenta, violent quidem, neque tamen corpori & sanguini ejus communicent. Vnde eodem loco scribit*, Dominum ipsum à malis tractari, quum ejus contaminent sacramenta.

Ambros. sius. Ambrosius *de Benedictionibus Patriarcharum ca. 9.* Hic panis, *inquit*, factus est esca sanctorum. *Item:* Qui accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est.

Augustinus. *Hoc clariùs etiam* Augustinus *testatur, quum dicit*, Eos qui in Christo non manent, & in quibus Christus non manet, spiritualiter & in veritate carnem ipsius non manducare, nec sanguinem ejus bibere, sed visibiliter & carnaliter sacramentum corporis & sanguinis tantum ore & dentibus premere. *Idem Tract. 26. in Ioan. explicans illa verba Apostoli 1. Cor. 10.* Nolo vos ignorare fratres, quòd Patres nostri omnes sub nube erant, &c. Patres nostri, *inquit*, omnes sub nube fuerunt, & omnes in mare transierunt, & omnes per Mosem baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, spiritualem quidem eandem, nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud: spiritualem quidem eandem quam nos. Sed Patres nostri, non Patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. *Et alibi adhuc clariùs*: Quicunque, *ait*, in Manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritualem manducaverunt. Quicunq; autem de Manna solam saturitatem quæsiverunt, Patres infidelium manducaverunt, & mortui sunt. Sic etiam eundem potum, Petra enim Christus. Eundem ergo potum, quem nos, sed spiritualem: id est, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. *Fidem ergo requirit Augustinus, qua sola Christus ad salutem apprehenditur, ut qui illa caret, sacramenta solùm percipiat, id est, cibum corporalem, & eum quidem in suum ipsius exitium. Sic enim alibi*: Manducavit, *inquit*, Manna & Moses, manducavit Manna & Aaron, manducavit Manna Phinees, manducaverunt ibi & multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum. Sed aliud est Sacramentum, quàm multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. *His verbis, Augustinus manifestè discernit inter Sacramentum, & ipsam virtutem Sacramenti, ne quis existimet, ab omnibus iis percipi carnem Christi, quicunque percipiunt sacramentum. Exhibet enim Dominus cum Sacramento etiam rem sacramenti & nihil externa symbola sensibus externis repræsentant, quod non animæ Deus pascendæ offerat: sed impii incredulitas facit, ut rem oblatam non percipiat. Et de Baptismo libro quinto, capite octavo.* Sicut Iudas, *inquit*, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in Diabolo permisit, sic indignè quisque Dominicum sumens Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini, nihilominus etiam erat illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. *Quibus verbis nihil aliud docere vult Augustinus, quàm quod Sacramentum, ut à Domino ad confirmandam salutem omnium sumentium institutum est, semper sit bonum & quo verè Christus corpus suum edendum & sanguinem bibendum cunctis exhibeat, sed indignitas sumentium efficit, quod etiam Iudæ accidit, ut non Christo, sed Diabolo locum in se dent, ideoque Christi corpore non communicantes, ab æterna vita excidant. Et propterea quòd alio loco scribit Augustinus*, Iudam proditorem, bonum Christi corpus percepisse, sed quia bono benè usus non sit, deletum esse: *non ita intelligendum est, quasi revera carnis Christi Iudam participem factum fuisse innuat, sed quatenus Sacramentum, sive externum symbolum corporis Christi accipit nomen, & indifferenter à bonis & malis editur, qui Sacramentenus, videlicet ut alibi docet Augustinus, non revera corpus Christi percipiunt. Sed quia Augustinus suiipsius fidelissimus interpres est, adscribam quid in hanc sententiam alio loco doceat. De verbis Domini*, Illud, *inquit*, etiam quod ait, qui manducat carnem meam &

bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus ait Apostolus, Qui iudicium sibi manducant & bibunt? Nunquid & Iudas Magistri venditor & traditor impius, quamvis primum ipsum manibus suis confectum Sacramentum carnis & sanguinis ejus, cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Evangelista declarat, comederet & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt vel cùm manducaverunt, apostatæ sunt. Nunquid manent isti in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi carnem illam, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit & biberit, in Christo manet & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quis manducaverit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quodam modo, quemadmodum utique ipse videbat, quando ista dicebat. *His verbis duplicem manducationem carnis Christi Augustinus statuit: unam, fidelibus & infidelibus communem, Sacramentalem videlicet, juxta quam infideles quoque carnem Christi edere & ejusdem sanguinem bibere dicuntur: quod cum Iuda proditore non verum corpus Christi percipiunt, sed tantùm Sacramentum ejus, quod suo modo, id est, impropriè & figuratè loquendi ratione Christi corpus dicitur. Alteram verò fidelibus solis propriam, qua non Sacramentotenus, sed verè, spiritualiter per fidem carnem & sanguinem Christi percipiunt, ut verè participes Christi facti, & in illo maneant, & illum in se manentem habeant.*

Inde rursus Augustinus lib. 21. c. 25. de Civit. Dei inquit: Sacramentum corporis & sanguinis Christi accipere & malus potest: corpus autem Christi revera manducare dicendus non est, qui non est in corpore Christi. *Item:* Ipse dicens, *inquit*, qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, ostendit quid sit non sacramentotenus, sed revera corpus Christi manducare, & ejus sanguinem bibere. Hoc est enim in Christo manere, ut & in illo maneat Christus, sic enim hoc dixit, tanquam diceret. Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra ejus: non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis. *His verbis clarissimè Augustinus docet, neminem corporis & sanguinis Christi participem esse, qui non sit membrum ejus, quamvis ille visibile Sacramentum ore percipiat. Et paulò ante:* Qui, *inquit*, est in ejus corporis unitate, id est, Christianorum membrorum compage, cujus corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt: Ipse verò dicendus est, manducare corpus Christi & bibere sanguinem ejus: Ac per hoc hæretici & schismatici ab hujus unitate corporis separati, possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, imò etiam noxium. *Hic non dicit Augustinus, quòd corpus Christi realiter percipiatur ab impiis in exitium, seu damnationem, sed tantùm corporis sacramentum. Idem in Sententiis Prosperi:* Qui, *inquit*, discordat à Christo, nec corpus ejus manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat. *His verbis Augustinus apertè confutat eorum errorem, qui existimabant impios quoque & scelerate viventes, modò sacramenta corporis & sanguinis Christi percipiant, ipsum revera corpus Christi edere, eo quòd unus panis, & unum corpus sint. Sed clara sunt verba. Non Sacramentotenus, sed revera corpu Christi manducare, & sanguinem bibere, est in Christo manere, ut in eo maneat & Christus.*

In Tract. 53. in Ioannem, inquit: Corporis ejus sacramentum multi accipiunt: sed non omnes qui accipiunt sacramentum, habituri sunt apud eum locum promissum membris ejus. *Hinc Iudas dicitur ab eodem,* panem Dominí comedisse, non autem panem Dominũ, *id est, ipsum corpus Domini, Tractatu quinquagesimo nono in Ioannem. Hac brevi Sententia, incredulos à participatione corporis Christi penitus excludit.*

Meminit quidem Augustinus, sicut etiam alii Patres, impiorum manducationis, & ab incredulis quoque corpus Christi manducari perhibet: non autem aliam, quàm visibilem sumptionem visibilis Sacramenti eis concedit, sic ut diserte, quod illi sumunt, ad signum externum tantùm, non etiam ad res significatas, hoc est, corpus & sanguinem Domini restringat, per Metonymiam sacramentalem, qua corporis Christi sacramentum, hoc est, signum externum nomen ipsius rei accipit, & pro visibili elemento usurpatur. Qua ratione etiam corpus Christi à Veteribus in terram cadere, à muribus arrodi, & in cineres converti dicitur, quod tamen non corpori Christi, sed externis tantùm symbolis competit. Nam dum Sacramentum pro una tantùm externa & visibili parte Augustinus usurpat, propter similitudinẽ quandam, quam cum re ipsa signata habet, nomen illius accipere tradit, ut nimirum corpus Christi dicatur, quòd Sacramentum sit

Patres quos sensu manducationis impiorum mentionem faciant.

sit corporis & sanguinis, & fides, quòd sit sacramentum fidei.

Non ergo senserunt Patres, omnes sine discrimine sacramentis utentes carnis & sanguinis Christi participes fieri, nisi quòd infideles ore tantùm in exitium suum, fideles autem spiritualiter & ad salutem percipiant. Nam quia docuerunt, sola vera & syncera fide salutarem hunc cibum apprehendi, & quidem nunquam ad exitium, sed semper ad vitam æternam, alienissimi profectò ab ea sententia fuerunt, qua carnaliter & ore corporeo carnem etiam Christi, aut ad damnationem manducari confidenter hodie asseverarat.

Alia ratio Patrum contra indignorum mãducationem veri corporis Christi Augustini.

Habent denique Patres orthodoxi aliam quoque rationem, qua probant infideles, sive indignos, non fieri revera corporis & sanguinis Christi in Cœna participes: nempe, quòd caro Christi omnibus ea vescentibus sit vivifica salutaris. Est enim *inquit, ipse Christus*, caro mea verè cibus, & sanguis meus verè potus. *Vnde* Augustinus *etiam:* Qui indignè, *inquit*, accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum: qui autem manducat & bibit Christum, vitam manducat & bibit: illud manducare, est refici: illud bibere, est vivere. *Idem Tract. 26. in Ioan. & contra Cresconium cap. 25.* Sacramentum, *ait*, de manu Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit. *Et alibi:* Quum Christus manducatur, vita manducatur. *His omnibus nihil evidentius potest dici tum adversùs oralem corporis Christi manducationem, tum etiam adversus vivæ substantiæ corporis Christi ab infidelibus sumptionem. Apertissimè enim docet, non posse quenquam condemnari & vita æterna privari, quicunque corporis Christi particeps factus fuerit: ut qui Sacramentum ad exitium percipiunt, externi quidem & visibilis elementi participes fieri posse, rei autem ipsius, quæ Sacramento repræsentatur, carnis nimirum Christi, participes fieri non posse clarissimè ostendit. Neque, secundùm Tertullianæ, pro* Re sacramenti *non ipsum corpus Christi, sed fructum & finem Augustinus usurpat, ut nimirum impios etiam carnis Christi participes fieri evincant, licèt fructum, qui ex corpore Christi provenit, non consequantur. Nam præterquam quòd impium est Christum à Spiritu suo, aut vitam & salutem à Spiritu ejus divellere, Augustinus ipse explicat quid per* Rem sacramenti *intelligat, ut nullum dubitandi locum relinquat. Docet enim alio loco*, sacrificium Christianorum constare ex visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne & sanguine, ex sacramento & Re sacramenti, *ut per Rem sacramenti, non fructum aut finem, sed ipsam Christi carnem & sanguinem intelligat.*

Origenes *in Matth. capite decimoquinto, idem prorsus quod Augustinus docet, & quèmadmodum carnem Christi omnibus qui illam manducant vivificam esse affirmat, sic omnes impios ab ejusdem manducatione excludit.* Multa, *inquit*, & de ipso verbo dici possent; quod factum est caro, verusque cibus: quem qui comederit, omninò vivet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, ut qui adhuc malus perseverat, edat verbum factum carnem, cùm sit verbum & panis vivus, nequaquam scriptum fuisset: Qui ederit panem hunc, vivet in æternum. *Iesuitæ contendunt, Origenem de sola spirituali & vivifica manducatione verba fecisse, quæ solis fidelibus ut est propria, sic iisdem tantùm salutem confert: de manducatione autem illa, quæ in Sacramento est, omninò nihil dixisse, ut nihilominus manducari ab impiis corpus Christi obtineant, sed ita ut nullum inde fructum percipiant. Hoc libenter illis damus, & impios in Sacramento corpus Christi edere concedimus, sed juxta illum dicendi modum, quo externum & visibile elementum rei ipsius significatæ nomine appellatur, non autem quòd revera corporis Christi mali participes fiant. Cùm enim caro Christi, ipso Christo teste, nunquam edatur, nisi ad vitam æternam, impii certè à vera ejus participatione excluduntur, ut qui vita æterna hæredes non sunt. Hanc fuisse Origenis mentem atque sententiam ex ejus Homilia quinta in diversos Novi Testamenti manifestè deprehenditur, dicit enim,* Dominum, dum sanctum illud & incorruptum accipitur epulum, etiam sub tecto hominis indigni ingredi, sed non alio modo, nisi quòd externis & visibilibus signis, quæ Sacramentali modo & figurata dicendi ratione ipso corporis Christi nomine censentur. *Origenes.*

Cyrillus *libro quarto capite 16. in Ioha. inquit:* Mannæ elementum non æternam vitam, sed breve famis remedium afferebat. Non ergo erat cibus verus, hoc est, panis de cœlo: sanctum verò Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus est. *Cyrillus.*

Ambrosius *libro quarto cap. 15. de Sacramentis:* Manna qui manducavit, mortuus est, qui autem manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio, & non morietur in æternum. *Hic Manna, & Caro Christi sic opponuntur, quòd Manna non omnibus cibus animæ fuerit vivificus, isti nimirum, qui illud carnaliter acceperunt, & sine fide comederunt. Spiritualiter vero accipientibus, & fide manducantibus, verè spiritualis anima cibus fuit, Paulo teste 1. Corinth.* *Ambrosius.*

Corinth. 10. *Caro autem Christi ab omnibus ad vitam, à nullis ad damnationem accipitur, quicunque ejus revera participes fuerint. Hoc autem falsissimum esset, si caro Christi posset non tantùm sine ullo vivificationis effectu, sed etiam ad æternam mortem sumi. Rursus Cyrillus*: Filius carnem vivificantem effecit, propterea participantes hæc caro vivificat. *Item*: Si quis carnem & sanguinem Domini accipit, cum ipso necesse est conjungi, ut ipse in Christo, & Christus in eo inveniatur. *Item*: per Communionem mysticam unum nos corpus secum effecit. *Item*: Quoniam Salvatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, vivifica effecta est, quando eam comedimus.

Hilarius. Hilarius: Hæc sumpta & hausta faciunt, ut sit Christus in nobis, & nos in Christo. *Quòd si Christus adest in Sacramento præsentia sanctificationis, inhabitationis vel efficaciæ: Impiis verò hic salutaris gradus præsentiæ adimitur, quibus tantùm ad judicium adest, sequitur nullam aliam præsentiam eis concedi, quàm universalem illam, qua omnes impii judicantur & damnantur.*

Hieronymus. Hieronymus: ô esca sacratissima: quoniam verè comedens, Deus efficitur: juxta illud, Ego dixi, vos Dii estis, & filii Excelsi omnes: Liberatur à malis, impletur bonis, & immortalis indubitanter efficitur. Qui verò te comedit, & in fortitudine tua ambulabit usque ad montem Dei Horeb.

Cyprianus. Cyprianus *Serm. 6. de Oratione Dominica*: Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium & credentium Pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de hoc pane, vivet in æternum. Panem autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum est, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Quòd si caro Christi revera ab impiis quoque perciperetur in Cœna Dominica, etiam communis esset illis vivificatio: sed hoc non est: Ergo nec illud.*

Cur impiis corpus Christi non discernere dicantur. *Cur verò corpus Christi non discernere, & ideò judicium sibi manducare dicantur, qui indignè huic Sacramento communicant, etsi corpus Christi revera non edant, rationem reddit* Augusti. *li. 21. c. 25. de Civit. Dei: nempe*, quia Sacramentum quidem foris habent, sed rem ipsam non tenent intus, cujus est Sacramentum. *Habentur igitur rei corporis Christi, non ideo quòd verum ipsius corpus indignè sumant: (neque enim sic loquitur Paulus, qui panis tantum & calicis in hac comminatione meminit:) sed potiùs quia corpus Christi spernant, nec sese ad illud fide participandum præparent, externis tantùm symbolis contenti: & ita institutione & participatione tanti Sacramenti abutuntur. Hinc* Hieronymus *in Malachiam*, Dum Sacramenta, *inquit*, violantur, ipse cujus sunt violatur. *Quod clarius etiam* Chrysostomus *explicat Homil. 24. in 1. Corinth. 11. cap. his verbis.* Nam ut præsentia ejus qui magna hæc nobis & arcana dona offert, nisi accipiatur magis damnat: ita & mysteria majoris punitionis præbent viatica his, qui indignè communicant, quia corpus Domini non diiudicant: hoc est, non considerant magnitudinem eorum quæ sunt proposita, nec muneris magnitudinem apud se reputant. Quòd igitur non omnes lucrum inde consequuntur, id certè non illius causa, qui maximè hoc optat, accidit, sed eorum culpa qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc ministerium sese conjungit, & quos ipse regeneravit, non aliis nutriendos tradit, sed ipse studiosissimè eos alit. *Quibus verbis manifestè duo hæc confirmat: nempe, fidelium duntaxat propriam esse veram veri corporis Christi manducationem, & nequaquam cum infidelibus communem. Deinde non ipsius corporis sumptionem, seu manducationem, sed illius potiùs contemptum & rejectionem, impios & hypocritas reos corporis & sanguinis Christi facere.*

CAPVT IV.

Liturgia primitivæ Ecclesiæ.

Dionysius. IN Liturgia Dionysii, *quem multi Areopagitam & Pauli discipulum faciunt, quum ad inferiorem ætatem referendus sit, qui hanc scripsit*, incensum in altari adoletur, deinde omnes Psalmorum melos concinunt: tum fiunt precationes & lectiones

Scripturæ:

Scripturæ : deinde egredi jubentur catechumeni, energumeni & pœnitentes ; postea panis & vinum imponitur altari & sacra precatio perficitur : Sacerdos, peracta oratione sanctissima, Pacem omnibus nuntiat : & ad medium altaris assistens, mysteria vel Sacramenta præparata reverenter ostendit : utque omnes communicent hortatur : tradita deinde & ab omnibus sumpta Eucharistia, gratiis actis finem mysteriis imponit. *Paulò post indicat, hoc Sacramentum omnibus sub utraque specie exhiberi. Sic enim scribit :* Sanè opertum panem & individuum aperit, in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, unitatem signanter multiplicat, atque distribuit, inque his consummat cœleste mysterium.

Alexandrina Ecclesia. *In Alexandrina Ecclesia consuetudo fuit, ut communicaturi de Cœna Domini, ad gratiarum actionem à Sacerdote dictam, responderent* Amen : mensæ assisterent, & manus ad suscipiendum sanctum cibum extenderent, eumque acciperent : *ut Dionysius Alexandrinus in epistola ad Sixtum Rom. Episcopum apud Eusebium l. 7. c. 9 testatur.*

Augustinus. Augustinus *Epistola 59. ad Paulinum, in qua totam ferè sui temporis Liturgiam describit, in celebratione Sacramentorum dicit, fieri precationes, ante benedictionem ejus quod est in mensa Domini : deinde fieri orationes quum illud benedicitur, sanctificatur & ad distribuendum comminuitur. Interpellationes autem fieri, quum ante Communionem populo benedicitur: & post Communionem dicit omnia in gratiarum actionem desinere. Verba ejus hæc sunt,* Precationes, *ait*, accipimus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici : Orationes, quum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur quam totam petitionem fere omnis Ecclesia oratione Dominica concludit : ad quem intellectum verbi Græci origo, προσδέχῃς nempe nos adjuvat. Sic enim propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est προσδέχεσθαι. Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur votum illud maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis sui, cujus rei Sacramentum est, quòd unus panis unum corpus multi sumus. Interpellationes autem sive postulationes fiunt quum populus benedicitur. Tunc enim Antistites, velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati : quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.

Chrysostomus. Chrysostomus *homil. 18. in 2. ad Corinthios indicat, suo tempore primò factas fuisse preces, à Sacerdote & populo communiter. Deinde excusiz illa, qui non potuerint sacris mysteriis interesse, aliam orationem factam esse. Tertiò, pacem communicaturis imprecatam, verba ejus hæc sunt :* Est, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos : Sed nunc non sic, verùm omnibus unum corpus proponitur & poculum unum. Quin & in precibus, viderit quis populum multum simul offerre, cùm pro energumenis, tum pro pœnitentibus : communes enim preces à Sacerdote & ab illis fiunt, & omnes unam dicunt orationem, orationem misericordia plenam. Iterum ubi excluserimus à Sacerdotalibus ambitibus eos, qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia facienda est oratio, & omnes similiter super terram jacemus, & omnes similiter surgimus. Quando iterum pax communicanda, omnes similiter salutamus. In iisdem iterum horrendissimis mysteriis bene precatur Sacerdos populo, & bene precatur populus Sacerdoti. Nam cum Spiritu tuo, nihil aliud est, quàm hoc : Ea quæ sunt Eucharistiæ, id est, gratiarum actionis, communia sunt omnia : neque enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus : priùs enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, ut dignè & justè hoc fiat, Eucharistiam incipit. Et quid miraris, si cum Sacerdote populus loquitur ? Ubi sanè & cum illis Cherubin & supernis potestatibus, communiter sanctos illos hymnos personant. *Ex quibus intelligimus, in primitiva Ecclesia factas fuisse preces antequam illud, quod in mensa Dominica fuerat appositum, benediceretur. Deinde in ipsa benedictione & consecratione panis & vini adhibitas alias preces. Tertiò, communicaturis datam pacem seu benedictionem. Quartò, secutam fuisse Communionem omnium eorum qui simul aderant: & tandem actionem totam gratiarum actione concluſam fuisse.*

Materia precum ante benedictionem. *Quod autem fuerit argumentum istarum precum, quæ post lectionem & interpretationem Scripturæ ante consecrationem fiebant, Chrysostomus luculenter docet homil. 1. in c. 2. Timoth. prima, & dicit,* in obsequio quotidiano oblationis Sacramentorum, fieri ab Ecclesia obsecrationes & gratiarum actiones : non pro fidelibus solùm, sed pro infidelibus etiam, pro Regibus, & omnibus qui in

sublimitate positi sunt, ut illorum præsidio defensi, tranquillam vitam agamus in pietate & castitate, ipsosque facit ad agnitionem veritatis venire. *Item*: Referimus, *inquit*, Deo gratias, pro felicibus omnium successibus, quòd Solem suum oriri faciat, & pluat super justos & injustos. *Et*, præcipuè agimus gratias pro his qui nobis junguntur, & pro beneficiis Dei, quæ nobis & illis contingunt, sive clam sive manifestè proveniant, sive læta sint, sive tristia. *Homil. 26. in Matt.* Altari, *inquit*, Sacerdos assistens, jubet nos Deo offerre gratias, pro universo terrarum orbe, pro absentibus atque præsentibus, pro iis qui ante nos fuerunt, & qui postea futuri sunt. *Homil. 18. in 2. ad Corinthios.* In precibus, *ait*, viderit quis populum simul cum sacerdote offerre, pro energumenis & pœnitentibus. *Sic etiam Tertullianus in Apologetico*, Oramus, *inquit*, pro Imperatoribus, pro ministris eorum, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis, &c. *Et Ambrosius libro 4. de Sacram. capite quarto*, Per reliqua, *ait*, omnia, quæ in superioribus ante consecrationem dicuntur, laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. *Hæc fuit materia precum illarum quæ in primitiva Ecclesia ante benedictionem Eucharistiæ dicebantur.*

Materia precum post benedictionem.

Quæ autem fuerit earum argumentum & quæ materia in ipsa benedictione, Dionysius his verbis indicat: Sacerdos, *inquit*, stans ad altare: celebrat divinas operationes Iesu, pro salute generis humani, quas beneplacito Patris in Spiritu Sancto, juxta Scripturas perfecit. Deinde procedit ad symbolicam administrationem: ubi priùs per apologiam excusans se, quòd ausit sacram illam administrationem aggredi, exclamat: Tu dixisti, Hoc facite in mei commemorationem. Postea petit, ut idoneus fiat ad sacram hanc administrationem, qua Christum Deum imitari debet, perficiendam, utque sanctè possit distribuere: & ut illi, qui participaturi sint, ut sanctos decet, participent. *Cyrillus dicit, hîc fieri* annunciationem incarnationis, mortis, resurrectionis & ascensionis Christi, *cujus pulcherrimam formulam paulò pòst in Liturgia Basilii recensebimus. Et qualis ibi gratiarum actio de mysterio redemptionis celebrata fuerit, Chrysostomus homil. 16. in Matthæum indicat.*

Recitata sunt verba institutionis.

Inprimis autem recitata sunt verba institutionis Cœnæ Dominicæ, ut Ambrosius libro quarto de Sacramentis testatur, cap. 4. Cùm enim dixisset ibi, panem esse corpus Christi consecratione: *mox quærit*, quibus verbis & cujus sermone benedictio illa fiat? *Et respondet*, verbis & sermone Domini. *Et addit, differentiam esse, inter reliqua, quæ in illa actione dicuntur, quæ vel sint precationes, vel Eucharistiæ: illa verò dicit, non pertinere ad consecrationem, seu benedictionem Eucharistiæ. Sed quando jam consecrandum & conficiendum Sacramentum est, tunc dicit, sacerdotem jam non suis amplius, sed Christi verbis uti. Quæ verò illa Christi verba sint, capite quinto indicat, recitans verba institutionis. Irenæus quoque dicit*, Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Domini. *Et quòd verbum institutionis intelligat, explicat cum dicit*, panem terrenum accipere vocationem Dei, *nimirum, quando de pane Christus pronuntiat: Hoc est corpus meum. Ita Ambrosius etiam de his, qui initiantur mysteriis cap. 9. dicit*: Sacramentum illud non hominis benedictione, sed sermone Christi confici. *Et Chrysostomus homil. de Proditione Iudæ docet*, Non hominem esse, qui nobis res in mensa Dominica propositas sanctificet, ut sint corpus & sanguis Domini: sed eundem Christum, qui primam suam Cœnam sanctificavit, etiam nunc nostram Cœnam Dominicam sanctificare. Licet enim verba per os Sacerdotis proferantur, Sacramenta tamen, gratia & virtute Dei Sanctificari. Christi enim, non Sacerdotis verbum est: Hoc est corpus meum. Et per illud proposita sanctificantur. *De Consecratione dist. 2. capite 72. Augustinus dicit*: Reliqua omnia: quæ Sacerdos dicit, aut Clerus chori canit, nihil aliud sunt quàm laudes & gratiarum actiones, aut certè obsecrationes & fidelium petitiones. Sacerdos verò consecraturus assumit verba Evangelistarum. *Et hanc orationem in benedictione Eucharistici panis & vini, omnem Ecclesiam concludere oratione Dominica, Augustinus testatur epistola 59. ad Paulinum.*

His precibus finitis, & consecratione peracta, dataque pace, facta est distributio non unius tantum, sed utriusque speciei, videlicet panis & vini, quæ sumebantur ab omnibus præsentibus. His omnibus peractis, actio tota gratiarum actione finiebatur.

Ex Liturgiis Basilii & Chrysostomi: itemque Iacobi & Clementis.

Liturgiæ quæ hodie exstant non sunt Clementis, Basilii & Chrysostomi in omnibus.

CIrcumferuntur hodie *Iacobi Apostoli, Clementis Romani Episcopi, Basilii & Chrysostomi nomine Liturgiæ seu formulæ celebrandi publicè Cœnam: sed eas integras adscribere non placuit, tum quòd nimium sint prolixæ, tum etiam quòd probari minimè possit, eas ab illis authoribus eo modo, sicut nunc habentur, compositas esse: nec absque gravibus causis multi eas pro suppositiis habent. Nam* primò, *nullus ex Veteribus*

Veteribus demonſtrari poteſt, qui harum Liturgiarum teſtimonio unquam uſus ſit, vel earum aliquam ſaltem mentionem fecerit. Cùm ea, quæ Gregorius Nazianzenus de Baſilio prolixè narrat, quæque in vita Chryſoſtomi extant, leguntur, nihil tamen de eorum Liturgiis reperitur. Quis autem credat eos, qui vitas eorum diligentiſſimè deſcripſerunt, & facta illorum longè minoris momenti literis conſignarunt, hoc tam præclarum illorum factum ſilentio præteriiſſe?

Secundò, *ita ſe habent Liturgiæ illæ, ut non immeritò pro falſis & ſuppoſititiis habeantur. Iacobi Liturgia ſeparatam habet precationem pro iis, qui in Monaſteriis degunt, quum tamen nulla omnino eſſent Iacobi ætate extructa atque exædificata Monaſteria. Libri de Conſtitutionibus Apoſtolorum, in quibus Liturgia Clementis habetur, quique Clementi Epiſcopo Romano adſcribuntur, cum illorum temporum conditione minimè congruunt. Et ut in Baſilii Liturgia, vetus tranſlatio cum Græco exemplari, & nova verſione non convenit: ac ea qua Syri, titulo Baſilii utuntur, nec cum veteri, nec cum nova verſione conſentit: ita in Chryſoſtomi quoque magna exemplarium eſt diverſitas: Et apertè Pelargus fatetur, ſuum exemplar nec cum Tuſci, nec cum Eraſmi in omnibus convenire: & addit, ſe Romæ in Rota aliud vidiſſe, quod ab omnibus variet. Porrò in utraque Liturgia, Baſilii & Chryſoſtomi nomen legitur in commemoratione Sanctorum. In Chryſoſtomi Liturgia pro Nicolao Papa oratur, his verbis:* Nicolai ſanctiſſimi, & univerſalis Papæ, longa ſint tempora. *Nicolaus verò Papa primus hujus nominis, ſecundus fuit à Ioanna Papa fœmina, anno Chriſti 857. quingentis ferè poſt annis, quàm Chryſoſtomus è vita exceſſiſſet. In eadem quoque Liturgia pro imperio & victoria Alexii Imperatoris vota fiunt. Primus autem hujus nominis Imperator fuit anno Domini 1080. annis poſt Chryſoſtomi mortem ſeptingentis. Quis verò credat, Chryſoſtomum nominatim pro illis hominibus oraſſe, priuſquam naſcerentur? Præterea Liturgia, ſeu Miſſæ forma quæ Chryſoſtomo tribuitur, confuſio potius variarum rerum videtur, quàm apta & concinna rituum circa Cœnam deſcriptio: Et à recentiore titulus inſcriptus eſt, quia Miſſæ nomen Chryſoſtomus ignoravit. Nimis etiam craſſa tautologia invocationis Mariæ inſeritur. Denique Carolus Calvus Imp. in epiſtola quadam ad Rævennatem Eccleſiam, formulæ ejus Miſſæ mentionem faciens, quæ in Conſtantinopolitana Eccleſia uſurpata ſit, eam Baſilii, non Chryſoſtomi fuiſſe apertè dicit. Ex quibus intelligimus, multa in his Liturgiis eſſe variata, transformata & aſſuta, proindeque non genuina, ſincera & certa omnia.*

Nihilominus quia habent aliquid ex veteri conſuetudine & more, nonnulla ex iis adſcribam, ut vel inde quoque intelligatur, ne has quidem Liturgias pro ſtabiliendo Tranſſubſtantiationis dogmate, aliiſque erroribus, qui hodie in Pontificia Miſſa uſurpantur, aliquid facere.

POSTQVAM *Catechumeni dimiſſi ſunt, & ad actionem myſteriorum accedit, poſt alia ſic orat Sacerdos:* Domine, Deus omnipotens, ſolus ſanctus, qui ſuſcipis ſacrificium laudis, ab invocantibus te toto corde: Suſcipe etiam noſtras peccatorum preces, & offer ſancto altari tuo, & idoneos nos faciás, ad offerendum tibi munera, ac ſacrificia Spiritualia, pro peccatis noſtris, & populi ignorantiis, & dignos nos facias invenire gratiam in conſpectu tuo, ut fiat acceptum ſacrificium noſtrum, & inhabitet Spiritus gratiæ tuæ optimus, & ſuper appoſita munera iſta, & ſuper omnem populum tuum.

In Liturgia Baſilii ſic orat Sacerdos: Suſcipe nos, ad ſanctum tuum altare accedentes, ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ, ut ſimus digni tibi offerre hoc rationale & incruentum ſacrificium, pro noſtris peccatis & populi ignorantiis. Quo ſuſcepto in ſancto & intellectuali altari tuo, in odorem ſuavitatis, viciſſim nobis remitte gratiam Sancti Spiritus tui. Reſpice ad nos Deus, & reſpice hunc cultum noſtrum, & eum ſuſcipe, ſicut dona Abel ſuſcepiſti ex ſanctis Apoſtolis verum hunc cultum.

Poſt completum ſanctum ſymbolum, dicit Sacerdos cum voce: Stemus honeſtè, ſtemus cum timore: Attendamus S. oblationem in pace offerre. *Reſpondet Chorus:* Miſericordiam pacis: ſacrificium laudis: *Tunc Diaconi diſco cum panibus ſanctis deferunt ad S. altare. Reliqui portant ſanctos calices. Sacerdos:* Surſum corda. *Chor.* Habemus ad Dominum.

Sequitur Præfatio, aliquantum differens à Latinorum, in qua apud Baſilium inter alia, quibus glorificatur Deus, æquum eſſe dicitur, ipſi ſoli offerre in corde contrito, in ſpiritu humilitatis rationalem hunc cultum.

Huic Præfationi ſubiicitur hymnus victoriæ: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth. Pleni ſunt cœli, & c.

Hoc loco inſerere libet, quæ in Liturgiis, quæ Iacobo & Clementi vulgò adſcribuntur, extant: Vnde colligitur quæ in Baſilii & Chryſoſtomi Liturgia ſequuntur, eſſe deſumpta. Sic autem habet Liturgia vulgò Iacobi.

Populus:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, plenum cœlum & terra gloria tua, Oſanna in excelſis.

Bene-

Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis. *Sacerdos signacula faciens crucis super dona, dicit:* Sanctus es Rex seculorum, & omnis sanctitatis Dominus & dator. Sanctus & unigenitus Filius tuus, Dominus noster J. Christus, per quem omnia fecisti: sanctus & Spiritus tuus sanctus, qui omnia perscrutatur, etiam profunditates tuas, qui Deus es: sanctus es, omnipotens, & in omnia potestatem habens, bone, reverende, misericors & compatiens, maximè creaturæ tuæ, qui fecisti hominem ex terra ad imaginem & similitudinem tuam, qui dedisti ei ut paradyso frueretur: qui eum postquam transgressus est mandatum tuum, & lapsus est, non despexisti, neque dereliquisti, ô benigne: sed correxisti eum, ut misericors Pater: eum per legem vocasti, per Prophetas eum instituisti: Postremò autem ipsum unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum demisisti in mundum, ut veniens tuam renovare atque exsuscitare imaginem: qui de cœlo descendit, & carne indutus est ex Spiritu sancto, & Maria virgine, matreque Dei: qui conversatus cum hominibus, omnia dispensavit ad salutem generis nostri: & qui voluntariam & vivificam per crucem, mortem, expers ipse peccati pro nobis peccatoribus subiturus, ea nocte qua tradebatur, vel potiùs seipsum tradebat pro vita & salute mundi.

Deinde Sacerdos panem manibus accipiens, dicit: Accipite panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles & immortales manus suas, in cœlum suscipiens, ac tibi Deo & Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens, dedit nobis discipulis suis, & Apostolis dicens:

Diaconi dicunt: In remissionem peccatorum & in vitam æternam.

Deinde exclamat: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum.

Populus: Amen.

Deinde accipit calicem, & dicit: Similiter, postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua, & aspiciens in cœlum, ac ostendens tibi Deo & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis, *dicens:* Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum.

Populus: Amen.

Sacerdos: Hoc facite in meam commemorationem: quotiescunque enim comederitis panem hunc, & hunc calicem bibe-

ritis, mortem Filii hominis annunciabitis, & resurrectionem ejus confitemini, donec veniat.

Dicunt Diaconi: Credimus, & confitemur.

Populus: Mortem tuam Domine annunciamus, & resurrectionem confitemur.

Sacerdos: Memores igitur & nos peccatores passionum ejus vivificarum, crucis salutaris ac mortis, sepulchri & resurrectionis à mortuis tertio die, ascensionis in cœlos, & assessionis ejus ad dextram tuam, Dei & Patris, & secundi glorioſi ac tremendi ejus adventus, cùm venier cum gloria ad judicandum vivos & mortuos, cùm reddet unicuique secundùm opera ejus: Offerimus tibi Domine hoc sacrificium verendum & incruentum: orantes, ne secundum peccata nostra nobiscum agas, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundum æquitatem tuam, & ineffabilem humanitatem tuam, prætergrediens atque delens chirographum illud, quod est contra nos famulos tuos: largire nobis cœlestia & æterna tua dona, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti Deus diligentibus te: neque propter me & mea peccata repudies populum, benignè Domine.

Deinde dicit ter repetens: Populus enim tuus & Ecclesia tua supplicant tibi.

Populus: Miserere nostri, Domine Deus, Pater omnipotens.

Rursus Sacerdos dicit: Miserere nostri Deus omniporens: Miserere nostri Deus Servator noster: Miserere nostri Deus, secundùm magnam misericordiam tuam: & demitte super nos & super hæc dona proposita, Spiritum tuum sanctissimum.

Deinde inclinata cervice dicit: Dominum vivificum, unà tecum Deo Patre & unigenito Filio tuo assidentem, simul regnantem, consubstantialem & coæternum, qui locutus est in Lege & Prophetis, & in Novo Testamento, qui descendit in specie columbæ super Dominum nostrum Jesum Christum in Iordane fluvio & mansit super eum: qui descendit super Apostolos tuos in spècie ignearum linguarum, in cœnaculo sanctæ & gloriosæ Sion in die Pentecostes: Ipsum Spiritum tuum sanctissimum, demitte nunc quoque in nos, & in hæc dona proposita.

Et erigens se, exclamat: Ut supervenias & sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui.

Populus: Amen.

Sacerdos: Et calicem hunc, preciosum sanguinem Christi tui.

Populus:

Populus: Amen.

Sacerdos apud se stans: Ut sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, in sanctificationem animarum & corporum ad fructus bonorum operum ferendos, in confirmationem sanctæ tuæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quam fundasti super petram fidei, ut portæ inferorum ne prævaleant adversus eam, liberans eam ab omni hæresi & scandalis, & iis qui operantur iniquitatem: servans eam usque ad consummationem seculi.

Liturgia vulgò Clementis sic habet:

Et omnis populus simul dicat: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth: Plenum est cœlum & terra gloria tua: Benedictus in secula, Amen.

Et Pontifex deinde dicat:

Sanctus enim es, & in omnibus sanctus altissimus, & superexaltatus in secula: Sanctus & unigenitus Filius tuus Dominus noster & Deus Iesus Christus, qui in omnibus ministravit tibi Deo ipsius Patri, in vario opificio creaturarum, & in earum convenienti providentia. Non permisit genus humanum perire: sed post naturalem legem, post legis scriptæ admonitionem, post Prophetica increpationes, post Angelorum tutelas, violantibus naturalem legem hominibus, unà cum scripta obliteratoque memoria diluvii, incendii, plagarum Ægyptiacarum, cædis Palæstinorum, imminenteque omnium interitu, decrevit voluntate tua, qui hominem condiderat, fieri homo: qui legislator erat, subiici legibus: qui Pontifex erat, victima fieri, pastor, effici ovis. Teque Deum suum ac Patrem placavit & conciliavit mundo, atque instanti ita omnes liberavit, natus de virgine, natus in carne, Deus, Verbum, Filius dilectus, primogenitus omnis creaturæ, secundùm de eo prædicatas prophetias, ex semine David & Abraham, de tribu Judæ: & conceptus est in utero virginis, formator omnium qui nascuntur: atque incarnatus est is, qui carnis est expers: in tempore natus, qui ab æterno est genitus: piè conversatus est, & sanctis legibus instituit, omnem morbum atque infirmitatem expulit, signa ac prodigia in populo fecit: cibum, potum, somnum cepit is, qui omnes cibo indigentes alit, & repler omne animal benedictione: manifestavit nomen tuum iis, qui id ignorabant: ignorantiam fugavit, pietatem excitavit, voluntatem tuam explevit, opus quod dederas illi consummavit. Quæ omnia cùm perfecisset impiorum manibus comprehensus, Sacerdotum atque Pontificum falsi numinis, populique ipsius iniqui, & malitia laborantis traditione, multa passus est ab ipsis, omnemque sustinuit ignominiam tua permissione. Traditus est Pilato præsidi, ac judicatus, is qui judex erat: condemnatus est, aliorum Salvator: crucifixus, qui est impassibilis: mortuus, naturâ immortalis: sepultus omnium vivificator, ut passione & morte liberaret eos propter quos venerat, & vincula diaboli disrumperet, hominesque ab ejus fraudibus eriperet. Et resurrexit à mortuis tertio die, & per 40. dies versatus cum discipulis, receptus est in cœlum, & sedit ad dextram Dei & Patris sui. Memores igitur eorum quæ propter nos est passus, gratias agimus tibi Deus omnipotès, non quantum debemus, sed quantum possumus. Et ordinationem ejus implemus. Nam in qua nocte tradebatur, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus, & suspiciens in te Deum suum Patrem, frangensque dedit discipulis suis, dicens: Hoc mysterium Novi Testamenti: Accipite, ex eo comedite: hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur, in remissionem peccatorum. Similiter calicem miscens ex vino & aqua, & sanctificans, tradidit eis, dicens: bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem meam annunciabitis donec veniam. Memores igitur passionis ejus & mortis, nec non ex mortuis resurrectionis, atque in cœlos ascensionis, & futuri ejus secundi adventus, in quo veniet cum gloria & virtute judicare viventes & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera sua: Offerimus tibi Regi & Deo, secundùm ipsius ordinationem, panem hunc & calicem hunc, gratiam tibi agentes, eò quod nos dignos fecisti adsistere in conspectu tuo, & fungi sacerdotio tibi. Rogamusque te, ut benignè aspicere digneris super hæc dona proposita in conspectu tuo, tu qui nullo indiges Deus: & complaceas tibi in ipsis, in honorem Christi tui, & mittas S. Spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Jesu, ut ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui, ut qui ea percipiunt, confirmentur in pietate & remissionem peccatorum consequantur, diabolo & errore ejus liberentur. Spiritu S. repleantur, Christo tuo digni efficiantur, vitam æternam adipiscantur, de eis reconciliato Domine omnipotens.

Quibus non valde absimiliter in Basilii Liturgia sic orat Sacerdos: verè sanctus es, & omni ex parte sanctus, & non est modus magnificentiæ sanctitudinis tuæ, & sanctus es in omnibus operibus tuis: Quia in justitia & vero judicio

judicio omnia nobis induxisti. Cùm enim limo è terra accepto hominem formasses, & tua imagine, Deus, honorasses, posuisti ipsum in Paradyso delitiarum, vitæ immortalitatem, & æternorum bonorum perceptionem in mandatorum tuorum observatione ei pollicitus. Sed cùm non obediisset tibi vero Deo qui eum creaveras, & serpentis fraude inductus esset, & propter propria sua delicta mortalis esset redditus, exterminasti eum, in tuo justo judicio, Deus, ex paradyso in hunc mundum, & convertisti in terram, ex qua sumptus est, dispensans ipsi, quæ ex regeneratione efficitur salutem, quæ est in ipso Christo tuo. Non enim aversatus es figmentum tuum in finem, quod fecisti. O bone Deus, neque oblitus es operis manuum tuarum, sed multifariam visitasti, ejusque curam gessisti, per viscera misericordiæ tuæ. Prophetas emisisti. Fecisti potentias per sanctos tuos, qui tibi placuerunt in unaquaque generatione. Locutus es nobis per os servorum tuorum, Prophetarum, prænuncians nobis futuram salutem, Legem dedisti in auxilium. Angelos custodes constituisti. Quando autem venit plenitudo temporum, locutus es nobis in ipso Filio tuo, per quem etiam secula fecisti. Qui cùm esset splendor gloriæ tuæ, & character subsstantiæ tuæ, & omnia ferret verbo virtutis suæ, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem tibi Deo & Patri: Sed cùm esset ante secula, in terra visus est, & cum hominibus conversatus est, & ex virgine Maria incarnatus, exinanivit seipsum, forma servi accepta, effectus conformis corpori humilitatis meæ, ut nos efficiat conformes imagini gloriæ suæ. Quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, visum est unigenito Filio tuo, ut qui erat in sinu Dei & Patris, ex muliere sancta Deipara, & semper Virgine Maria natus, sub lege factus, condemnaret peccatum in carne sua. Ut qui in Adam moriebantur, vivificarentur in ipso Christo tuo, & in hoc mundo versatus, datis præceptis salutis, abductos nos ab errore idolorum, adduxit ad agnitionem veri Dei & Patris, & cùm nos sibi acquisivisset populum peculiarem, regale sacerdotium, gentem sanctam, & in aqua purgasset, & S. Spiritu sanctificasset, dedit seipsum pretium morti, in qua detinebamur, venditi sub peccato, & cùm per crucem ad inferos descendisset, ut omnia seipso impleret, solvit dolores mortis, & dum tertio die resurrectioni ex mortuis omni carni viam muniit: quatenus fieri non poterat, ut qui vitæ author erat, detineretur à corruptione, factus est eorum, qui dormierunt, primitiæ, primogenitus ex mortuis, ut ipse in omnibus primas partes teneret: Et cùm cœlos conscendisset, sedit in dextra majestatis tuæ in excelsis: qui etiam venturus est, ut reddat unicuique secundùm opera sua. Reliquit autem nobis ὑπομνήματα, seu monumēta salutaris suæ passionis, hæc, quæ ex ejus mādatis proposuimus. Cùm enim esset exiturus ad voluntariam, & insignem, & vivificam suam mortem, nocte, qua tradidit seipsum, pro mundi vita, accepto pane, in sanctis suis, & impollutis manibus cùm illum tibi & Deo & Patri ostendisset, gratias egisset, benedixisset, sanctificasset, fregisset. *(Hic Sacerdos extollit vocem)* dedit sanctis discipulis suis & Apostolis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum.

Respondet Chorus: Amen.

Sacerdos iterum secretè: Similiter & calicem cùm ex genimine vitis accepisset, miscuisset, gratias egisset, & sanctificasset. *(Hic rursus vocem extollit)* dedit sanctis suis discipulis & Apostolis dicens. Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.

Chorus respondet: Amen.

Sacerdos iterum: Hoc facite in mei commemorationem. Quotjes enim comederitis hunc panem, & hunc calicem biberitis, mortem meam annunciate, & resurrectionem confitemini.

Posthæc Sacerdos, inclinato capite, orat secretè: Memores ergo hujus salutaris mandati, & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulchri, triduanæ resurrectionis, in cœlos ascensionis, sessionis ad dextram Patris, secundi & gloriosi rursus adventus, *(Hic vocem extollens ait)* Tua de tuis offerimus tibi Domine, in omnibus & per omnia.

Chorus: Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus Domine.

Iterum Sacerdos: Præterea offerimus tibi hunc rationalem, & incruentum cultum & quæsumus, & deprecamur, & supplicamus, dimitte Spiritum S. tuum super nos, & super proposita munera ista, &c.

Apud Basilium sic orat Sacerdos: Propterea, sanctissime Domine, nos quoque miseri peccatores, & indigni servi, qui digni sumus habiti, qui sancto tuo altari serviremus, non propter justitias nostras. Non enim fecimus aliquid boni in terrâ, sed propter misericordias & miserationes tuas, quas affatim in nos effudisti, confidenter appropinquamus sancto altari tuo, proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis tui, te rogamus & te obsecramus, Sancte sanctorum, per tuæ bonitatis placitum, ut Spiritus S. tuus super nos, & hæc

& hæc proposita dona descendat, & ea benedicat & sanctificet, & efficiat.

Hic Diaconus interloquitur, dicens: Benedic, Domine, sanctum panem. Panem hunc, ipsum pretiosum corpus Domini Dei, Servatoris nostri Jesu Christi.

Ad hæc Diaconus respondet: Amen, *iterum dicens*: Benedic Domine, sanctum calicem.

Ad quod Sacerdos: Et quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi tui, permutans ea Spiritu Sancto tuo.

Diaconus: Amen, Amen, Amen: *Sacerdos:* Ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem Sancti Spiritus, in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in judicium aut damnationem. Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum, pro his, qui in Christo requiescunt, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis & Martyribus Confessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide decedente, præsertim sanctissima, impolluta, & supra omnem modum benedicta & gloriosa Domina nostra, Deipara & semper virgine Maria.

Posteà Sacerdos facit mentionem quorum vult vivorum & mortuorum: Pro vivis dicit: Pro salute, pro tectione, pro remissione peccatorum servi Dei N. *Pro mortuis dicit*: Pro requie, & pro remissione animæ servi tui N. in loco luminoso, ubi non est dolor & gemitus, colloces ipsum Deus noster, & requiescere facias ipsum, ubi aspicit lumen vultus tui.

Item: Offerimus tibi rationale obsequium, pro toto orbe terrarum, pro sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, pro his, qui in sancta & venerabili Republica vitam degunt, pro Christianissimis Regibus nostris, cuncto palatio & exercitu ipsorum: Tribue illis pacificum regnum, & nos in tranquillitate ipsorum quietam & pacificam vitam peragamus, in omni pietate & veneratione.

Eadem fere precatio est etiam in Liturgia Basilii, in qua sic mysticè seu secretè orat Sacerdos: Nos omnes ex hoc uno pane & calice participantes, unias invicem, in unitatem, & unius Sancti Spiritus communionem, & fac, ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi, sed ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus sanctis, qui tibi à seculo placuerunt, Parentibus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Doctoribus, & omni justo spiritu, qui in fide consummationem & perfectionem assecutus est, præcipuè sanctissima, impolluta, benedicta & gloriosa Domina nostra, Deipara, & semper virgine Maria.

Hîc in Liturgia Basilii, die quinta, Feriæ magnæ canit Chorus: Cœnæ tuæ mysticæ hodie, Fili Dei, communicantem me suscipe. Non enim tuis inimicis dicam mysterium, non dabo tibi osculum, sicut Judas, sed ut latro confiteor tibi: Memento mei Domine in regno tuo.

Posteà fit precatio: Memento Domine omnium, qui dormierunt in spe resurrectionis & vitæ æternæ. *Eodemq; modo fit mentio vivorum & mortuorum, ut supra in Liturgia Chrysostomi, in qua, sicut rationale obsequium pro sancta & Catholica Ecclesia & Regibus, &c. offertur: ita in Liturgia Basilii sic refertur*: Præterea te rogamus: Memento Domine sanctæ tuæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad fines habitat, & fac eam in pace degere, quam pretioso sanguine acquisivisti. *Item*: Memento Domine eorum, qui tibi hæc dona obtulerunt, & pro quibus & per quos, & propter quos hæc obtulerunt. *Item*: Memento Domine eorum, qui offerunt & sacrificant in sanctis tuis Ecclesiis & meminerunt pauperum: Remunerare eos divitiis tuis, & supercœlestibus gratiis.

Eodem modo & in hac & in Chrysostomi Liturgia oratur pro omnibus Episcopis, universo Clero, aliisq; ordinibus & necessitatibus publicis & privatis, quales etiam memorativæ preces extant, vulgò in Iacobi & Clementis Liturgiis. Concluditur verò sic tandem hæc precatio. Et tribue nobis uno ore, & uno corde glorificare & laudare, pretiosissimum & magnificentissimum nomen tuum Patris, Filii & Spiritus Sancti, nunc & semper & in secula seculorum.

Post hæc interpellat Diaconus, dicens: Pro oblatis & sanctificatis pretiosis donis Dominum oremus, ut benignus & clemens Dominus noster, qui ea in sanctum & supercœleste, & intellectuale altare suum suscepit, in odorem spiritualis suavitatis remittat nobis divinam gratiam, & donum sanctissimi Spiritus.

Hæc Oratio in Liturgia Clementis his verbis extat: Etiam rogemus Deum per Christum suum, pro dono oblato, Domino Deo: Oremus, ut bonus Deus suscipiat illud, intercedente Christo ipsius, in cœleste altare suum, in odorem suavitatis.

Ex hinc pro communicantibus denuò sic orat Sacerdos: Tibi Domine clementissime, commendamus omnem vitam nostram & spem, & rogamus, deprecamur, & supplicamus, dignare nos facere participes supercœlestium

cœlestium tuorum & admirabilium mysteriorum, hujus sacræ & spiritualis mensæ, cum pura conscientia, in remissionem peccatorum, in Sancti Spiritus Communionem, in regnum cœlorum & hæreditatem, non in reatum, aut condemnationem.

Apud Basilium paulò aliter exstat hac precatio: Tu Deus noster, qui hæc dona suscepisti, purga nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, & doce sanctitatem peragere in timore tui, in puro quidem testimonio conscientiæ nostræ, accipientes partem sanctificationum tuarum, uniamur sancto corpori & sanguini Christi tui, & iis dignè acceptis, habeamus Christum in cordibus nostris habitantem, & efficiamur templum Spiritus Sancti. Næ Deus noster, & neminem ex nobis reum facias horum venerandorum tuorum & supercœlestium mysteriorum, neque corpore & anima ægrotum facias, ex eo quòd eorum indignè sit particeps, sed da nobis usque ad extremam nostram respirationem sanctificationum tuarum dignè spem recipere, ad viaticum vitæ æternæ, ad gratam & acceptam responsionem, quæ in terribili tribunali Christi tui est facienda. Ut nos etiam cum omnibus sanctis, qui à seculo tibi placuerunt, æternorum tuorum bonorum efficiamur participes quæ præparasti iis, qui diligunt te Domine. Postea precatur Christianum finem vitæ nostræ, unionem fidei, & communionem Spiritus S.

Posthæc in utraq; Liturgia orat Sacerdos: Ut dignos nos faciat Deus, cum fiducia irreprobatos, audere invocare super cœlestem Deum Patrem & dicere Pater noster.

Hic recitatur oratio Dominica, ad quam solam Apostolorum temporibus, ut Gregorius M. scribit, celebrari sacrum Dominicæ Cœnæ mysterium solebat.

Deinde apud Basilium denuò pro communicantibus orat Sacerdos: Ut Deus Pater misericordiarum omnes qui ipsi capita sua inclinarunt benedicat & sanctificet, eosque dignetur, ut citra condemnationem sint participes impollutorum & vivificorum mysteriorum in remissionem peccatorum, & ad Spiritus S. communionem.

Posthæc sic iterum pro communione divinitùs percipienda, in utraque Liturgia orat Sacerdos: Respice Domine, Jesu Christe, Deus noster, de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis cum Patre residés, & hic invisibiliter nobiscum versaris, & dignare potenti manu tua participes nos facere immaculati corporis tui, & pretiosi sanguinis, & per nos cuncto populo.

Deinde Sacerdos extendit manus, & tangit sanctum panem, ad hoc, ut faciat sanctam elevationem. Et Diaconus dicit: Attendamus: *tunc Sacerdos exaltans sanctum panem, exclamat:* Sancta sanctis.

Cui chorus respondet: Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloria Dei Patris, Amen.

Ex hinc Diaconus stans à dextris Sacerdotis tenentis panem, dicit: Frustatim scinde Domine panem sanctum. *Tunc Sacerdos panem hunc in quatuor partes scindit, cum attentione & pietate, dicens:* Scinditur & dividitur agnus Dei, Filius Patris, scissus, nec divisus, qui ubique comeditur, & nunquam consumitur, sed eos, qui fiunt participes sanctificat.

Tunc unam partem S. panis sumit Sacerdos, & in manu tenet, ad quem dicit Dominus: Impleas Domine sanctum calicem. *Ad quæ Sacerdos:* Plenitudo fidei, Spiritus S. *Et sic immittit in sanctum calicem.*

Tunc Sacerdos, monente Diacono, benedicit fervidam aquam, quam sic benedictam, in calicem fundit Diaconus, dicens: Fervor fidei plenus Spiritus Sancti.

Hisce peractis instituitur Communio: Et primò Diaconum vocat Sacerdos, tenens sanctum panem, manu porrigit Diacono, & Diaconus exosculatus manum Sacerdotis, accipit sanctum panem, dicens: Impertiaris mihi Domine pretiosum & sanctum corpus Domini: Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. *Cui Sacerdos respondens, ait:* Impertior tibi pretiosum & sanctum & Immaculatum corpus Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Postea similiter Sacerdos sumit sanctum panem, inclinato capite ante sacram mensam, sic orans: Credo Domine & confiteor, quòd tu es Christus Filius Dei viventis, veniens in hunc mundum, ad servandos peccatores; quorum ego sum primus (*Cui hoc loco in Chrysostomi Liturgia subjungitur*) Et Cœnæ tuæ mysticè hodie Filii Dei communicantem me suscipe. Non enim inimicis tuis mysterium dicam, nec osculum tibi dabo, quem admodum Judas, sed ut latro confiteor tibi: Memento mei Domine in regno tuo. *Cui adhuc prolixior oratio ad hanc mysticam Cœnam pertinens attexitur, qua se participem sanctissimi corporis & sanguinis Christi fieri petit. Eoque modo sumit sanctum panem, & sanctum calicem; & postquam prior Sacerdos sumpsit, reverenter dicit:* Hoc tetigit labia mea, & aufert iniquitates meas, & delicta mea purgabit nunc & semper in secula seculorum.

Tenens autem Sacerdos sanctum calicem, vocat

vocat Diaconum, dicens: Diacone accede. *Et Diaconus veniens, adorat semel, dicens:* Ecce venio ad immortalem Regem, & credo, & confiteor. *Tunc Sacerdos:* Accipe serve Dei, Diacone, pretiosum corpus & sanguinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum tuorum, & in vitam æternam. *Dum autem sumit, Sacerdos dicit:* Hoc tetigit labia tua, & aufert iniquitates tuas, & delicta tua purgabit.

Tunc Diaconus sumit sanctum calicem, cum veneratione, eumq; extollens ad populum, dicit: Cum timore Dei & fide accedite.

Postea mysteria feruntur ad eum locum, ubi populus debet communicare.

Post Communionem dicit Sacerdos hanc gratiarum actionem in Liturgia Basilii. Gratias agimus tibi Domine, Deus noster, propter Communionem sanctorum tuorum impollutorum, & supercœlestium mysteriorum, quę dedisti nobis propter beneficium & sanctificationem, & medelam animarum & corporum nostrorum: Ipse, Domine omnium, concede, ut fiat nobis Communio S. corporis & sanguinis Christi tui ad fidem, quæ confundi non possit, ad dilectionem non ficta, ad sapientiæ copiam, ad medelam animæ & corporis, ad omnis rei adversæ aversionem, ad mandatorum tuorum conservationem, ad acceptam, & non reiciendam defensionem, in tertibili tribunali Christi tui. *Post quæ Diaconus stans in loco solito, dicit:* Recti qui divinorum, sanctorum & impollutorum, immortalium, supercœlestium & vivificorum mysteriorum participes fuimus, Domino gratias dignè agamus.

Et his ita per benedictionem populi finitur sacrum, quo finito, sic apud Basilium orat Sacerdos: Completum & peractum est, quò ad ejus quidem à nobis fieri potuit, Christe Deus noster, dispensationis tuæ Sacramentum. Habuimus enim mortis tuæ memoriam, vidimus resurrectionis tuæ figuram, impleti sumus vita, quæ nunquam desinit, delitias tuas, quæ exinaniri non possunt, percepimus, quarum ut etiam in futuro tempore omnes nos dignetur, benignè concede, gratia tui impolluti Patris, & sancti boni, & vivifici Spiritus, nunc & semper in sęcula sęculorum.

Ex his Liturgiis apparet, Primò, *Cœnam tunc temporis fuisse veram Eucharistiam, hoc est, illustrem gratiarum actionem pro redemptione humani generis in Christo Iesu.* Secundò, *fuisse memorialem mortis Christi.* Tertiò, *quòd Sacerdos non solus sumpserit Cœnam, sed omni populo distribuerit in communionem corporis & sanguinis Christi, sub utraque specie, & in communionem Sanctorum, cùm vivorum, tum mortuorum.* Quartò, *in tota actione harum Liturgiarum mentio nulla fit Sacrificii, Invocationis mortuorum Sanctorum, & Satisfactionis pro mortuis.* Quintò, *alta voce, & vernacula lingua Sacerdos adhortationem ante communionem fecit.*

CAPVT V.

De Ceremoniis & Ritibus Cœnæ Dominicæ in Romana Ecclesia, à temporibus Apostolorum usque ad Gregorium M.

In Rom. Ecclesia Cœna post Christi Ascensum simplici ritu celebrata.

DE Romana Ecclesia Platina in vita Sixti I. scribit, nudam in ea fuisse sacrosanctæ Cœnæ Dominicæ omnem ab initio ceremoniarum rationem plus pietatis habentem, quàm apparatus. Verba ejus hæc sunt: Nuda primò hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim ubi consecraverat, oratione Dominica usus est: *Neque hoc Platina ex se confinxit, sed ex Gregorio M. & Hieronymo habet, ut suo loco indicabitur. Referunt autem ipsimet Pontificii historici, Petrum Romanum Pontificem creatum anno Domini 44. id est, annis plus minus decem ab Ascensione Christi, ac sedisse annos 25. & anno Domini 65. qui fuit ultimus Neronis annus, crucifixum esse. Hinc colligimus, primis 35. annis post Christi Ascensionem, Pontificiam Missam in Romana Ecclesia non celebratam fuisse, sed Cœnam sacram, cui sola Oratio Dominica adhibita fuerit. Et Damasus, qui Romanus Episcopus fuit circa annos Christi 370. ad Hieronymum scribit,* omnia in Romana Ecclesia suo tempore nudè & simpliciter peragi solita.

Inssimi tempore quo ritu celebrata Cœna Romæ.

Intelligitur hoc omnium manifestissimè ex Iustino Martyre, qui claruit circa annos Christi 130. Is in Apologia 2. scribit, post lectionem & interpretationem Scripturæ, omnes consurgere ad orationem: ea finita, proferri panem & vinum ad Cœnæ Dominicæ celebrationem: in qua meminit gratiarum actionis: post communionem verò, commonefactionis de fraterna charitate, & distributionis eleemosynarum. Verba ejus hæc sunt. In cœtu affertur præcipuo fratri panis, & calix aqua dilutus: quibus acceptis & gratiarum actione Patri omnium refert, per nomen Filii & Spiritus Sancti, quòd ab eo his dignus sit habitus, atque ita Eucharistiam aliquandiu celebrat. Post preces & Eucharistiam totus cœtus accinit, Amen. Absoluta Gratiarum actione Præsulis, & ominatione totius plebis, Diaconi quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quæ facta est gratiarum actio, atque etiam deferre

sinunt absentibus. Hoc alimentum, panis videlicet, & calicis diluti, apud nos vocatur Eucharistia, ad quod nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam, ablutos regenerationis lavacro, in remissionem peccatorum, & sic videns, ut Christus docuit. Non enim ut vulgarem panem, & vulgare poculum, hæc sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus, Servator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic & per verbum precationis & gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata, nutrit nostras carnes, & sanguinem, illius incarnati Jesu carnem, & sanguinem esse didicimus. Nam sic Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia, tradiderunt, sumpto pane, gratisque actis, dixisse: Hoc est corpus meum. *Et paulo post*: Die Solis, Urbanorum & rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri potest, præleguntur: deinde cessante lectore, Præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum invitans. Posthac consurgimus omnes & precamur. Postea, ut diximus, profertur panis, vinum & aqua. Tum Præpositus, quantum potest, precatur & gratias agit, plebs verò Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus per Diaconos mittuntur.

Hic Iustini locus totam & perspicuam Sacræ Liturgiæ rationem in Ecclesia ejus tempore ustitatam exponit. Sacerdos diu multumq; precatur, & gratias agit populari sermone: *sed non in hunc finem, ut ita fiat consecratio Eucharistiæ. Addit enim*, Præpositum gratias agere ὅσῳ τὸ κατ' ἐξουσίαν τούτων παρ' αὐτοῦ: *hoc est*, quòd mysteria illa nobis à Christo institutа & tradita sint. *Et in sequentibus verbis de ipsa consecratione dicit*, Cibum Eucharistiæ gratiarum actione sacrari, ὃν τρόπον λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ: *id est*, per precationem verbi, quod ab ipso Christo traditum est. *Quale autem illud verbum sit, ipse quoque explicat: dicit enim*, illud esse verbum, quod Evangelistæ in historia sua de institutione Cœnæ literis consignarint. *Præterea totus cœtus sermonem Præpositi audit, eundemque ratum facit, Amen dicens. Sacra communio utraq; specie datur singulis non solum præsentibus, sed etiam ad absentes mittitur, qui gravibus de causis adesse non poterant.*

Cœna quotidie Romæ celebrata

De quotidiana in urbe Roma communione Hieronymus contra Iovinianum sic inquit: Scio Romæ esse hanc consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant: quod nec reprehendo, nec probo.

Hæc ex probatissimis & verissimis autoribus.

Iudicia de Epistolis decretalibus primorum Rom. Pontificum omissa

Si verò Decreta & Decretales Epistolas primorum Pontificum Rom. inspicias & evolvas, longè splendidiorem apparatum ceremoniarum & rituum Romanæ Ecclesiæ in Dominica Cœna deprehendes. Quum verò Epistolæ illæ meritò omnibus suspectæ sint, antequam decreta primorum istorum Pontificum de Cœnæ Ritibus & Ceremoniis referam, operæ pretium me facturum arbitror, si priùs Lectorem de iis nonnihil monuero. Evidentissimis argumentis, iisque quamplurimis evinci potest, has Epistolas ab iis, quibus tribuuntur, nullo modo conscriptas: sed omnes ab uno eodemq; indocto & inepto homine, qui longè inferiori seculo vixit, aut de integro confictas, aut fœdissimè corruptas esse. Nam Primò, habitus orationis manifestè prodit, unum & eundem authorem omnium Epistolarū esse. Fieri enim haud potest, tot Episcopis, de industria ad styli similitudinem assuefactis, unam fuisse locutionem. Secundò, si genus Latinæ linguæ, quo non solùm profani authores, sed etiam Ecclesiastici his temporibus usi sunt, cum eo, quod in his epistolis exstat, conferatur, longissimè id inter se distare invenies. Etsi enim eo tempore Latina lingua in eo cultu & nitore non esset, quo fuit Ciceronis tempore: tamen illo adhuc seculo nondum tam insulsè, ineptè & barbarè quenquam locutum esse, ex omnibus ejus seculi scriptoribus liquido colligi potest, qui purissimè & elegantissimè scripserunt: & nè una quidem portentosa phrasis apud eos reperitur, quibus hæ Epistolæ referæ sunt. Tertiò, multa in iis ἀναχρονισμῷ & prorsus non coharentia consuuntur. Quartò, non pauca occurrunt in iis perplexa & contraria. Quintò, à veritate historica alienissima in singulis epistolis plurima continentur, quæ manifestorum mendaciorum accusant & condemnant suum autorem. Sextò, nevi & manifestæ corruptelæ sanæ doctrinæ in iis reperiuntur. Hæc, qui legerit has Epistolas, mox intelliget. Exstat etiam de iisdem gravissima censura & judicium Ioannis Schleidani lib. 2. de 4. Imperiis: Magdeburgensium item Centuriatorum Cent. 2. cap. 7. col. 143. & sequentibus: necnon Ivelli contra Hardingum fol. 277. & Balæi in Centuriis fol. 36. & aliorum. Ex quibus sic colligo: Si Primi isti Romani Pontifices Decretales has Epistolas scripserunt, Mysterium iniquitatis manifestè jam tum in iis agere cœpit, de quo Paulus scribit 2. Thessal. 2. cap. Sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Etsi enim Mysterium hoc vivente adhuc Paulo agere cœperit, tamen in tanta luce verbi Dei, in tam tristi persecutionū statu, & in his sanctis Martyribus, adeò apertè sese exeruisse nō est verisimile.

Accedit denique authoritas aliorum antiquissimorum testium, ad excusandos Rom. Episcopos, ne harum Epistolarum authores credantur. Eusebius tantum Clementis & Victoris epistolarum meminit: neque tamen earum, quæ hodie exstant,

sed

sed aliarum, cæterà hujus seculi Romani Episcopis nullas adscribit. Nec Damasus Episcopus Romanus qui vitas suorum antecessorum scripsit, eas quæ nunc exstant eis attribuit epistolas. Hieronymus quoque nullam earum mentionem facit, licet scripta cujuslibet Doctoris scrupulosè etiam annotare solerat. Quumq; in Carthaginensi 6. Synodo, Rom. Episcopus suum Primatum, quem affectabat, probare juberetur, nullam harum epistolarum mentionem facit, in quibus tamen primatus ille asseritur: unde eas, si extitissent tum, magno cum triumpho protulisset. Nec facile reperies, has Epistolas ab ullo Patrum aut fide digno authore, ab hoc seculo usque ad Caroli Magni tempora citari. Et non est absimile vero, circa illa tempora, cùm Ecclesiæ Occidentales passim ex Romana bibliotheca libros peterent, fraude Episcoporum Rom. imperium super omnes Ecclesias & magistratus affectantium, conficlas, suppositas & latè sparsas esse. Idem quoque sentiendum de testimoniis, quæ ex his Epistolis citantur à Polydoro Vergilio, Platina, Sabellico & aliis, quibus non censeo magnam semper fidem adhibendam esse: nam quum has epistolas, tanquàm falsos testes sequuti sint, ipsi quoque sæpè falsi sunt turpissimè.

Nunc igitur leges & constitutiones primorum Pontificum ex his epistolis de Ritibus & ceremoniis Cœnæ referam, non quidem juxta methodum in prioribus capitibus à nobis observatam, sed secundùm ordinem quo sibi invicem in Episcopatu successerunt: ita tamen, ut leges successorum de uno & eodem ritu, sanctionibus vel decretis antecessorum jungere placuerit, ne unius ejusdemq; rei crebra repetitio fastidium & nauseam Lectori moveat: Nam Crambe, ut vulgò aiunt, bis repetita mors est.

CLEMENS.

Qui non communicat communione privandus.

IN Canonibus Apostolorum, à Clemente Petri Apostoli discipulo, & Episcopo Romano, juxta aliquos conscriptis, Can. 9. sic sancitur: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex Sacerdotali catalogo facta oblatione non communicat, nisi causam rationabilem dixerit, communione privetur. *Et ibidem Canon decimus sic habet:* Omnes fideles, qui convenunt in solennibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas Apostolorum & Evangelium audiant. Qui autem non perseveraverint in oratione, nec Sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit communione privari. *Hoc contra Missas privatas notetur.*

In ejusdem libro (cui titulus est de Constitutionibus, vel Traditionibus Apostolicis, id est, de Legibus atque Institutis ab ipsis Christi Apostolis ad Ecclesiam gubernandam, latis) integra Missæ ratio ac forma descripta exstat, ab ipsis Apostolis, si Pontificiis credimus, edita & post Domini in cœlos Ascensionem ab ipsis celebrata: quæ tamen, si diligenter inspiciatur, ad confirmandum sacrificium Missaticum nihil omninò facit.

Reliquiæ Cœnæ consumendæ.

In Epistola 2. ad Iacobum fratrem Domini, Tribus, *inquit*, gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro, qui cum timore & tremore Clericorum, reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne quum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria. Communio enim corporis Domini nostri Jesu Christi si negligenter erogetur, & Presbyter minora non curet admonere officia, gravi anathemate & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanto populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore, Clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in Sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent Sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aquaticulos digestus, in secessum funditur. Si ergo manè Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent Ministri, qui eam consumpserunt. Et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta. *In prima parte fragmenta reliquiarum jubentur custodiri, mox verò in altera jubentur consumi.*

Reliquiæ Cœnæ consumendæ.

Excommunicatione non danda Cœna.

Et paulò infra: Præcipimus etiam, *inquit*, ne excommunicato Ecclesiæ sive Laico, de fragmentis oblationum Domini ponatur ad mensam. Unde scis tu, qui passim sacrarii panes indignis impendis, unde nosti, si à mulieribus mundi sunt hi, quibus impendis? Hinc & David, ab Abimelech sacerdote interrogatus, quum panes sibi ad comedendum poscereret, si mundus esset à muliere, quum se mundum ante triduum profiteretur, panes propositionis manducavit.

Qui Cœnam administrare debeant.

Rursus: Ad Dominica mysteria tales eligantur, qui ante Ordinationem suam conjuges suas noverint. Quòd si post Ordinationem, ministro altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portationem accedat,

neć aquam sacerdotibus porrigat ad manus. Ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, urceum sive calicem ad altare non sufferat.

De Pallii aliarum. *In eadem Epistola decernit*, ut Altaris palla vetustate consumpta incendatur, & cineres in baptisterium inferantur: ubi nullus transitum habeat: aut in parietate, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. *Item; Mortuorum corpora iisdem non esse obvolvenda. Verba ejus hæc sunt:* Nemo per ignorantiam clericus mortuum credat obvolvendum, aut diaconus scapulas operire velit palla, quæ fuit in altari, aut certè, quæ Diacono data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit, vel leviter, quasi nihil & negligenter habuerit divina mysteria, diaconus triennio, sexque mensibus à Dominico erit alienus altari, gravi percussus anathemate. Quòd si clericum Presbyter non commonuerit, decem annis, & sex mensibus excommunicatus sit: propterea quòd de Dominicis sacramentis subjecta sibi non amoverit ministeria: & postea cum grandi humilitate matri reconcilietur Ecclesiæ. Palla verò, & vela sanctuarii, si sordidati fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lavent, non eiicientes foras à sacrario: & velamina Dominicæ mensæ abluant: ne fortè pulvis Dominici corporis malè decidat. Sindonem verò foris non abluant, & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intra sacrarium ministris præcipimus hæc sancta cum diligentia custodire. Sanè pelvis nova comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat. Sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent: pallæ altaris solæ in ea laventur, & in alia, vela januarum. De velis autem januarum cura sit ostiariis ex admonitione majorum, ne quis negligens, aut ignarus, ad velum januæ domus Domini manus incognitæ tergat: sed statim coërcitus discat omnis homo, quia velum atrii domus Domini sanctum est.

De epistola Clementis judicium. *Hieronymus autem de Ecclesiast. Scriptoribus ex Eusebii de Eccles. hist. lib. 2. cap. 38. unius tantùm epistolæ meminit, quam Clementis esse judicavit, quæ tamen hodie non exstat. Idem etiam testatur, alios quoque libros Clementis nomine circumferri, qui tamen à Majoribus non recepti sint, neque puram & Apostolicam doctrinam contineant. Præterea dist. 15. Sancta Romana. Nonnulli libri, qui Clementis esse dicuntur, nominatim damnantur. Et constat Iacobum, ad quem Clemens in suo Episcopatu scripsisse dicitur, septem annis ante Petrum morte affectum fuisse. Ad minimum igitur triginta annis lapidatus & martyrium perpessus est Hierosolymis Iacobus, antequàm Clemens Romanus Pontifex creatus est. Quî potuit igitur Clemens hanc epistolam in suo Episcopatu ad Iacobum scribere? Adhæc Eusebius lib. 3. cap. 38. & Hieronymus de viris illustribus testantur, epistolam Clementis, tam dictionis charactere, quàm ipso sensu, Epistola ad Hebræos esse consimilem. Ista autem, qua hodie exstat, nullam habet cum hac similitudinem, sed Curiæ Romanæ stilum redolet. Non enim Sacerdotium Christi, sed primatum Romani Pontificis commendat.*

De Canonibus Apostolorum judicium. *Quòd autem ad Apostolorum Canones attinet, meminit quidem eorum etiam Iustinianus Imp. in suis Authenticis: Isidorus autem Hispalensis, quem & Iuniorem vocant, in præfatione Operis Conciliorum*, Conciliis, *inquit*, præposuimus Canones Apostolorum, lic̃et à quibusdam apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, & sancti Patres eorum sententias synodali authoritate roboraverunt, & inter Canonicas Constitutiones posuerunt. *Idem tamen ille (si modo is alius non sit, ut mox dicam) sibiipsi manifestè repugnans, apud Gratianum dist.* 16. Canones, *ait*, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: quamvis in eis utilia inveniantur: tamen ab authoritate Catholica & Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata. *Videntur autem hæc à Seniore Isidoro conscripta esse. Duo enim hujus nominis viri celebres fuerunt, Senior, qui Cordubensis Episcopus fuit, & Iunior qui Hispalensis Episcopus fuit, ac Senioris meminit: quorum hic quidem circa annos Domini* 630. *claruit: ille verò circa annos* 720. Posuit *autem Iunior Canones duntaxat* 50. *sicuti & Leo. Alii* 60. *numerant, Synodus* 6. *cap.* 2. *recenset Canones* 85. *ut vel ex hoc ipso diverso numero, & ex eo quòd multis in locis manifestè dissident à doctrina Apostolica, Constitutiones humanas, non Apostolorum regulas esse appareat.*

Cœna olim communio populi. *Quicquid sit, manifestissimè tamen ex his Clementis Constitutionibus colligimus, Cœnam ejus tempore nihil aliud, quàm communionem totius populi fuisse.*

ANACLETUS.

V. Contra Missam privatã. Calixtus

ANacletus *decrevit*, Ut peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: *de Consec. dist.* 1. *capite* 59. CALIXTVS *insuper addit*: Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. *Ergo secundùm hæc*

hæc decreta, nulla Missa privata fuit, sed præsentes omnes, tam Laicos, quàm clericos hoc adhuc tempore communicare oportuit. Ubi non omittendum, Glossatorem, cùm intellexisset, nihil amplius observari hodie in Ecclesia Papistica, quod hoc canone præcipitur, in margine hæc verba annotasse: Communicent, qui corpus & sanguinem ministrant: nam Laici ter tantùm in anno. *Quo ipso Anacleti & Calixti decretum perspicuum & clarum conatus est ad solos Sacerdotes & Diaconos restringere. Mox, cùm videretur hoc glossema parùm firmum, alterum commentus est, quo se uno verbo expediret omni difficultate, & cum veteribus canonibus Ecclesiæ Papistice consuetudinem conciliaret, addidit*, Hoc antiquatum est: nam hoc videtur relictum arbitrio cujuslibet. *Rectè quidem: nam ut Christi adventu antiquata & abrogata sunt Mosaicæ ceremoniæ: ita postquam obtinuit Romani Antichristi religio & tyrannis, adeò omnia Christi & Apostolorum instituta exoleta & antiquata sunt, cum tota religione Christiana, ut vix ullum eorum integrum hodie exstet vestigium. Hujusmodi tamen glossematis facillimè tota Papistica religio cum Apostolorum doctrina, licèt cum ea ex diametro pugnet, conciliabitur. Si quid enim dissentiat, dixisse satis erit*, Antiquatum est: *vel*, Cujuslibet arbitrio relinquitur.

Idem Anacletus *sancivit*, ut Episcopus sacrificans testes secum habeat, & plures quàm alius Sacerdos. Sicut enim, *inquit*, majoris honoris gradu fruitur, sic majoris testimonii incremento indiget. In solennioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque aut tres diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte & tergo, & Presbyteri è regione dextra, lævaque prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio. *Epist. 1. & dist. 1. de Consec. c. Episcopus. In hanc sententiam etiam Lucius Papa sic constituit in Epistola ad Gallia & Hispaniæ Episcopos*: Iubemus, ut semper testes vobiscum Sacerdotes & Levitas habeatis. Et licèt conscientia propria sufficere possit: tamen propter malevolos, juxta Apostolum, etiam testimonium vos oportet habere bonum ab his qui foris sunt: quoniam & in hac sancta sede constitutum habemus, ut duò Presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non deserant propter testimonium Ecclesiasticum. *De Consecratione distinctione prima, capite, Iubemus. Damasus refert, Zepherinum constituisse*, ut in Romana Ecclesia, Episcopo celebrante, Sacerdotes omnes assisterent.

2. *Episcopus testes in celebratione secum habeat.*

Lucius.

Zepherinus.

Eundem ritum, sed aliam ob causam confirmavit SOTER: *videlicet*, ut nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum: & illud in secretis, Orate pro me, convenit, ut ipsius respondeatur salutationi. *Dist. 1. de Consec. cap. Hoc quoque. Quod autem ad causas illas attinet hujus decreti, dubium est, an hæc in Liturgia Romana temporibus Soteris fuerit. Damasus enim, qui Pontifex Rom. fuit 250. annis post Soterem, ad Hieronymum scribit*, omnia in Ecclesia Romana suo tempore ita nudè ac simpliciter peragi solita, ut in diebus Dominicis nihil publicè populo legeretur, nisi vel Epistola aliqua Apostoli, vel aliquod caput ex Evangelio. *Exstat ejusdem Soteris eodem loco hoc decretum*: Necessarium duximus instituere, ut ubi temporis, vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat quisque canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem: ut, si ille aliquo casu, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus, & officium inceptum adimpleat. *Repetitur & confirmatur in Synodo Toletana 7. c. 2. & 11. c. 14. vide 7. q. 1. c. Illud divini & c. Nihil. Et in Synodo Moguntina statuitur, cap. 43.* Ne Presbyter solus Missam cantet. *Confirmatur in Parisiensi Synodo anno 835. habita sub Ludovico & Lothario Impp. cap. 48.*

Soter.

Progressu certè temporis aliter, quàm ab Anacleto & Sotere, à nonnullis definitum est. Nam in Summa Angelica, Miss. 38 decernitur, ut si Missa fuerit publica, duos ad minimum interesse necesse sit: Sin privata, unum adesse sufficiat. *Gerson quoque contra Floretum lib. 4. scribit*, Sacerdorem rectè posse dicere, Dominus vobiscum, etiamsi unus tantùm Missam celebranti adsit. Existimari enim Sacerdos potest, *inquit*, non illi uni solummodò locutus esse, sed toti etiam Ecclesiæ. *Sic quantumuis Soter binarium numerum sanxerit, eum tamen interdum, si occasio postulaverit, imminui posse intelligimus. Innocentius autem Papa aliud insuper remedium excogitavit. Inquit enim lib 2. cap. 20. de Officiis Missæ*: Et si unus tantùm adsit: potest tamen Sacerdos dicere, Dominus vobiscum, quandoquidem adesse Angeli possunt hominum loco. *Et Alexander Alensis part. 4. q. 36. membro 5. ad hunc Canonem Soteris sic respondet*: Dicendum quod quædam retroactis temporibus statuta erant ob reverentiam tanti mysterii, quæ postea per usum abrogata sunt, & propter necessitatem, & utilitatem. Multiplicato

enim numero sacerdotum, necesse fuit & utile (ne frequenter cessarent à Missarum solenniis) uno assistente celebrare, &c.

ALEXANDER.

1. Peccata Missæ sacrificio delentur juxta Alexandrum. Vide lect. lib. de Diuturnitate belli Eucharist. fol. 9.

Alexander circa annos Christi 115. Peccata sacrificio Missæ deleri scripsit *in epistola Decretali, contra verbum Dei, & doctrinam Patrum illorum temporum. Ideoque Passionem in Missa recitandam instituit, his verbis*, Qui pridie quàm paterentur, &c. usque ad hæc verba, Hoc enim est corpus meum. *Ratione tali utitur*: Quia corpore & sanguine Christi in sacrificiis nihil majus est. *Quia vero sub Adriano Imp. aquè atque Iustinus, hic Alexander vixit, mirum valde est, quòd ejus decreti Iustinus in descriptione ritus Cænæ Dominicæ mentionem nullam facit. Et est hoc Christum de novo crucifigere, licèt incruentè, & non corporaliter, si præter unicam & æternam Christi satisfactionem ac expiationem in cruce peractam & promeritam, aliæ quædam expiandorum peccatorum rationes confingantur.*

2. Aquæ vino admiscendæ ratio.

Secundò, in Eucharistiæ sacrificio aquam vino admisceri statuit: ut ista vini & aquæ mixtio symbolum esset, credentes Christo incorporatos esse, & unitos: vel quia è Christi latere sanguis & aqua fluxerunt. *Apud Cyprianum lib. 2. Epistola 3. hic ritus Dominicæ appellatur traditio, & eum ita servari volunt Pontificii tanquam ex Christi institutione. Durandus autem in Ration. Div. Offic. lib. 4. c. 30. institutum hoc manifestè refert ad Alexandrum Papam. Et meminerunt hujus quoque rei Platina, Sabellicus Ennead. 7. lib. 4. aliique Pontificii scriptores.*

3. Azymus panis inclusa institutio.

Tertiò, *præcepit, ad Eucharistiæ oblationem azymum panem, non fermentatum, quo usi* ANTE *fuerant, sumendum esse. Platina, Sabellicus lib. 4. Ennea. 7. Polydorus Vergilius li. 5. c. 9. de Invent. rerum. Robertus Barns. Vbi observandū, quòd dicit Platina,* ANTE *Alexandrum fermentatum panem usurpatum fuisse in Ecclesia. Quibus verò argumentis & rationibus eum abrogavit, & azymum instituit? Non hercle, quòd Christus in sua Cœna azymo usus esset, aut eo uti præcepisset: sed, ut addit Platina,* quia hoc modo purior haberetur oblatio, & ut Ebionitis calumniandi occasio auferretur, qui plerosque Iudæorum ritus & cæremonias retinebant. *Demus hanc esse Alexandri constitutionem, de quo tamen meritò dubitatur ut audiemus: non tamen hac fuit satis justa causa hujus decreti, ad præcavendas Ebionitarum calumnias: quum potius contrarium sancire deberet, ne Ecclesia cum eis Iudaïzare videretur. Respondent Thomas, Bonaventura, & alii*, Ecclesiam ex institutione Petri, & Pauli Apostolorum azymum panem accepisse, idque probare conantur *Innocentii 3. & Leonis 9. testimoniis.* Sed quum Ebionitarum, & Nazarenorum hæresis invalesceret, qui Iudaismum cum Evangelio miscebant, Romanam Ecclesiam azymo pane abrogato in Eucharistia fermentato usam fuisse, ne cum illis judaizare viderentur. Ubi verò hæresis illa extingueretur, Alexandrum primum azyma rursus instituisse, Græcam verò Ecclesiam fermentatum panem retinuisse. *Respondeo, refutat hanc sententiam Platina, qui fatetur apertè, Alexandrum 1. azyma instituisse in gratiam Ebionitarum, ut sic calumnias illorum effugeret. quum ANTEA fermentatus panis in usu fuisset. Sed sit vera hæc scholasticorum illorum narratio, tunc falsum erit quod Bellarminus scribit, azymum panem in Eucharistia de necessitate esse, alioquin Romana Ecclesia eum abrogare non ausa fuisset. Falsum etiam erit, quod idem Bellarminus dicit*; A nemine scriptum esse, quòd Alexander 1. azyma instituerit, & injustè Calvinum mendacii accusat, qui hoc scripsit. *Sin autem falsa est narratio ista ut omnino esse videtur, tunc etiam falsum erit quòd dicitur, Romanam Ecclesiam azyma ab Apostolis accepisse. Nihilominus fermentatus panis sensim abrogatus, & azymus in ejus locum substitutus fuit, non solùm in Romana, sed etiam in aliis per Occidentem Ecclesiis. Orientales tamen fermentatum constanter retinuerunt: Quæ tamen discrepantia concordiam & unitatem Ecclesiarum ab initio non disrupit: usque dum Romani Pontifices subjugatis Occidentalibus Ecclesiis, Orientalibus quoque dominari pro libidine conati sunt. Alii dicunt, hunc Alexandrum veritum, ne in ventrem corpus Christi detruderetur tenuissimum azymum pro pane solido in Eucharistiam invexisse.*

4. Aquæ benedictæ institutio in Missa.

Quartò, *instituit*, ut aqua benedicta, sale admixto, ante Missam benediceretur, ut finitis sacris ea cuncti aspersi sanctificarentur & purificarentur.

5. Vno die una tantum Missa celebranda.

Quintò, *uno die unam tantùm Missam à singulis sacrificis fieri debere, decreto sancivit. Verba ejus hæc sunt*: Sufficit sacerdotium Missam in die una celebrari: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse. Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus sæculariū una die profitentur plures facere missas; non æstimo evadere damnationem. *De Consec. dist. 1. cap. 53.*

Quamvis autem ha constitutiones & decreta Alexandri satis lubrica & superstitiosa sint, ut

qua

quæ nullum Christi & Apostolorum mandatum habeant, apparet tamen ex iis, eo tempore Cœnam fuisse totius populi communionem corporis & sanguinis Christi sub utraque specie. Non possunt igitur de hodierna Missa intelligi: sed eo sensu accipi debent, quem in superioribus capitibus copiosè exposuimus.

SIXTUS.

1. SIxtus, *qui circa annos Christi* 125. *Romanæ Ecclesiæ præfuit, decrevit*, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Tzebaoth in Missa cantaretur. *Platina. Robertus Barns. Vrspergensis verò hoc institutum ad Cœlestinum* 1. *refert.*

2. Secundò, *decrevit*, ne, *quod Pontificii* Corporale *vocant*, ex alio quàm panno lineo, & quidem purissimo candidoque fieret. *Platina. Martinus Polonus. Et confirmatur à Bonifacio Pontifice anno Domini* 425. *idem.*

3. Tertiò, *idem Sixtus decrevit*, ut mulier, vel monacha pallam sacratam aliaque sacra vasa non contingat: *si Sabellico credimus Ennead.* 7. *lib.* 4. *Antonino tit.* 7. *cap.* 5. §. 1. *Martino Polono. Sin Durando in Ratio. lib.* 4. *ca.* 29. *Mariano Scoto, & rursus Sabellico Enne.* 7. *lib.* 5. *Soter hoc decrevit: Sic enim scribit omnibus Episcopis Italiæ epist.* 2. Sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penès vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam sedem, quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli, rectè sapientium dubium est. Quamobrem hujus sanctæ sedis authoritate, hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus. Et ne pestis hæc latius divulgetur, per omnes provincias abstergi citissimè mandamus. *Et repetitur à Bonifacio* 1. *anno* 425. *ut Martinus Polonus & Balæus referunt. Platina paulo aliter scribit*: Sixtus, *inquit*, constituit NEA QVOQVAM, nisi à ministris sacrorum, mysteria & vasa sacra tangerentur, maximè verò à fœminis. *Habetur etiam de Consecratione distinctione* 1. *cap. In sancta Apostolica: & in Decretali* 2. *Sixti. Moniales tamen hujusmodi ornamenta altaris conficere possunt: Durandus ut supra.*

Hùc etiam non incommodè, si quidem in mentionem Corporalis & tegumentorum aliarium incidimus, referri potest, quod Gratianus de Consec. dist. 4. *Omnis Presbyter. indicat ex Concilio Ilerdensi, pro quo alii legunt, Meldensi, decretum*, ut ad tegumenta altaris lavanda sacerdos propria habeat vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Gravis est hæc certè Theologia Clementis, Sixti & Soteris, digna ut ad textores, linteones, & mulierculas lixivio occupatas relegetur. Tantumne ista Pontificibus & Synodis fuit otii, ut nihil aliud haberent, quod curarent ac decernerent? Et quæ hæc est religio, quæ sacrorum suppellectilem præstantius ducit, mandatoque potiusigne absumi, & quidem tam gravi adiecta mulcta, quàm in pauperum usus erogari, aut extremo mortuorum honori deputari? Calices sacros licet distrahere propter pauperes, eosdem verò, si moriantur, pallis altaris obvolvi non licet. Præterea, nullæ erant apud Veteres de non contrectandis sacris Cœnæ vasis & instrumentis, leges. Videntur autem ex progressu temporis maxima ex parte eo consilio latæ, tum ut altiùs supra hominum vulgus Sacerdotum eveheretur dignitas: tum ut animi plebis imperitæ in majorem admirationem cæremoniarum externarum raperentur, magisque confirmarentur in sententia de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna. Quemadmodum autem Christus noluit hominum animos externis signis affixos hærere, sed sursum elevare & extollere in admirationem & contemplationem earum rerum quas repræsentant & significant: ita totam Cœnæ actionem, symbolum esse voluit, summæ inter Christianos æqualitatis & societatis. Hinc omnibus dicit, Accipite, edite: accipite, bibite. Adhæc in Christo est nec mas, nec fœmina. Quomodo autem hæc conveniunt cum iis legibus, de non contrectandis à Laicis, seu viris, seu fœminis, instrumentis sacris in Cœna? Et si maximè verum esset quòd dicunt, panem esse reale corpus, & vinum substantialem sanguinem Christi: tamen legimus, Christum corpus suum quibusvis tangendum & attrectandum, imò Iudæ proditori osculandum, militibus cruciandum & crucifigendum præbuisse. Non sic sensit vetus Ecclesia, quæ panem & vinum Cœnæ in manus communicantium dedit, ut supra indicavimus. Et apud Eusebium lib. 6 *cap.* 35. *legimus de Presbytero quodam, quòd cùm accedere non posset per corporis afflictam valetudinem, ad quendam Serapionem ex lapsorum numero, qui iam jam moriturus cupiebat Cœnæ communione, antequam discederet, cum Ecclesia reconciliari, parum Eucharistiæ puero, qui ad se venerat, dederit, &c. Si illa tum fuisset in Ecclesia superstitio & religiosa lex de non contrectandis vasis, nedum sacris symbolis, hoc ipsum nec factum, nec permissum unquam fuisset.*

Hæc tamen decreta Sixti & aliorum nil adduntur, vel detrahunt substantiæ Cœnæ, sed in ea substantia relinquunt, quæ à Christo instituta & ab Apostolis usurpata est: quæque illi addidisse, dicuntur, tantùm ad ornamentum & decus Cœnæ pertinent.

TELES-

Soter.

Bonifacius.

Theologia Cle.

mentis, Sixti & Soteris.

TELESPHORVS.

1. In nocte Natalis Christi ores Miſſæ celebrandæ.

Teleſphorus circa annos Domini 130. *conſtituit* : ut in Natali Ieſu Chriſti noctu tres Miſſæ celebrarentur : prima, in dimidio noctis, quo Chriſtus in Bethlehem naſcitur : ſecunda, illuceſcente aurora, quando à paſtoribus cognitus eſt : tertia, eadem diei hora, qua nobis dies redemtionis & veritatis illuxit : cùm omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum eſſet, qua hora Dominus noſter cruci affigitur. *Platina. Sabellicus Ennead. 7. lib. 4. Euſebius in Chron.*

2. Secundò, *ſancivit*, ut in nocte Nativitatis Chriſti ante ſacrificium hymnus ille Angelorum caneretur, Gloria in excelſis Deo. *Platina, & de Conſec. diſt. 1. cap. 48. item in Epiſtola Decretali cap. 2. Damaſus Tom. 1. Conciliorum. Durandus Ration. lib. 6. cap. 13. Eſt autem hæc Teleſphori conſtitutio non improbanda, quum gratiarum actionem & eximiam laudem Dei continet.*

HYGINVS.

Evariſtus.

Hyginus inſtituit, ne Templa ſine Miſſarum celebratione dedicarentur: *quod tamen ab aliis Evariſto aſcribitur. In hunc verò uſum nulla Eccleſia Cænam celebraſſe legitur.*

PIVS.

4. Cautela circa ſanguinem. Vide ſecretum fol. 5. b.

Pius, qui Epiſcopatum Rom. circa annos Chriſti 144. *adeptus eſt, conſtituit*, Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradatur, & igne conſumatur, & cinis intra altare recondatur, & Sacerdos 40. diebus pœniteat. Si ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat, Si uſque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, vigenti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat, calice ſubterpoſito, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur. *Tomo 1. Concil. Item, de Conſec. diſt. 2. Si per negligentiam: Et in decretis Ivonis lib. 1. Ex his Pii verbis intelligitur, eum non ſenſiſſe, aut docuiſſe, aliquam fieri ſubſtantiæ panis aut vini tranſmutationem in corpus & ſanguinem Domini. Quis enim dicet, realem Chriſti ſanguinem in terram ſtillare? aut quis citra horrorem audire poterit, eundem ſanguinem per ebrietatem & veracitatem evomi poſſe, ut alii loquuntur? Sin dicant, ad ſpecies tantum hæc referenda, figurata & metonymica dicendi ratione, ſecundum quam externa & viſibiles ſpecies corporis nomine vocentur, quod Scarga Ieſuita contra Volanum facit : Reſpondeo, voce ſpeciei eos fallere, & falli. Accidens enim non cadit, niſi imaginatione : nec rubedo aut albedo cadere in terram evomive poteſt. Neceſſe eſt ergo, ut vel docuerit Pius, ſubſtantiam ſignorum remanere, vel cum ſumma blaſphemia aſſeruerit, Chriſtum ipſum infirmum, & infinitis ludibriis obnoxium eſſe : ſicut Turrianus Ieſuita ſenſit, qui docuit, corpus Chriſti non modo elevari in manibus ſacerdotis in crucem, frangi, diſtribui, ac in nobis ſepeliri, ſed ſæpenumerò etiam ſceleratis manibus fœdè tractari, proiici, imò à muribus & ſoricibus conſumi : non tamen corrumpi, neque interitum pati.*

Pius non docuit tranſſubſtantiationem.

Secundò *decrevit*, Vt nullus de his, qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſsè ſe ingerant Sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, ſine hujuſmodi paſſionibus in terra probantur eliſi : qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio, per diſcretionem Epiſcopi, inveniantur ab incurſu dæmonum liberati.

2. Dæmoniacis non communicandum Cœnæ.

Tertiò, Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.

3. De Eulogiis.

SOTER.

Miſſa à ieiunis celebranda.

Soter decrevit, ut nullus Epiſcopus, vel Sacerdos poſt cibum potúmue, ſive quodlibet minimum ſumptum, ſed ieiunus Miſſam celebret : *ut referunt Magdeburgenſes Centuriatores, Cent. 2. Col. 115.*

In die Cœnæ omnes communicare debent.

Inſtituit etiam, in die Cœnæ Domini ſacram communionem omnes debere accipere. Verba eius hæc ſunt de Conſec. diſt. 2. cap. 17. in Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit eccleſiaſticus uſus demonſtrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Domini ſacramenta reconcilientur.

ZEPHY-

ZEPHYRINUS.

Vide lectorem fol. 9. b Platin. vasis in Cœna vtendum. 2. In Pascha quo anno publicè communicandū

Zephyrinus electus circa annos Christi 205. constituit, ut consecratio sanguinis deinceps in vitreo vase, non autem in ligneo, ut antea fiebat, celebraretur. *De Consec. dist. 1. ca. 44. Platina in ejus vita.*

Decrevit etiam, Vt omnes Christiani annos pubertatis attingentes, singulis annis in solenni die Paschæ publicè communicarent: *ut Platina, Nauclerus Generat. 2. Sabellicus referunt. Falsò autem hoc decretum eo sensu, quo postea ab Innocentio 3. & Lateranensi concilio repetitum fuit, Zephyrino tribui, inde colligi potest, quòd Gregorii M. ætas quotidianum Eucharistiæ usum adhuc in illa ipsa Ecclesia retinuit. Zephyrinus verò fortasse non male Ecclesiæ suæ, pro temporum illorum ratione, hoc suo decreto consulere voluit. Nam certissimum est, sacram Cœnam tum fidelibus datam, quoties in cœtum convenirent, nec dubium est quin maxima eorum pars communicaret. Sed quùm vix unquam eveniret, ut simul omnes communicarent: necesse vero esset, ut qui permixti erant profanis & idololatris, externo aliquo symbolo fidem suam testarentur: diem certum in anno ordinis ac politiæ causa Zephyrinus statuit, quo totus Christianorum populus fidei confessionem, sumptione Cœnæ Dominicæ ederet. Quod institutum, bonum alioquin, malè posteritas detorsit, quæ certam legem de una quotannis communicatione in Paschate tulit. Longè igitur aliud fuit vetus solennis communio in Paschate vel alio die, quàm sicut hodie observatur apud Pontificios. Illi enim aliis etiam temporibus, imò in omnibus ac singulis ferè cœtibus communicabant, & Episcopi docendo, monendo, hortando & objurgando eos urgebant, ut ex Chrysostomo, Ambrosio & aliis supra intelleximus, ad frequentem & crebrum communionis usum: Papistæ autem censent, ex præcepto neminem obligari, nisi ut semel tantùm in anno communicet, ut suo loco indicabitur.*

VRBANUS.

Omnia sacra vasa aurea vel argentea celebranda. Vide lectorem fol. 10.

Vrbanus circa annos Christi 230. decrevit, ut omnia sacra vasa aurea, vel argentea fierent: Vel, si pauper esset Ecclesia, stannea: non autem ampliùs vitrea, propter fragilitatem: nec lignea, propter porositatem: nec cuprea, vel orichalcica, propter nauseam, *ut Damasus testatur. Ac seculo quidem Hieronymi, circa annos Domini 370. usus vasorum aureorum & argenteorum pro pane benedicendo, & vino distribuendo in sacra Cœna, maximè floruit, liberalitate ac magnificentia Imperatorum invectus in Ecclesias, potissimùm verò Romanam & Constantinopolitanam, ut Augustarum urbium, conniventibus, imò promoventibus hanc rem earum Episcopis, sacra sic ornari dignum judicantibus.*

Inde verò mos hic etiam in alias paulo post Ecclesias translatus est: non tamen in omnes, sicut ex Triburiensis Synodi, anno Domini 811. celebratæ, constitutione intelligitur, quæ ca. 18. inter alia sic habet: Nostris diebus qui servi patrisfamiliàs sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat: ne unde placari debet, inde irascatur Deus. *De Consec. dist. 1. c. Vasa.*

Sequuta est anno Domini 813. Remensis Synodus, quæ ca. 6. Vrbani decretum confirmavit, sancivitque, ut calix Domini cum patina, si non ex auro, omninò ex argento fiat. *Et paulò post*: Si quis autem tam pauper est, ut saltem vel stannæum calicem habeat. De ære, aut orichalco non fiat calix: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare. *De Consec. dist. 1. ca. 45. His legibus argentea, vel etiam aurea vasa, tanquam absolutè ad Eucharistiam necessaria requiruntur. Synodus enim Triburien. dicit*, ne mysterium hoc in ligneis vasculis VLLO MODO conficere præsumat Sacerdos: nisi enim hoc observetur, Deum non placari, sed potiùs IRATVM reddi. *Remensis etiam Synodi verba sunt*, ut nullus in ligneo aut vitreo calice PRÆSVMAT Missam cantare.

Leges de puritate vasis in luxum degenerarunt.

Hæ verò leges de aureis, vel argenteis patinis & calicibus in sacra Cœna, etsi ab initio tolerabiles fuerunt: progressu tamen temporis in fastum ac luxum immoderatissimum degenerarunt. Nam, ut lib. 3. Chronici Mersburgensis cap. 5. narratur, Henricus 2. Imp. auri purissimi calicem decem & octo marcarum, seu 1645. aureorum & ampliùs, ad communionis usum donavit Ecclesiæ Mersburgensi. Vnde obiter intelligimus, eo adhuc tempore totum populum unà communicasse sub utraque specie. Deinde libellus de veteribus Ecclesiæ Moguntinensis thesauris, annos ante quingentos conscriptus, aurei calicis ingentis ponderis ansati meminit; Rhenanus testè in suis Annotationibus ad Tertulliani librum de Corona militis. Refert etiam Vadianus lib. 6. de Eucharistia in templo majori Sangallensi in Helvetia, calicem fuisse inauratum ponderis 70. marcarum argenti, ad plebetam & publicam communionem haud dubiè factum. Et in libro Pontificali scribitur, Constantinum Papam patinam auream librarum duodecim reficisse: Ioannem 7. quoque feciſſe calicem aureum librarum

TELESPHORVS.

1. In nocte Natalis Christi tres Missæ celebrandæ.

TEleſphorus circa annos Domini 130. conſtituit: ut in Natali Ieſu Chriſti noctu tres Miſſæ celebrarentur: prima, in dimidio noctis, quo Chriſtus in Bethlehem naſcitur: ſecunda, illucеſcente aurora, quando à paſtoribus cognitus eſt: tertia, eadem diei hora, qua nobis dies redemtionis & veritatis illuxit: cùm omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum eſſet, qua hora Dominus noſter cruci affigitur. *Platina. Sabellicus Ennead. 7. lib. 4. Euſebius in Chron.*

2. Secundò, *ſancivit*, ut in nocte Nativitatis Chriſti ante ſacrificium hymnus ille Angelorum caneretur, Gloria in excelſis Deo. *Platina, & de Conſec. diſt. 1. cap. 48. item in Epiſtola Decretali cap. 2. Damaſus Tom. 1. Conciliorum. Durandus Ration. lib. 6. cap. 13. Eſt autem hæc Teleſphori conſtitutio non improbanda, quum gratiarum actionem & eximiam laudem Dei contineat.*

HYGINVS.

Evariſtus. HYginus inſtituit, ne Templa ſine Miſſarum celebratione dedicarentur: *quod tamen ab aliis Evariſto aſcribitur. In hunc verò uſum nulla Eccleſia Cœnam celebraſſe legitur.*

PIVS.

4. Canula circa ſanguinem. Vide Retrum fol. 5. b. PIus, *qui Epiſcopatum Rom. circa annos Chriſti 144. adeptus eſt, conſtituit*, Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradatur, & igne conſumatur, & cinis intra altare recondatur, & Sacerdos 40. diebus pœniteat. Si ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat, Si uſque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat, calice ſubterpoſito, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur. *Tomo 1. Concil. Item, de Conſec. diſt. 2. Si per negligentiam: Et in decretis Ivonis lib. 1. Ex his Pii verbis intelligitur, eum non ſenſiſſe, aut docuiſſe, aliquam fieri ſubſtantiæ panis aut vini tranſmutationem in corpus & ſanguinem Domini. Quis enim dicet, realem Chriſti ſanguinem in terram ſtillare? aut quis citra horrorem audire poterit, eundem ſanguinem per ebrietatem & veracitatem evomi poſſe, ut alii loquuntur? Sin dicant, ad ſpecies tantum hæc referenda, figurata & metonymica dicendi ratione, ſecundum quam externa & viſibiles ſpecies corporis nomine vocentur, quod Scarga Ieſuita contra Volanum facit: Reſpondeo, voce ſpeciei eos fallere, & falli. Accidens enim non cadit, niſi imaginatione: nec rubedo aut albedo cadere in terram evomive poteſt. Neceſſe eſt ergo, ut vel docuerit Pius, ſubſtantiam ſignorum remanere, vel cum ſumma blaſphemia aſſenerit, Chriſtum ipſum infirmum, & infinitis ludibriis obnoxium eſſe: ſicut Turrianus Ieſuita ſenſit, qui docuit, corpus Chriſti non modo elevari in manibus ſacerdotis in crucem, frangi, diſtribui, ac in nobis ſepeliri, ſed ſæpenumerò etiam ſceleratis manibus fœdè tractari, proiici, imò à muribus & ſoricibus conſumi: non tamen corrumpi, neque interitum pati.*

Pius non docuit tranſſubſtantiationem.

2. Dæmoniacis non committenda Cœna.

Secundò *decrevit*, Vt nullus de his, qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſsè ſe ingerant Sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, ſine hujuſmodi paſſionibus in terra probantur eliſi: quî tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio, per diſcretionem Epiſcopi, inveniantur ab incurſu dæmonum liberati.

3. De Eulogiis.

Tertiò, Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.

SOTER.

Miſſa à ieiunis celebranda. SOter *decrevit*, ut nullus Epiſcopus, vel Sacerdos poſt cibum potúmue, ſive quodlibet minimum ſumptum, ſed ieiunus Miſſam celebret: *ut referunt Magdeburgenſes Centuriatores, Cent. 2. Col. 115.*

In die Cœnæ omnes communicare debent. *Inſtituit etiam, in die Cœnæ Domini ſacram communionem omnes debere accipere. Verba eius hæc ſunt de Conſec. diſt. 2. cap. 17.* in Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit eccleſiaſticus uſus demonſtrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Domini ſacramenta reconcilientur.

ZEPHY-

ZEPHYRINUS.

Vide lectorum fol. 9. b Vitrea vasa in Cœna usitatum.

2. In Paschate quotannis publicè communicandi

ZEphyrinus electus circa annos Christi 205. *constituit*, ut consecratio sanguinis deinceps in vitreo vase, non autem in ligneo, ut antea fiebat, celebraretur. *De Consec. dist. 1. ca. 44. Platina in ejus vita.*

Decrevit etiam, Vt omnes Christiani annos pubertatis attingentes, singulis annis in solenni die Paschæ publicè communicarent: *ut Platina, Nauclerus Generat. 2. Sabellicus referunt. Falsò autem hoc decretum eo sensu, quo postea ab Innocentio 3. & Lateranensi concilio repetitum fuit, Zephyrino tribui, inde colligi potest, quòd Gregorii M. ætas quotidianum Eucharistiæ usum adhuc in illa Ecclesia retinuit. Zephyrinus verò fortasse non male Ecclesiæ suæ, pro temporum illorum ratione, hoc suo decreto consulere voluit. Nam certissimum est, sacram Cœnam tum fidelibus datam, quoties in cœtum convenirent, nec dubium est quin maxima eorum pars communicaret. Sed quùm vix unquam eveniret, ut simul omnes communicarent: necesse verò esset, ut qui permixti erant profanis & idololatris, externo aliquo symbolo fidem suam testarentur: diem certum in anno ordinis ac politiæ causa Zephyrinus statuit, quo totus Christianorum populus fidei confessionem, sumptione Cœnæ Dominicæ ederet. Quod institutum, bonum alioquin, malè posteritas detorsit, quæ certam legem de una quotannis communicatione in Paschate tulit. Longe igitur aliud fuit vetus solennis communio in Paschate vel alio die, quàm sicut hodie observatur apud Pontificios. Illi enim aliis etiam temporibus, imò in omnibus ac singulis ferè cœtibus communicabant, & Episcopi docendo, monendo, hortando & objurgando eos urgebant, ut ex Chrysostomo, Ambrosio & aliis supra intelleximus, ad frequentem & crebrum communionis usum: Papista autem censent, ex præcepto neminem obligari, nisi ut semel tantum in anno communicet, ut suo loco indicabitur.*

VRBANUS.

Omnia sacra vasa aurea vel argentea olebrandæ. Vide lectorem fol. 10.

VRbanus circa annos Christi 230. decrevit, ut omnia sacra vasa aurea, vel argentea fierent: Vel, si pauper esset Ecclesia, stannea: non autem amplius vitrea, propter fragilitatem: nec lignea, propter porositatem: nec cuprea, vel orichalcica, propter nauseam, *ut Damasus testatur. Ac seculo quidem Hieronymi, circa annos Domini 370. usus vasorum aureorum & argenteorum pro pane benedicendo, & vino distribuendo in sacra Cœna, maximè floruit, liberalitate ac magnificentia Imperatorum invectus in Ecclesias, potissimùm verò Romanam & Constantinopolitanam, ut Augustarum urbium, conniventibus, imò promoventibus hanc rem earum Episcopis, sacra sic ornari dignum judicantibus.*

Inde verò mos hic etiam in aliàs paulò post Ecclesias translatus est: non tamen in omnes, sicut ex Triburiensis Synodi, anno Domini 811. celebratæ, constitutione intelligitur, quæ ca. 18. inter alia sic habet: Nostris diebus qui servi patrisfamiliàs sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat: ne unde placari debet, inde irascatur Deus. *De Consec. dist. 1. c. Vasa.*

Sequuta est anno Domini 813. Remensis Synodus, quæ ca. 6. Vrbani decretum confirmavit, sanciviltque, ut calix Domini cum patina, si non ex auro, omninò ex argento fiat. *Et paulò post*: Si quis autem tam pauper est, ut saltem vel stanneum caliceum habeat. De ære, aut orichalco non fiat calix: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare. *De Consec. dist. 1. ca. 45. His legibus argentea, vel etiam aurea vasa, tanquam absolutè ad Eucharistiam necessaria requiruntur. Synodus enim Triburiens. dicit*, ne mysterium hoc in ligneis vasculis VLLO MODO conficere præsumat Sacerdos: nisi enim hoc observetur, Deum non placari, sed potiùs IRATVM reddi. *Remensis etiam Synodi verba sunt*, ut nullus in ligneo aut vitreo calice PRÆSVMAT Missam cantare.

Leges de pretiosis vasis in usum degenerarunt.

Hæ verò leges de aureis, vel argenteis patinis & calicibus in sacra Cœna, etsi ab initio tolerabiles fuerunt: progressu tamen temporis in fastum ac luxum immoderatissimum degenerarunt. Nam, ut lib. 3. Chronici Mersburgensis cap. 5. narratur, Henricus 2. Imp. auri purissimi calicem decem & octo marcarum, seu 1645. aureorum & ampliùs, ad communionis usum donavit Ecclesiæ Mersburgensi. Vnde obiter intelligimus, eo adhuc tempore totum populum unà communicasse sub utraque specie. Deinde libellus de veteribus Ecclesiæ Moguntinensis thesauris, annos ante quingentos conscriptus, aurei calicis ingentis ponderis ansati meminit; Rhenano teste in suis Annotationibus ad Tertulliani librum de Corona militis. Refert etiam Vadianus lib. 6. de Eucharistia in templo majori Sangallensi in Helvetia, calicem fuisse inauratum ponderis 70. marcarum argenti, ad plebeiam & publicam communionem haud dubiè factum. Et in libro Pontificali scribitur, Constantinum Papam patinam auream librarum duodecim refecisse: Ioannem 7. quoque feciss calicem aureum librarum

librarum viginti, eumque gemmis pretiosis decoraſſe: Sergium etiam Papam patinam dediſſe habentem in margine gemmas, & in medio crucem ex hyacintho & ſmaragdo, penſantem libras viginti.

Rationes quibus pretioſa vaſa in Cœna defendantur, ex manuſcr.

Expendamus autem paucis rationes, quibus hunc luxum aureorum & argenteorum vaſorum defendere nitantur. Durandus igitur lib. 1. cap. 3. Ration. ſic inquit, Calicis nomen à Veteri & Novo Teſtamento originem traxit: Nam Ierem. 51. legitur, Calix aureus Babylon inebrians omnem terram, &c. *Vix ullum patuiſſet Durandus ex utroque Teſtamento aptius teſtimonium proferre, quò non ſolùm probaret, calices olim in uſu fuiſſe, & quidem aureos: ſed etiam latens ſimul myſterium referaret, meretricis iſtius Babylonicæ, hoc eſt, Antichriſti Romani, quæ polluto aureo ſuo calice, totum orbem Chriſtianum, tanquam altera Circe, ſuis veneficiis inebriavit & dementavit. Triburienſis Synodus hanc aureorum & argenteorum vaſorum rationem reddit*: Ne decus, *inquit*, matris Eccleſiæ minuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur, ſtatuimus, ut deinceps nullus Sacerdos myſterium corporis & ſanguinis Domini N. Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis ullo modo conficere præſumat, ne unde placari debet, inde iraſcatur Deus. *Refutat autem Bellarminus, licet inſcius, hanc Synodi iſtius rationem, docens* Sacramenta non ideo principaliter placere Deo, quòd auro miniſtrentur. *Rectè quidem: nam & Lactantius in lib. Inſtitut. ait*, Veſtes, gemmas, aurum & cætera, ſi quis putet Deo chara, is planè quid ſit Deus neſcit. *Patres igitur Synodi iſtius Deum verum, ſicut olim Ethnici ſuos Deos, humano pede menſi ſunt: homines enim auro & argento placantur: Et, Placatur donis Iuppiter ipſe datis, inquit Poëta. Deus verò nec auro, nec argento, nec humanis manibus colitur, ut Paulus Act. 17. docet.*

Deinde Triburienſis & Remenſis Synodi, lignea, vitreaque vaſa, *ob Tranſubſtantiationis ſigmentum, quod ipſo ſeculo in Eccleſia ſuccreſcere cœpit, prohibuiſſe videntur: ne videlicet verus ſanguis Chriſti vel effunderetur, vel à ligno exugeretur. Veterunt igitur ne calix ligneus ſit, propter paraſitatem: vel vitreus, propter fragilitatem, ut Petrus de Natalibus, in Vrbano ſcribit. Apud Veteres autem, qui ſenſerunt, neque panem, neque vinum quicquam de priſtina ſua natura amittere, nullum erat periculum, ne ſanguinis ſacri calix, ſi vitreus eſſet, frangeretur, & ſanguis ille ſacer effunderetur: aut imbiberetur, exugeretur ve à ligno, quod ſpongioſo eſt corpore, ſi ligneus eſſet: ideoque non dubitarunt ligneis & vitreis vaſis uti. At nunc alia ratio eſt.*

Remenſis Synodi ratio, ob quam prohibet, ex are vel orichalco vaſis conflatis uti, ne eorum ærugine illis contentus Sanguis, vel aceſcat, vel corrumpatur, vel vomitum provocet, valde eſt infirma. Nam apud Pontificios vinum, non ut panis in longum tempus aſſervatur; & propterea metus iſte ſupervacaneus fuit.

FABIANVS.

1. Ter quotannis communicandi.

QVum verò Zephyrini decreto nonnihil in contemptum Cœna Dominica adducta eſſet, & nonnulli exiſtimarent hanc annuam communionem ſufficere: ſequentes Pontifices, ut huic malo occurrerent, ſanciverunt, ut quisque ter quotannis ſolenniter ad Cœnam accederet. Fabianus enim circa annos Domini 245. decrevit, Si non frequentiùs, ſaltem ter in anno homines communicent, in Paſchate videlicet, Pentecoſte & Natali Domini: *ut etiam de Conſec. diſt. 2. c. Etſi non habetur. Refert idem quoque Sabellicus Enne. 7. lib. 7. Repetitur etiam in Agathenſi Synodo, cujus Ca. 18 ſic habet*: Seculares, qui in Natali Domini, Paſcha & Pentecoſte non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur: *Et in Turonenſi Synodo juſſu Caroli M. celebrata, ca. 50. Aventinus quoque lib. 4. fol. 367. Annalium refert, Carolum M. edixiſſe*, Laicum plus quàm ter in anno Euchariſtiam ſumere non debere. *Idem Ludovicus Pius Imp. Caroli M. filius aliquando ſanxit, mandans*, ut ſi ſæpius Laici nollent, ter ſaltem quotannis Euchariſtiam perciperent, & quidem ſub utraque ſpecie. *Quod quidem edictum, quingentis poſt Caroli M. mortem annis, vim authoritatemque ſuam adhuc obtinuit.*

2. Offerendum ſingulis Dominicis diebus ad altare.

Secundò *decrevit, ut in omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat, ſam panis, quàm vini. Ex quibus colligitur, communionem Dominico quoque die ab omnibus laicis & clericis, fœminis & viris celebratam fuiſſe.*

3. Præſigitur ſilentium Miſſam non celebrans.

In Codice decretorum ſexdecim librorum, lib. 5. cap. 9. Fabiano adſcribitur, quod alioquin in Decretalibus ejus non invenitur, quòd decreverit, ut Presbyter illiteratus Miſſam celebrare non audeat. Verba hæc ſunt: Sacrificium non eſt accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas obſervationes in Miſſa ſecundùm ritum implere non poteſt. *Hoc autem in Baptiſmi Sacramento non obſervatur. Sic enim Zacharias 1. Papa Bonifacio Germanorum Apoſtolo ſcripſit*: Retulerunt mihi nuntii tui, quòd fuerit Sacerdos in eadem provincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſcius Latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia & Spiritus ſancta: & propter hoc

hoc cogitasti rebaptizare. Sed si ille, qui baptizavit, non errorem inducens vel hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ linguæ infringendo linguam baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuò baptizetur: *ut de Consec. dist. 4. Retulerunt, & ab Aventino lib. 3. Annal. refertur.*

STEPHANVS.

Vestitus singularis in Cœna instituit.

Instituit hic Pontifex singularem vestitum, nec in aliis, quàm in sacris Eucharistiæ, eo indui sacerdotes, nec ab aliis quidem, quàm à sacratis contrectari decrevit. Verbâ ejus sic habent in primæ ejus Decretali : Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia & honestate, à sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus aliis in usibus (quum Deo, ejusque servitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quàm ecclesiasticis & Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes & talia præsumentes, veniat divina, & corruere eos faciat divinæ ultionis iustum flagellum ad ima.

SIXTUS II.

Artinus Polonus & Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 30. indicant, Sixtum hunc instituisse, ut Missa super altare celebretur. Hoc autem absque omni authoritate veteris alicujus probati authoris faciunt. *Deinde ea fuit adhuc sub Sixto hoc, temporum conditio*, ut nulla templa Christianis erigere licuerit, quandoquidem ne prodire ipsi in publicum plerunque auderent, & benignè secum agi tum crederent, cùm intermissis persecutionibus in urbibus tolerarentur. Num verò Aras priùs exstructas, quàm templa, fuisse arbitrabimur? Aut recentioribus istis plus fidei habere volumus, quàm Origeni & Atnobio, qui 25. tantùm annis ante Sixtum floruerunt? & tamen produnt, sibi, suo adhuc tempore ab Ethnicis objectum fuisse, quòd nec Templa, nec Aras ullas haberent.

FELIX.

1. Missæ nō nisi in sacro loco celebrandæ.

Felix 1. circa annos Domini 277. instituit, ut nullibi, necessitate excepta, quàm in sacro loco, sacrificium, quod Missam appellant, celebraretur. Quod si de consecratione templi ignoratum fuerit, ut pote vetustate & abolitione monumentorum, consecrari denuò mandavit. *Platina. Idem Petrus de Natalibus Syricio quoque tribuit: & Felici 4. epistola ejus Decretalis. Sic etiam Sylvester decrevit*, Vt nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps voluerit esse sacerdotii: *de Consec. dist. 1. cap. 15. In Moguntina quoque Synodo anno 888. habita, ca. 9. præcipitur*, ne Missarum solennia ubiq; , sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebrentur. *Conceditur tamen ibidem*, ut sicubi Ecclesiæ fuerint incensæ, Missas in Capellis consecratis celebrent. In itinere verò constitutis, si Ecclesia defuerit, sub divo, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque vasa sacra ad id officium pertinentia adsint, Missas celebrare *Patres Synodi permittunt.* *Sylvester.*

Rationes huius legis.

Audiamus autem quibus rationibus has constitutiones probet Gratianus de Consec. dist. 1. cap. 2. Tabernaculum, *inquit*, Moseu Domino præcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa, & altari ejus, & æreis vasis, & utensilibus ad divinum cultum explendum legimus, & non solùm divinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione, Domino jubente, perliniisse novimus. Qualiter autem hæc facta sint, & quomodo ipsa sacra non alii, quàm Sacerdotes sacra unctione delibuti, Dominoq; cum vestibus sanctis sacratis, & Levitæ tractabant, ferebant, erigebant, & deponebant, in ipsis institutionibus, quæ jubente Domino conscriptæ sunt per Moysem, in lege Domini reperitur. Qualiter ergo David Regum piissimus amplificaverit cultum Dei, & templum Domino ædificare voluerit, sed propter multum sanguinem, quem effuderat, prohibitus est, & ipse collegerat expensas. Salomon quoq; filius ejus idipsum, quod ipse facere optaverat, iubente, & auxiliante Deo perfecit, & templum cum altari, & reliqua ad divinum cultum peragendum consecravit; in lib. Regum legitur. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino Deo nostro septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus; & in die 8. dimisit populos Iudæi ergo loca, in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata; nec in aliis, quàm Deo dicatis locis, munera Deo offerebant. Si enim Iudæi, qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant; multo magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout melius possumus, ornare, eaque divinis precibus, & sanctis unctionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad divi-

num cultum explendum utensilibus devotè, & solenniter sacrare, & non in aliis locis, quàm in Domino sacratis, ab Episcopis, & non à Chorepiscopis (qui sæpè prohibiti sunt, nisi, ut prædictum est, summa exigente necessitate) Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. *Hæc omnia Gratianus. Digna certè tantis Theologis ratio: cui bellè etiam convenit interpretatio Glossatoris:* Si enim, *inquit*, id Gentiles faciebant, multò magis facere debemus nos: & sic possumus argumentari ab exemplis infidelium. *Glossator itaque hæc instituta à Gentilium: author verò à Iudæorum authoritate & exemplo confirmat. Quibus non immeritò etiam adiungi debet Durandi ratio, ejusdem monetæ & ponderis, quam in hoc eodem argumento his verbis recenset in Ration. lib. 1. ca. 6.* Nabuchodonosor etiam Rex, vocavit omnes Satrapas, optimates & tyrannos ad dedicationem statuæ aureæ, &c. *Cogitandum autem his erat Theologis, quantum inter Ethnicismum & Christianismum: & rursus inter hunc & Iudaismum, inter Legem & Evangelium, & utriusque ministerium: Item inter umbras & earum patefactam veritatem: denique inter Mosen & Christum: inter sacerdotium Leviticum & Evangelicum interfit: & quàm non conveniat, vel legales ceremonias, jam olim abrogatas, in usum revocare: vel novas ceremonias, easque Ethnicas, & ingenio humano excogitatas, rursus in Christi Ecclesiam accersere, & sic tanquam postliminio, non solùm Iudaismum, sed etiam Ethnicismum, tanquam abrogato Christianismo, restituere.*

Missa à viris tantùm sacris initiatis celebrâta. Viris sacris initiati qui.

Idem decrevit, ut sacrificium, quod hodie Missam appellant, à nullis quàm viris sacris initiatis celebraretur. *Platina in vita Felicis.*

Intelligunt autem hodie per viros sacrii initiatos, qui ab Episcopo ordinati & initiati sunt Sacerdotio: & hoc ita necessarium esse dicunt ad Eucharistiam conficiendam, ut sine eo nullo modo confici possit. Hæc autem illorum initiatio seu ordinatio hodie in Papatu fit, Primò, *per tonsuram, unctionem, consecrationem, & impressionem characteris indelebilis animæ, ut ipsi quidem loquuntur.* Deinde, *finem initiationis hujus constituunt, non tam prædicationem Evangelii, quàm consecrationem Sacramentorum. His enim verbis inter alia Episcopus utitur in Sacerdotii initiatione:* Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam unctionem, & nostram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque consecraverint, consecrentur, &c. Tertiò, *per consecrationem, quæ à Sacerdote fiat, intelligunt vim faciendi ex pane & vino verum corpus & sanguinem Christi. Nam & fieri symbolorum mutationem substantialem fingunt, & efficaciam Sacramentorum in ordinis Sacerdotalis dignitate, verborum pronunciatione, & magna varietate gestuum collocent.* Quartò, *peculiarem potestatem Sacerdotibus suis assignant, quòd immortalem Dei Filium ipsi mortales & miseri, Deo Patri in sacrificium quotidie offerre, hoc est, ad tribunal Dei sistere possint reverâ, & modo quodam corporeo, sub speciebus panis & vini, idque pro vivis ac mortuis. Nam & hæc verba leguntur in ordinatione eorum:* Accipe potestatem offerre Deo sacrificium, Missasque celebrare pro vivis & mortuis. *Sed quum errores hi conjuncti sint cum horribili idololatria, meritò Reformatarum Ecclesiarum Ministri hujusmodi initiationem non petunt, sed satis illis est, si per electionem, manuum impositionem, ac preces Ecclesiæ legitima ratione ordinati & initiati sint ministerio: præsertim quum Christus in institutione Ministerii Ecclesiastici nullam certam formam ordinandi ministros præscripserit, neque singulares quasdam formas in Apostolorum electione adhibuerit, multo minùs certæ cuidam formæ Ordinationis promissiones gratiæ suæ adjunxerit. Apostoli etiam Mathiam sine tonsura, chrismate & consecratione, sola oratione & divina sorte elegerunt & consecrarunt in Apostolum, Act. 1. Paulus quoque formam ordinandi Ministros Timotheo & Tito præscribens, characteris indelebilis non meminit. Ineptum enim est, quòd nonnulli verba Pauli 1. Tim. 4. c. huc detorquent.* Ne neglexeris quod in te donum est, quod datum est tibi per Prophetiam cum impositione manuum authoritate Sacerdotii. *Nullius characteris Paulus meminit: nec dicit per impositionem manuum illapsam esse Timotheo cælestem & divinam quandam virtutem, aut characterem animæ, quo idoneus factus sit ad ministerium prædicandi Evangelii, sed vocat χάρισμα. Certum autem est χάριν & χάρισμα non semper occultum donum sive gratiam significare, sed interdum etiam ipsum docendi officium: ut Rom. 1. Per quem accepimus χάριν καὶ ἀποστολήν: ubi gratiam vocat ipsam muneris Apostolici functionem. Sic & Timotheus per impositionem manuum Presbyterii vel Sacerdotii accepit officium & munus docendi, & hoc externo signo coram omni populo ad prædicandum Evangelium declaratus & confirmatus fuit. Præterea licèt Cardinales, Episcopi & Sacerdotes Papistici initiati sint per tonsuram, unctionem & impressionem imaginariam characteris, tamen quum plerique eorum rebus secularibus toti addicti sint, qui castra, & aulas Regum ac Principum, easque, quæ in illis sunt, voluptates sectentur, de instituendis aut gregibus, de docendo & Sacramentis administrandis parùm soliciti, certè etiam ad Sacramenta tractanda, tanquam laici & seculares, inepti sunt:*

sunt : præsertim quum eos etiam nec doctrina, nec laudabilis vita commendet , & vel favore Principum , vel ambitu ad illas dignitates perveneriut.

Rationes imitatio-nis Papisti-cæ ac ea-rum re-futatio.

Conantur autem Papistæ suam sententiam defendere , primò, exemplo Christi , qui sacram Cœnam administrans Sacerdotem egerit. Sed hoc falsum est: Christus enim non fuit Sacerdos externus , cujus officium esset aliquid externum Deo offerre : sed fuit præco Evangelii , ac proinde minister Novi Testamenti , quo tempore Sacerdotium externum debuit aboleri: sicut etiam paulò post abolitum est oblatione corporis ipsius in ara crucis. Deinde , ut concedamus maximè , fuisse & egisse Christum Sacerdotem in institutione & administratione Cœnæ, tamen non egit talem, qualem ad conficiendam suam Missam Pontificij requirunt: non enim fuit tonsus , chrysmate delibutus, & impressione characteris cujusdam imaginarii initiatus.

Quibus dictum sit: Hoc facite, Hoc fecit.

Secundò, *probare vult hanc sententiam Bellarminus lib. 4. cap. 16. de Eucharistia , ex ipsis verbis Institutionis.* Nam, *inquit* , illud Christi Luc. 22. HOC FACITE , non est dictum nisi Apostolis : qui eo mandato ordinati sunt primi Sacerdotes Novi Testamenti. *Respondeo , utrumque, quod hic asseverat Iesuita , falsum est. Verba enim hæc ,* HOC FACITE , *non dicta sunt Apostolis, tanquam Apostolis seu ministris Novi Testamenti : sed tanquam fidelibus , & convivis in hac sacrosancta Cœna , ideoque in ipsorum persona dicta sunt fidelibus convivis omnibus ex illo tempore usque ad novissimum diem victuris. Nam in prima hac Cœna minister fuit Christus, ij verò, quibus administrabatur , erant Apostoli. Hoc sensu intellexit hæc verba Paulus , ideoque ea retulit ad omnes fideles, dicens,* Quotiescunque ederitis (*alloquitur autem totam Ecclesiam Corinthiacam*) panem hunc , & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate , donec venerit. 1. *Corinth.* 11. *Ex his iam alterius quoque sententiæ falsitas perspicitur : nempe, verbis istis,* HOC FACITE , *Apostolos ordinatos esse à Christo primos Sacerdotes in Novo Testamento. Inquit enim Bellarminus ,* HOC FACITE , non solùm significat , Manducate & Bibite , quod convenit omnibus Christianis , sed etiam significat, Consecrate , Sumite & aliis Distribuite , sicut me facere vidistis. *Respondeo , Paulus hæc verba Domini exponens , ad solam actionem edendi & bibendi ea refert , ut ex verbis ejus modò citatis facilè intelligi potest. Sed excipit Iesuita* , primò Lucas , qui solus inter Evangelistas habet illa verba : HOC FACITE , non dixerat antea , Accipite , manducate , &c. sed solùm dixerat , Accepit panem , benedixit ac dedit eis , dicens , Hoc est corpus meum. Ergo non retulit Lucas illud : HOC FACITE , ad actionem solam manducandi, quum ejus ne meminerit quidem. *Respondeo , licèt non expressè meminerit Lucas manducationis , intellexit tamen eam in verbo* DEDIT. *Certissimum enim est Dominum in hac prima Cœna panem dedisse discipulis , non tanquam ministris consecrandum & distribuendum , sed tanquam convivis , manducandum. Et impium esset dicere , aliam esse sententiam narrationis Lucæ , aliam Pauli , quum ambo ex instinctu unius ejusdemque Spiritus scripserint. Imò ipsemet Iesuita vi veritatis convictus , & sibiipsi contradicens , mox fatetur* , Lucam hæc verba retulisse ad actionem manducandi, quia Dominus etiam manducarit, juxta communem sententiam , licèt in Evangelio non exprimatur : sed simul , *ait* , ad actionem benedicendi & distribuendi retulisse quas expressérat. *Respondeo, expressérat quidem Lucas actionem benedicendi & distribuendi , sed non tanquam imperatas discipulis. sed tanquam à Domino administratas. Paulus verò , à quo Lucas non dissentit, illa verba ,* HOC FACITE, *præcisè refert ad actiones discipulis imperatas: nempe, ad actionem manducandi & bibendi : & quidem expressè ad actionem bibendi, quum ait,* Hoc facite quotiescunque biberitis. *Est autem utriusque loci idem sensus.*

Tertiò, *eandem sententiam hoc argumento defendere conatur Iesuita.* Nulla, *inquit* , est ratio, cur illud , HOC FACITE , non debeat referri ad omnia quæ Dominus fecit. *Respondeo , quòd illud mandatum debeat referri ad ea tantùm quæ Dominus discipulis tum imperavit, nimirum, ut panem illum ac poculum acciperent, ederent & biberent: non autem ad actiones bibendi frangendi & distribuendi, à Domino tunc administratas , hæc ratio & causa est, quòd distinctas esse oportet actiones Ministri & Communicantium : nec actiones ministri ad communicantes pertinent. In prima autem Cœna illa Minister fuit solus Dominus, Apostoli autem communicantes.*

Quartò , Nisi , *inquit Iesuita* , ad omnia referretur , HOC FACITE , non haberemus mandatum divinum in verbo Dei expressum de consecranda Eucharistia. *Respondeo, De consecratione Papistica, nullum extat mandatum Dei : sed de consecratione vera mandatum habetur in ipso Domini exemplo , ut qui tunc Ministri partes egit. Deinde mandatum vera consecrationis implicitum continetur in illis verbis ,* HOC FACITE : *quibus jubet discipulos edere panem , & bibere vinum , modò à se consecratum. Vt igitur communicantes huic mandato possint obedire , panis & vinum prius à Ministro consecrari debent , quàm illis exhibeantur.*

16 Can. Martyrum nomina recitanda. Memoria sanctorum quomodo Veteres celebrarint in Cœna.

Felix denique statuit, ut sacrificia quotannis Martyrum nomine celebrarentur, *Decretalis eius Epistola 2. Platina. Antoninus tit. 7. capite 8. §. 16. Polydorus lib. 6. cap. 8. Hoc Pontificis hodie de Invocatione Sanctorum mortuorum, deque Missa sua & sacrificio propitiatorio pro defunctis interpretantur, quum nihil sit minus: & error iste eo adhuc tempore Ecclesiæ incognitus, diu post introductus fuit. Eusebius Cæsarienſis, qui tempore Felicis floruit, testatur libro quarto cap. 15. quomodo Ecclesia Smyrnensis memoriam Sanctorum celebrarit:* Neque Christum, *inquiunt*, aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit: neque alium quenquam colere, quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit, noverimus. Martyres verò, tanquam discipulos Domini, diligamus & veneremur, quasi integrè fidem magistro servantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perseverantia charitatis, optamus esse participes. *Et mox*: Memoriam eorum celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur. *Idem lib. 8. cap. 6.* Ethnici arbitrantur, Martyribus apud nos divinos honores tribui, &c. *Augustinus de Civit. Dei, lib. 8. cap. 27. inquit*: Honoramus Memorias Martyrum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis. *Item*: Apud Memorias Martyrum offertur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit: ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. *Rursus de Civit. Dei, lib. 22. cap. 10.* Nos, *ait*, Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum. *Et ne quis existimet, Augustino temerè verba illa excidisse, repetit eandem sententiam contra Faustum Manichæum lib. 20. cap. 21.* Quod offertur, *inquiens*, Deo, qui Martyres coronavit: ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum, quo adiuvante possumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. *Absuit ergo à Veterum sacrificiis invocatio sanctorum Martyrum & aliorum mortuorum hominum.*

Sacrificium Martyrum nomine celebratii quid.

Quid autem per Sacrificia intelligatur, Martyrum nomine celebrata, cognosci potest ex Dionysio. Is enim prolixè describens, qua forma, & quibus ritibus suo tempore Cœna Domini celebrata sit, inter cætera & hoc refert: nomina sanctorum mortuorum & piè defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, ex ea recitata fuisse: non ut tanquam opitulatores & intercessores invocarentur, neque ut ex pœnis purgatorii liberarentur: sed *primò*, ut sic testarentur, ipsos quantumvis mortuos, & ex hoc mundo sublatos vivere adhuc in Domino, ac sempiterna fœlicitate perfrui. *Secundo*, ut vita eorum sancta, & constantia in veræ fidei confessione ad mortem usque, exempli loco omnibus aliis præsentibus proponeretur, ad cujus imitationem sese totos componerent. *Verba Dionysii hæc sunt*: Enimverò Sanctorum post pacem illam nominum prædicatio eos præconio attollit, qui piè sancteque vixerunt, & ad finem usque virtutis viam constanter nusquàm ab ea deflectendo tenuerunt: nos quidem ad imitandum beatissimum illorum habitum, atque ad divina appetenda præmia provocans ac ducens: illos autem veluti viventes prædicans: qui ut Theologia ait, non mortificati, sed divinam penitùs vitam ex morte translati sunt. Novit enim Dominus, *ut ait Scriptura*, qui sunt ejus: & pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Quæ profectò Sanctorum mors, pro consummata sanctitate dicitur vita. *Hæc ita se habere ex Cypriani Epist. quinta libro quarto quoque intelligi potest: Nam* nomen alicuius in prece Sacerdotum, *quæ in administratione Eucharistiæ fiebat*, nominare, *vocat*, sacrificium pro dormitione eius celebrare. *Et pro aliquo sacrificare, ibidem interpretatur, Deprecationem aliquam nomine ejus in Ecclesia frequentare: quod libro tertio epist. 14. vocat* nomen alicuius offerre. *Hæc autem non fiebant in quotidiana Cœnæ Dominicæ celebratione, sed anniversariis saltem diebus, quibus sancti Martyres supplicio affecti, & Martyrio coronati fuerunt: & in iis locis, in quibus corpora eorum sepulta quieverunt: quò etiam fideles magna*

Nomen alicujus in prece Sacerdotum nominare: & Sacrificium pro dormitione quid.

tremfamilias versari. Porrò de Diaconis eodem loco sic scribit: Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. *Et ad Hebræos* 13. *cap.* Honorabile, *inquit*, connubium est IN OMNIBVS: & cubile impollutum: Scortatores autem & adulteros judicabit Deus. *In Canonibus quoque Apostolorum cap.* 6. *sic legitur:* Si quis docuerit Sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit. *Dist.* 28.

Quumq; in Nicæno Concilio conarentur nonnulli introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi cum conjugibus non dormirent, Paphnutius Confessor contradixit eis, honorabiles confessus nuptias, & castitatem dicens esse cum propria conjuge concubitum, Suasit itaque Concilio, ne talem ponerent legem: gravem esse causam asserens, quæ aut ipsis, aut eorum conjugalibus occasio fornicationis existeret. *Et hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum inexpertus, exposuit, Synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. In Gangrensi quoque Concilio hæc lex de eadem re lata fuit:* Si quis discernit Presbyterum conjugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit. *Dist.* 28. *Hic Canon Græcè sic habet:* εἴ τις δι' ἀφορμὴν γάμου τοῦ ἐν ἱερεῖ προσφορὰν ἐκβάλλοι, ὡς μὴ δεῖν αὐτὸν λειτουργεῖν τῷ θεῷ, προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Id est*, Si quis secernat se à Presbytero, qui uxorem duxit, tanquam non oporteat, illo liturgiam peragente, de oblatione percipere, anathema sit. *Can.* 4. *Item*, Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias judicat; & non propter hoc solùm, quòd continentiæ & virginitatis bonum, sanctum propositum est, anathema sit. *Can.* 9. *Et*, Si quis propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit. *Canon.* 10. *Et in Constantinopolitana Synodo* 6. *Oecumenica de eadem re sic decretum fuit:* Quoniam in ordine Romani Canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, debere confiteri, quòd jam suis non copulentur uxoribus: NOS antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias valere amodo volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in oportuno tempore. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hic nullo modo prohibeatur ad talem ascendere gradum pro uxoris suæ legitima cohabitatione: Nec etiam tempore cohabitationis suæ profiteri cogatur, quòd abstinere debeat à legalis propriæ uxoris familiaritate. *Et mox*: Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, aliquos presbyterorum & diaconorum privare contactu, & communione legalis uxoris, deponatur. Similiter & presbyter, aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit; excommunicetur: si verò in hoc permanserit, deponatur. *Dist.* 31. *Ob hæc & similia decreta Ecclesia Orientalis nunquam se Cælibatus voto adstringere voluit.*

Ex multis præterea antiquis Canonibus & scriptis Patrum apparet, Ecclesiæ primitivæ Occidentalis Sacerdotes Cælibatui non fuisse adstrictos. Exstat inter Canones qui Apostolis adscribuntur Canon. 6. *qui paulo superiùs quoque fuit citatus, in hanc sententiam: Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat. Si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, deiciatur. In Concilio quoque Turonensi* 2. *circa annos Christi* 632. *celebrato sic præcipitur:* Episcopum Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum, licet salvetur vir per mulierem fidelem, & contra. *Unde colligimus Episcopos eo tempore uxores habuisse, quæ* Episcopæ *appellatæ sint. Neque verò hunc Canonem ad Ecclesiam Orientalem referri oportet, quod imperiti & inepti Glossatores faciunt: Nam in ipso sinu Galliæ hoc Concilium celebratum est, ad Ecclesias Gallicanas, non Orientales rectè administrandas, in quas Gallicanæ nullum imperium habuerunt. Cumque sub Syricio in Valentino & Taurinensi Concilio, circa annum Domini* 389. *Hispanorum & Gallorum Sacerdotibus conjugia denegata fuissent, ut Isidorus refert in Opere Conciliorum: tamen in Synodo Toletana anno Christi* 398. *Sacerdotes Hispani suum conjugium recuperarunt, ac liberorum procreationem ex verbo Dei contra Syricium defenderunt. Ambrosius etiam ad Vercellenses libro* 10. *Epistola* 82. *scribit:* Qui sine crimine est unius uxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotii suscipiendi. *Dist.* 26. *Et Hilarius in Synodo Romana sancivit*, curandum imprimis esse, ne ad sacros ordines quisquam, qui uxorem, non virginem duxit, aspiret. *Dist.* 34. *Augustinus quoque in libro de Bono viduitatis scribit:* Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis, quòd graviter peccant qui tales dividunt. *Dist.* 27.

Ex aliis porrò multis Canonibus constat, qui leguntur dist. 56. *c. Osius & c. Vnaquaque* 13. *q.* 2. *multos Episcopos Romanos Sacerdotum*

filios fuisse : quales Osius, Bonifacius, Fælix, Agapitus, Theodorus, Silverius, Deodatus, alter Fælix, Gelasius, alter Agapitus, & plerique alii fuere, quos verisimile non est spurios & nothos fuisse. Vnde rectè sequitur, illorum temporibus Cœlibatum in Ecclesia Occidentali, ac ne Romæ quidem, receptum fuisse. Exstat & alius Canon, qui testatur B. Severum Archiepiscopum Ravennatem uxorem cum liberis habuisse. Deniq; multi alii exstant ejusdem generis Canones, quibus istud Cœlibatus votum improbatur : at superiores Concilii Tridentini confutando decreto sufficiunt. Nihilominus tamen & hoc addendum est, causam, quæ moverit hoc Cœlibatus votum in Ecclesia Latina suscipere, non ex aliquo pietatis studio manasse, sed ex adumbrata quadam frugalitate, seu potius parsimonia, in bonis Ecclesiasticis administrandis & augendis, ut ex Canone, à Pontifice Pelagio petito, constat : quo docetur à Syracusano populo (nunc Sarrogosiano appellato) in Sicilia, Episcopum quendam electum & creatum fuisse, qui uxorem & liberos haberet : quam electionem Pelagius improbabat, quia Episcopum illum, cum tanta uxoris liberorumque familia Ecclesiæ bona absumere posse causaretur. Tandem tamen hanc electionem admittere compulsus est, ea tamen lege & conditione, ut Episcopus sponderet futurum, ut neque ejus uxor, neque liberi, neque etiam alii domestici, de bonis Ecclesiæ quicquam subtraherent, utque quicquid in posterum acquireret, id Ecclesiæ acquisitum esse censeretur : nihilq; liberis aliud relinqueret quàm quæ, tum cum primum electus fuisset, bona possidebat, quorumque idcirco inventarium conscriberetur.

Clerus Rom. imitatur Ethnicos Sacerdotes.

Imitatur ergo Clerus Pontificius hac in re Ethnicorum magis, quàm Veteris Testamenti & primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes. Apud Ethnicos enim Sacerdotes à Venere abstinebant, ut ad celebrationem sacrorum mundi accederent ac puri. Hanc ob causam legimus Matris Deûm sive Cybeles Sacerdotes Samiâ testâ sibi virilia amputâsse : atque illos, qui maxima sacra obibant, ut cæli manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent, herbis quibusdam seipsos evirasse & virilitatem amisisse. Matronæ quoque Athenienses, ut Venerem cohiberent in Thesmophoriis, foliis viticis cubilia substernebant. Legimus præterea, Hierophantas Athenienses, postquam in Sacerdotium cooptati essent, ut casti, sanctèq; sacrum facerent, cicutæ sorbitione sese castravisse : Ægyptios etiam Sacerdotes, mulieribus nunquam indulsisse. Sic apud Romanos illa Vestæ cultrices perpetuiq; ignis custodes, erant virgines : quales esse oportebat etiam Dianæ Ephesinæ cultrices.

Intelligit autem ex his Lector, opera & studio Syricii hujus, Cœlibatum Sacerdotum in Romanam Ecclesiam primò introductum esse, ut testatur etiam Vincentius in speculo hist. lib. 20. cap. 41. Et juxta Sigebertum anno Domini 393. terribile in cœlo signum igneæ columnæ cadentis apparuit : illi correspondens stellæ, quæ de cœlo cecidit, cui & data est clavis abyssi, Apocal. 9. Et designabat hoc signum, in foribus esse Antichristum, qui relictâ cœlesti doctrina, traditiones humanas ejus loco in Ecclesiam sit reducturus.

Secundò Syricius decrevit, ut, qui acta pœnitentia tanquam canes, ad pristinos vomitus redeant, sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacris mysteriorum celebritatibus, quanquam non mereantur, interfint : Dominicæ autem mensæ communione segregentur, ut hac saltem districtione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant. *Hinc perspicuè intelligimus, fideles communicasse, impios autem & sceleratos, à communione prohibitos fuisse, ut aliis exemplo essent.*

INNOCENTIUS.

1. Pacis osculum dandum post consecrationem.

Innocentius circa annos Domini 410. *instituit*, primò, Pacis osculum dandum non ante consecrationem Eucharistiæ, sed post eam, idque tam inter Sacerdotes, quàm Laicos, ad testandam unitatem & consensum : *quod postea Leo* 2. *neglectum vel restituit, vel confirmavit. Innocentius* 3. *lib.* 6. *cap.* 5. *de Missæ myst. De Consec. Dist.* 2. *cap.* 9. *& Decretalis ejus Epistola* 1. *ad Decentium.*

2. Catalogi offerentium post preces recitandi.

Secundò, catalogum nominum eorum, qui eleemosynas obtulerunt, post preces, quibus illæ oblationes commendantur, recitari *instituit* sub ipsis sacris mysteriis : *epistola* 1. *ad Decentium*; *& de Consec. dist.* 1. *capite ultimo : ubi hæc ejus verba leguntur :* De nominibus recitandis, antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, orationem sua commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis : ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues : quamvis illi nihil incognitum sit.

3. Infantibus danda Eucharistia.

Tertiò *decrevit*, Infantibus quoque dandam Eucharistiam : *Et quidem definivit*, parvulos, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam æternam prorsus habere non posse, *ut refertur apud Augustinum libro primo contra Iulianum Pelagianum. Hoc si sit, tripliciter erravit Innocentius :* Primò, *quòd parvulis dandam Eucharistiam statuit, quum morem istum etiam Thomas part.* 3. *quæst.* 8. *art.* 9. *apertè reiiciat.* Secundò, *quòd sine Eucharistia docuit eos non posse servari.* Tertiò, *quòd dictum Christi Ioan.* 6. *de spirituali manducatione & communione carnis ipsius, à genuino sensu detorsit*

gna frequentia convenerunt. Ideoque Felicis Papæ constitutio, si juxta Patrum ejus seculi consentientia suffragia, & receptam consuetudinem judicetur, nihil pro sacrificio Missæ facit.

De pœnitentia ejus qui ab hæretico nesciens communionem accepit.

Idem Papa de pœnitentia ejus, qui de manu hæretici nesciens prohibitam communionem accepit, sic sancivit : Si quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici, & nescit, quòd Catholica Ecclesia contradicit, postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit : decem annos pœniteat. Alii judicant septem, & quidam humaniùs, ut quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, & nescit ; quadraginta dies pœniteat : si pro reverentia ejus ; annum integrum pœniteat: si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ, & consuetudinis Romanorum ; proiiciatur ab Ecclesia, sicut hæreticus ; nisi habeat pœnitentiam: si habuerit ; decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in congregationem hæreticorum, & aliis persuaserit, & postea pœnitentiam egerit ; duodecim annos pœniteat, tres extra Ecclesiam, septem inter audientes, & duos adhuc extra communionem. De his in Canone dicitur, ut duodecimo anno communionem sine oblatione percipiant. *Causa 24. quæst. prima cap. 41.*

EVSEBIVS.

Cana in puro lineo panno celebranda.

Gratianus de Conse. dist. 1. cap. 46. indicat, Eusebium circa annos Christi 310. decreviſſe, Ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto, quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo, vel linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto : sicut corporis Dominici nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit. *Platina hoc decretum Sylvestro tribuit.*

SYLVESTER.

Lapidearum altarium author.

Gerson lib. 4. contra Floretum scribit, Sylvestrum 1. *qui Constantini M. temporibus vixit*, Aras primò lapideas erigi jussisse, *vetuisseque, ne quisquam deinceps ad aram ligneam Lateranensis Ecclesiæ consecraret, nisi ipse, suique successores. Et Gabriel Biel Lect. 13. in Canonem Missæ fatetur quoque,* Sylvestrum decreto primùm firmasse, ut nullum deinceps altare esset, nisi lapideum. *Illis autem hujusmodi altaribus fixis & lapideis opus est, qui externa sacrificia habent : unde tam apud Indæos, quàm apud Ethnicos è lapidibus construebantur, vel è tabulis are contectis, aut terra intevrius oppletis : est enim altaris correlativum sacrificium externum : illo posito, ponitur etiam hoc, illo sublato, tollitur etiam hoc. Nos verò in novo Testamento nulla habemus externa sacrificia: quod fusius probat Paulus in Epistola ad Hebr. Nam per Christi sacrificium semel peractum abolita sunt externa sacrificia, eaque de causa dicitur* Christus altare nostrum *Hebr. 13. cap. Quicunque ergo altaria fixa & lapidea requirunt, ii revocant externa sacrificia & Sacerdotes, atque ita in dubium vocant unicum Christi pro peccatis nostris oblatum sacrificium.*

MARCVS.

Symbolū Nicenū in Cana usurpandum.

Marcus anno Domini 335. voluit, ut diebus solemnibus in Missa statim post Evangelium, Symbolum Nicenum in locum symboli Apostolorum, à clero & populo magna voce, decantaretur : *sicut Platina in ejus vita testatur.*

IVLIVS.

In Cana nil nisi panis & vinum offerendū.

Hic Pontifex instituit, ut nulli deinceps liceat in Eucharistia aliud offerre, quàm panem & vinum. *Erant enim illo tempore, qui lac pro vino dedicarent : nonnulli expressas uvas in Sacramento Dominici calicis offerebant : quidam pannum lineum musto intinctum per totum annum reservabant, & tempore Eucharistia partem eius aqua lavarunt, & sic obtulerunt. Vide hac de re Iulii decretum in ejus epistola ad Episcopos per Ægyptum, & de Consecr. dist. 2. capite septimo.*

Nec in vitta Eucharistia datur

Fuerunt etiam aliqui eo tempore, qui intinctam Eucharistiam, hoc est, panem vino intinctum, plebi pro complemento Communionis porrigerent. Hanc pravam consuetudinem abrogavit Iulius, & sic sancivit : Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit & sanguinem : seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur. *De Consecrat. Dist. 2. cap. 7. Hac lex Iulia mutilationi Eucharistiæ apertissimè repugnat: qua altera specie, vino scilicet, in universum privatur populus, hoc prætextu, quòd sub panis specie etiam sanguinem percipiat. Quid enim ad hunc errorem dicturus fuisset Iulius, quum ne intinctam quidem Eucharistiam probarit: eò quòd Christus seorsim panem, & seorsim calicem fidelibus commendarit?*

DAMASVS.

1. Confessio & absolutio in Cana instituta.

Damasus circa annos Domini 368. præcepit, Primò, ut in principio celebrationis Eucharistiæ, *quam hodie Missam vocant, sinistra,*

Confessio & Absolutio diceretur, *teste Polydoro libro quinto cap.* 10. *Platina in ejus vita: Petro de Natalibus libro primo cap.* 56. *Nauclerus verò Generat. octava, Fasciculus temporum & alii Pontiano Episcopo Rom. hoc adscribunt.*

2. Symbolū Constantinop. Nicæno substitutum.

Secundò, *mandavit*, ut symbolum Constantinopolitanum in locum Niceni cantaretur in Eucharistiæ celebratione, *ut Sigebertus & Rupertus libro de Divinis Officiis c.* 21. *indicant.*

3. Alleluia restitutum.

Tertiò, *sub Damaso in Ecclesia Romana* Alleluia ad Missam cantari cœpit, *ut ex Gregorii M. l.* 7. *epistola* 63. *intelligitur.*

SYRICIUS.

Cœna à non congregatis administranda.

Syricius decrevit, neminem, nisi qui cœlibatum voverit, & in eo castè vixerit Eucharistiam administrare debere. Ministri altaris, *inquit*, Presbyteri, sive Diaconi, ad Dominica rales eligantur officia, qui continentiam servent. Si verò post ordinationem suam, ministros contigerit propriæ uxoris invadere cubile, sacrarii non intrent limina, neque sacrarii portitores fiant, neque altare contingant, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant: neque ad Dominici corporis portionem accedant, neque propinent: urceum sanè ad altare, vel calicem non suggerant. *Hoc decreto Syricius ita Sacerdotes conjugatos sacris arcet, ut neque oblationis, nec Eucharistiæ sinat eos esse cum cæteris participes: imò ita illos despicatissimè spernit, ut ne urceolum quidem, id quod videtur omnium esse postremum, ab illis contingi velit. Et Innocentius 1. ad Victricium Rothomag. Episcopum epist.* 2. *sic scripsit:* Tenere debet omnino Ecclesia, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non misceantur: quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum. Nam si prisci temporibus anno vicis suæ de templo Dei sacerdotes non discedebant, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique) propter sobolis successionem, uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus accedere præcipiebatur: quantò magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis divinis, vel à baptismatis officio vacent? *Dist.* 31. *In hanc quoque sententiam hujusmodi legem promulgavit Calixtus* 2. Presbyteris, Subdiaconis, Diaconis & Monachis concubinas habere, seu matrimonia cõtrahere penitus interdicimus: contracta quoq; matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere judicamus. *Dist.* 72. *Et in Arelatensi Synodo* 2. *cap.* 2. *sancitur*, Ne assumatur ad sacerdotium in conjugii vinculo constitutus, nisi pœnitentiam promittat. *Dist.* 28. *In Synodo Neocæsariensi cap.* 2. *jubetur* Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine suo deponi. *Dist.* 28. *In Concilio Carthaginensi* 2. *cap.* 2. *præcipitur*, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, ab uxoribus abstineant. *Dist.* 84. *Cum in. Hoc repetitur in Synodo Carthaginensi* 5. *cap.* 3. *Dist.* 32. *c. Placuit. & Dist.* 84. *cap. Cum de. Vrbanus* 2. *etiam in Synodo Melphitana sic sancivit:* Eos, qui post Subdiaconatum uxoribus vacare volunt, ab omni sacro ordine removemus, officioque & beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus indulgemus licentiam, ut eorum fœminas mancipent servituti. Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi officii interdictione mulctentur. *Dist.* 32. *Et Gregorius* 7. Missam audire à Sacerdote conjugato vetuit *in quadam Synodo anno* 1074. *celebrata, ut Sigebertus refert: & hoc decretum Anshelmus epistola octava approbat. Eodem tempore quidam Laici corpus Domini à Presbyteris conjugatis consecratum pedibus conculcaverunt, & sanguinem Domini effuderunt: sic persuasi à Romanis Pontificibus, ut Sigebertus sub annum* 1074. *refert.*

Vrbanus 2.

Gregor. 7.

Innocentius.

Calixtus 2.

Syricius quoque constituit, Si quis Clericus aut viduam, aut secundam conjugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur. *Dist.* 84 *c. Quisquis. Et Ambrosius ad Vercellenses scribit*, Qui iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur Sacerdotis: *Epistola* 82. *libro* 10.

Prohibitio matrimonii diabolica doctrina.

Contrarium autem nos docent sacræ Literæ. Nam Paulus 1. *Tim.* 4. *cap.* prohibitionem matrimonii dæmoniorum doctrinam esse *dicit, Idem Apostolus* 1. *Tim.* 3. *sic scribit:* Oportet Episcopũ irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c. *Et mox:* Suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni castitate. *Syricius autem hoc loco* Uxoris *nomine Ecclesiam intelligi debere dicit: ut sit sensus, Episcopum unius tantùm Ecclesiæ, non plurium antistitem esse debere. Sed ab ipso Paulo refutatur hæc interpretatio, qui ita subjungit:* Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? *Ad domum ergo superiora pertinent, in qua continentur uxor & liberi, & in qua Paulus vult Episcopum virum honoratum & honestum pa-*

srem-

detorsit ad manducationem Sacramentalem.

ZOSIMUS.

Zosimus, successor Innocentii, constituit, ut Diaconi, dum celebraretur Eucharistia, læras tectas haberent linostimis. *Platina. Liber Pontificalis. Sabellicus Enne. 7. libro tertio.*

Bergomensis etiam author est in Honorio Imp. Zosimum decreuisse, Eucharistiæ Sacramentum non debere administrari à Diacono, si coram sit Episcopus vel Presbyter.

CÆLESTINUS.

Psalm. Davidis antipho. natim canandi

Cælestinus, qui Episcopatui Rom. præfuit circa annos Christi 428. constituit, ut Psalmi Davidis 150. ante sacrificium Psallerentur antiphonatim ab omnibus : *quod antea non fiebat : sed tantùm Epistola Pauli recitabantur, & Evangelium, & tum finis sacrificio imponebatur. Liber Pontificalis. Platina. Sabellicus Ennead. 8. libro primo. Petrus de Natalibus. Ex hoc instituto excerpti sunt* Introitus, Gradualia & Offertoria, *ante sacrificium. Bergomensis lib. 9.*

Refert enim Platina ex Martino Cassina illud, Judica me Deus: & discerne causam meam, *quod in principio sacrificii dicitur, ejusdem Cælestini inventum esse.*

Non est autem arbitrandum, Cælestinum talem cantum Psalmorum instituisse, qui hodie in Papatu in usu est: in quo unicus tantùm versus ex toto aliquo Psalmo à Sacerdote musitatur, vel à choro ignota lingua decantatur & repetitur, ad significanda vota Patriarcharum & Prophetarum flagrantissima, quibus adventum Messiæ medullitus suspirabant, quemadmodum Pontificii fingunt : Sed quum ab Imperatore Theodosio 2. ad Concilium Ephesinum vocatus esset, ibique coram vidisset & audivisset, à Græcis in celebratione Eucharistiæ integros Psalmos concini, eumque morem approbasset Cælestinus, domum reversus, eundem in Romana quoque Ecclesia instituit. Psalmos autem in Græca Ecclesia non mutilatos, ut in Romana hodie fieri solet, sed integros decantatos fuisse testatur Chrysostomus, triginta duntaxat annis Cælestino prior, in Matthæum homil. 11. Cælestini igitur institutum nihil commune habet cum Pontificia Missa.

LEO.

Leo anno Domini 442. sancivit, ut intra actionem Eucharistiæ diceretur: Hoc sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, &c. *Item :* Hanc igitur oblationem, &c. *usque ad*, Diesque nostros in pace disponas. *Platina. Polydorus de Invent. lib. 5. cap. 11. Bergomensis in Theodosio. Sabellicus Ennead. 8. lib. 1. Sigebertus. Hanc autem Leonis legem non de Pontificiorum Missa, sed de tota actione Cænæ, totius Ecclesiæ communi, intelligendam esse, ipsemet evidentissimè docet in Serm. Quadragesi. 4. ubi de Manichæis sic scribit:* Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant Manichæi interesse mysteriis, ita Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem verò redemptionis nostræ haurire declinant. Quod ideò vestram scire volumus sanctitatem, ut hujusmodi homines vobis & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur. Quoniam B. Paulus Ecclesiam Dei prudenter præmonuit, dicens : Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. *In his verbis Leo originem* primò, *unius speciei ad Manichæos referi, qui inter cæteras monstrosas opiniones, quas defendebant, à vino etiam abstinebant: & tamen veram fidem simulantes, cum aliis conveniebant ad conciones sacras, preces & Sacramenta: utque tutiùs laterent, accedentes in turba accipiebant corpus Christi, illudque manducabant, calicem verò vafrè & callide declinabant, quod vini creaturam abominarentur.* Secundò, *docent hæc verba Leonis, usum unius speciei suo seculo ignotum fuisse : monet enim hos ex nova ista & insolita temeritate tanquam hæreticos notandos; & ex Ecclesia eiiciendos esse.* Tertiò, *Declinationem calicis Leo vocat sacrilegium, id est, divini ordinis violationem.* Quartò, *conqueritur, dogma de una specie purè doctrinæ Apostolorum adversari, magnasque dissensiones & offendicula in Ecclesia parere.* Postremò, *testatur, Eucharistiam sub utraque specie non solis Sacerdotibus, sed & Laicis, in Romana Ecclesia suo tempore exhibitam fuisse. Loquitur enim de his, qui occultè subrepebant cæteris integrum Sacramentum accipientibus : non de illis, qui Eucharistiam celebrarunt, ut Bellarminus contendit. Neque enim Manichæis in Ecclesia Romana consecrare & celebrare licuit. Lindanus fingit, ante Leonem sub una specie communionem usitatam fuisse : Sed Leonem tunc primum propter Manichæos, rursus sub utraque specie communionem instituisse & commendasse, ut faciliùs Manichæi deprehendi possent. Andradius*

Origo unius speciei in cœna.

TELESPHORVS.

1. In nocte Natalis Christi tres Missæ celebrandæ.

TEleſphorus circa annos Domini 130. conſtituit : ut in Natali Ieſu Chriſti noctu tres Miſſæ celebrarentur : prima, in dimidio noctis, quo Chriſtus in Bethlehem naſcitur: ſecunda, illucеſcente aurora, quando à paſtoribus cognitus eſt : tertia, eadem diei hora, qua nobis dies redemtionis & veritatis illuxit : cùm omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum eſſet, qua hora Dominus noſter cruci affigitur. *Platina. Sabellicus Ennead. 7. lib. 4. Euſebius in Chron.*

2.

Secundò, *ſancivit*, ut in nocte Nativitatis Chriſti ante ſacrificium hymnus ille Angelorum caneretur, Gloria in excelſis Deo. *Platina, & de Conſec. diſt. 1. cap. 48. item in Epiſtola Decretali cap. 2. Damaſus Tom. 1. Conciliorum. Durandus Ration. lib. 6. cap. 13. Eſt autem hæc Teleſphori conſtitutio non improbanda, quum gratiarum actionem & eximiam laudem Dei contineat.*

HYGINVS.

Evariſtus.

HYginus inſtituit, ne Templa ſine Miſſarum celebratione dedicarentur: *quod tamen ab aliis Evariſto aſcribitur. In hunc verò uſum nulla Eccleſia Cænam celebraſſe legitur.*

PIVS.

4. Canulæ circa ſanguinem. Vide Bertram fol. 56.

PIus, *qui Epiſcopatum Rom. circa annos Chriſti 144. adeptus eſt, conſtituit*, Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradatur, & igne conſumatur, & cinis intra altare recondatur, & Sacerdos 40. diebus pœniteat. Si ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si uſque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, vigenti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat, calice ſubterpoſito, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur. *Tomo 1. Concil. Item, de Conſec. diſt. 2. Si per negligentiam: Et in decretis Ivonis lib. 1. Ex his Pii verbis intelligitur, eum non ſenſiſſe, aut docuiſſe, aliquam fieri ſubſtantiæ panis aut vini tranſmutationem in corpus & ſanguinem Domini. Quis enim dicet, realem Chriſti ſanguinem in terram ſtillare? aut quis citra horrorem audire poterit, eundem ſanguinem per ebrietatem & voracitatem evomi poſſe, ut alii loquuntur? Sin dicant, ad ſpecies tantum hæc referenda, figurata & metonymica dicendi ratione, ſecundum quam externa & viſibiles ſpecies corporis nomine vocentur, quod Scarga Ieſuita contra Volanum facit: Reſpondeo, voce ſpeciei eos fallere, & falli. Accidens enim non cadit, niſi imaginatione: nec rubedo aut albedo cadere in terram evomive poteſt. Neceſſe eſt ergo, ut vel docuerit Pius, ſubſtantiam ſignorum remanere, vel cum ſumma blaſphemia aſſeruerit, Chriſtum ipſum infirmum, & infinitis ludibriis obnoxium eſſe: ſicut Turrianus Ieſuita ſenſit, qui docuit, corpus Chriſti non modo elevari in manibus ſacerdotis in crucem, frangi, diſtribui, ac in nobis ſepeliri, ſed ſæpenumero etiam ſceleratis manibus fœdè tractari, proiici, imò à muribus & ſoricibus conſumi: non tamen corrumpi, neque interitum pati.*

Pius non docuit tranſubſtantiationem.

2. Dæmoniacis non committenda Cœna.

Secundò *decrevit*, Vt nullus de his, qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſsè ſe ingerant Sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, ſine hujuſmodi paſſionibus in terra probantur eliſi : qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio, per diſcretionem Epiſcopi, inveniantur ab incurſu dæmonum liberati.

3. De Eulogiis.

Tertiò, Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.

SOTER.

Miſſa à laicis celebranda.

SOter *decrevit*, ut nullus Epiſcopus, vel Sacerdos poſt cibum potúmue, ſive quodlibet minimum ſumptum, ſed ieiunus Miſſam celebret: *ut referunt Magdeburgenſes Centuriatores, Cent. 2. Col. 115.*

In die Cœnæ omnes communicare debent.

Inſtituit etiam, in die Cœnæ Domini ſacram communionem omnes debere accipere. Verba eius hæc ſunt de Conſec. diſt. 2. cap. 17. in Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit eccleſiaſticus uſus demonſtrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Domini ſacramenta reconcilientur.

ZEPHY-

ZEPHYRINUS.

Vide lectiorum fol. 9. b Vitreis vasis in Cœna vtendum.

2. In Paschate quotannis publicè communicandis

Zephyrinus electus circa annos Christi 205. constituit, ut consecratio sanguinis deinceps in vitreo vase, non autem in ligneo, ut antea fiebat, celebraretur. *De Consec. dist. 1. ca. 44. Platina in ejus vita.*

Decrevit etiam, Vt omnes Christiani annos pubertatis attingentes, singulis annis in solenni die Paschæ publicè communicarent: *ut Platina, Nauclerus Generat. 2. Sabellicus referunt. Falsò autem hoc decretum eo sensu, quo postea ab Innocentio 3. & Lateranensi concilio repetitum fuit, Zephyrino tribui, inde colligi potest, quòd Gregorii M. atas quotidianum Eucharistiæ usum adhuc in illa ipsa Ecclesia retinuit. Zephyrinus verò fortasse non malè Ecclesiæ suæ, pro temporum illorum ratione, hoc suo decreto consulere voluit. Nam certissimum est, sacram Cœnam tum fidelibus datam, quoties in cœtum convenirent, nec dubium est quin maxima eorum pars communicaret. Sed quùm vix unquam eveniret, ut simul omnes communicarent: necesse verò esset, ut qui permixti erant profanis & idololatris, externo aliquo symbolo fidem suam testarentur: diem certum in anno ordinis ac politiæ causa Zephyrinus statuit, quo totus Christianorum populus fidei confessionem, sumptione Cœnæ Dominicæ ederet. Quod institutum, bonum alioquin, malè posteritas detorsit, quæ certam legem de una quotannis communicatione in Paschate talit. Longè igitur aliud fuit vetus solennis communio in Paschate vel alio die, quàm sicut hodie observatur apud Pontificios. Illi enim aliis etiam temporibus, imò in omnibus ac singulis fere cœtibus communicabant, & Episcopi docendo, movendo, hortando & objurgando eos urgebant, ut ex Chrysostomo, Ambrosio & aliis supra intelleximus, ad frequentem & crebrum communionis usum: Papistæ autem censent, ex præcepto neminem obligari, nisi ut semel tantùm in anno communicet, ut suo loco indicabitur.*

VRBANUS.

Omnia sacra vasa aureis vel argenteis celebrandæ. Vide lectiones fol. 10.

Vrbanus circa annos Christi 230. decrevit, ut omnia sacra vasa aurea, vel argentea fierent: Vel, si pauper esset Ecclesia, stannea: non autem ampliùs vitrea, propter fragilitatem: nec lignea, propter porositatem: nec cuprea, vel orichalcica, propter nauseam, *ut Damasus testatur. Ac seculo quidem Hieronymi, circa annos Domini 370. usus vasorum aureorum & argenteorum pro pane benedicendo, & vino distribuendo in sacra Cœna, maximè floruit, liberalitate ac magnificentia Imperatorum invectus in Ecclesias, potissimùm verò Romanam & Constantinopolitanam, ut Augustarum urbium, conniventibus, imò promoventibus hanc rem earum Episcopis, sacra sic ornari dignum judicantibus.*

Inde verò mos hic etiam in alias paulò post Ecclesias translatus est: non tamen in omnes, sicut ex Triburiensis Synodi, anno Domini 811. celebratæ, constitutione intelligitur, quæ ca. 18. inter alia sic habet: Nostris diebus qui servi patrisfamiliàs sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Dominî nostri Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat: ne unde placari debet, inde irascatur Deus. *De Consec. dist. 1. c Vasa.*

Sequuta est anno Domini 813. Remensis Synodus, quæ ca. 6. Vrbani decretum confirmavit, sanxitque, ut calix Domini cum patina, si non ex auro, omninò ex argento fiat. *Et paulò post*: Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum caliceum habeat. De ære, aut orichalco non fiat calix: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare. *De Consec. dist. 1. ca. 45. His legibus argentea, vel etiam aurea vasa, tanquam absolutè ad Eucharistiam necessaria requiruntur. Synodus enim Triburiensis dicit*, ne mysterium hoc in ligneis vasculis VLLO MODO conficere præsumat Sacerdos: nisi enim hoc observetur, Deum non placari, sed potiùs IRATVM reddi. *Remensis etiam Synodi verba sunt*, ut nullus in ligneo aut vitreo calice PRÆSVMAT Missam cantare.

Leges de pretiosis vasis in luxum degenerarunt.

Hæ verò leges de aureis, vel argenteis patinis & calicibus in sacra Cœna, etsi ab initio tolerabiles fuerunt: progressu tamen temporis in fastum ac luxum immoderatissimum degenerarunt. Nam, ut lib. 3. Chronici Mersburgensis cap. 5. narratur, Henricus 2. Imp. auri purissimi calicem decem & octo marcarum, seu 1645. aureorum & amplius, ad communionis usum donavit Ecclesiæ Mersburgensi. Vnde obiter intelligimus, eo adhuc tempore totum populum unà communicasse sub utraque specie. Deinde libellus de veteribus Ecclesiæ Moguntinensis thesauris, annos ante quingentos conscriptus, aurei calicis ingentis ponderis ansati memimit; Rhenano teste in suis Annotationibus ad Tertulliani librum de Corona militis. Refert etiam Vadianus lib. 6. de Eucharistia in templo majori Sangallensi in Helvetia, calicem fuisse inauratum ponderis 70. marcarum argenti, ad plebesam & publicam communionem haud dubiè factum. Et in libro Pontificali scribitur, Constantinum Papam patinam auream librarum duodecim refecisse: Ioannem 7. quoque feciss calicem aureum

librarum

librarum viginti, eumque gemmis pretiosis decorasse: Sergium etiam Papam patinam dedisse habentem in margine gemmas, & in medio crucem ex hyacintho & smaragdo, pensantem libras viginti.

Rationes quibus pretiosa vasa in Cœna defendantur, & enumerantur.

Expendamus autem paucis rationes, quibus hunc luxum aureorum & argenteorum vasorum defendere nitantur. Durandus igitur lib. 1. cap. 3. Ration. sic inquit, Calicis nomen à Veteri & Novo Testamento originem traxit: Nam Ierem. 51. legitur, Calix aureus Babylon inebrians omnem terram, &c. *Vix ullum patuisset Durandus ex utroque Testamento aptius testimonium proferre, quò non solùm probaret, calices olim in usu fuisse, & quidem aureos: sed etiam latens simul mysterium referaret, meretricis istius Babylonicæ, hoc est, Antichristi Romani, quæ polluto aureo suo calice, totum orbem Christianum, tanquam altera Circe, suis veneficiis inebriavit & dementavit. Triburiensis Synodus hanc aureorum & argenteorum vasorum rationem reddit*: Ne decus, *inquit*, matris Ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos mysterium corporis & sanguinis Domini N. Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde iracsatur Deus. *Refutat autem Bellarminus, licet inscius, hanc Synodi istius rationem, docens* Sacramenta non ideo principaliter placere Deo, quòd auro ministrentur. *Recte quidem: nam & Lactantius in lib. Institut. ait*, Vestes, gemmas, aurum & cætera, si quis putet Deo chara, is planè quid sit Deus nescit. *Patres igitur Synodi istius Deum verum, sicut olim Ethnici suos Deos, humano pede mensi sunt: homines enim auro & argento placantur: Et, Placatur donis Iuppiter ipse datis, inquit Poëta. Deus verò nec auro, nec argento, nec humanis manibus colitur, ut Paulus Act. 17. docet.*

Deinde Triburiensis & Remensis Synodi, lignea, vitreaque vasa, ab Transubstantiationis figmentum, quod isto seculo in Ecclesia succrescere cæpit, prohibuisse videntur: ne videlicet verus sanguis Christi vel effunderetur, vel à ligno exugeretur. Vetuerunt igitur ne calix ligneus sit, propter porositatem: vel vitreus, propter fragilitatem, ut Petrus de Natalibus, in Urbano scribit. Apud Veteres autem, qui senserunt, neque panem, neque vinum quicquam de pristina sua natura amittere, nullum erat periculum, ne sanguinis sacri calix, si vitreus esset, frangeretur, & sanguis ille sacer effunderetur: aut imbiberetur, exugeretur vè à ligno, quod spongioso est corpore, si ligneus esset: ideoque non dubitarunt ligneis & vitreis vasis uti. At nunc alia ratio est.

Remensis Synodi ratio, ob quam prohibet, ex ære vel oricalco vasis constantia uti, ne eorum ærugine illis contentus Sanguis, vel acescat, vel corrumpatur, vel vomitum provocet, valde est infirma. Nam apud Pontificios vinum, non ut panis in longum tempus asservatur; & propterea metus iste supervacaneus fuit.

FABIANVS.

QVum verò Zephyrini decreto nonnihil *in contemptum Cœnæ Dominicæ adducta esset, & nonnulli existimarent hanc annuam communionem sufficere: sequentes Pontifices, ut huic malo occurrerent, sanciverunt, ut quisque ter quotannis solenniter ad Cœnam accederet. Fabianus enim circa annos Domini 245. decrevit*, Si non frequentiùs, saltem ter in anno homines communicent, in Pascha te videlicet, Pentecoste & Natali Domini: *ut etiam de Consec. dist. 2. c. Etsi non habetur. Refert idem quoque Sabellicus Enne. 7. lib. 7. Repetitur etiam in Agathensi Synodo, cujus Ca. 18 sic habet*: Seculares, qui in Natali Domini, Pascha & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur: *Et in Turonensi Synodo jussu Caroli M. celebrata, ca. 50. Aventinus quoque lib. 4. fol. 367. Annalium refert, Carolum M. edixisse*, Laicum plus quàm ter in anno Eucharistiam sumere non debere. *Idem Ludovicus Pius Imp. Caroli M. filius aliquando sanxit, mandans*, ut si sæpius Laici nollent, ter saltem quotannis Eucharistiam perciperent, & quidem sub utraque specie. *Quod quidem edictum, quingentis post Caroli M. mortem annis, vim authoritatemque suam adhuc obtinuit.*

1. *Ter quotannis communicandi.*

Secundò *decrevit, ut in omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat, tam panis, quàm vini. Ex quibus colligitur, communionem Dominico quoque die ab omnibus laïcis & clericis, fœminis & viris celebratam fuisse.*

2. *Offerendum singulis Dominicis diebus ad altare.*

In Codice decretorum sexdecim librorum, lib. 5. cap. 9. Fabiano adscribitur, quod alioquin in Decretalibus ejus non inveniatur, quòd decreverit, ut Presbyter illiteratus Missam celebrare non audeat. Verba hæc sunt: Sacrificium non est accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas observationes in Missa secundùm ritum implere non potest. *Hoc autem in Baptismi Sacramento non observatur. Sic enim Zacharias* 1. *Papa Bonifacio Germanorum Apostolo scripsit*: Retulerunt mihi nuntii tui, quòd fuerit Sacerdos in eadem provincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nescius Latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia & Spiritus sancta: & propter hoc

3. *Presbyter illiteratus Missam non celebrat.*

hoc cogitasti rebaptizare. Sed si ille, qui baptizavit, non errorem inducens vel hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ linguæ infringendo linguam baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuò baptizetur: *ut de Consec. dist. 4. Retulerunt, & ab Aventino lib. 3. Annal. refertur.*

STEPHANVS.

Vestimenta singularia in Cena instituta.

Instituit hic Pontifex singularem vestitum, nec in aliis, quàm in sacrâ Eucharistiæ, eo indui sacerdotes, nec ab aliis quidem, quàm à sacratis contrectari decrevit. Verbâ ejus sic habent in prima ejus Decretali: Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia & honestate, à sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus aliis in usibus (quum Deo, ejusque servitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quàm ecclesiasticis & Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes & talia præsumentes, veniat divina, & corruere eos faciat divinæ ultionis iustum flagellum ad ima.

SIXTUS II.

Martinus Polonus & Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 30. indicant, Sixtum hunc instituisse, ut Missa super altare celebretur. Hoc autem absque omni authoritate veteris alicujus probati authoris faciunt. *Deinde ea fuit adhuc sub Sixto hoc tempore conditio*, ut nulla templa Christianis erigere licuerit, quandoquidem ne prodire ipsi in publicum plerunque auderent, & benignè secum agi tum crederent, cùm intermissis persecutionibus in urbibus tolerarentur. Num verò Aras priùs exstructas, quàm templa, fuisse arbitrabimur? Aut recentioribus istis plus fidei habere volumus, quàm Origeni & Arnobio, qui 25. tantùm annis ante Sixtum floruerunt? & tamen produnt, sibi, suo adhuc tempore ab Ethnicis objectum fuisse, quòd nec Templa, nec Aras ullas haberent.

FELIX.

I. Missa nō nisi in sacrato loco celebranda.

Felix 1. circa annos Domini 277. instituit, ut nullibi, necessitate excepta, quàm in sacro loco, sacrificium, quod Missam appellant, celebraretur. Quod si de consecratione templi ignoratum fuerit, ut pote vetustate & abolitione monumentorum, consecrari denuò mandavit. *Platina. Idem Petrus de Natalibus Syricio quoque tribuit: & Felici 4. epistola ejus Decretalis. Sic etiam Sylvester decrevit*, Vt nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacraris ab Episcopo locis, qui sui particeps voluerit esse sacerdotii: *de Consec. dist. 1. cap. 15. In Moguntina quoque Synodo anno 888. habita, ca. 9. præcipitur*, ne Missarum solennia ubiq; , sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebrentur. *Conceditur tamen ibidem*, ut sicubi Ecclesiæ fuerint incensæ, Missas in Capellis consecratis celebrent. In itinere verò constitutis, si Ecclesia defuerit, sub divo, seu in rentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque vasa sacra ad id officium pertinentia adsint, Missas celebrare *Patres Synodi permittunt.* *Syricius.*

Rationes horum legis.

Audiamus autem quibus rationibus has constitutiones probet Gratianus de Consec. dist. 1. cap. 2. Tabernaculum, *inquit*, Mosen Domino præcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa, & altari ejus, & æreis vasis, & utensilibus ad divinum cultum explendum legimus, & non tolùm divinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione, Domino jubente, perliniisse novimus. Qualiter autem hæc facta sint, & quomodo ipsa sacra non alii, quàm Sacerdotes sacra unctione delibuti, Dominoq; cum vestibus sanctis sacratis, & Levitæ rractabant, ferebant, erigebant, & deponebant, in ipsis institutionibus, quæ jubente Domino conscriptæ sunt per Moysem, in lege Domini reperitur. Qualiter ergo David Regum piissimus amplificaverit cultum Dei, & templum Domino ædificare voluerit, sed propter multum sanguinem, quem effuderat, prohibitus est, & ipse collegerat expensas. Salomon quoq; filius ejus idipsum, quod ipse facere optaverat, jubente, & auxiliante Deo perfecit, & templum cum altari, & reliqua ad divinum cultum peragendum consecravit; in lib. Regum legitur. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino Deo nostro septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus; & in die 8. dimisit populos. Iudæi ergo loca, in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata; nec in aliis, quàm Deo dicatis locis, munera Deo offerebant. Si enim Iudæi, qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant; multo magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout meliùs possumus, ornare, eaque divinis precibus, & sanctis unctionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad divi-

num cultum explendum utensilibus devotè, & solenniter sacrare, & non in aliis locis, quàm in Domino sacratis, ab Episcopis, & non à Chorepiscopis (qui sæpè prohibiti sunt, nisi, ut prædictum est, summa exigente necessitate) Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. *Hæc omnia Gratianus. Digna certè tantis Theologis ratio : cui bellè etiam convenit interpretatio Glossatoris :* Si enim, *inquit*, id Gentiles faciebant, multò magis facere debemus nos : & sic possumus argumentari ab exemplis infidelium. *Glossator itaque hæc instituta à Gentilium: author verò à Iudæorum authoritate & exemplo confirmat. Quibus non immeritò etiam adiungi debet Durandi ratio, ejusdem monetæ & ponderis, quam in hoc eodem argumento his verbis recenset in Ration. lib. 1. ca. 6.* Nabuchodonosor etiam Rex, vocavit omnes Satrapas, optimates & tyrannos ad dedicationem statuæ aureæ, &c. *Cogitandum autem his erat Theologis, quantum inter Ethnicismum & Christianismum : & rursus inter hunc & Iudaismum, inter Legem & Evangelium, & utriusque ministerium: Item inter umbras & earum patefactam veritatem : denique inter Mosen & Christum : inter sacerdotium Leviticum & Evangelicum interfit : & quàm non conveniat, vel legales ceremonias, jam olim abrogatas, in usum revocare: vel novas ceremonias, easque Ethnicas, & ingenio humano excogitatas, rursus in Christi Ecclesiam accersere, & sic tanquam postliminio, non solùm Iudaismum, sed etiam Ethnicismum, tanquam abrogato Christianismo, restituere.*

Missa à viris tantùm sacris initiatis celebrãda.

Idem decrevit, ut sacrificium, quod hodie Missam appellant, à nullis quàm viris sacris initiatis celebraretur. *Platina in vita Felicis.*

Viri sacris initiati qui.

Intelliguntautem hodie per viros sacrù initiatos, qui ab Episcopo ordinati & initiati sunt Sacerdotio : & hoc ita necessarium esse dicunt ad Eucharistiam conficiendam, ut sine eo nullo modo confici possit. Hæc autem illorum initiatio seu ordinatio hodie in Papatu fit, Primò, *per tonsuram, unctionem, consecrationem, & impressionem characteris indelebilis animæ, ut ipsi quidem loquuntur.* Deinde, *finem initiationis hujus constituunt, non tam prædicationem Evangelii, quàm consecrationem Sacramentorum. His enim verbis inter alia Episcopus utitur in Sacerdotii initiatione :* Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam unctionem, & nostram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque consecraverint, consecrentur, &c. Tertiò, *per consecrationem, quæ à Sacerdote fiat, intelligunt vim faciendi ex pane & vino verum corpus & sanguinem Christi. Nam & fieri symbolorum mutationem substantialem fingunt, & efficaciam Sacramentorum in ordinis Sacerdotalis dignitate, verborum pronunciatione, & magna varietate gestuum collocent.* Quartò, *peculiarem potestatem Sacerdotibus suis assignant, quòd immortalem Dei Filium ipsi mortales & miseri, Deo Patri in sacrificium quotidie offerre, hoc est, ad tribunal Dei sistere possint reverà, & modo quodam corporeo, sub speciebus panis & vini, idque pro vivis ac mortuis. Nam & hæc verba leguntur in ordinatione eorum:* Accipe potestatem offerre Deo sacrificium, Missasque celebrare pro vivis & mortuis. *Sed quum errores hi conjuncti sint cum horribili idololatria, meritò Reformatarum Ecclesiarum Ministri hujusmodi initiationem non petunt, sed satis illis est, si per electionem, manuum impositionem, ac preces Ecclesiæ legitima ratione ordinati & initiati sint ministerio : præsertim quum Christus in institutione Ministerii Ecclesiastici nullam certam formam ordinandi ministros præscripserit, neque singulares quasdam formas in Apostolorum electione adhibuerit, multò minùs certæ cuidam formæ Ordinationis promissiones gratiæ suæ adjunxerit. Apostoli etiam Mathiam sine tonsura, chrismate & consecratione, sola oratione & divina sorte elegerunt & consecrarunt in Apostolum, Act. 1. Paulus quoque formam ordinandi Ministros Timotheo & Tito præscribens, characteris indelebilis non meminit. Ineptum enim est, quod nonnulli verba Pauli 1. Tim. 4. c. huc detorquent.* Ne neglexeris quod in te donum est, quod datum est tibi per Prophetiam cum impositione manuum authoritate Sacerdotii. *Nullius characteris Paulus meminit: nec dicit per impositionem manuum illapsam esse Timotheo cælestem & divinam quandam virtutem, aut characterem animæ, quo idoneus factus sit ad ministerium prædicandi Evangelii, sed vocat χάρισμα. Certum autem est χάρις & χάρισμα non semper occultum donum sive gratiam significare, sed interdum etiam ipsum docendi officium : ut Rom. 1. Per quem accepimus χάριν καὶ ἀποστολὴν: ubi gratiam vocat ipsam muneris Apostolici functionem. Sic & Timotheus per impositionem manuum Presbyterii vel Sacerdotii accepit officium & munus docendi, & hoc externo signo coram omni populo ad prædicandum Evangelium declaratus & confirmatus fuit. Præterea licèt Cardinales, Episcopi & Sacerdotes Papistici initiati sint per tonsuram, unctionem & impressionem imaginariam characteris, tamen quum plerique eorum rebus secularibus toti addicti sint, qui castra, & aulas Regum ac Principum, easque, quæ in illis sunt, voluptates sectentur, de institutendis aut gregibus, de docendo & Sacramentis administrandis parùm soliciti, certè etiam ad Sacramenta tractanda, tanquam laici & seculares, inepti sunt:*

sunt : præsertim quum eos etiam nec doctrina, nec laudabilis vita commendet , & vel favore Principum , vel ambitu ad illas dignitates pervenerint.

Rationes initiativæ Papistæ, ac earum refutatio.

Conantur autem Papistæ suam sententiam defendere , Primò, *exemplo Christi , qui sacram Cœnam administrans Sacerdotem egerit. Sed hoc falsum est: Christus enim non fuit Sacerdos externus , cujus officium esset aliquid externum Deo offerre : sed fuit præco Evangelii , ac proinde minister Novi Testamenti , quo tempore Sacerdotium externum debuit aboleri: sicut etiam paulò pòst abolitum est oblatione corporis ipsius in ara crucis. Deinde , ut concedamus maximè , fuisse & egisse Christum Sacerdotem in institutione & administratione Cœnæ, tamen non egit talem, qualem ad conficiendam suam Missam Pontificij requirunt: non enim fuit tonsus , chrysmate delibutus, & impressione characteris cujusdam imaginarii initiatus.*

Quibus dictum sit scriptum, hic facite.

Secundò, *probare vult hanc sententiam Bellarminus lib. 4. cap. 16. de Eucharistia , ex ipsis verbis Institutionis.* Nam, *inquit* , illud Christi Luc. 22. HOC FACITE , non est dictum nisi Apostolis : qui eo mandato ordinati sunt primi Sacerdotes Novi Testamenti. *Respondeo , utrumque, quod hic asseverat Iesuita , falsum est. Verba enim hæc* , HOC FACITE , *non dicta sunt Apostolis, tanquam Apostolis seu ministris Novi Testamenti : sed tanquam fidelibus , & convivis in hac sacrosancta Cœna , ideoque in ipsorum persona dicta sunt fidelibus convivis omnibus ex illo tempore usque ad novissimum diem victuris. Nam in prima hac Cœna minister fuit Christus, ij verò, quibus administrabatur , erant Apostoli. Hoc sensu intellexit hæc verba Paulus , ideoque ea retulit ad omnes fideles, dicens,* Quotiescunque ederitis (*alloquitur autem totam Ecclesiam Corinthiacam*) panem hunc , & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate , donec venerit. 1. *Corinth.* 11. *Ex his iam alterius quoque sententiæ falsitas perspicitur : nempe, verbis ipsis,* HOC FACITE , *Apostolos ordinatos esse à Christo primos Sacerdotes in Novo Testamento. Inquit enim Bellarminus* , HOC FACITE , non solùm significat , Manducate & Bibite , quod convenit omnibus Christianis , sed etiam significat, Consecrate , Sumite & aliis Distribuite , sicut me facere vidistis. *Respondeo , Paulus hæc verba Domini exponens , ad solam actionem edendi & bibendi ea refert , ut ex verbis ejus modo citatis facilè intelligi potest. Sed excipit Iesuita* , primò Lucas , qui solus inter Evangelistas habet illa verba : HOC FACITE , non dixerat antea , Accipite , manducate , &c. sed solùm dixerat , Accepit panem , benedixit ac dedit eis , dicens , Hoc est corpus meum. Ergo non retulit Lucas illud : HOC FACITE , ad actionem solam manducandi, quum ejus ne meminerit quidem. *Respondeo , licèt non expressè meminerit Lucas manducationis , intellexit tamen eam in verbo* DEDIT. *Certissimum enim est Dominum in hac prima Cœna panem dedisse discipulis , non tanquam ministris consecrandum & distribuendum , sed tanquam convivis , manducandum. Et impium esset dicere , aliam esse sententiam narrationis Lucæ , aliam Pauli , quum ambo ex instinctu unius ejusdemque Spiritus scripserint. Imò ipsemet Iesuita vi veritatis convictus , & sibiipsi contradicens , mox fatetur* , Lucam hæc verba retulisse ad actionem manducandi, quia Dominus etiam manducarit, juxta communem sententiam , licèt in Evangelio non exprimatur : sed simul , *ait* , ad actionem benedicendi & distribuendi retulisse quas expressérat. *Respondeo, expresserat quidem Lucas actionem benedicendi & distribuendi , sed non tanquam imperatas discipulis, sed tanquam à Domino administratas. Paulus verò , à quo Lucas non dissentit, illa verba* , HOC FACITE, *præcisè refert ad actiones discipulis imperatas: nempe, ad actionem manducandi & bibendi : & quidem expressè ad actionem bibendi, quum ait*, Hoc facite quotiescunque biberitis. *Est autem utriusque loci idem sensus.*

Tertiò, *eandem sententiam hoc argumento defendere conatur Iesuita.* Nulla, *inquit*, est ratio, cur illud , HOC FACITE , non debeat referri ad omnia quæ Dominus fecit. *Respondeo , quòd illud mandatum debeat referri ad ea tantùm quæ Dominus discipulis tum imperavit, nimirum, ut panem illum ac poculum acciperent, ederent & biberent: non autem ad actiones bibendi, frangendi & distribuendi, à Domino tunc administratas , hæc ratio & causa est, quòd distinctas esse oportet actiones Ministri & Communicantium : nec actiones ministri ad communicantes pertinent. In prima autem Cœna illa Minister fuit solus Dominus, Apostoli autem communicantes.*

Quartò , Nisi , *inquit Iesuita* , ad omnia referretur , HOC FACITE , non haberemus mandatum divinum in verbo Dei expressum de consecranda Eucharistia. *Respondeo, De consecratione Papistica, nullum extat mandatum Dei : sed de consecratione vera mandatum habetur in ipso Domini exemplo , ut qui tunc Ministri partes egit. Deinde mandatum vera consecrationis implicitum continetur in illis verbis* , HOC FACITE : *quibus jubet discipulos edere panem , & bibere vinum , modò à se consecratum. Vt igitur communicantes huic mandato possint obedire , panis & vinum prius à Ministro consecrari debent , quàm illis exhibeantur.*

tremfamilias versari. Porrò de Diaconis eodem loco sic scribit: Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. *Et ad Hebræos* 13. *cap.* Honorabile, *inquit*, connubium est IN OMNIBVS: & cubile impollutum: Scortatores autem & adulteros judicabit Deus. *In Canonibus quoque Apostolorum cap.* 6. *sic legitur:* Si quis docuerit Sacerdotem sub obrentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit. *Dist.* 28.

Quumq; in Nicæno Concilio conarentur nonnulli introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi cum conjugibus non dormirent, Paphnutius Confessor contradixit eis, honorabiles confessus nuptias, & castitatem dicens esse cum propria conjuge concubitum, Suasit itaque Concilio, ne talem ponerent legem: gravem esse causam afferens, quæ aut ipsis, aut eorum conjugalibus occasio fornicationis existeret. *Et hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum inexpertus, exposuit, Synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. In Gangrensi quoque Concilio hæc lex de eadem re lata fuit:* Si quis discernit Presbyterum conjugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit. *Dist.* 28. *Hic Canon Græcè sic habet:* ἐάν τις ἐξαιρεῖσθαι τῶν θείων προσφορῶν γαμικὸν, ὡς μὴ δεῖον, λειτουργοῦντα ἅπαξ, προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Id est*, Si quis secernat se à Presbytero, qui uxorem duxit, tanquam non oporteat, illo liturgiam peragente, de oblatione percipere, anathema sit. *Can.* 4. *Item*, Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias judicat; & non propter hoc solùm, quòd continentiæ & virginitatis bonum, sanctum propositum est, anathema sit. *Can.* 9. *Et*, Si quis propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit. *Canon.* 10. *Et in Constantinopolitana Synodo* 6. *Oecumenicâ de eadem re sic decretum fuit:* Quoniam in ordine Romani Canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, debere confiteri, quòd jam suis non copulentur uxoribus: NOS antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias valere amodo volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in oportuno tempore. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hic nullo modo prohibeatur ad talem ascendere gradum pro uxoris suæ legitima cohabitatione: Nec etiam tempore cohabitationis suæ profiteri cogatur, quòd abstinere debeat à legalis propriæ uxoris familiaritate. *Et mox*: Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, aliquos presbyterorum & diaconorum privare contactu, & communione legalis uxoris, deponatur. Similiter & presbyter, aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur: si verò in hoc permanserit, deponatur. *Dist.* 31. *Ob hæc & similia decreta Ecclesiæ Orientalis nunquam se Cælibatus voto adstringere voluit.*

Ex multis præterea antiquis Canonibus & scriptis Patrum apparet, Ecclesiæ primitivæ Occidentalis Sacerdotes Cælibatui non fuisse adstrictos. Extat inter Canones qui Apostolis adscribuntur Canon. 6. *qui paulò superiùs quoque fuit citatus, in hanc sententiam: Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat. Si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, deticiatur. In Concilio quoque Turonensi* 2. *circa annos Christi* 632. *celebrato sic præcipitur:* Episcopum Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum, licet salvetur vir per mulierem fidelem, & contra. *Vnde colligimus Episcopos eo tempore uxores habuisse, quæ* Episcopæ *appellata sint. Neque verò hunc Canonem ad Ecclesiam Orientalem referri oportet, quod imperiti & inepti Glossatores faciunt: Nam in ipso sinu Galliæ hoc Concilium celebratum est, ad Ecclesias Gallicanas, non Orientales rectè administrandas, in quas Gallicanæ nullum imperium habuerunt. Cumque sub Syricio in Valentino & Taurinensi Concilio, circa annum Domini* 389. *Hispanorum & Gallorum Sacerdotibus conjugia denegata fuissent, ut Isidorus refert in Opere Conciliorum: tamen in Synodo Toletanâ anno Christi* 398. *Sacerdotes Hispani suum conjugium recuperarunt, ac liberorum procreationem ex verbo Dei contra Syricium defenderunt. Ambrosius etiam ad Vercellenses libro* 10. *Epistola* 82. *scribit:* Qui sine crimine est unius uxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotii suscipiendi. *Dist.* 26. *Et Hilarius in Synodo Romanâ sancivit*, curandum imprimis esse, ne ad sacros ordines quisquam, qui uxorem, non virginem duxit, aspiret. *Dist.* 34. *Augustinus quoque in libro de Bono viduitatis scribit:* Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis, quòd graviter peccant qui tales dividunt. *Dist.* 27.

Ex aliis porrò multis Canonibus constat, qui leguntur dist. 56. *c. Osius & c. Vnaquæque* 13. *q.* 2. *multos Episcopos Romanos Sacerdotum*

filios fuisse : quales Osius, Bonifacius, Fælix, Agapitus, Theodorus, Silverius, Deodatus, alter Fælix, Gelasius, alter Agapitus, & plerique alii fuere, quos verisimile non est spurios & nothos fuisse. Vnde rectè sequitur, illorum temporibus Cœlibatum in Ecclesia Occidentali, ac ne Romæ quidem, receptum fuisse. Exstat & alius Canon, qui testatur B. Severum Archiepiscopum Ravennatem uxorem cum liberis habuisse. Denique multi alii exstant ejusdem generis Canones, quibus istud Cœlibatus votum improbatur : at superiores Concilii Tridentini confutando decreto sufficiunt. Nihilominus tamen & hoc addendum est, causam, quæ moverit hoc Cœlibatus votum in Ecclesia Latina suscipere, non ex aliquo pietatis studio manasse, sed ex adumbrata quadam frugalitate, seu potius parsimonia, in bonis Ecclesiasticis administrandis & augendis, ut ex Canone, à Pontifice Pelagio petito, constat : quo docetur à Syracusano populo (nunc Sarrogosiano appellato) in Sicilia, Episcopum quendam electum & creatum fuisse, qui uxorem & liberos haberet : quam electionem Pelagius improbabat, quia Episcopum illum, cum tanta uxoris liberorumque familia Ecclesiæ bona absumere posse causaretur. Tandem tamen hanc electionem admittere compulsus est, ea tamen lege & conditione, ut Episcopus sponderet futurum, ut neque ejus uxor, neque liberi, neque etiam alii domestici, de bonis Ecclesiæ quicquam subtraherent, utque quicquid in posterum acquireret, id Ecclesiæ acquisitum esse censeretur : nihilq; liberis aliud relinqueret quàm quæ, tum cùm primùm electus fuisset, bona possidebat, quorumque idcirco inventarium conscriberetur.

Clerus Rom. imitatur Ethnicos Sacerdotes.

Imitatur ergo Clerus Pontificius hac in re Ethnicorum magis, quàm Veteris Testamenti & primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes. Apud Ethnicos enim Sacerdotes à Venere abstinebant, ut ad celebrationem sacrorum mundi accederent ac puri. Hanc ob causam legimus Matris Deûm sive Cybeles Sacerdotes Samiâ testâ sibi virilia amputâsse : atque illos, qui maxima sacra obibant, ut casti manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent, herbis quibusdam seipsos eviraſſe & virilitatem amisisse. Matronæ quoque Athenienses, ut Venerem cohiberent in Thesmophoriis, foliis viticis cubilia substernebant. Legimus præterea, Hicrophantas Athenienſium, postquam in Sacerdotium cooptati essent, ut castè, sanctèq; sacrum facerent, cicutæ sorbitione sese castravisse : Ægyptios etiam Sacerdotes, mulieribus nunquam indulsisse. Sic apud Romanos illæ Vestæ cultrices perpetuiq; ignis custodes, erant virgines : quales esse oportebat etiam Dianæ Ephesinæ cultrices.

Intelligit autem ex his Lector, opera & studio Syricii hujus, Cœlibatum Sacerdotum in Romanam Ecclesiam primò introductum esse, ut testatur etiam Vincentius in speculo hist. lib. 20. cap. 41. Et juxta Sigebertum anno Domini 393. terribile in cœlo signum ignea columnæ cadentis apparuit : illi correspondens stella, quæ de cœlo cecidit, cui & data est clavis abyssi, Apocal. 9. Et designabat hoc signum, in foribus esse Antichristum, qui relicta cœlesti doctrina, traditiones humanas ejus loco in Ecclesiam sit reducturus.

Secundò Syricius decrevit, ut, qui acta pœnitentia tanquam canes, ad pristinos vomitus redeant, sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacris mysteriorum celebritatibus, quanquam non mereantur, interfint : Dominicæ autem mensæ communione segregentur, ut hac saltem distinctione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant. *Hinc perspicuè intelligimus, fideles communicasse, impios autem & sceleratos, à communione prohibitos fuisse, ut aliis exemplo essent.*

INNOCENTIUS.

1. Pacis osculum datum post consecrationem.

Innocentius circa annos Domini 410. *instituit*, primò, Pacis osculum dandum non ante consecrationem Eucharistiæ, sed post eam, idque tam inter Sacerdotes, quàm Laicos, ad testandam unitatem & consensum: *quod postea Leo 2. neglectum vel restituit, vel confirmavit. Innocentius 3. lib. 6. cap. 5. de Missæ myst. De Consec. Dist. 2. cap. 9. & Decretalis ejus Epistola 1. ad Decentium.*

2. Catalogi offerentium post preces recitandus.

Secundò, catalogum nominum eorum, qui eleemosynas obtulerunt, post preces, quibus illæ oblationes commendantur, recitari *instituit* sub ipsis sacris mysteriis : *epistola 1. ad Decentium*; *& de Consec. dist. 1. capite ultimo : ubi hæc ejus verba leguntur :* De nominibus recitandis, antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, oratione sua commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis : ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues : quamvis illi nihil incognitum sit.

3. Infantibus danda Eucharistia.

Tertiò *decrevit*, Infantibus quoque dandam Eucharistiam : *Et quidem definivit*, parvulos, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam æternam prorsus habere non posse, *ut refertur apud Augustinum libro primo contra Iulianum Pelagianum. Hoc si sit, tripliciter erravit Innocentius :* Primò, *quod parvulis dandam Eucharistiam statuit, quum morem ipsum etiam Thomas part. 3. quæst. 8. art. 9. apertè reiiciat.* Secundò, *quòd sine Eucharistia docuit eos non posse servari.* Tertiò, *quòd dictum Christi Ioan. 6. de spirituali manducatione & communione carnis ipsius, à genuino sensu detorsit*

gna frequentia convenerunt. Ideoque Felicis Papæ constitutio, si juxta Patrum ejus seculi consentientia suffragia, & receptam consuetudinem judicetur, nihil pro sacrificio Missæ facit.

De pœnitentia ejus qui ab hæretico nesciens communionem accepit.

Idem Papa de pœnitentia ejus, qui de manu hæretici nesciens prohibitam communionem accepit, sic sancivit: Si quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici, & nescit, quòd Catholica Ecclesia contradicit, postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit: decem annos pœniteat. Alii judicant septem, & quidam humaniùs, ut quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, & nescit; quadraginta dies pœniteat: si pro reverentia ejus; annum integrum pœniteat: si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ, & consuetudinis Romanorum; proiiciatur ab Ecclesia, sicut hæreticus; nisi habeat pœnitentiam: si habuerit; decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in congregationem hæreticorum, & aliis persuaserit, & postea pœnitentiam egerit; duodecim annos pœniteat, tres extra Ecclesiam, septem inter audientes, & duos adhuc extra communionem. De his in Canone dicitur, ut duodecimo anno communionem sine oblatione percipiant. *Causa 24. quæst. prima cap. 41.*

EVSEBIVS.

Cana in puro lineo panno celebranda.

Gratianus de Conse. dist. 1. cap. 46. indicat, Eusebium circa annos Christi 310. decrevisse, Ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto, quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo, vel linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto: sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit. *Platina hoc decretum Sylvestro tribuit.*

SYLVESTER.

Lapideum altarium author.

Gerson lib. 4. contra Floretum scribit, Sylvestrum 1. *qui Constantini M. temporibus vixit,* Aras primò lapideas erigi jussisse, *vetuisseque, ne quisquam deinceps ad aram ligneam Lateranensis Ecclesiæ consecraret, nisi ipse, suique successores. Et Gabriel Biel Lect. 13. in Canonem Missæ fatetur quoque,* Sylvestrum decreto primùm firmasse, ut nullum deinceps altare esset, nisi lapideum. *Illis autem hujusmodi altaribus fixis & lapideis opus est, qui externa sacrificia habent: unde tam apud Judæos, quam apud Ethnicos è lapidibus construebantur, vel è tabulis are contectis, aut terra inte-*

rius appletis: est enim altaris correlativum sacrificium externum: illo posito, ponitur etiam hoc, illo sublato, tollitur etiam hoc. Nos verò in novo Testamento nulla habemus externa sacrificia: quod fusius probat Paulus in Epistola ad Hebr. Nam per Christi sacrificium semel peractum abolita sunt externa sacrificia, eaque de causa dicitur Christus altare nostrum *Hebr. 13. cap. Quicunque ergo altaria fixa & lapidea requirunt, ii revocant externa sacrificia & Sacerdotes, atque ita in dubium vocant unicum Christi pro peccatis nostris oblatum sacrificium.*

MARCVS.

Symbolis Nicenis in Cœna usus populus.

Marcus anno Domini 335. voluit, ut diebus solennibus in Missa statim post Evangelium, Symbolum Nicenum in locum symboli Apostolorum, à clero & populo magna voce, decantaretur: *sicut Platina in ejus vita testatur.*

IVLIVS.

In Cœna nil nisi panis & vinum offerendi.

Hic Pontifex instituit, ut nulli deinceps liceat in Eucharistia aliud offerre, quàm panem & vinum. *Erant enim illo tempore, qui lac pro vino dedicarent: nonnulli expressas uvas in Sacramento Dominici calicis offerebant: quidam pannum lineum musto intinctum per totum annum reservabant, & tempore Eucharistiæ partem eius aqua lavarunt, & sic obtulerunt. Vide hæc de re Iulii decretum in ejus epistola ad Episcopos per Ægyptum, & de Consecr. dist. 2. capite septimo.*

Ne in vitta Eucharistia detur.

Fuerunt etiam aliqui eo tempore, qui intinctam Eucharistiam, hoc est, panem vino intinctum, plebi pro complemento Communionis porrigerent. Hanc pravam consuetudinem abrogavit Iulius, & sic sancivit: Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit & sanguinem: seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur. *De Consecrat. Dist. 2. cap. 7. Hac lex Iulia mutilationi Eucharistiæ apertissimè repugnat: qua altera specie, vino scilicet, in universum privatur populus, hoc prætextu, quod sub panis specie etiam sanguinem percipiat. Quid enim ad hunc errorem dicturus fuisset Iulius, quum ne intinctam quidem Eucharistiam probarit: eò quòd Christus seorsim panem, & seorsim calicem fidelibus commendarit?*

DAMASVS.

1. Confessio & absolutio in Cœna instituta.

Damasus circa annos Domini 368 præcepit, Primò, ut in principio celebrationis Eucharistiæ, *quam hodie Missam vocant,*

detorsit ad manducationem Sacramentalem.

ZOSIMUS.

Zosimus, *successor Innocentii, constituit*, ut Diaconi, dum celebraretur Eucharistia, læras tectas haberent linostimis. *Platina. Liber Pontificalis. Sabellicus Enne. 7. libro tertio.*

Bergomensis etiam author est in Honorio Imp. Zosimum decreviſſe, Euchariſtiæ Sacramentum non debere adminiſtrari à Diacono, ſi coram ſit Epiſcopus vel Presbyter.

CÆLESTINUS.

Pſalm. Davidis antiphonatim canendi

Cælestinus, *qui Epiſcopatui Rom. præfuit circa annos Chriſti 428. conſtituit*, ut Pſalmi Davidis 150. ante ſacrificium Pſallerentur antiphonatim ab omnibus : *quod antea non fiebat : ſed tantùm Epiſtolæ Pauli recitabantur, & Evangelium, & tum finis ſacrificio imponebatur. Liber Pontificalis. Platina. Sabellicus Ennead. 8. libro primo. Petrus de Natalibus. Ex hoc inſtituto excerpti ſunt* Introitus, Gradualia & Offertoria, *ante ſacrificium. Bergomenſis lib. 9.*

Refert enim Platina ex Martino Caſſina illud, Judica me Deus: & diſcerne cauſam meam, *quod in principio ſacrificii dicitur, ejuſdem Cælestini inventum eſſe.*

Non eſt autem arbitrandum, Cælestinum talem cantum Pſalmorum inſtituiſſe, qui hodie in Papatu in uſu eſt: in quo unicus tantùm verſus ex toto aliquo Pſalmo à Sacerdote muſitatur, vel à choro ignota lingua decantatur & repetitur, ad ſignificanda vota Patriarcharum & Prophetarum flagrantiſſima, quibus adventum Meſſiæ medullitus ſuſpirabant, quemadmodum Pontificii fingunt : Sed quum ab Imperatore Theodoſio 2. ad Concilium Epheſinum vocatus eſſet, ibique coram vidiſſet & audiviſſet, à Græcis in celebratione Euchariſtiæ integros Pſalmos concini, cumque morem approbaſſet Cælestinus, domum reverſus, eundem in Romana quoque Eccleſia inſtituit. Pſalmos autem in Græca Eccleſia non mutilatos, ut in Romana hodie fieri ſolet, ſed integros decantatos fuiſſe teſtatur Chryſoſtomus, triginta duntaxat annis Cælestino prior, in Matthæum homil. 11. Cælestini igitur inſtitutum nihil commune habet cum Pontificia Miſſa.

LEO.

Leo *anno Domini 442. ſanxit, ut intra actionem Euchariſtiæ diceretur:* Hoc ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, &c. *Item :* Hanc igitur oblationem, &c. *uſque ad,* Dieſque noſtros in pace diſponas. *Platina. Polydorus de Invent. lib. 5. cap. 11. Bergomenſis in Theodoſio. Sabellicus Ennead. 8. lib. 1. Sigebertus. Hanc autem Leonis legem non de Pontificiorum Miſſa, ſed de tota actione Cœnæ, totius Eccleſiæ communi, intelligendam eſſe, ipſemet evidentiſſimè docet in Serm. Quadrageſ. 4. ubi de Manicheis ſic ſcribit :* Cùm ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant Manichæi intereſſe myſteriis, ita Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem verò redemptionis noſtræ haurire declinant. Quod ideò veſtram ſcire volumus ſanctitatem, ut hujuſmodi homines vobis & his manifeſtentur inditis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à Sanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur. Quoniam B. Paulus Eccleſiam Dei prudenter præmonuit, dicens : Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Huju ſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri : & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. *In his verbis Leo originem* primò, *unius ſpeciei ad Manichæos refert, qui inter ceteras monſtroſas opiniones, quas defendebant, à vino etiam abſtinebant : & tamen veram fidem ſimulantes, cum aliis conveniebant ad conciones ſacras, preces & Sacramenta : utque tutiùs laterent, accedentes in turba accipiebant corpus Chriſti, illudque manducabant, calicem verò vafrè & callide declinabant, quòd vini creaturam abominarentur.* Secundò, *docent hæc verba Leonis, uſum unius ſpeciei ſuo ſeculo ignotum fuiſſe : monet enim hos ex nova iſta & inſolita temeritate tanquam hæreticos notandos, & ex Eccleſia ejiciendos eſſe.* Tertiò, *Declinationem calicis Leo vocat ſacrilegium, id eſt, divini ordinis violationem.* Quartò, *conqueritur, dogma de una ſpecie puræ doctrinæ Apoſtolorum adverſari, magnaſque diſſenſiones & offendicula in Eccleſia parere.* Poſtremò, *teſtatur, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie non ſolis Sacerdotibus, ſed & Laicis, in Romana Eccleſia ſuo tempore exhibitam fuiſſe. Loquitur enim de his, qui occultè ſubrepebant cæteris integrum Sacramentum accipientibus : non de illis, qui Euchariſtiam celebrarunt, ut Bellarminus contendit. Neque enim Manichæis in Eccleſia Romana conſecrare & celebrare licuit. Lindanus fingit, ante Leonem ſub una ſpecie communionem uſitatam fuiſſe : Sed Leonem tunc primum propter Manichæos, rurſus ſub utraque ſpecie communionem inſtituiſſe & commendaſſe, ut facilius Manichæi deprehendi poſſent. Andradius*

Origo unius ſpeciei in cœna.

dius autem fatetur ingenuè hanc insignem esse hallucinationem: & sic Lindano & Iesuitis Colonien sibus manifestè adversatur. Adeò certè usitata tunc fuit sub utraque specie & integra Communio, ut his indiciis Leo deprehenderet Manichæos. Simile figmentum est Hosii Cardinalis, qui in Confessione Polonica scribit, in Ephesina Synodo, cui Leonis Papæ legati interfuerunt, decretum fuisse, ut Laicis una tantùm species Eucharistiæ traderetur, eò quòd Nestorius docuerit, sub pane esse corpus exangue. Nullus autem ex Veteribus hanc Nestorio opinionem adscribit. Et in Actis Ephesini Concilij nec vestigia quidem talis disputationis, aut decreti apparent.

Leonis quoque institutum esse Nauclerus Generat. 15. narrat, ut in Missa diceretur, Orate pro me fratres & sorores. *Item*: Deo gratias *in fine*.

Cena secunda. *Et in epist. ad Dioscorum scribit*, quum solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non posset, ut sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: quum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur, alioquin necesse esset, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possent, nisi qui prima diei parte convenerint. *Id quod novo exemplo à Leone institutum est.*

GELASIUS.

1. *CONtra eosdem Manichæos Gelasius hujusmodi legem, Leonis similem, tulit:* Comperimus quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius & ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. *De Consec. Dist. 2. c. 12. Ex quo non minùs quàm ex Leonis testimonio intelligimus, hoc tempore sub utraque specie communicasse tam Clericos quàm Laicos: & eos fuisse reprehensos, qui ab altera abstinerent. Ad hunc verò locum, tam clarum & apertum, Bellarminus duplicem dat solutionem. Primò dicit*, loqui Gelasium, de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui illo tempore hoc fecerint. *Probat hoc authoritate Gratiani, qui canoni huic talem titulum præfixit:* Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere. *Sed hanc authoritatem Gratiani non recipimus: quum in confesso apud omnes sit, & res ipsa clamet, Gratianum in titulis sæpenumerò turpiter errasse. Adhæc, rationes Gelasii tam ad Laicos communicantes, quàm ad Sacerdotes pertinent.* Deinde, *hanc primam responsionem, in secunda Bellarminus ipse confutat, scribit enim*, Gelasium illos duntaxat reprehendere, qui ex errore Manichæorum à calice abstinebant: non eos, qui justa de causa abstinebant. *Sed falsum hoc est: in genere enim loquitur, Divisio unius & ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire: Non ergo sensit Gelasius, justa aliqua de causa à calice abstineri posse; Et hæc veteratoriè à Bellarmino dici, vel hinc constat, quòd Gelasii, sicut etiam Leonis tempore, sacrificium à populi communione non fuit separatum.*

Tractus *etiam, ut vocant*, composuit & ad Missam cantari instituit, *ut Durandus refert in Ration. libro 4. cap. 19. Mox tamen cap. 21. hoc Telesphoro adscribit.* 2. Tractus origo.

Idem Gelasius in Missa ordinavit Collectas, Secretas, Complendas & Gradualia. *Innocentius tertius de Missæ myst. libro 2. capite 26. Espenceus in Comment. libro de collectis Ecclesiast. Hæ verò constitutiones per se non sunt inutiles: sunt enim aut precationes, aut gratiarum actiones: ac certissimum testimonium perhibent, Eucharistiam, seu, ut hodie vocant, Missam, iis temporibus nondum fuisse privatam unius sacrificuli actionem, sed publicum cultum toti Ecclesiæ communem: id quod ipsa verba veterum Collectarum & Complendarum insipientibus liquidò apparet.* 3.

Quartò, *ordinavit* præfationem missæ: *& Clausulam illam*, Verè dignum & justum est, *quotidiano usui, ut refert Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 78. Balæus in ejus vita.* 4.

Quintò, *addidit etiam illam petitionem, quæ hodie prima est in Canone*: Te igitur clementissime Pater, &c. *ut Durandus indicat libro 4. Ration. cap. 36. & alii.* 5.

Sextò, *constituit*, Infirmis Diaconum Eucharistiam dare posse, absente presbytero, aliàs verò minimè, *ut refert Herm. Gigas & Flores temporum.* 6.

Denique *Gelasius sancivit, in Decretali 1. capite 28.* ut fœminæ sacris altaribus non ministrent, vel aliquid ex his, quæ virorum officiis sunt deputata, præsumant: *Quæ constitutio etiam verbi Dei & purioris antiquitatis doctrinæ consentit.* 7.

ANASTASIUS.

ANastasius 2. circa annum Domini 498. statuit, ut nullus Clericus prætermittat officium

officium suum, ita vel rancore, præter Missam. *Martinus Polonus.*

SYMMACHUS.

Symmachus instituit, omni die Dominico, & in Natalitiis Sanctorum, ante sacrificium, Gloria in excelsis Deo canere: *Quod Telesphorus prius ordinaverat tantùm in nocte Nativitatis dici.* Antoninus titulo 11. *cap.* 1. §. 8. *Platina. Petrus de Natalibus li.* 3. *c.*139. *Martinus Polonus & Petrus de Natalibus indicant etiam, eundem Symmachum in eodem hymno quæ sequantur post verba Angeli addidisse: quod tamen alii ad Hilarium Pictaviensem referunt.*

Symmachum quoque Missam in certam formam redegisse refert Panthaleon ex Volaterrano.

FELIX IV.

Clerus à populo discernitur in templis.

Felix IV. circa annos Christi 525. Primò, clerum à populo in Ecclesiis, dum sacra peragerentur, discrevit, *ut Balæus & alii in vita ejus referunt. Idem quoque Bonifacium II. Felicem hunc proximè sequutum fecisse, Platina, Sabellicus & alii testantur. Et confirmatur in Synodo Turonensi* 2. *capite* 4. *ubi statuitur*, ut Laici secus altare, quo sacra mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant: sed ut pars illa, quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantùm psallentium pateat clericorum. Ad orandum verò & communicandum Laicis & fœminis, pateant sancta sanctorum. *Repetitur etiam in Synodo Romana sub Leone IV. celebrata anno Christi* 847. *Capite* 33. *ubi sic decernitur:* Nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, & reliqui clerici consistunt (quod presbyterium nuncupatur) quando Missa celebratur, consistere, ut liberè ac honorificè possint sacra officia exercere. *Decretum hoc de Consec. Dist.* 2. *Clementi primo adscribitur, sed falsò; & exstat in Synodo Eugenii II. ex qua etiam citat Anshelmus, & in Synodo Leonis IV.* Chorus *igitur, quem vocant, seu* Presbyterium *in prima templorum parte clero tributum:* Gremium *autem, ut appellant, populo assignatum fuit.*

Discretio cleri & populi in Communione.

Hinc discretio in ipsa quoque Communione nata est. Sic enim decernitur in Concilio Toletano IV. capite decimo septimo. Sacramentum corporis & sanguinis Domini hoc ordine sumendum, ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent: in choro clerus, extra chorum populus, *& in Synodo Bracarensi* 1. *Cap.* 31. *præcipitur,* Ne ingredi sacrarium ad communicandum liceat Laicis, sed tantùm Clericis.

Ex his colligere licet, ab initio hanc distinctionem locorum & personarum eam solùm ob causam institutam fuisse, ne à plebe confusa sacra perturbarentur. Progressu temporis superstitio accessit, ut loca quædam in templis aliis sacratiora haberentur, & propterea ea ingredi Laicis, ceu profanis, nefas & piaculum esset. Chrysostomus autem homilia 74. *in Matth. causam reddens, ob quam Apostolorum ætate viri ac mulieres non separatim, sed unà orarint, propterea id factum docet*, quòd apud Deum nullus sit personarum respectus, imò neque Judæus neque Græcus, non servus neque liber, non masculus neque fœmina in Christo Jesu. *Qua fronte igitur Laicos fideles à Sacerdotibus impurissimis, tanquam sanctioribus, separare audent? Fateor equidem discrimen aliquod inter populum & Ecclesiæ ministros statuendum esse, sed non cujusmodi isti statuunt: satis enim est si ita discernantur, ut quisque intelligat quas partes sustinere debeat. Quemadmodum autem inter Clericum & Laicum nullum coram Deo discrimen est: ita etiam, quantum ad Communionem per se attinet, nullum est discrimen inter clericalem & laicam communionem: nisi quòd Clericus Laico Sacramentum porrigit, quod & ipse sumit: Laicus autem à Clerico accipit, nec aliis distribuit. Idem autem utrobique corpus & sanguis est. Testatur hoc apertissimè Chrysostomus in* 2. *Cor.* 8. *c. hom.*18. Est, *inquit*, ubi nihil differt Sacerdos à subdito: ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non, sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos: sed nunc non sic, verùm omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum. *Hactenus Chrysostomus.*

VIGILIUS.

Vigilius instituit, ut Missa celebretur versus Orientem. *Balæus. Et*, ut Canon nunquam legatur, nisi super sacrificia, & in altari consecrato, idque voce submissa. *Gigas in Floribus temporum. Martinus Polonus.*

PELAGIUS I.

Hic Pontifex decrevit, ut Quadragesimali tempore hora nona Sacerdotibus Missam celebrare liceret. *Balæus.*

Eundem mortuorũ Memorias & preces pro eorum

eorum salute Cœnæ addidisse *Balæus testatur. Hermannus autem Gigas hoc Pelagio 2. adscribit. Et Martini Chronicon manuscriptum refert, hunc Pelagium 2. instituisse*, Vt memoria defunctorum in omni Missa fieret, post elevationem hostiæ. *Non autem legitur in Decretalibus eorum Epistolis, neque etiam apud Platinam & alios invenitur.*

PELAGIUS II.

Pelagius 2. Novem præfationes Missæ, *quas Gelasius* 1. *Romanæ tantùm Ecclesiæ tradidit*, aliis quoque obtrusit, *ut est videre in ejus epistola ad Episcopos Germaniæ. Balæus.*

CAPVT VI.

De vera Sententia verborum Cœnæ in Romana Ecclesia, ex eiusdem Episcoporum scriptis.

De Decretis Rom. Pontificum indicium.

OMNES *hæ Constitutiones, quæ in Decretalibus, ut vocant, Epistolis primis Romanæ Ecclesiæ Episcopis adscribuntur (quamvis falsò) & quas in præcedenti capite commemoravimus, in substantia ac vero usu Cœnæ Dominicæ, quo à Christo institutæ, ab Apostolis traditæ, & in omnibus reliquis Christianorum Ecclesiis usurpata fuit, ut cap. 5. prolixè indicavimus, nihil prorsus mutant: sed potiùs docent, Cœnam publicam actionem totius Ecclesiæ etiam in Romana Ecclesia olim exititisse, in qua fideles de corpore & sanguine Domini sub utraque specie communicarint, ac passione & morte Christi in memoriam revocatâ, sumptione panis & vini, pro redemptione sua æterno Patri gratias egerint. Adhæc Constitutiones illæ fuerunt liberæ, nec aliæ Ecclesiæ illis alligatæ, ut quæ à Deo nec præcepta, nec prohibita sunt, proindeque Cœnæ Sacramentum nec melius, nec deterius reddunt. Cùm enim Gregorius M. circa annos Christi 600. ad Augustinum Anglorum Episcopum scribat*, licere ipsi ex diversis consuetudinibus in celebranda Missa eligere, & sequi quamcunque velit, *non certè credendum est ejus antecessores illis temporibus, quibus doctrina adhuc fuit purior, & ceremoniæ pauciores, conscientias his suis decretis constringere, aut ea aliis quoque Ecclesiis per vim obtrudere voluisse. sed potiùs pro Christiana libertate ut Gaziæ causâ instituerunt, quæ ad ornandam Cœnæ sacræ actionem aliquid conferre videbantur. De Transsubstantiatione autem, de accidentibus sine subjecto, de invocatione Sanctorum, de Sacrificio pro redemptione vivorum & mortuorum ac similibus nugis, imò blasphemiis, in hisce Pontificum Rom. decretis ne verbum quidem legitur. Nec refelluntur quoque ea à Romanis Pontificibus in his Decretalibus Epistolis: quæ Patres hujus Classis de Cœna Domini & vero sensu verborum Christi orthodoxè & juxta normam verbi divini scripserunt & docuerunt. Vnde certò colligitur, Pontifices Romanos de Cœna Domini contemporaneorum Patrum sententiam approbasse: id quod etiam in sequentibus manifestissimum faciam.*

Clemitis Rom. doctrina de Cœna.

Clemens, *qui vulgò Romanus dicitur, Epistola* 2. *& in Apostolicis Constitut. ea, quæ post communionem supersunt, indifferenter vocat*, Reliquias fragmentorum: Residua corporis Domini: Portionem Dominicam: Fragmenta oblationum, & Panes sanctuarii. *Hæc verò de ipsomet reali corpore Christi intelligi non possunt: & ideo, ne quis existimet, eum hac de veritate & substantia corporis Christi loqui, monet*, Cavendum esse Diaconis, ne sic reponant corpus Domini, ut inter murium stercora fragmenta panis, seu Dominici corporis appareant, aut ipsorum negligentia putrida evadant, atque sic portioni corporis Dominici gravis injuria inferatur. *Jubet etiam* velamina Dominicæ mensæ, si sordida fuerint, à Diaconis & ministris intra sanctuarium lavari, ne fortè pulvis Dominici corporis malè decidat.

Ratio nabilis hostiæ quid.

Libro 2. *cap.* 29. *scribit*, Sacerdotes assistere ad altare Domini Dei nostri, eique adducere rationales hostias & incruentas per Christum Pontificem: *Vbi manifestum est, Clementem per rationales hostias non ipsum corpus reale & sanguinem ejus intelligere: sequeretur enim, Christum per Christum offerri ad altare Dei: sed intelligit panem & vinum, quæ rationalem naturam accipiunt, ex destinatione rationalis memoriæ cultus, in quo mysticæ res sunt, & animo atque mente solùm, non secundum simplicem eorum naturam, sed summa ratione, utpote rationalem mysterii naturam habentia, tractantur.*

Lib. 3. *cap.* 63. *dicit*, Sacrificium in oblatione, & sacri cibi dispensatione consistere. *Non igitur cum antiquissima Romana Ecclesia, ejusque Doctoribus primis consentiunt, qui sacrificium Ecclesiæ à publica communione Cœnæ divellentes, illud in Sacerdotis actione tantùm offerri hodie docent.*

Lib. 5. *cap.* 16. Memores, *ait*, eorum, quæ propter nos est passus, gratias agimus tibi Deus omnipotens, non quantum debemus, sed quantum possumus, & ordinationem ejus implemus. Nam in qua nocte tradebatur, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus, & suspiciens in te Deum Patrem, frangensque dedit discipulis suis, dicens: Hoc mysterium Novi Testamenti, Accipite & comedite ex eo, &c. *Ex quibus verbis intelligimus, verba Christi, quibus in prima Cœnæ institutione usus est, non esse vulgaria, sed*

sed mystici sensus verba, quæ Novi Testamenti arcanum & sublime quoddam mysterium fidei in se continent.

Lib. 6. cap. 23. de Incruento Novi Testamenti sacrificio sic scribit: Christus veniens in mundum, sacrificium alio modo mutavit. Nam pro brutorum sacrificio cruento, rationale, mysticum & incruentum sacrificium instituit, quod in mortis Christi commemorationem per symbola corporis & sanguinis sui celebramus. *Non ergo per incruentum sacrificium, oblationem realem corporis Christi sub symbolis, verè existentis intellexit Clemens: neque enim tunc incruentum, ἀναίμακτον & sine sanguine sacrificium rectè dici posset. Eodem lib. cap. 30.* Acceptabilem Eucharistiam vocat, eamque ἀνάιμακτον regalis corporis Domini esse ait. *Item:* Donum, *inquit,* quod Deo offertur, est oratio cujusque & Eucharistia.

Lib. 7. cap. 37. Suscipe, *inquit,* nunc quoque Domine deprecationem labiorum populi tui, qui constat ex gentibus, invocantibus te in veritate, quemadmodum accepisti dona justorum in generationibus suis: Abelis primùm sacrificium respexisti, &c. *Et mox ex his infert:* Quare nunc quoque suscipe cum approbatione orationes populi tui, tibi per Christum oblatas in Spiritu. *Item:* Rogamus ut benignè aspicere digneris super hæc proposita munera in conspectu tuo, qui nullo indiges Deus, & compleaceas tibi in ipsis, in honorem Christi tui. *Et paulò pòst:* Rogemus Deum per Christum suum, pro dono hoc oblato, ut Deus suscipiat illud, intercedente Christo ipsius, ad cœleste altare suum, in odorem suavitatis. *In prima ergo Romana Ecclesia aliud crediderunt fuisse proposita dona seu munera, super quibus, pro acceptatione & sanctificatione ipsorum Spiritus sancti missionem petierunt: & aliud ipsum Christum, propter quem, & in cujus honorem, ipso intercedente, ista munera respici & acceptari, & ad cœleste altare in odorem suavitatis à Deo suscipi flagitarunt.*

Lib. 8. cap. 17. & 19. post verba consecrationis sic orat Sacerdos: Memores igitur passionis ejus & mortis, nec non ex mortuis resurrectionis, atque in cœlos ascensionis; & futuri ejus secundi adventus, in quo veniet cum gloria & virtute judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera sua: Offerimus tibi Regi & Deo, secundùm ipsius ordinationem, panem hunc & calicem hunc: gratias tibi agentes, eò quòd nos dignos fecisti in conspectu tuo, & fungi sacerdotio tibi. Rogamusque te, ut benignè aspicere digneris super hæc dona proposita, in conspectu tuo, tu qui nullo indiges Deus, & compleaceas tibi in ipsis, in honorem Christi tui, & mittas Spiritum sanctum tuum, super hoc sacrificium, testem passionum Domini Jesu ut ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui, ut qui ea percipiunt, confirmentur in pietate, & in remissionem peccatorum. *His verbis petit accepta fieri, & grata haberi à Deo in honorem Christi, Panem & vinum oblata in sacrificium, ex mandato & institutione Christi, dona seu munera, propter mysticam eorum & intelligibilem significationem, quatenus videlicet in spirituali ipsorum usu passionis & beneficiorum Christi, quorum sunt testis, cultus & memoria repræsentatur. Hæc igitur dona & munera in sacrificio sic oblata, non sunt ipsemet verè & essentialiter Christus. Sed proculdubiò respiciunt hæc verba ad illud Petri, quo fideles in Christo vocat sacerdotium sanctum, ad offerendas hostias spirituales, acceptabiles Deo per Christum.*

Sed & idem Clemens lib. 7. cap. 26. & 27. hæc oblata in sacrificio munera, ἀνάιμακτα corporis & sanguinis vocat, quæ Christus Apostolis suis dedicrit, & quæ ex ordinatione ejus in mortis memoriam conficiuntur: Etiam, *inquit,* gratias agimus tibi Pater noster, pro pretioso sanguine Christi, qui effusus est pro nobis; & pro pretioso corpore, cuius hæc ἀνάιμακτα conficimus, ipso sic ordinante, ut annunciaremus eius mortem, per quem tibi gloria, &c. *Cùm igitur rationale, seu mysticum & incruentum Ecclesiæ sacrificium sit ipsa veri sacrificii commemoratio: Illa autem commemoratio mortis Domini fiat in antitypis mysteriis, in memoriam ejus sequitur etiam illud mysticum & incruentum Ecclesiæ sacrificium in antitypis mysteriis celebrari.*

Libro 8. cap. 20. Accedat, *inquit,* omnis populus ordine cum pudore & reverentia, & Episcopus det oblationem. *Ex quibus verbis Clementis intelligitur, longè aliam ejus tempore in Romana Ecclesia sacrificii rationem fuisse, quàm hodiè in transubstantiati panis oblatione à sacrificulis in Missa peragitur.*

Justinus *Martyr, annis 40. post hunc Clementem Romæ claruit. Quæ autem doctrina de mysterio. S. Cœnæ ejus tempore Romæ, & aliis in locis fuerit, non obscurè ex his eius verbis intelligi potest:* Non, *inquit,* hæc percipimus, ut communem cibum, vel vulgarem panem, neque ut vulgarem potum, sed quemadmodum per Dei verbum incarnatus Iesus Christus Servator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic & cibum per precationem verbi ab ipso gratiarum actione sanctificatum, qui nutrit carnes nostras & sanguinem, illius incarnati IESV carnem & sanguinem esse dicimus.

Justini doctrina de Cœna.

dicimus. Nam Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia, sic sibi IESVM mandasse traditerunt: sumpto pane, actisque gratiis dixisse: Hoc facite in mei memoriam: Hoc est corpus meum, &c. *Apologia secunda. Hic quum Iustinus Martyr dicat, sacratam in Eucharistia panis & calicis alimoniam, quæ mutata in nutrimentum, carnem nostram & sanguinem nutriat, esse incarnati Christi carnem & sanguinem, contra Transubstantiatores, panem & vinum in calice, ab ipso nutritionis effectu, manere apertissimè affirmat. Nemo enim, ut arbitror, dixerit facile, nos reali corpore & sanguine Domini nutriri, sic ut caro & sanguis ejus realis, in carnem & sanguinem nostrum convertatur. Deinde, quum dicat, sanctificatam hanc panis & calicis alimoniam carnem & sanguinem Christi esse, sicut hanc carnem & sanguinem Filius Dei verbum pro salute nostra assumpsit & habuit: certè non de insensibili & invisibili illa, & omni proprietate destituta corporis sub specie panis existentia intellexit, sed talem in Eucharistia veritatem carnis credi voluit, qualis per incarnationem Verbi, in omnibus veræ carnis proprietatibus, assumpta, & in mortem pro nobis tradita est. Ergo ab ipso incarnationis modo, quo Filius Dei Verbum non invisibile aliquod Phantasma aut spectrum, sed in humana forma, & proprietate nostræ naturæ, visibilis caro factus est, veritas carnis Christi, quam in instituto memoriæ ipsius sacramento testatam facere voluit, æstimanda & definienda est.*

In Dialogo cum Tryphone docet, nobis à Christo ad communicationem corporis, propter credentes in eum, assumpti & passibilis facti: & populum in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione sumendum, datum esse: Propterea panem & vinum in sacra Cœna non ut communem cibum, sed ad hoc destinatum esse, ut gratiæ Deo agantur, & Christiani admoneantur, quæ propter nos Dei Filius perpessus est. *Ibidem.* Panem à Christo in commemorationem assumpti corporis, poculum autem in sanguinis memoriam, institutum *dicit. Hæc figurata corporis Christi appellatio, in sacramenti doctrina, apud Veteres diligenter observanda est, alioqui de Patrum sententia in disputatione Eucharistica nunquam rectè judicare poterimus.*

Quòd autem Iustinus dicit, corpus Christi ex pane fieri, per verbi sanctificationem, quo corpora nostra nutriantur, constent & augeantur, *id vocat alibi* Eucharistiam panis & poculi: *Item*, alimentum siccum & humidum. *Nam Apolog. 2.* Equidem, *ait*, preces & gratiarum actiones si per homines dignos fiant, pro perfectis & Deo gratis habeo. Hæc enim sola sic Christiani facienda accepe-

runt, ut alimento sicco atque humido admonerentur eorum, quæ propter eos Deus, Dei Filius perpessus esse narratur. *Ex hùc verbis apertè intelligimus, panem Cœnæ usurpari, non ad realem carnis Christi esum, sed potiùs ad gratiarum, pro ejus beneficiis, actionem: quòd victima nobis & cibus vitæ æternæ est factus, & ad mortis ac resurrectionis Christi annunciationem. Neque docet Iustinus in pane & vino substantialiter esse corpus & sanguinem, sed ipsum panem esse corpus, & vinum sanguinem: non quòd caro & sanguis in iis delitescant, & corporaliter à dignis & indignis sumantur: sed quòd Christi corpus & sanguis non invisibilia, & ubique præsentia, sed vera, humana, palpabilia, circumscripta, fide à nobis apprehensa, & ipse Christus nobis arctissimè conjungitur: quemadmodum panis & vinum sumpta & manducata in nostri corporis alimentum mutantur, & corporalè vitam sustentant. Inquit enim Iustinus:* Nos corporale nutrimentum sumentes certè illud spirituale sumere: non tantùm propter analogiam panis communis ad corporis Christi spiritualem manducationem, sed & propter verbum & divinam ordinationem, hoc est, propter mandatum de hoc pane sumendo, & promissionem gratiæ huic sumptioni annexæ: Sicut per sermonem, decretum, & voluntatem Dei veram carnem Filius Dei assumpsit, nosque per eam redemit & æternùm salvos fecit. Idem enim est dator & autor utriusque alimenti, significantis & significati beneficii spiritualis & symboli corporalis, qui nos illius facit participes. *Ait* etiam, panem & vinum hoc modo, videlicet ex verbo & divina ordinatione ad hunc usum esse nobis corpus & sanguinem Christi, non quia recitetur verbum, & externus ritus retineatur: sed quia cum precibus & gratiarum actione hic cibus sumitur, ut illud in nobis perficiat Christus, quod verbo & symbolo externo nobis promittit. *Hæc fuit Iustini Consecratio, quæ nihil cum Pontificiorum consecratione commune habet, qua per pronunciationem verborum panis & vinum incantantur.*

Mentionem etiam interdum facit Iustinus μεταβολῆς *seu mutationis & conversionis, non quòd docere velit, in externis signis substantias aboleri: sed potiùs hoc vult, panem consecratum à vulgari atque communi longissimè distare, & iam alium esse, non autem prorsus in nihilum redigi: ne si inane panis phantasma vel spectrum doceatur, omnis analogia vel similitudo pereat, quæ nos à re visibili ad invisibilem, à corporali & externa ad spiritualem & internam deducere debet. Evertitur enim sacramenti natura, nisi in modo significandi terrenum signum cœlesti rei correspondeat: proindeque peribit nobis mysterii hujus veritas,*

Iustino quid. contrario.

veritas, nisi verus panis verum Christi corpus repræsentet.

Innocentii 1. doctrina de Cœna.

Sic etiam Innocentius 1. *in epistola ad Arcadium Imp.* Panem & vinum Dominica signai appellavit, *ut Glicas in Annalibus refert.* Studium, *inquit Innocentius*, diligenter iamque vestram, Dei præscripto & voluntati consentaneam, quam propter ipsius nomen declarastis, accepimus & probavimus. Quapropter à sacris vinculis soluti, ad signa Dominica confirmatis animis accedite. *Et Epistola* 22. Missas facere, *accipit pro sacramenta ex oblationibus conficere, & populo distribuere.*

Leonis 1. doctrina de Cœna.

Leo 1. *quoque &* Gelasius *Romani Pontifices, senserunt & crediderunt*, Panis & vini mutationem in corpus & sanguinem Christi, quæ invisibili operatione & virtute Spiritus sancti fiat, mysticam esse, in qua nulla substantiæ horum symbolorum abolitio accidat. *Et ab hac salva symbolorum substantia & natura, in mysterio sacramenti, tanquam certo & immoto principio, etiam humanam naturam Christi, in incarnationis mysterio, per unionem salvam & inconsumptam mansisse, contra Eutychianos probarunt: cujus argumenti ratio & vis nulla fuisset, nisi ex catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ doctrina pro certo tunc creditum fuisset, nullam in mysterio Eucharistiæ symbolorum panis & vini substantiæ mutationem fieri. Sed ipsorum verba & argumenta paucis inspiciamus.*

Leo *in epistola ad Clerum Constantinopolitanum, contra Eutychianos, qui commixtionem, vel confusionem proprietatum utriusque naturæ in Christo docebant, sic scribit:* In Ecclesia Dei omnium ore consonum est, ipsisque etiam infantibus (qui mysteriis videlicet primùm imbuti sunt) notum, veritatem corporis & sanguinis Christi inter communis fidei sacramenta recenseri. In mystica enim distributione spiritualis alimoniæ, hoc impartitur, & sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. *Ex hac mysteriorum notissima omnibus doctrina, quæ certam de veritate corporis & sanguinis Christi professionem fidei contineret, sic argumentari Leo voluit: Si in mystica distributione spiritualis alimoniæ, hoc datur & sumitur, ut accipientes cœlestis cibi virtutem, transeant in carnem Christi, qui caro nostra factus est: Christus ergo habet veram, & ejusdem nobiscum naturæ carnem. Nam quia nostra caro, hac in carnem Christi, per Spiritualis alimoniæ mysticam distributionem, facta transitione, non mutat, aut amittit naturales suas proprietates: consequens etiam hinc est, carnem Christi, eodem modo, quo nostram, veram carnem esse & manere. His verbis Leo, veritatem carnis Christi, quam ab Eucharistia contra Eutychianos probare vult, opponit phantastico & imaginario illi corpori, quod Christo affingebant Eutychiani: contra quos in eamdem etiam sententiam scribit in Epistola ad Palestinum & Flavianum. Per hanc igitur veritatem corporis Christi ab Eucharistiæ sacramento confirmatam, non intellexit utique Leo, invisibilem aliquam, & ulla veri corporis forma & proprietate definitam carnis sub specie vel accidenti panis existentiam. Hoc enim non contra Eutychianos, & Phantasmaticos Christianos, ut ab eo vocantur, sed pro eis plurimùm fecisset: sed hoc voluit docere, Proponi nobis in sacra illa Cœnæ actione, & veraciter fidelibus offerri, atque mysticæ illa spiritualis alimoniæ, seu panis & vini sanctificati distributione & sumptione, tanquam sigillo certissimo & indubitato pignore simul efficaciter obsignari, admirandam & dulcissimam illam & arctissimam societatem vel conjunctionem, qua Filius Dei, massa nostræ naturæ assumpta, factus est frater noster, nosque unione arctissima per fidem sibi spiritualiter conjungens, sui corporis membra, os de ossibus & carnem de carne sua faciat, ut nos ejus corpori, furculorum instar, insertos, sanctificet & vivificet, omniumque cœlestium bonorum communicatione, massæ suæ conformes, proindeque æternùm beatos efficiat. Christum ita que verè adhuc in cœlesti gloria, solidam carnem & corporibus nostris ὁμοούσιον, ac similem per omnia gestare, eamque sic nobis quotidie in cibum spiritualem præbere, ut assidua ejus ac jugi fruitione, nostra misera massa recreetur, & salutari ejus succo ac vigore nutriatur ac sustentetur ad vitam æternam.*

Serm. 4. Quadragesim scribit: In sacramentorum communione ita se temperant Manichæi, ut ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. *Quod si ipsum naturale Christi corpus realiter, & ore in Manichæorum communione perceptum & manducatum fuisse sensisset Leo, causam certè non habuisset, cur diceret, sanguinem redemptionis à Manichæis omnino declinari: nisi forte exangue voluit esse corpus, quod ore sumerent.*

Gelasii doctrina. Mutatio symbolorum in Eucharistia quid Gelasio. De hoc Gelasii loco vide P. Sinicium Defensionem Ad. monitionis cujus dam fol. 406. 407.

Gelasius *Papa contra Eutychen & Nestorium, quem librum Fulgentius ad Ferrandum Diaconum citat ac laudat, dicit*, in actione mysteriorum imaginem & similitudinem corporis & sanguinis Christi celebrari. *Eodem libro scribit quidem*, Panem & vinum Eucharistiæ, in divinam transire, Spiritu sancto operante, substantiam, corporis scilicet & sanguinis Christi. *Quibus verbis videtur docere Transubstantiationem: quod enim transit in aliam substantiam, & quidem virtute Spiritus sancti, certè non videtur manere in sua priori sub-*

subſtantia. Gelaſius autem ibidem, ſuam & veteris Eccleſiæ ſententiam apertiſſimè explicat: indicans, quomodo mutationem ſeu converſionem panis & vini in Euchariſtia intelligi velit: idque tribus modis. Primò, *ita tranſeunt in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, ut tamen non deſinat eſſe ſubſtantia vel natura panis & vini.* Secundò, *tranſeunt in divinam ſubſtantiam, permanente pane & vino in ſua proprietate naturæ: ſicut in Chriſto, duæ naturæ, ex quibus conſtat, propriè permanent.* Tertiò, *ideò etiam dicuntur tranſire in divinam naturam, quòd per ea divinæ efficiamur conſortes naturæ, communicato nobis & corpore & ſanguine Chriſti. Verba ejus hæc ſunt:* Certè ſacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, divinæ res ſunt: propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ: & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini. Et certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſterioſũ celebratur: ſatis ergo per hoc nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in Chriſto Domino ſentiendum, quod in Imagine profitemur, ut ſicut hæc in divinam tranſeunt, Spiritu ſancto perficiente, ſubſtantiam, & permanent tamen in ſuæ proprietate naturæ: Sic illud Principale myſterium (*incarnationis ſcilicet*) cujus hæc nobis efficientiam & virtutem veraciter repræſentant, iis naturis, ex quibus conſtat, propriè permanentibus, unum Chriſtum integrum, verumque permanere demonſtrat. *Hujus argumenti, quod ab imagine & typo, ad ipſius principalis myſterii in Chriſto veritatem ſumptum eſt, hæc vis & ratio eſt: In myſteriorum hoc eſt, Dominicæ Cœnæ actione, celebratur imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti, cum Divinitatis Verbi per incarnationem uniti. At myſteria, tametſi corporis & ſanguinis Chriſti appellationem ſuſcipiant, ac proinde res divinæ fiant, manent tamen in priori naturæ proprietate, nec deſinunt, mutata eorum ſubſtantia vel natura. Ergo etiam corpus & humanitas Chriſti, licèt in unitate perſonæ unus cum Verbo Chriſtus ſit, manet tamen in aſſumpta natura veritate, absque ulla proprietatum ipſius mutatione, ſalva. Quæ cùm ita ſint, deploranda eſt illorum hominum cæcitas, qui nec vident, nec intelligunt, quòd veritas carnis Chriſti orthodoxo conſenſu veteris Eccleſiæ, à ſacris Cœnæ myſteriis contra omnes hæreticos olim conſtantiſſimè aſſerta & defenſa: hodie per hæc eadem myſteria evidenter contrario, quo recte aſſerta fuit, modo, propter falſam, erroris, quæ de reali & corporali in pane, aut ſpeciebus panis, præſentiam involvit, opinio rurſus deſtruatur, revocato viciſſim in Eccleſiam phantaſtico & imaginario illo corpore, quod in Eutychianis à vera myſteriorum doctrina & intelligentia alienum damnavit pia & erudita Vetuſtas.*

Vide Ostendamp. Dialogum fol. 153 b.

Vide Virtum de Origine &c. Miniſterii verbi & Sacram. lib. 6 c 15

Cumque in eodem argumento Gelaſius dicat, imaginem & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti actione myſteriorum celebrari, idem docere vult quod Nazianzenus, qui Sacerdotes magnorum myſteriorum ἀντίτυπα offerre ait, &c. Idemque ſenſit, quod alii Patres, qui panem & vinum in Euchariſtia arcanarum Novi Teſtamenti rationum ſymbola, μαρτύρια, ὑπομνήματα & ſignacula paſſionis & ſacrificij Chriſti: *quique corpus illud, quod myſticè in memoriam offerri dicitur, vocant* ſymbolicum: typicum, myſticum & propoſitum: *propter quod & tota actio myſterii à Dionyſio συμβολικὴ ἱερουργία appellatur. Imò, hoc idipſum eſt, quod Auguſtinus ſcribit*, Panis & calicis oblationem eſſe mortis Chriſti commemorationem, quæ tam verbis, quàm rebus myſticis peragitur, per quæ noſtris mentibus mors illa preciosa altiùs & fortiùs commendatur.

CAPVT VII.

Inclinatio Sanæ Doctrinæ de ſacra Domini Cœna, complectens novas & incommodas opiniones, ſtipulas & errores, cùm aliorum, tum etiam Romanæ Eccleſiæ, hujus ſecundæ Claſſis.

Sancti mortui in Euchariſtiæ celebratione invocari cœperunt.

PRIMO *in hac ſecunda Claſſe in Cœnæ Dominicæ celebratione* Sanctos mortuos invocare cœperunt, & à Deo petere, ut ipſorum meritis & precibus concedat, quo in hac vita in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. *Vnde autem & quibus occaſionibus hic error in Eccleſia exortus ſit, quàm poſſum breviſſimè exponam.*

Origo Invocationis Sanctorum in Cœnæ celebratione.

Quemadmodum veteribus Chriſtianis Martyres adhuc in carne conſtituti ſummæ erant curæ, quos non ſolum conſolabantur, & cibos in carcerem mittebant, aut ſi non admitterentur à cuſtodibus ad colloquium, vel aliquin ad eos venire non liceret, libellos conſolatorios mittebant: ſed etiam ſanctum eorum propoſitum precibus adiuvabant, cùm publicè in Synaxi, ſeu Cœnæ Dominicæ celebratione, tùm etiam privatim Deum comprecantes, ut videre licet apud Cyprianum ad Confeſſores & Martyres captivos, ejuſdemque Epiſtola 6. lib. 3. Sic etiam nec defunctos negligebant. Diebus enim iis, quibus paſſi fuerant, & ex hac miſera vita in meliorem, beatioremque exceſſerunt, annotatis, & ipſorum nominibus in Catalogum Martyrum relatis, Memorias eorum celebrabant fideles ſolenniter,

nec,

nec id semel tantùm, sed singulis quibusque annis facititabant, quum videlicet dies passionis eorum recurrisset: ut testatur Cyprianus lib. 3. epistola 6. & lib. 4. epist. 5. & Smyrnensium epistola ad Philomelienses, quæ exstat apud Eusebium lib. 4. cap. 14.

De quibus tamen Memoriis nihil in sacris literis, & ne in Apostolorum quidem scriptis quidquam exstat. Smyrnenses primi omnium, quod sciam, mentionem earum in sua epistola faciunt circa annum Domini 170. Post Smyrnensium epistolam meminit illarum Tertullianus in libro de Corona militis: simul tamen fatetur, eas, sicut alia quadam, sine lege scripturæ, solius traditionis titulo receptas fuisse. Circa Constantini M. autem tempora hujusmodi Memoria in omnibus penè Ecclesiis recepta, & Constantini Imp. authoritate confirmata fuerunt.

In istis verò Memoriis prædicabatur verbum Dei, celebrabatur Cœna Dominica, distribuebantur eleemosynæ & fiebant preces, sicut ex Antiquitatis historia manifestissimum est. Missas autem in his Memoriis celebratas esse ex institutione Felicis 1. Papæ, ut decretalis ejus epist 2. habet, falsissimum est: quum ejus tempore Missæ nomen, nedum res ipsa prorsus incognita fuerit. Pauli verò tum epistolas quoque lectas esse, Chrysostomus indicat in argumento epistolæ ad Romanos. Præterea in ipsa Synaxi, ante consecrationem panis & vini, post symbolum decantatum, & panem ac calicem altari appositum, & mutuam pacis consalutationem, nomina & certamina Martyrum in scheda conscripta, quam in altari ponebant, publicè recitabantur, non sine laude & præconio virtutum, quæ in viventibus eluxerunt. Meminit hujus ritus Dionysius in Ecclesiast. hierarchia lib. 3. & Augustinus in lib. de Virginitate. Id verò ea ætas vocabat offerre nomen alicujus, *ut patet ex Cypriani epistola 14. lib. 3.*

Hæc verò omnia in eum finem non facta sunt, ut in Cœna Dominica, quæ in his Memoriis celebrabatur, implorarent patrocinia Sanctorum, ut propter ipsorum merita, intercessionem & preces consequerentur misericordiam, gratiam & auxilium Dei, sed longè alia, & quidem diversa fidelium ea in re fuit intentio. Id verò liquidissimè narratur in dicta Smyrnensium epistola. Quum enim Iudæi simul & Gentes instarent Præfecto, ne Polycarpi corpus Christianis traderetur, quod cupidissimè petierant, Ne relicto crucifixo Polycarpum ejus loco colere inciperent: Respondet hujus calumniæ Smyrnensis Ecclesia: Ignorant, ait, miserrimi, quòd neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque alium quenquam colere. Quo igitur animi proposito, & in quem finem Memorias Martyrum & Synaxes super eorum sepulchra celebrarunt? Quoniam, aiunt, verum Deum, & qui solus colendus sit novimus: Martyres verò tanquam discipulos Domini diligimus & veneramur, quasi integrè fidem magistro servantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perseverantia charitatis optamus esse participes. *Et paulò post:* Nos, *inquiunt*, ambusta ossa pretiosissimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta collegimus, ac, sicuti conveniebat, ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante Domino, solennes agimus celebresque conventus, maximè quidem in die passionis ejus, sed & cùm eorum memorias, qui priùs passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur. *Quibus verbis hæc sancta Ecclesia Asiæ, cultum Martyrum disertis verbis negat: honores verò eorum, qui in his Memoriis eis sunt exhibiti, eo pacto describit, non quo Pontificii hodie sanctos in Missa & aliàs colunt. sed ut sacræ literæ jubent.* Christum, *ajunt*, aliquando non possumus deserere: *quod idem est ac si dixissent, Christum nunquam possumus deserere. Ratio?* Quippe qui mortem pro totius mundi salute sustinuit ipse, & non alius. *Rursus aiunt:* Non possumus alium quenquam colere, *Quare?* Quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit, novimus. Verus, *aiunt*, Deus, & is quidem solus colendus est. *Quo ergo loco Martyres habetis? Respondent:* Martyres ut Domini discipulos veneramur ac diligimus, veluti eos, qui magistro ac Domino fidem servarunt. *In quem finem verò ossa Martyris colligitis?* Non in alium, *inquiunt*, quàm ut more sepeliantur. *Quamobrem autem in Orationibus Martyrum mentionem facitis, & ad eorum sepulchra convenitis? Respondent:* Optamus illorum consortes fieri, & ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur. *In hunc ergo finem hoc factum ab eis fuit, ut in hac vita Martyrum virtutum, quas in illis celebrabant imitatores, in vita autem æterna consortes & socii eorum fierent. Dixerè ergo his omnibus Smyrnenses illa ipsa negant à se in Martyrum Memoriis, & celebratione Cœnæ super eorum sepulchra fieri, quæ hodie à Pontificiis in Missa sua palàm fiunt.*

In hunc finem Memoriæ hæ celebratæ sunt adhuc Origenis, Basilii & Augustini ætate. Sic enim Origenes lib. 3. in Iobum: Propterea, *inquit*, & Memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorũ vel amicorum in fide morientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. *Et rursus:* Celebramus, memoriam defunctorum, religiosos cum sacerdotibus

convocantes, fideles unà cum clero invitantes, adhæc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. *Et Basilius in Asceticis cap.* 40. Non decet, *inquit*, Christianos aliam ob causam in Martyrum Memoriis, aut locis vicinis comparere, quàm ut precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint ad hujusmodi zeli imitationem incitentur. *Et Homil.* 19. Nostri, *inquit*, profectus tantùm causa, sat fuerit illorum (*Martyrum vel Sanctorum*) celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: sic è sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes provenit utilitas. *Dionysius etiam in Ecclesiastica hierarchia*, Enimverò, *inquit*, Post Pacem illam, Sanctorum nominum prædicatio, eos præconio attollit, qui piè sancteque vixerunt, & ad finem usque virtutis viam constanter, nusquam ab ea defectendo, tenuerunt. Nos quidem ad eos imitandum beatissimum illorum habitum, atque ad divina appetenda præmia provocans ac ducens, &c. *Et mox*: Sed & illud sacratius intuere, quòd impositis sancto altari, venerabilibus signis, per quæ Christus signatur & sumitur, adest protinus atque incunctanter sanctorum descriptio, conjunctionem eorum individuam unionemque cum illo altissimam & sacratissimam indicans. *Non docet Dionysius, ut invocentur Sancti in his Memoriis, sed ut populus excitetur ad imitationem fidei, constantiæ in confessione, patientiæ & aliarum virtutum Sanctorum.*

Faustus Manichæus Augustino obiiciebat lib. 20. *cap.* 21. Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis & dapibus. *Quæ autem vota Gentilium & qualia ad idola fuerint ex Augustino colligitur, qui de Civit. Dei lib.* 8. *cap.* 20. *& 23. ex Ethnicorum sententia scribit*, Dæmones medios inter Deos & homines agere, mediateque hominibus apud Deos necessarios esse. *Et cap.* 17. *scribit*. Ideo donis invitari, honoribus mulceri, religione coli, ut preces hominum ad Deos perferant, & inde rursus ad homines concessa & impetrata quæ poscunt referant & apportent. *Quibus igitur persuaderi non potuit, hos vel illos esse Deos, his persuasum fuit, esse tamen inter Deos & homines internuncios, ac beneficiorum impetratores, ideoque non omnino indignos honore divino: ad eundem planè modum quo Pontificiis persuasum est, ut ex Canone intelligitur, sanctos cœlites intercessores apud Deum esse ad impetrandum divinæ protectionis auxilium. Hæc verò Augustinus in Memoriis Martyrum nequaquam fieri à fidelibus docet. Nam cap.* 27. *lib.* 8. *de Civit. Dei.* Nos, *inquit*, Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia. *In quem finem autem Veteres apud Memorias Martyrum Cœnam Dominicam celebrarint, eodem loco indicat*: ut ea celebritate, *inquit*, & Deo vero de eorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, ex eorum Memoriæ renovatione adhortemur. *Neque ad hæc consequenda Sanctorum patrocinia expetebant*: sed, *Augustino teste*, invocabant in auxilium Deum verum, qui ipsos, & homines, & Martyres fecit, & sanctis Angelis cœlesti honore sociavit. *Neque sequitur: Nomina Martyrum in Eucharistiæ celebratione recitabantur: Ergo eos invocarunt, vel petierunt, ut illorum intercessione auxilium Dei consequerentur. Nam Augustinus ad hoc respondet lib.* 22. *cap.* 10. Martyres, *inquiens*, ad hoc sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui sacrificat, invocantur. Quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium est corpus Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. *Et contra Faustum lib.* 20. *cap.* 21. Offerunt, *inquit*, Deo apud Memorias Martyrum, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam caritatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuvante possumus. *Cyrillus etiam Iuliano obiicienti, quòd Christiani homines miseros, lege dura usos, colerent, respondit lib.* 6. Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus: sed laudamus eos summis honoribus, quòd pro veritate certarint, & fidei synceritatem servarint. *Et postea addit*, hoc ad Græcorum vetustissimorum imitationem observari cœpisse à primis illis Christianis, apud quos ii, qui in Marathone ceciderant, anniversariis laudibus coronati fuerint.

Longissimè igitur ab his Memoriis Martyrum, & Eucharistia, quæ in iis celebrabatur, cultus Sanctorum aberat ab initio, neque illo tempore Sanctorum ullorum, sed Christi merita ac preces, seu intercessiones proponebantur populo spectandæ & considerandæ: quibus confideret. Progressu verò temporis, ac præsertim Augustini ætate inclinatio quædam fieri cœpit. Cum enim ad sepulchra Martyrum, apud quæ conventus habebantur, multa & magna miracula fierent, quæ ab ipso Deo edebantur, ad ejus doctrinæ confirmationem, propter quam Martyres vitam & sanguinem

Memoriis Sanctorum olim fuit Invocationes divinas. Inclinatio Memoriarū Sanctorum.

guinem profuderant, utque homines ad illam doctrinam ampleƈtendam & confitendam ſic invitarentur: homines hoc non perpendentes, mox de meritis, orationibus, adiumentis & operationibus Martyrum diſputare cæperunt: nihil autem definitum, ſed opinio de meritis Sanƈtorum in medio relicta fuit. Vnde Auguſtino teſte de Civitate Dei lib. 8. cap. 27. quidem epulas ad ſepulchra Martyrum deferebant, & ſanƈtificari ibi eas credebant per merita Martyrum. *Auguſtinus autem dicit*, hoc à melioribus Chriſtianis non fieri. *Et lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. valde dubitanter de hac re loquitur:* Faciunt, *inquit*, hæc Martyres, vel potiùs Deus, vel orantibus, vel cooperantibus illis, ut fides confirmetur, qua eos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus. *Et alio loco:* Sive Deus ipſe per ſeipſum hoc operetur, ſive per ſuos miniſtros, ſive quædam faciat etiam per Martyrum Spiritus, ſive omnia iſta per Angelos operetur, ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, ſive alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt, &c. *In libro quoque de Cura pro mortuis, cap. 16.* An, *inquit*, Martyres ipſi præſentes ſint, quando ad Memorias ipſorum miracula fiunt: an verò Deus per miniſteria Angelorũ opituletur, & Martyres generaliter orantes audiat: res hæc eſt altior, *quàm ut à me poſſit attingi: & abſtruſior, quàm ut à me poſſit* perſcrutari. *Sic etiam Origenes hac de re ſcribit in 2. cap. ad Rom.* An, *inquit*, Sancti, qui cum Chriſto ſunt, aliquid pro nobis agant & laborent, ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant: habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria. *Hoc pacto ab initio huius quæſtionis de ea ſcripſerunt & diſputarunt Patres, absq; omni aſſeveratione & definitione. Auguſtinus tamen iſtis opinionibus, licèt eas dictis in locis in dubio relinqueret, alicubi nonnihil tribuere cæpit. Nam de Civit. Dei lib. 22. cap. 9. dicit.* Martyres talia à Domino impetrare poſſe, & pro patientia etiam habere potentiam. *Et contra Fauſtum lib. 20. cap. 21.* Populus, *inquit*, Chriſtianus Memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuvetur. *Loquitur hic quidem de conſociatione meritorum, non tantùm ex Pontificiorum ſententia, quaſi merita Sanƈtorum applicentur aliis: ſed per merita Auguſtinus, ſicut etiam alii Patres intelligunt bona opera, quibus Deus ex miſericordia & benignitate immenſa præmia reddit. Dicit igitur, Memorias Martyrum ad hoc proDeſſe, ut in ſimilibus virtutibus, eorumq; præmiis ſocii Martyrum efficiamur. Illud verò quod de adiumento orationum addit, ex illa opinione orum eſt, quam Auguſtinus in medio reliquit.*

Nazianzenus autem & Hieronymus declamatoriis ſuis apoſtrophis non exiguam ad hanc opinionem occaſionem hominibus præbuerunt. Nazianzenus enim in Orat. funebri Baſilii M. hujuſmodi exclamatione oratoria utitur, qua Baſilii animam, ſi ad Pontificiorum ſenſum interpretari velis, quaſi numen aliquod invocare videtur. Non me locabis, *inquit*, in beatorum tuumque chori ordinem? Ne me deſeras. *Hunc ſequutus Hieronymus, tanquam diſcipulus præceptorem, in has ipſe quoque voces erupit in Paula Epitaphio:* Vale ô Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus tuis iuva. Fides & opera tua te Chriſto ſociant. Præſens faciliùs quod poſtulas impetrabis. *Hujuſmodi voces excidunt magnis iſtis viris, dum plus nimio affectibus ſuis, erga eos quos mors eripuerat ipſis, indulſerunt, quibus voluerunt ſuum erga Sanƈtos ſtudium declarare, illisque gratulari de emigratione ex hac miſera & mortali vita in ſedes illas beatas, in quas erant recepti, & indicare quàm id certum haberent, potiùs quàm teſtari illos ſibi patronos pro Chriſto ſupponere, eorumque ſibi opus eſſe patrocinio. Luſerunt enim, ut homines erant doƈtiſſimi & eloquentiſſimi, Poëticis & Rhetoricis apoſtrophis, quibus ad abſentes, tanquam præſentes dirigitur ſermo. Quod etiamnum hodie à viris eruditis in conſcribendis Epicediis & Epitaphiis frequentiſſimè, citra omnem tamen ſuperſtitionem, uſurpatur.*

Neque tamen inficiari poſſumus, quin latiſſimum hoc modo aperuerint campum poſteris, ad ſanƈtorum ſanƈtarumque ſuperſtitioſas & impias invocationes, & quin imprudentes mulum adiuverint promoverintque myſterium illud iniquitatis: de quo Paulus vaticinatus eſt 2. Theſſ. 2. cap.

Quum enim id iam tum in Romanis Pontificibus ageret, ideo Syricius Papa illam opinionem, quam cæteri Patres in dubio reliquerunt pro orthodoxa amplexus eſt, & Cœnæ Dominicæ quoque accommodavit ut *nimirum* ipſa actione Cœnæ impetretur, ut Sancti ſua merita & preces interponant inter Deum & homines, ſic ut ipſorum meritis & precibus, concedatur quo in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. *Poſtea Gregorius M. hanc opinionem Canone ſuo confirmavit. Eoque tandem deventum eſt, ut potior ratio & memoria Sanƈtorum, quàm Chriſti in Miſſa habita & celebrata fuerit. Hodie enim nulla Miſſa Chriſti, ſed vel Stephani, vel Sebaſtiani vel Margarethæ, vel Barbaræ, vel aliorum nomen & titulum præfert: Omitto alias appellationes, quæ de*

clavis, vulneribus, linteis, sindonibus, crucibus & aliis id genus idolis, & rebus inanimatis dicuntur.

Invocatione Sanctorum profanatur Cœna.

Eli autem hæc horribilis Cœnæ Dominicæ prophanatio, quæ cum prima eius institutione ex diametro pugnat. Non enim dixit Christus, Hoc facite, in Sanctorum, *sed*, in Mei commemorationem. *Hodie verò, suppressa penè Christi ejusque beneficiorum memoria, Divorum Divarumque tantùm memoria celebratur, eorum nomina invocantur, merita applicantur, distribuunturque, sed numerato pretio, quorum tamen nullum Christus exigit, sed ipse solus est, non Sancti, redemptionis nostræ pretium. Pugnat quoque cum verbo Dei, quod docet*, Sanctis sua opera ad salutem non suffecisse, neque suis ipsorum meritis, sed ex gratia per Christi meritum salvatos esse: *Quomodo ergo alii meritis eorum coram Deo iuvabuntur? Docet etiam, non Petrum, non Paulum, non alios homines mortuos, quantávis sanctitate conspicuos, sed solum Deum invocandum & adorandum esse. Deuter. 6. Matth. 4. Apocalyp. 19. cap. Pugnat etiam cum doctrina Pauli, qui Hebræ. 4. hortatur nos*, ut accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium, non Sanctorum, sed Christi summi nostri Pontificis merito & intercessione. *Et cap. 7.* Christus, *inquit, (non Sancti)* servare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis. *Et 9. cap.* Christus ingressus est in ipsum cœlum, ut appareat ibi in conspectu Dei pro nobis. *Cum hæc, inquam, doctrina pugnant hæc verba Canonis,* Quorum meritis precibusque concedas, &c. *& quæ in illa commentatur Gabriel Biel, sic scribens*: Fiducialiter ad Sanctos recurrimus, eorum memoriam venerantes, ut nos fragiles & mortales mereamur eorum meritis & precibus ad eorum immortalitatis gloriam pervenire, atque eorum suffragiis de fide perduci ad visionem, de spe ad rem, de stadio ad brabium, de via ad patriam. Multa siquidem disposuit Dominus dare viatoribus in tempore & æternitate, propter Sanctorum suorum merita, &c. *Sed ubi meritum Christi? Pugnat etiam cum more & consuetudine veteris Ecclesiæ. Nam Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10.* Ad Memorias martyrum, *inquit*, non erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, NON tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur: Deo quippe, non ipsis sacrificat, &c. *Et in lib. de Vera religione*, Non sit nobis, *inquit*, religio cultus hominum, quia si piè vixerunt, non sic habentur ut tales ferant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminantur, ac lætantur meriti sui nos esse consortes. HONORANDI igitur sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. *In Basilii etiam Liturgia sit quidem Sanctorum memoria: sic enim orat in ea:* Precamur, ut unias nos omnes participantes ex uno pane & poculo, in unius Spiritus sancti communionem, & ne quem nostrum in judicium aut condemnationem facias participare sanctum corpus & sanguinem Christi tui: ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis, qui tibi à sæculo placuerunt, Propatribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Doctoribus, & omni Spiritu justo in fide quæ perfecto. *Non autem hic invocantur Sancti, neque suffragia eorum implorantur: verùm cùm una sit Ecclesia vivorum & in vera fide defunctorum, petitur primò, ne qua distractio aut dissensio fiat: sed sicut cum omnibus sanctis unum corpus Christi sumus, ita quoque communio unitatis Spiritus servetur. Deinde, ut Sancti, qui in Christo mortui sunt, misericordiam apud Deum & vitam æternam sunt consecuti, ita & nos eandem consequamur.*

Rationes pro Invocatione Sanctorum in Cœna.

Ad hoc dicunt Pontificii, se hac ratione Sanctos non invocare, quod illi gratiam nobis conferant, sed ut suis precibus Dei gratiam nobis conciliant: neque etiam ceu redemptionis mediatores, sed qui oratione sua intercedant pro nobis apud Deum. Sed ex verbis Canonis haud difficulter confutari possunt: In iis enim non solum orationis, sed etiam meritorum mentio fit. Quorum meritis, *inquit*, precibusque concedas, &c. *Hoc nihil aliud est, quàm Sanctos facere mediatores propitiationis & redemptionis. Est enim hoc sequestri & mediatoris officium, merita sua prætendere, quibus satisfaciat pro aliis, propter quæ, tanquam sua propria merita iustificentur. Et Tridentinum Concilium palàm profitetur*, ideo celebrari Missas de Sanctis, ut ipsa actione Cœnæ Dominicæ, Patrocinia Sanctorum implorentur, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Alii exemplo Mosis probare volunt, licere nobis Sanctorum intercessionem implorare ac petere: Sic enim ille Exodi 32. ad Deum orat: Recordare, *inquit*, Abraham, Isaac & Israel servorum tuorum, quibus juràsti per teipsum, &c. *Respondeo: Alios docent Pontificii, Patres Veteris Testamenti usque ad Christum in limbo fuisse & ignorasse quæ in terris gererentur: jam ergo sibi contradicunt, tribuentes Sanctis*

ctis invocationem & intercessionem. Deinde ipsa verba Mosis sese satis interpretantur: Memento, *inquit,* servorum tuorum, Quibus iurasti, &c. *Rogat igitur Deum, ut respiciat fœdus, & promissiones Patribus datas. Caput autem fœderis est, per quod omnis benedictio nobis contingit, Messiæ semen illud promissum & benedictum. Non igitur propter merita Patrum, sed respectu promissi Messiæ petit, ut Deus populo suo ignoscat.*

Preces in Cœnæ Dominicæ celebratione institutæ pro defunctis.

SECVNDÒ, *cœperunt etiam in hac Classe supplicationes, seu preces in Cœna Dominicæ celebratione offerre in Ecclesia pro defunctorum salute: in quem tamen finem sacrosanctam hanc actionem à Christo institutam in Apostolorum scriptis nusquam legimus. Ac paulò post pro redemptione animarum in Purgatorio existentium Cœna celebrari cœpit.*

Error autem hic in Ecclesia inde natus videtur. Homines pro suo ingenio, amicorum præsertim verò propinquorum morte, luctu & mœrore consternati, lenimenta quærere solent, quibus defunctorum desiderium, quoad quidem licet, levare possint. Vnde apud Ethnicos instituta legimus fuisse convivia, visceraliones, Cœnas exequiales, sacra & ludos funebres, aliaque huius generis multa, quibus id præstaretur. Ex hac consuetudine Ethnica Christiani ad funebria spectacula & defunctorum Memorias cibos, aliaque donaria ad pauperum & Clericorum usum conferre primò cœperunt, ut ex Origenis lib. 3. in Ioelem constat. Testatur id etiam Augustinus lib. 8. de Civit. Dei cap. ultimo his verbis: Quicunque epulas suas ad Memorias martyrum deferunt cùm apposuerint, orant, & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur. *Et lib. 6. Confessionum cap. 2. refert,* matrem suam ad Memorias Sanctorum attulisse Mediolani pultes, & panem & merum. *Meminit ritus huius Ephrem quoque lib. de Pœnitentia cap. 2.* Cùm Sanctorum, *inquit,* Memorias celebramus, memores simus omnium debilium, viduarum, pupillorum, peregrinorum & pauperum. *Displicuit autem hæc Ethnica consuetudo iis qui in Christiana religione meliùs instituti erant. Testatur hoc Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, cap. 27. ubi dicit,* hoc quidem à Christianis melioribus non fieri, & in plerisque terrarum locis nullam esse talem consuetudinem. *Et lib. 6. Confessionum cap. 2. refert,* Ambrosium Mediolani hæc à Christianis, iis quoque qui sobriè facerent, fieri vetuisse, ne ulla occasio daretur ebriosis sese ingurgitandi, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima. *Cumque mater Augustini Mediolani pultes, panem & merum ad Memorias sanctorum afferre vellet, juxta Afrorum ritum & consuetudinem, prohibita fuit ab Ostiario, ut eodem loco Augustinus testatur. Refert etiam Rhenanus in Annot. suis ad librum Tertulliani de Corona militis,* hunc ritum Concilium Nicenum quoque & sequentia aliquot Concilia apertè damnasse, quod primorum Conciliorum Canones ostendant, quos in pluribus adhuc bibliothecis extare *dicit, digni profectò, qui in lucem emittantur. Eos tamen, qui hos alios que ritus Ethnicos tolerarunt, Rhenanus eodem loco sic excusat, ut dicat,* opus fuisse olim multa Christianis indulgere, qui plerumque iam senes de Paganismo ad Christianam religionem convertebantur.

Origo precum pro salute & defunctorum in Cœna.

In quibus autem locis ritus iste non observabatur, ibi tamen in hujusmodi Memoriis Eucharistia celebrabatur, ad quam omnis generis donaria pro defunctis afferebantur, & inter pauperes distribuebantur. Has autem collationes & distributiones eleemosynarum, Tertullianus in libro de Monogamia, &, de Corona militis, Augustinus epist. 64. & Chrysostomus in Orat. de Martyribus Oblationes *vocant: quod etiam constat ex Synodi 4. Carthagin. canonibus 93. & 95. dist. 90. Oblationes. & 13. q. 2. Qui oblationes. Non quòd putarint defunctos, quorum nomine hæc fiebant, cruciari in Purgatorio, unde his exequiis redimendi essent: sed hoc pacto mutuum gratulabantur, quòd defunctorum animæ, ab omnibus doloribus & hujus vitæ miseriis ac ærumnis liberatæ, ad æternam requiem & beatitudinem pervenissent. Deinde, faciebant ibidem vota ad Deum, ut superstites socii fierent defunctorum, cùm in virtutibus & pia consummatione in fide, tum etiam in præmiis in æterna vita. Hanc ob causam nomina quoque piè defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, posit Symbolum decantatum, & mutuam pacis consalutationem, in Eucharistiæ celebratione recitabantur, non sine laude & præconio virtutum, quæ in viventibus eluxerant.* Oblationes pro defunctis curfatæ.

Hæc ita se habere ex Dionysio intelligimus. Apud eum recitantur nomina eorum qui in Christo obdormierunt. Indicat autem, illud non fieri ob implorandum eorum patrocinium, vel ob Purgatorium, sed ut præsentes ad ipsorum imitationem incitentur, utque precantur iam verè vivere, qui ex morte in vitam verè divinam sunt translati: & ita significetur, mortuos in Christo adscriptos esse in memoria Dei. Sic etiam Smirnensis Ecclesia hoc explicavit: hoc nimirum fieri ad eorum memoriam, qui priùs pro Christo certarunt, ut sequentium animi ad præcessorum vitam insignibus exemplis suscitentur.

Quòd autem in precibus Cœnæ Martyrum mentionem facerunt, hanc rationem Smirnenses reddunt:

reddunt : Martyres, *inquiunt*, propter insuperabilem erga Regem & præceptorem suum benevolentiam diligimus, tanquam discipulos Domini & amatores, & optamus nos illorum consortes fieri. *Dionysius verò de Ecclesiast. Hierarchia cap. 7. circa eos qui obdormierunt ritus sui temporis describens* Postea, *inquit*, præcipuus ex ministris dimissis catechumenis, sanctos defunctos honorifica celebratione prosequitur : *Quam ideo fieri dicit*, ut audientes Sanctorum præconia ex Scripturis celebrata, & piè defunctum iam verè consortem existere Sanctorum, qui à seculo sunt, simile in eis desiderium excitetur, cùm audiant, quàm verè beatum sit in Christo mori.

Idem quoque testatur Origenes lib. 3. in Iobum : Propterea, *inquit*, & Memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide motientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. *Et rursus* : Celebramus memoriam defunctorum, religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles unà cum clero invitantes, adhæc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requici defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. *In hunc finem celebrata sunt sepulchralia hac sacra Basilii & Augustini adhuc ætate* : *Ille enim in Asceticis ca.* 40. Non decet, *inquit*, Christianos aliam ob causam in martyrum Memoriis, aut locis vicinis comparere, quàm ut precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint ad huiusmodi zeli imitationem incitentur. *Et homil.* 19. Nostri, *inquit*, profectus tantùm causa, sat fuerit illorum (*Martyrum vel Sanctorum*) celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor : sic è sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes provenit utilitas, &c. *Augustinus autem libro octavo cap. 27. de Civit. Dei*. Celebramus, *inquit*, Memorias martyrum, ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. *Itaque tota hæc ratio in eorum potiùs gratiam instituta erat, qui superstites erant, quàm qui vitam cum morte commutarant : ut vivorum magis essent solatia* (*quemadmodum Augustinus loquitur*) *quàm subsidia mortuorum.*

Offerre pro defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare.

Ad hunc ritum veteris Ecclesiæ respiciunt phrases & locutiones illæ, offerre pro defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare. *Iis primi omnium, adeoque novo & peculiari modo loquendi usi sunt Cyprianus & Tertullianus : quorum hic in libro de Corona militis*, oblationes, *inquit*, pro defunctis natalitiis annua die facimus. *Ille verò libr. 1. epist. 9. sic inter alia scribit* : Antecessores nostri salubriter censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. *Et li 4. epistola* 5. Sacrificia, *ait*, pro eis semper offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus. *Pontificii hæc de sacrificio propitiatorio, & de suffragiis pro expiandis & redimendis è purgatorio animabus defunctorum interpretantur Cyprianus verò in eadem epistola seipsum interpretatur, quòd per oblationes pro dormitione alicuius, intelligat, sportularum contributiones. Sacrificium verò pro dormitione celebrare, interpretatur ibidem, nomen alicujus in prece Sacerdotum, quæ in Eucharistiæ celebratione fiebat, nominare. Sic enim scribit* : Quod Episcopi, antecessores nostri, religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur : Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos avocare voluit. Et ideò Victor, quum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est, quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur. *Falsissimum igitur est, quod Bellarminus Iesuita suarum disputationum tomo 2. Col.* 1087. *dicere audet*, Cyprianum in hac Epistola scribere, Sacrificium celebrari in altari pro defunctis : *Sed ita scribit* : Neque ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece. *Tertullianus in libro de Monogamia inquit* : Vxor pro anima defuncti mariti orat, & offert annuis diebus dormitionis eius. *Et de Exhortatione castitatis ad maritum defunctæ uxoris ait* : Repeto apud Deum pro cujus Spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. *Hic Tertullianus dicit, uxorem offerre annuis diebus dormitionis mariti : & maritum reddere annuas oblationes. Non igitur intelligit sacrificium aliquod propitiatorium, per Sacerdotem pro mortuis oblatum, sed sportulas, quæ in usum pauperum illic diebus à superstitibus conferebantur : illas enim oblationes vocari,*

manifestum est ex Canonibus Carthaginensis & Vasensis Concilii:13.q.2.

Rursus Cyprianus in Serm.de Mortalitate, luctum super morte fidelium prohibet, nulla alia de causa magis,quàm ne Gentib.occasionem præberemus reprehendendi fidem Christianorum. Quoties, *ait*, nobis revelatum est, quàm frequenter & manifestè de Dei dignatione præceptum est,ut conteſtaret assiduè, & publicè prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de sæculo liberatos, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi iam indumenta alba sumpserunt, occasionem dandam non esse Gentilibus ut nos meritò ac iure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus, &c. *Quam verò justiorem habuissent Gentes reprehendendi & irridendi Christianos causam, si pro beatorum & iam in cœlis apud Deum viventium defunctorum redemptione & salute sacrificassent,ut Pontificii de iis fingunt & somniant? Adversus Demetrianum quoque scribit.*Postquam hinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ, nullus veniæ locus est. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. *Est itaque irrefragibile, Cyprianum de nullo sacrificio pro redemptione animarum defunctorum loqui.*

Præterea in his Cypriani phrasibus Præpositio PRO, *non accipitur pro eo quod est*, E're ipsorum, *aut*, pro eorum commodo: *sed pro causa, & præpositione* Propter: *ut quum dicimus, pro mutuo animo, pro reconciliata gratia,id est, causa mutui animi, & causa reconciliatæ gratiæ. Sic Plinius epistola* 189. Hæc tibi pro amore mutuo scripsi. *Et Terentius in Eunucho*, Ego pol te pro istis dictis & factis ulciscar scelus. *Vt apud Cyprianum quoque sit sensus, pro eis, id est, eorum causa, aut nomine: in eorum gratiam, & propter eos. B. Rhenanus hæc verba Cypriani libro quarto epistola quinta. Sacrificia pro eis semper offerimus: in Tertulliani libro ad Martyres sic interpretatur.* Quòd dicit,*inquit*, Sacrificia pro Martyribus offerri, sic accipiendum ni fallor, ut pro eis idem valeat, quod commemoratione eorum: veluti passione sive commemoratione passionis occasionem oblationibus & sacrificiis dante. *Et mox:* Gratulatoriæ ergo preces erant potiùs, quibus cùm Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignationis contulisset, tùm simile donum cœlitus sibi dari concordibus votis flagitabant: ceu adhuc canit Ecclesia,Gaudeamus in Domino, &c. Id confirmat quoque Augustinus Tractatu 84. in Ioan. de Martyribus & altari disputans, his verbis: Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, &c. *Hactenus Rhenanus. Atque ideo Cyprianus libro primo, epistola nona, non vult pro ejus dormitione offerri, & nomen ejus ad altare nominari, qui Presbyterum actorem seu tutorem nominaverat, non quòd sentiret ipsum ideo in æternum damnatum esse,sed ne Ecclesiastica celebratione post mortem honoraretur. In epistola ad Presbyteros & Diac. suæ Ecclesiæ, commendat Tertullum quendam, qui sibi diligenter scripsisset dies obitus Martyrum*, Quo, *inquit*, celebrentur à nobis hic oblationes & sacrificia ad commemorationes eorum, &c. *Hîc exponit pro eis, per hæc verba, In commemorationem eorum. Sic etiam pro vivis dicit Cyprianus offerri seu sacrificari, quando in precibus, quæ fiebant in administratione Eucharistiæ, gratiæ pro iis agebantur, vel aliquid orabatur: ut libro 3. epist. 1. ad Lucium ab exilio cum suis reversum, inquit:* Hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris, non cessamus Deo gratias agere, & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est & perficiens custodiat & perficiat in vobis confessionis vestræ coronam. *Ita etiam pro lapsis, qui iam reconciliati erant offerebatur, qui post confessionem criminis, & factam pœnitentiam, exomologesinque finitam, post manus impositionē Episcopi & Cleri,hoc consequebantur.ut facta pro eis oblatione & precationibus, Eucharistiam acciperent,ut patet ex Cypriani epist.* 15. & 16. *l.* 3.

Sic etiam interpretatur Origenes, qui, ut dictum est, libro 3. *in Iobum ait*, Memoriam parentum vel amicorum nostrorum devotè agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. *Item*: Celebramus memoriam defunctorum, &c. ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei pro defunctis animabus. *Sic etiam Basilius*,Non decet, *inquit*, Christianos in Martyrum memoriis comparere aliam ob causam, quàm ut precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint ad hujusmodi zeli imitationem incitentur.*Item*: Nostri profectus tantùm causa, sat fuerit, illorum memoriam celebrare: &c. *vide suprà integrum locum. Nullum igitur ibi fiebat sacrificium propitiatorium, aut expiatio,vel redemptio ex Purgatorio animarum defunctorum.* Etsi verò hæc pio studio ac zelo,ob enumeratas causas: introducta fuit in Ecclesiam consuetudo, cœpit tamen superstitio, qua nihil quidquam in religione diu syncerum ferre potest,non modo sensim obrepere in vulgi animos ad superstitiones propensissimi, verùm illos ipsos etiā sua contagione inficere,qui ab ea vulgum avocare debuerunt.Celebrari enim cœperunt, *ad honestanda funera, panegyres, in quibus*

Superstitiosa idololatria Memoriis martyrum accessit.

Panegyres instituta.

quibus habitæ sunt funebres orationes & conciones, cum Psalmorum & hymnorum cantu. Sic enim Chrysostomus homil. 14. in 1. Tim. 5. c. dè morte & funere monachorum. Mortem illi *inquit*, nec dicunt, nec existimant mortem. Cùm hymnis prosequuntur abeuntem, eamque rem, non elationem funeris, sed pompam & præmissionem vocant. *Et paulò post:* Inde gratiarum actio sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus, se hoc fine donari, sic exire certamine, & laboribus sudoribusque quiescere, Christumque videre. *Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium*, Ex hinc, *inquit*, non ululatus, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis, exanima concrepabant, &c. *Cùm autem hoc ritu quidam abuti cœpissent, Concilium Toletanum 3. hujusmodi errori hoc decreto mederi voluit:* Qui divina, *inquit*, *cap. 22.* vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & psallentium vocibus deberi ad sepulchra deferri, præcipimus. Nam funeris precamen, quod vulgò defunctis cantari solet, omninò prohibemus. Sufficiat autem, quòd in spe resurrectionis, Christianorum corporibus, famulatus divinorum impenditur canticorum.

Parentationes annuæ institutæ.

Deinde Parentationes annuæ institutæ sunt, quibus statis diebus annuatim mortuorum renovaretur memoria, maximè Martyrum, & aliorum virorum illustrium. Sic enim Tertullianus de Corona militis, oblationes pro defunctis annua die facimus.

Sanctorum cœlitum precibus se commendare cœperunt homines.

His studiis dum occupantur homines, nonnulli eò usque etiam abrepti sunt, ut alii illorum se precibus commendarent, tanquam eorum patrocinium postulantes, quos in sanctorum cœlitum numerum adscriptos esse sibi persuaserant: alii contra illos Deo suis precibus commendarent, quos minus sanctè in terris vixisse sciebant. Sic enim Tertullianus in libro de Monogamia inquit: Vxor pro anima defuncti mariti orat, & refrigerium interim expostulat ei, & in prima resurrectione consortium.

Sacella & altaria in honorem Sanctorum erigi cœpta.

Ex his initiis eò usque ventum est, ut passim cœperint Sacella & Aræ in honorem sanctorum mortuorum erigi, etiam in iis locis ubi corpora eorum sepulta non erant. Cùm verò cultus eorum hoc modo plùs nimiò excresceret, Concilium Carthaginense 5. anno 438. celebratum, superstitionem hanc tali decreto abrogare aliquomodo voluit: Præcipimus, ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, evertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non possit, plebs tamen admoneatur, ne illa loca frequenter, aut aliqua ibi superstitione devincta teneatur.

Sacramentorum celebratio pro defunctis instituta.

Imò cura pro defunctis apud multos tanta fuit, ut illis etiam Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ administranda existimarent: qui tamen error in Carthaginensis synodi 3. capite 6. prohibitus fuit.

Hæc initia etsi levia videri queant, & multi crescenti superstitioni obviam ire tentarint, primi tamen ejus authores magnam occasionem posteris insaniendi & à regia via aberrandi præbuerunt, & eiusmodi telam exorsi sunt, quam posteri magno studio contexuerunt. Hoc testantur Panegyres, orationes & conciones funebres, monodiæ & epitaphia veterum Patrum, inprimis verò Nazianzeni & Ambrosii, qui duo nobis multorum instar esse poterunt. Notum eit quid senserit Nazianzenus de emigratione ex hac vita Basilii: nihilominus eidem, quem tamen quasi numen aliquod invocavit, bene precatur, ac si beatitudini ejus deesset aliquid: inquit enim in Epitaphio ejus, Deus ei beata tribuat, aliaque, &c. *Ambrosius autem in oratione funebri Theodosii & Valentiniani junioris*, Da requiem, *inquit*, perfecto servo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. *Et de Valentiniano ejusque fratre.* Beati, *ait*, ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? quis vetabit commendationis prosequutionem complecti?

Potest hoc quidem aliquo modo in illis Patribus excusari, nimirum, quod has phrases, sicut etiam suprà monuimus, tanquam apostrophas poëticas & rhetoricas, quales in vehementissimis affectibus sapè erumpere consueverunt, amor & animi desiderium ingens extruserit. Sed posteritati melius fuisset consultum, si iis penitus abstinuissent. Si hoc non concedatur, pugnantia secum loquutum esse Ambrosium concedi oportet. Subindè enim inculcat & repetit in utraque Orat. funebri, Theodosium & Valentinianum manere in lumine, sanctorum cœtibus gloriari, requiem animæ possidere, detersa labe peccati ablutos, sua fide lotos, petitione consecratos, ex deserto, hoc est, ex hoc arido & inculto loco ascendisse ad illas florulentas delectationes æternæ vitæ, regnare in regno Domini nostri Iesu Christi, & similia, *Si ita res habet, quorsum igitur ista quæ paulò ante ex iisdem orationibus adducta sunt? Quorsum Ambrosius optat, precatur, iis contingere, quod iam consequutos esse idem testatur & prædicat?*

Ex

Animas defunctorum iuvari posse elemosynis & oblationibus. Augustinus.

Ex his initiis quæ inclinatio veræ & orthodoxæ doctrinæ progressu temporis facta sit, Epiphanii atas paulo post Ambrosium luculentissimè testatur. Hæc enim tum vulgi communis sententia fuit, orationibus, eleemosynis & oblationib. quæ in terris fiunt animas defunctorum nonnihil juvari posse, sicut ex Epiphanij disputatione cum Aërio manifestè intelligitur. Etsi verò Epiphanius nihil certi definiat, sed propter vulgi opiniones, quas reprehendere non audet & tamen ex Verbo Dei probare non potest, in medio hoc relinquat, & de industria obscuritatibus involuat: non multò tamen post Augustinus aliquibus in locis hanc vulgi sententiam affirmare & approbare cæpit, & negandum non existimavit, defunctorum animas, pietate suorum qui in terris superstites sunt relevari, quum pro illis sacrificium Christi offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Eam ob causam tres defunctorum ordines constituit. Primos dicit esse valde bonos, qui his subsidiis suffragiorum & opitulationum non indigeant. Secundos dicit esse sceleratiores quàm ut his liberari & adiuvari possint. Tertios facit inter hos utrosque medios, qui nec ita boni sint ut his suffragiis post mortem non indigeant: nec adeò mali, ut eis non prosint illa, sed cùm viverent, dicit eos meruisse, ut sibi illa post mortem prodesse possent. Ideoque concludit, sacrificia sive altaris, sive eleemosynarũ, aut aliarum oblationum, quæ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones esse: pro valde malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, esse tamen qualescunque vivorum consolationes, aut certè ad hoc prodesse, ut saltem tolerabilior fiat ipsorum damnatio. De mediis dicit, eos officiis his suorum viventium relevari & adjuvari, ut plena fiat eorum remissio, & misericordius cum ipsis agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. In quo certè, vir alioquin sanctissimus, & purioris Evangelicæ doctrinæ constantissimus, pertinacissimusque assertor, Verbi Dei nequaquam sequitur vestigia, sed hominum judicia, & communem vulgi errorem. Nam ad Paulinum fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum locum Machabæorum: qui tamen liber extra Canonem est, proindeque Veteres asseruerunt, ea quæ in controversiam veniant, ex illo confirmari non debere. Deinde dicit: fundamentum totius disputationis se collocare in recepta consuetudine orandi & offerendi pro mortuis: Quo sensu autem hac à Veteribus facta sint, dictum est antea. Tertiò, ipsemet Augustinus de hac sua sententia non est certus. Quod enim in hac disputatione dicit, Preces pro defunctis damnatis, ad hoc prodesse, ut damnatio fiat tolerabilior: de eodem in libro de Civit. Dei. 21. capite 24. ita scribit: Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto. *Ex quibus intelligis, Augustinum vulgi opinionibus ausum liberè in hac disputatione resistere, licèt hac concessione nollet ea affirmare. Et cap. 27. ejusdem libri,* Quis sit, *inquit,* ille modus vitæ, & quæ sint illa peccata, quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis, post mortem impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire; periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm satagerem inde, ad eorum indaginem pervenire non potui. *Augustinus igitur, qua temporibus suis & receptis opinionibus concedit, mox dubia & incerta reddit. Quid hic faciendum Christianis hominibus? Quemadmodum ipsemet contra Cresconiũ inquit,* Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero & quid in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo: *ita hanc ejusdem disputationem, quamvis sit catholici & laudati viri, tamen velut Scripturas Canonicas habere non debemus, ut non liceat eam nobis improbare, vel respuere, quam in ea aliter sentiat ac doceat, quam Veritas habet, imò quàm ipsemet alibi docuit. Nam libro 4. de Trinit. cap. 13. sic inquit,* Christus morte sua, uno verissimo sacrificio pro nobis oblato quicquid culparum erat, unde nos principatus & potestates ad luenda supplicia jure detinebant, abolevit, extinxit, & sua resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit.

Ad excusandum verò sanctissimum Patrem nonnihil facere videtur, quòd jam ante Augustini atatem Africanæ Ecclesiæ sibi paulò plus quiddam, quàm cæteræ indulserunt, & vulgi plus æquo sese accommodarunt opinionibus & consuetudini. Inde enim Africanarum Ecclesiarum Doctores, Oblationis & Sacrificii nomina præcipuè usurparunt. Deinde in his potissimum Ecclesiis invaluit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio, & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferiis, atque feralibus precibus adjungerentur. Quod etsi in Occidentalibus Ecclesiis quoque frequentius facilitatum fuit, non tamen ubique in aliis omnibus Ecclesiis, in universum pari ritu observatum fuisse, ex hoc non difficulter colligere licet, quod Dionysius in sua illa tam accurata funebrium ceremoniarum descriptione, nullum prorsus verbum habet, de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificii. Ex hac etiam *Carthaginensis 4. Synodi decretum, quo præcipitur,* ut pœnitentes, qui diligenter servarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quo intelligimus, jam tum quidem invaluisse &*

inveterasse opinionem pernitiosam Ecclesiæ de suffragiis vivorum pro defunctorum animabus, nondum tamen ita prorsum recessum fuisse ab usitata & recepta Ecclesiæ consuetudine, ut ullus adhuc esset figmento de animarum per Missas ex Purgatorio liberandæ locus. Nam tantum de mortuorum memoria mentionem facit, in solennibus precationibus & oblationibus inferenda, qua manifestè indicat, testatam hoc ritu eo tempore fuisse mortuorum cum Ecclesia cõsensionem, quandoquidem eos solùm hoc honore dignos judicat, qui pœnitentiæ Canones non neglexerunt.

Chrysostomus.

Augustini ætate in Græca Ecclesia docuit Chrysostomus, qui eandem quæstionem tractavit. Constituit autem Chrysostomus non tres defunctorum classes, sicut Augustinus, sed duas solum, ut est videre Serm. 3. ad Philip. ad Hebræos Serm. 4. Homil. 69. & 70. ad Antiochenos. Ad primam classem Christianos refert, qui in vera fide moriuntur: Ad secundam eos pertinere dicit, qui vel sine Sacramentis hinc discedunt in infidelitate, vel qui baptizati quidem sunt, sed in peccatis moriuntur. Pro utrisque autem docet orandum & eleemosynas erogandas, ad altare autem in Cœnæ Dominicæ celebratione pro fidelibus tantùm. Ac primus omnium docet, sed sine ullo testimonio, aut firmo aliquo argumento, ab Apostolis hoc institutum esse homil. 69. ad populum Antiochenum: indeque probat, non esse inutile, si Ecclesia pro defunctis oret & oblationes faciat, sed multum lucrum, magnamque inde utilitatem illis contingere. Non tamen docet, eos qui vera fide ex hac vita migrant, vel in Purgatorio, vel in aliis cruciatibus versari: sed in Serm. 3. ad Philip. scribit, fideles quum hinc discedant, & illuc migrent, beatos esse, quia cum Christo sint. *Et in Serm. 4. ad Hebræos,* Dic mihi, *ait*, quid sibi volunt in funere Hymni? Nonne quia Deum glorificamus & gratias agimus, quòd jam coronavit eum qui hinc discessit, eò quòd à laboribus seu doloribus eum manumissum liberavit? *Idem docet etiam Serm. 2. ad Hebræos. Homilia 70. ad Antiochenos. Inprimis autem hoc faciunt quæ homil. 32. in Matthæum scribit,* Ad requiem, *inquit*, proficiscitur, qui hinc migrat, turbationum enim omnium tranquillus quidam portus in morte est. *Et homil. 61. in Ioannem.* Si justus, *inquit*, moritur, lætandum est, quia liberatus à futura formidine, in tuto collocatur. Ille moriens cum Angelis evolabit, etiamsi nemo exequiis interveniat. *Licèt igitur Chrysostomus, pro recepto illius temporis more & consuetudine, velit, etiam pro iis, qui in vera fide moriuntur, orandum, eleemosynas & oblationes faciendas, nõ tamen propterea vult hi exequiis animas eorum ex Purgatorio, vel aliis cruciatibus redimendas, quum jam æterna felicitatem assequtæ sint, quo eas cũ Angelis avolare dicit ex hoc corporis ergastulo, etiãsi nemo his similibusq; exequiis interveniat.*

Quantum verò ad illos, qui sine fide & in peccatis moriuntur, sic docet Chrysostomus: peccatores si moriantur, lætandum quidem hoc nomine, quod malitia ipsorum interrupta est, ne possint vitia cumulare: sed ipsi digni sunt lachrymis, luctu & ejulationibus. Quæ enim spes est iis qui cum peccatis hinc discedunt? Ibi enim peccata non possunt exui aut deponi. Quamdiu in hoc mundo sunt, spes est posse eos mutari: si verò hinc migrarint in infernum, ibi ex pœnitentia nihil ipsis emolumenti poterit accedere. In inferno enim quis confitebitur tibi? sunt igitur extra regnum Dei cum damnatis, &c. *Hæc consentaneæ sunt Verbo Dei: simul tamen docet Pater hic, etiã hos orationibus aliis q. exequiis post mortem aliquantulum iuvari.* Excogitemus, *inquit*, aliquod ipsis auxilium, modicum quidem & exiguum, per preces & eleemosynas. Facit enim hæc res ipsis aliquam consolationem, & aliquod refrigerium, ut indulgentia ipsis impetretur. *Hoc verò ut sit intelligendum, ipsemet interpretatur, nimirum* ut pœna damnationis ipsis levior reddatur: *non igitur ut ex damnatione liberentur. Hæc omnia Chrysostomus Serm. 3. ad Philip. Hom. 69. ad Antiochenos. Serm. 41. ad Corinth. Hom. 61. in Ioa. Homi. 21. in Acta. Imò homil. 21. in Acta eò usque progreditur, ut dicat,* eos qui in peccatis mortui sint, eleemosynis ab æterna morte liberari posse. *Hæc verò ejusmodi sunt, ut ne à Pontificijs quidem approbentur. Gregorius M. lib. 4. Dial. cap. 44.* pro infidelibus & impijs si morian-tur, non vult orandum esse. *Et inter Scholasticos Bonaventura 4. Sent. Dist. 46. aperè negat,* damnatos in inferno posse juvari per suffragia viventium, nec quoad totalem liberationem, nec quoad pœnæ mitigationem, nec quoad temporis suspensionem, nec quoad fortificationem ad levius tolerandum.

Aperta fraudis dispensandæ.

Ex quibus intelligimus, quo Christiana Religio iam tum Augustini & Chrysostomi ætate corruerit, & quantum seculum illud iam defeciverit à doctrina non solùm Apostolorũ, sed etiam Tertulliani & Cypriani, quantumque degenerarit à consuetudine quæ horũ tempore in Africa in Ecclesiis maximè viguit. Nam etsi Tertullianus mentionem faciat Oblationum pro defunctis & natalitiis annua die faciendarum: Cyprianus autem Sacrificiorum pro dormitione eorum offerendorum, juxta eum, quem supra exposuimus, sensum, de igne tamen Purgatorio, aut commodis & lenimentis, quæ ex illis sacrificiis & oblationibus ad mortuos, non solùm beatos & iam in æterna requie viventes, sed etiam ad damnatos & in inferno existentes, redirent, quod Augustinus & Chrysostomus docêt, ne ullum verbum quidem.

Eo ipso autem, quòd hi duo Patres de Oratione, Sacri-

Sacrificijs & Oblationibus pro defunctis, in aliam sententiam, quàm secula priora fecerant, disputare cœperunt, seminaria & occasionem posteris submini-strarunt, ad camerinam exequiarum pro defunctis stabiliendam & Ecclesijs obtrudendam, tum ex fundamento humanæ traditionis & consuetudinis orandi, sacrificandi & offerendi pro mortuis, sine tamen præcepto & exemplo Canonicæ Scripturæ, tum etiam aliis de causis, quas jam enumerabimus.

Pelagius.

Nam annis post Augustinum & Chrysostomum ferè 150. Pontificatum Romanum adeptus est Pelagius 2. præter consuetudinem absque Imperatoru jussu & permissu: Is decreviſſe narratur à Gigante & aliis, ut solennis inferatur in sacris mortuorum memoria & commemoratio: *hunc tamen ritum Pelagio longè vetustiorem fuisse, ex iis, quæ à nobis prius sunt commemorata, facilè apparet. Pelagio autem adscriptum fuisse crediderim, quòd hoc in Romano quoque Ecclesia observandum & tenendum esse, suo decreto sanciverit, & fortasse etiam de suo aliquid, crescente superstitione, addiderit.*

Gregorius M.

In Pontificatu Rom. sequutus est Pelagium proximè Gregorius cognomento Magnus. Ejus ætate, ne cœptus historiæ cursus abrumpatur, omnæ superstitionis & idololatriæ genus, quasi mare quoddam, totum penè Christianum orbem inundavit, obruit ac penitus submersit, nemine jam, non modò non reluctante, sed omnibus viribus potiùs quas quisque potuit addentibus & suppeditantibus; imprimis Romanis Pontificibus. Et quantum quidem ad præsentem disputationem attinet, quæ reprimere debuit Gregorius M. eas jam usu receptas & confirmatas superstitiones, magis magisque auxit & confirmavit, præsertim verò fabulosum ac pœticum figmentum de Purgatorio, & de superstitiosis ac plus quàm Ethnicis mortuorum inferiis & parentationibus. De Purgatorio contra Verbi Dei & veteris Ecclesiæ doctrinam sic scribit lib. 4. Dialogorum c. 39. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est. *Et libro 2. in cap. 2. primi Regum*, Qui perfectionem, *inquit*, bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. *Item in Psalmos pœnitentiales:* Post mortem carnis; alii æternis deputantur suppliciis, alii ad vitam per ignem transeunt purgationis. *Rursus ibidem:* Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Et illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem.

Sacrificia pro mortuis.

Sacrificia autem & Oblationes pro mortuis has ob causas potissimùm approbavit & instituit. Prima, *quòd intelligeret solennes fuisse institutas mortuorum Memorias in veterum Christianorum sacris, eumque ritum ad sua usque tempora tanquam per manus traditù perveniſſe. Non autem intelligens, aut non expendens satis accuratè, quæ Veteres hoc ut facerent commoviſſent, aut certè dissimulans, mox inde collegit, frustra hæc fuisse à Majoribus sic instituta, si nihil mortuis conferrent, eorumque adiuvarent & promoverent salutem: quum tamen, longè alias, & quidem graviores, quas antè commoravimus, causas hujus institutì sui habuerunt.* Secunda *causa superstitionis & idololatriæ hujus fuerunt apparentia spectra; seu illusiones diabolicæ, & ficta miracula. Nam in libris Dialogorum narrat*, frequenter exemplo ostensum, seu visione revelatum esse, animabus defunctorum multùm prodesse pro eis sacrificia; *Lib. 2. Dialog. cap. 23. refert*, duas quasdam sanctimoniales petulanti laborasse lingua. Benedictum verò minantem dixisse: Nisi correxeritis linguas, excommunico vos. Mortuæ verò sunt mulieres, & in templum sepultæ. Cùm autem tempore Missæ Diaconus clamaret de more, Si quis non communicat, de locum: vidit earum nutrix etiam istas sepultas mulieres surgere, atque de templo exire. Postea verò oblatione pro defunctis facta, remanserunt in sepulchris. *Simile est quod eodem libro cap. 24. narrat*, puerum quendam monachum, impensiùs amantem suos parentes, & visitantem eos, obiisse, sed denuò è sepulchro eum ejectum. Id quum ad Benedictum esset relatum, jussit communionem Dominici corporis in pectus defuncti reponi: id ubi factum & sepultus esset, mansit corpus in sepulchro. *Oportebant autem res tanti momenti Scripturæ sacræ authoritate doceri & muniri, non revelationibus spirituum, illusionibus diabolicis, & miraculis ad decipiendum editis: præsertim cùm Satanas, Apostolo teste, non raro transfiguretur in Angelum lucis: idemque ille Apostolus clamaverit*, Quòd si aut nos ipsi, aut Angelus è cœlo prædicaverit vobis Evangelium præter id quod prædicavimus vobis, anathema sit.

Sed tamen condonanda hæc aliquo modo esse Gregorio videntur. Faterur enim se pleraque ex auditu habere, vel ex narratiombus comperta Virorum venerabilium. Ac hi fortasse ex aliis acceperunt, qui fide digni visi sunt: Sed verissimum illud est: Πολλὰκις τῶν γνωσίων ἀξιοπιστοτέρους ἰδίων. *Ac Romanos ad δεισιδαιμονίαν naturâ proclives fuisse omnes Historicitestantur. Fuit autem, & Gregorius Romanus, & quidem quod ad rem maximè pertinet, fuit Monachus, & ut verisimile est etiam illi viri boni, & fi-*

licta & peccata omnibus tam vivorum, quàm mortuorum. Tandem etiam Missæ palàm sunt divenditæ, & quæstus gratia ad res quaslibet adhibitæ: Hinc illæ formæ in Missalibus libris recitandæ contra pestes, morbos, bella, famem, infamiam, inopiam, pro conservandis opibus, pro periclitantibus in corpore & fortuna, breviter contra omnis generis pericula.

In Canone nihil extat de Sacrificio pro defunctis

Quòd si expendamus verba Canonis, mox liquido apparebit, ne unam quidem syllabam in eo extare, quæ tormentis & cruciatibus eorum accommodari possit, quos ex igne Purgatorio se evocare sacrificuli iactitant. Nam eos solummodo Deo commendant, qui se cum signo fidei præcesserunt, dormiuntque in somno pacis, quique in Christo quiescunt. At dormire in somno pacis & quiescere in Christo, non est alicubi cruciari. Aut si, qui in Purgatorio versantur, dormiunt in somno pacis, & quiescunt in Christo, mentiuntur sacrificuli, qui ignes & flammas Purgatorii non multò remissiores esse affirmant igne illo tartareo, quo impii homines in æternum torquendi sunt: hunc enim solùm ab illis differre dicunt, quòd sit perpetuus, illi verò temporarii & finem habentes.

Hic verò rimam invenerunt sophistæ, quâ sperant se elabi posse. Dicunt enim, hos quidem, qui in charitate mortui sint, in Christo quiescere, sed in spe, non autem reipsa: quòd ex hac vita migrarint non perfecta pœnitentia, penitùs defecati terrenis & carnalibus sordibus quas priùs oporteat prorsus excoqui & expurgari lustrali illo igne, quàm ad locum beatorum recipiantur. Sic enim Bellarminus libro secundo de Missa, capite vigesimo quinto. Pacem, *inquit*, illi quandam habent & quietem, quia certi ac securi sunt de præmio æternæ felicitatis: & quia liberi sunt à bello tentationum & concupiscentiæ, & ab omni opere malo: sed nondum pacem ac quietem habent à tormentis & desiderio visionis divinæ. *Ergo juxta Bellarminum, in spe tantùm, non reipsa, qui moriuntur in Domino, beati sunt. Quomodo verò hic cavillus convenit cum his Christi verbis Ioan. 5.* Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium & condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam?

Argumenta pro sacrificio Missæ pro iis qui in Purgatorio sunt. 1.

Ex his jam facilè potest responderi ad Bellarmini argumenta, quibus libro septimo de Missa capite septimo probare conatur, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri.

PRIMVM *argumentum sumit ex secundo libro Machabæorum capite duodecimo, ubi Iudas Machabæus justit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum.* Et Scriptura, *inquit*, hoc factum laudans, apertè dicit, Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut à peccatis salventur. *Respondetur, hunc librum, ex quo errorem hunc defendere conatur, & in quo ista leguntur, non esse Canonicum, & proinde in hac controversia, sicut etiam in aliis, nihil ex eo probari posse.*

Liber Machabæorum non est Canonicus.

Ad hanc verò antiquam nostrorum cautelam dicit Iesuita, se duobus locis respondisse, nimirum libro primo de Verbo Dei, & libro primo de Purgatorio. In his locis probat primò, *hos libros vere esse Canonicos, authoritate Concilii Carthaginensis 3. quod Canon. 47. hos libros inter Canonicos numerat. Respondeo, hæc ratio solvi potest primò, authoritate contrarii Concilii, nimirum Laodiceni, quod ca. 59. decrevit, non esse hos libros inter Canonicos habendos. Hoc verò Concilium non tantùm 30. annis est Carthaginensi antiquius, sed est etiam approbatum à Concilio universali Constantinopolitano sexto, ut est videre dist. decima sexta capi. Quoniam. Concilium autem Constantinopolitanum universale approbatum est ab Adriano Papa, Dist. eadem, cap. Sextam. Concilium igitur Laodicenum ejusdem authoritatis est cum sexto universali.*

Deinde, solvitur hæc ratio Bellarmini, authoritate aliorum decretorum hujus Concilij, quæ tamen ab ipsis Pontificiis non approbantur. Nam cap. 26. statuit. Nullum Episcopum vocandum esse Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem. *Ridiculum autem est, nos urgeri à Pontificiis authoritate Concilii hujus, quo tamen ipsimet teneri vel ligari nolunt.*

Secundò, *probat Machabæorum libros esse Canonicos, authoritate Innocentii 1. Gelasii 1. & B. Augustini, qui etiam eos in Canonem referunt. Nos his tribus Episcopis opponimus Melitonem Episcopum Sardicensem, qui apud Eusebium in Hist. Eccles. lib. 4. cap. 26. hos libros inter Canonicos non numerat. Deinde Cyprianum, qui in Symboli Apost. expositione, (licet ab aliquib. liber iste Russino tribuatur) enumerans catalogum Veteris & Novi Testamenti librorum, qui secundùm traditionem Majorum (verba sunt authoris) per ipsum Spiritum sanctum inspirati creduntur, & Ecclesiis Christi traditi, horum librorum non meminit. Ad finem autem catalogi hæc verba subiicit:* Hæc sunt, *inquit*, quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd & alii libri sunt, qui nō Canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Solomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach: ejusdem ordinis est libellus Thobiæ, & Iudith & Machabæorum libri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt: non tamē proferri ad authoritatem

ex his fidei confirmandam. *Hactenus ille. Tertiò, Hieronymum, qui in Prologo in Proverb.* Sicut, *ait*, Thobiam, & Iudith & Machabæorum libros, legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ita & hæc duo volumina, Sapientiam & Ecclesiasticum, legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. *Quartò, Hilarium in præfat. in Psalmor. Quintò, Athanasium in Synopsi. Sextò, Epiphanium Hæres. 8. & 76. & duobus locis de Mensuris & ponderibus. Septimò, Nazianzenum. Octavò, Damascenum: Qui omnes hos libros extra Canonem posuerunt. Nonò, ex recentioribus Lyranus, Hieronymum secutus, scripsit in Præfat. in Tobiam*, libros Machabæorum & nonnullos alios, non esse de Canone Scripturarum: receptos tamen esse ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur: sed ad dogmatum confirmationem, quæ in contentionem veniunt, minùs idoneos reputari. *Plerique autem hi Patres sunt antiquiores & viciniores Apostolorum temporibus, quàm Innocentius, Augustinus & Gelasius: & propterea de sententia prima & Apostolicæ Ecclesiæ potuerunt esse certiores. Nam, ut Augustinus contra Faustum libro undecimo capite quinto ait*, Excellentia Canonicæ authoritatis Veteris & Novi Testamenti, Apostolorum temporibus fuit confirmata, & per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede sublimiter collocata, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.

Præterea non simpliciter verum est, quod Innocentius & Gelasius scripserunt: jam tum enim mysterium illud iniquitatis in Romanis Pontificibus operari cæpit.

Augustino quid nomen, Canonicam.

De Augustino difficilior est responsio, quia major est ejus in Ecclesia authoritas. Fieri autem potest, ut Augustinus nomen Canonicum *latius usurparit, quàm in hac disputatione fiat: nimirum, non solùm pro Christiane fidei Canone, & norma, sed etiam pro regula morum in Ecclesia, cujus equivocationis etiam Cajetanus meminit in fine Comment. ad Hist. Veteris & Novi Testamenti. Si igitur Augustinus hanc vocem de norma morum intelligit, nos ejus testimonium admittimus. Sin minùs, tum Augustinum opponimus ipsimet Augustino. Nam de Mirabilibus Scripturæ in fine libri secundi prorsus extra Canonem ponit libros Machabæorum. Quis verò uni Augustino, & quidem sibi ipsi contrario potius credendum arbitratur, quàm iis omnibus Doctoribus, quorum paulò antè mentionem fecimus, qui omnes ante Augustinum extra Canonem hos libros referunt, præter unum Clementem supposititium. Idem Augustinus libro secundo contra Gaudentium, capite vigesimo tertio cùm Donatistæ furores suos defenderent Raziæ exemplo, ex libro secundo Machabæorum, dicit*, eam Scripturam apud Hebræos non haberi in authoritate cum Lege, & Prophetis, & Psalmis, quibus Dominus ipse testimonium perhibuerit, tanquam suis testibus: receptam tamen ab Ecclesia, sed sobriè legendam & audiendam. *Hæc verba postrema Iesuita noster impudenter & malignè interpretatur, libro primo de Purgatorio, capite tertio.* Augustinus, *inquit*, debere sobriè legi hos libros dicit, propter exempla eorum qui se occiderunt, quæ in libro secundo narrantur, & imitanda non sunt: quomodo etiam Genesis sobriè legenda est, ne putemus imitandum factum Iudæ, qui incestum perpetravit. *Nam sobriè legendus est liber secundus, non tantùm propter hanc causam, sed inprimis quòd errores multos, eosque graves in doctrina, & in Historia continet.*

Augustinus libros Machabæorum inter Canonicos numerat deinde.

Quòd autem Augustinus Machabæorum libros, & alios, quos Ecclesiasticos vocant, inter Canonicos retulit, fecit id magis aliorum exemplo, maximè Occidentalis Ecclesiæ, quàm quòd apud seipsum certus esset, de omnibus libris quos enumerat, an revera essent Canonici. Quod tam clarum est, ut idem ipse quoque Bellarminus fateatur libro primo de Verbo Dei, capite decimo.

Tertiò, *probat Iesuita Machabæorum libros esse Canonicos hoc argumento*, Quia legantur in Missa. *Sed quàm hæc ratio falsa sit omnes intelligant. Quidquid legitur in Missa id est Canonicum.*

Quartò, *dicit*, Patres testimonia passim ex his libris allegare, *& nominatim Augustinum ex libro 2. probare suffragia vivorum prodesse defunctis: vult igitur hinc colligere eos esse Canonicos. Respondeo, Non valet consequentia à citatione libri alicujus ad ejus totius approbationem. Hinc etiam Origenes Homil. 1. in Ecclesiasten scribit*, Palàm esse multa ab Apostolis vel Evangelistis exempla prolata, & Novo Testamento inserta, ex apocryphis, nec tamen idcirco locum dandum Apocryphis: quippe Apostolos Spiritu Dei repletos scivisse, quid ex eis assumendum, quid refutandum esse. *Et Hieronymus in Præfat. in Ionam scribit*, Librum Tobiæ (*quod etiam de similibus libris intelligi debet*) ab Ecclesiasticis Viris usurpari, etsi non habeatur in Canone. *Idem in Epistolam ad Titum*, Qui putant, *inquit*, totum librum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Enoch, de quo Apostolus Iudas in Epistola sua testimonium posuit, inter Scripturas recipere.

Quintò, quòd Patres hos libros allegent tanquam

tanquam Scripturam divinam. *Respondeo, Patres quidem non tantùm Canonicos, sed etiam Ecclesiasticos libros ad hunc modum allegare. Sic Athanasius Orat. 1. contra Arrianos citat locum ex 15. cap. Ecclesiastici, tanquam à Spiritu sancto profectum. Hilarius in Psalm. 135. adducit dictum Sapientiæ 1. tanquam dictum Prophetæ: & in Psalm. 125. tanquam ex Lege citat locum ex libro Iudith. A Damasceno in Orat. de defunctis, citantur libri Machabæorum tanquam divina Scriptura: Non tamen hi Patres libros istos pro Canonicis agnoverunt.*

Sequitur ergo ex his omnibus, locum illum ex libro secundo Machabæorum, tanquam apocrypho, à Iesuita citatum, non posse probare, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio existentibus rectè offerri.

Explicatur locus in lib. Machab. de Sacrificio Iudæ pro mortuis.

Quod autem ipsum locum attinet, Respondeo, frustrà Iudam sacrificasse pro ijs mortuis, sub quorum vestibus, contra expressam legem quæ Deuter. 7. cap. habetur, inventa sunt anathemata: & quidem ex ipsomet Bellarmino hoc probabo. Scribit ille libro 2. cap. 17. Sacrificia legalia non valuisse ad expiationem peccati. *Nam qui offerri iubebat, vel iustus erat vel iniustus. Si iustus, non egebat remissione peccatorum: Si iniustus, nihil valebat eius Sacrificium. Quæro iam ex Iesuita, viri illi, pro quibus sacrificavit Iudas, instinè an iniusti fuerint? Si iniusti, ut certè fuerunt, quia sacrilegio anathematis contra manifestam Dei legem peccarunt, tunc nihil valuit pro eis Sacrificium Iudæ, Iesuita teste. Sed vult eos fuisse iustos: nam libro 1. de Verbo Dei cap. 15. dicit,* Iudam *piè existimasse, eos in articulo mortis dolorem de peccato suo, coram Deo concepisse, & misericordiam apud Deum invenisse: id enim significant illa verba,* Quia considerabat, quòd hi: qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. *Si igitur iusti fuerunt, ut qui cum pietate dormitionem acceperunt, tunc non egebant remissione peccatorum, sed habebant optimam gratiam ante oblationem Iudæ. Si quis obijciat, potuisse valere Sacrificium illud ex merito Iudæ, vel Sacerdotum offerentium, respondet Bellarmin. Non posse merita unius conferre alteri primam gratiam certò & infallibiliter.*

Deinde respondeo ad locum libri Machabæ. Vnicum Iudæ factum universalem legem non statuere. Non potest autem, Augustino teste, ex tota sacra Scriptura demonstrari, aliquem ante Iudam simile quid fecisse.

SECVNDVM *Argumentum, quo probare vult Iesuita, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, sumit à consuetudine universalis Ecclesiæ catholicæ.*

Consuetudines Ecclesiæ universalis sunt Canonicæ.

Sacrificare pro defunctis in Purgatorio est consuetudo Ecclesiæ.

Ergo est Canonicum & retinendum.

De consuetudinibus Ecclesiarum.

Respondeo ad Maiorem primò, *per distinctionem, Consuetudines Ecclesiæ, si non adversentur manifesto & expresso Dei Verbo, sunt Canonicæ ideoque retinendæ: iuxta illud Augustin. l. 4. de Baptismo, cap. quinto.* Si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet teneri firmius: *Sin verò pugnent cum Verbo Dei, omnino sunt deserendæ. Reprehenduntur enim Samaritani 2. Reg. 17. quòd Dominum quidem timuerint, & tamen Dijs suis servierint, secundùm morem & consuetudinem gentis suæ, & iuxta ritus antiquos. Tertullianus in libro de Velandis virginibus,* Veritati, *inquit,* nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum. Ex his enim consuetudo, ab aliqua fere ignorantia, vel simplicitate nata, in usum per successionem corroboratur adversùs veritatem. *Et mox:* Dominus noster Christus, veritatem se, non consuetudinem, nominavit. Si semper Christus, & prior omnibus, æquè veritas sempiterna & antiqua res est. Viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus est, Quodcumque adversùs veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. *Notum etiam est, quid hac de re Cyprianus ad Cæcilium scripserit libro secundo epist. 3. Et ad Pompeium contra epistolam Stephani Papæ,* Consuetudo, *inquit,* sine veritate, vetustas erroris est, propter quòd relicto errore veritatem sequamur. *Et ad Iubaianum,* Frustrà quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem opponunt nobis, quasi consuetudo maior sit veritate. *Item:* Non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est. *Basilius epistola* 80. Non est iustum consuetudinem legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Scriptura divinitùs inspirata, Iudex à nobis constituatur. *Et Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 6.* Quis dubitet, *inquit,* veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? *Gregorius M.* Si consuetudinem fortassè opponis, aduertendum est, quòd Dominus dixit: Ego sum via, veritas & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed, veritas. *Vide in hanc sententiam plura apud Gratianum dist. 8. & 11.*

Sacrificare autem pro mortuis in Purgatorio degentibus, ut vel inde citiùs liberentur, vel ibi mitiùs tractentur, consuetudo est pugnans cum Verbo Dei, quod ignorat Purgatorium, & docet, homines morientes, vel in cœlum &

vitam æternam recipi, vel in æternam damnationem abijci. Et Augustinus, ut antè de eo monuimus, docet, homines, qui in terris nec supremè boni, nec supremè mali fuerint, sed inter hos utrosque medium tenuerint, suorum viuentium officijs releuari & adiuuari, ut plena eorum fiat remissio: ingenuè fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum illum locum ex Machabæorum libro, qui tamen non est in Canone.

Secundò, respondeo ad Minorem simpliciter, eam falsam esse, Si per Ecclesiam uniuersalem catholicam, veram primitiuam Ecclesiam, quæ ante sexcentesimum à nato Christo annum in terris fuit, intelligas. Nondum enim illis temporibus sacrificijs defunctos ex Purgatorio liberare conabantur, sed id circa, & post Gregorij M. demum tempora primò fieri cæpit, quum Purgatorium modo esset approbatum. Antea verò longè alium in finem quædam officia à viuentibus suis impendebantur mortuis, sicut suprà multis demonstratum est. Et ut rectè nos intelligat Lector, non negamus, in veteri Ecclesia sacrificia pro defunctis facta esse, & qualia illa fuerint sacrificia satis est explicatum à nobis superiùs: Illud verò pernegamus, Sacrificium aliquod Missæ, hodierno ritu, pro redemptione animarum in Purgatorio existentium, factum esse, sed ijs demum temporibus illud fieri in Ecclesia cæpit, quando horribilis verè doctrinæ inclinatio facta esset: & propterea illa consuetudo non est imitanda.

TERTIVM Argumentum petit ab authoritate præcipuè Chrysostomi, qui homil. 69. ad populum Antiochenum hunc ritum ad Apostolicam traditionem refert. Respondeo, Quisquis dicit, pro mortuis orandum, quod Veterum aliqui fecerunt, vel sacrificio Missæ animas defunctorum ex Purgatorio liberandas, quod Pontificij hodie faciunt, ostendat & probet hoc, non ex quibuscunque literis, sed ex ecclesiasticis, canonicis & catholicis, quas recipit & tenet Ecclesia toto orbe diffusa: alia quippe literæ ad has res apud nos nullum authoritatis pondus habent. Ideoque, quod de exequijs defunctorum Chrysostomus ex Apostolica traditione narrat, quia canonicum non est, nos non constringit. Totidem fere verbis respondet etiam Augustinus lib. 23. cap. 9. Fausto Manichæo, sed in alia causa.

Consuetudo sæpè pro Apostolica traditione usurpata.

Secundò respondeo, multa ab antiquis temporibus sola consuetudine, vel etiam eorum qui Ecclesijs præerant, arbitrio obseruari cæpta, aut etiam ab hæreticis conficta, mox ad Apostolos authores relata fuisse, quo maior eorum esset authoritas (teste Socrate lib. 5. cap. 21. Sic apud Eusebium lib. 5. cap. 21. Irenæus de Ieiunio ante Pascha dicit, fuisse quondam simplicem & vulgarem consuetudinem tantùm: progressu verò temporis Apostoliæ traditionis nomine obtrusa fuit Ecclesiæ, ut videre licet apud Leonem Serm. 6. de Quadragesima. Apostolica, inquit, institutio 40. dierum ieiunijs impleatur. Et scribit idem Leo Serm. 2. de Ieiunio Pentecostes, sua ætate vulgò creditum, quidquid ab Ecclesia in consuetudinem receptum esset devotionis, à traditione Apostolica & Spiritus sancti doctrina id prodijsse. Sic in controuersia illa primitiuæ Ecclesiæ de obseruatione Paschæ, utraque pars Apostolicam prætendebat traditionem, ut est videre apud Eusebium lib. 5. cap. 22. Socrates autem rectè iudicat, propriæ magis consuetudine, quàm ulla lege Apostolica, diuersitatem illam obseruationis inualuisse. Neque enim Apostolis, inquit, propositum fuit de diebus festis leges condere: neque Euangelium iugum seruitutis his, qui ad Dominum conuertuntur, imponit: sed Paschatis, aliorumque festorum rationem, Seruator & Apostoli liberam fidelibus reliquerunt. Alexander 1. Papa aquam benedictam instituit, ut ingenuè Durandus quoque fatetur lib. 4. cap. 4. Bellarmino autem Apostolica est traditio. Similiter D. Chrysostomus sub Apostolicæ traditionis nomine venditat, quod paulo ante eius ætatem obseruari cæpit ab Ecclesia, sicut suprà ostendimus.

Tertiò, Chrysostomus non dicit, ut ei affingit Bellarminus, Apostolicam traditionem esse, Sacrificium Missæ offerre pro defunctis in Purgatorio existentibus: sed, in Cœna Dominica defunctorum agere commemorationem. Verba eius hæc sunt: Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Toto autem cœlo differunt, Mortuorum agere in Eucharistia commemorationem: & Missam pro defunctis in Purgatorio degentibus celebrare. Proinde Bellarminus peruertit statum controuersiæ.

Explicatur locus Augustini.

Instat Iesuita, proferendo regulam S. Augustini lib. 4. de Baptismo, cap. 24. quæ est, ut id certissimè credatur ex Apostolica traditione descendere, quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper seruatum & retentum est. Talem autem esse hunc ritum negari non potest. Nam in omni Ecclesia seruatus est. In nullo autem Concilio institutum, sed semper seruatum fuisse, patet ex testimonijs antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præfuerunt, ubi fit mentio de sacrificijs pro defunctis, &c. Respondeo Primò, regula huius praxin tam certam esse, quàm quod incertissimum. Quis enim nos certiores reddet, quid uniuersa Ecclesia semper & ubique seruauerit? Secundò, etsi hæc fuit sententia Augustini, alia tamen fuit Cypriani cum Concilio 70. Episcoporum, qui morem & consuetudinem quasi orbis uniuersi ad

ad sacræ Scripturæ regulam examinarunt. Tertiò, *in hac Instantia rursus statum causæ mutat Iesuita. Nam probandum illi erat, Apostolicam esse traditionem, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, nimirum ut hoc officio inde liberentur. Sic enim habet inscriptio hujus cap. 7. Ille verò tantùm probat, Orare pro defunctis esse Apostolicam traditionem.* Deniq; *Minorem nego in hac instantia Iesuitæ, Ritum nimirum offerendi pro mortuis semper & ubique in omnibus Ecclesijs observatum & retentum fuisse. Nam primò, Hieronymus, Gregorius M. Innocentius 3. Antoninus, Durandus, Platina & alij plures referunt, Apostolos ipsam solummodo Orationem Dominicam post consecrationem recitasse. Ergo ritus offerendi pro mortuis Apostolorum tempore non fuit observatus: nam in Dominica Oratione defunctorum & sacrificij pro illis nulla fit mentio. Respondet Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 7.* Apostoli primo tempore solam Orationem Dominicam poterant adhibere post consecrationem : deinde alio tempore addere alias preces : tum etiam, quia sine ulla certa prece poterant offerre sacrificium pro defunctis. Ad hoc enim sola interior mentis intentio abundè sufficit. *Respondeo* Primò *in genere, A posse ad inesse non valere consequentiam. Non enim sequitur, poterant hoc vel illud facere Apostoli, ergo fecerunt.* Deinde, *si maximè fecissent, ut coniectat Iesuita, certè aliqua saltem indicia eius in scriptis eorum extarent: nulla autem prorsus extant.* Tertiò, *si tempore Apostolorum interior mentis intentio non modo sufficiebat, sed abundè etiam sufficiebat, quare hodie non etiam sufficit? Aut unde scit Iesuita hanc fuisse in sacris Apostolorum intentionem? Nam interior mentis intentio soli Deo, non hominibus est cognita. Aut igitur fateatur Iesuita se nugari, aut intentionis huius mentis indicia aliqua in Apostolorum scriptis monstret. Contrarium autem ex illis demonstrari potest: nam viuentibus & morientibus in vera fide promiserunt, & actu donarunt, tanquam cooperatores Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam. Et quoties de statu mortuorum scribunt, nullam orationis, cruciatus & purgationis, liberationisque mentionem faciunt:* vide 1. *Cor.* 15. *cap. & 1. Thess.* 4.

Secundò *negatur Minor, quòd Irenæus lib. 1. cap. 18. eos, qui mortuos redimunt, ut sint incomprehensibiles & inuisibiles principatibus & potestatibus, inter hæreticos numerat. Ergo consuetudo offerendi pro mortuis & eorum animas redimendi, nec semper, nec ubique in omni Ecclesia seruata fuit.* Secundò, *Tertullianus non absolutè omnia pro mortuis sacrificia ex consuetudine fluxisse docet, Bellarmino quoque teste lib. 2. de Missa cap. 7. sed annua tantùm. Ergo Minor Bellarmini falsa est.* Tertiò, *licèt in Africanis potissimùm Ecclesijs inualuerit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferijs atque feralibus precibus adiungerentur, non tamen in Occidentalibus & alijs omnibus Ecclesijs in uniuersum pari ritu obseruatum fuit. Colligere hoc possumus ex accurata illa Dionysij descriptione funebrium ceremoniarum, in qua nihil omnino voluisse videtur prætermittere : & tamen nullum prorsus verbum in ea facit de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificij. Exstat etiam quarta Carthaginensis Synodi decretum, quo mandatur,* ut pœnitentes, qui diligenter seruarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quibus intelligitur, ne tum quidem ullum adhuc locum in Ecclesia fuisse de animarum per sacrificium Missæ redemptione commento. Nam solum meminit de mortuorum memoria in solennibus precationibus & oblationibus inferenda.* Quartò, *totis fere sexcentis annis ignis Purgatorij fornacibus caruit Ecclesia. Nam ut ex Augustini libro de Fide & Oper. cap. 16. Ad Dulcitium q. 1. In Enchiridio cap. 68. & 69. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 26. intelligimus, nihil eius ætas de hac quæstione certi decernere ausa est : sed proposita tantùm fuit tanquam probabilis quædam opinio, de qua disputare quidem magis liceret, quàm certi aliquid definire, & de qua nefas non esset dubitare. Sublato autem Purgatorio, tollitur etiam sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio existentib. Falsum est igitur, sacrificia pro expiatione & redemptione animarum omni tempore, & in omni Ecclesia usitata fuisse.*

Aërius hæresiarcha ortus damnatus.

Quartum *Argumentum petit Iesuita ex damnatione Aërij hæretici,* quem, *inquit,* damnauit Ecclesia, & nominatim hæresim eius refutauit Epiphanius : docebat enim non esse pro mortuis sacrificium offerendum. Pupugit, *inquit,* hoc argumentum Philippum, & ideo in Apologia Confessionis Augustanæ duobus mendacijs medicamentum vulneri adhibendum curauit, &c. *Respondit ad hoc argumentum solidissimè Kemnitius parte 3. Examinis fol. 107. 108. & 109. quod tamen non ita pupugit Bellarminum, ut vel unico verbo attingeret saltem, nedum refutaret. Rem paucis explicabo.* Aërius ex vulgi tunc opinionibus & sermonibus, quòd nimirum preces eorum, qui in hac vita sunt, eos omnino iuuent, qui ex hac vita excesserunt, hanc falsam consequentiam texuit & Ecclesiæ tribuit : nempe, *si quis in hac vita nec Deum nec homines colat & diligat, sed etiam grauissima scelera committat, & sine remissione, in impœnitentia hinc discedat, modo post mortem pre-*

reddunt: Martyres, *inquiunt*, propter insuperabilem erga Regem & præceptorem suum benevolentiam diligimus, tanquam discipulos Domini & amatores, & optamus nos illorum consortes fieri. *Dionysius verò de Ecclesiast. Hierarchia cap. 7. circa eos qui obdormierunt ritus sui temporis describens* Postea, *inquit*, præcipuus ex ministris dimissis catechumenis, sanctos defunctos honorifica celebratione prosequitur: *Quam ideo fieri dicit*, ut audientes Sanctorum præconia ex Scripturis celebrata, & piè defunctum iam verè consortem existere Sanctorum, qui à seculo sunt, simile in eis desiderium excitetur, cùm audiant, quàm verè beatum sit in Christo mori.

Idem quoque testatur Origenes lib. 3. in Iobum: Propterea, *inquit*, & Memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. *Et rursus*: Celebramus memoriam defunctorum, religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles unà cum clero invitantes, adhæc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requici defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. *In hunc finem celebrata sunt sepulchralia hac sacra Basilii & Augustini adhuc ætate: Ille enim in Asceticis ca. 40.* Non decet, *inquit*, Christianos aliam ob causam in martyrum Memoriis, aut locis vicinis comparere, quàm ut precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint ad huiusmodi zeli imitationem incitentur. *Et homil.* 19. Nostri, *inquit*, profectus tantùm causa, sat fuerit illorum (*Martyrum vel Sanctorum*) celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: sicè sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes provenit utilitas, &c. *Augustinus autem libro octavo cap. 27. de Civit. Dei*. Celebramus, *inquit*, Memorias martyrum, ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. *Itaque tota hæc ratio in eorum potiùs gratiam instituta erat, qui superstites erant, quàm qui vitam cum morte commutarant: ut vivorum magis essent solatia (quemadmodum Augustinus loquitur) quàm subsidia mortuorum.*

Ad hunc ritum veteris Ecclesiæ respiciunt phrases & locutiones illæ, offerre pro defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare. *Iis primi omnium, adeoque novo & peculiari modo loquendi usi sunt Cyprianus & Tertullianus: quorum hic in libro de Corona militis*, oblationes, *inquit*, pro defunctis natalitiis annua die facimus. *Ille verò libr. 1. epist. 9. sic inter alia scribit*: Antecessores nostri salubriter censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. *Et li. 4. epistola 5.* Sacrificia, *ait*, pro eis semper offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus. *Pontificii hæc de sacrificio propitiatorio, & de suffragiis pro expiandis & redimendis è purgatorio animabus defunctorum interpretantur Cyprianus verò in eadem epistola seipsum interpretatur, quòd per oblationes pro dormitione alicuius, intelligat, sportularum contributiones. Sacrificium verò pro dormitione celebrare, interpretatur ibidem, nomen alicujus in prece Sacerdotum, quæ in Eucharistiæ celebratione fiebat, nominare. Sic enim scribit*: Quod Episcopi, antecessores nostri, religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos avocare voluit. Et ideò Victor, quum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est, quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur. *Falsissimum igitur est, quod Bellarminus Iesuita suarum disputationum tomo 2. Col. 1087. dicere audet*, Cyprianum in hac Epistola scribere, Sacrificium celebrari in altari pro defunctis: *Sed ita scribit*: Neque ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece. *Tertullianus in libro de Monogamia inquit*: Vxor pro anima defuncti mariti orat, & offert annuis diebus dormitionis eius. *Et de Exhortatione castitatis ad maritum defunctæ uxoris ait*: Repetо apud Deum pro cujus Spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. *Hic Tertullianus dicit, uxorem offerre annuis diebus dormitionis mariti: & maritum reddere annuas oblationes. Non igitur intelligit sacrificium aliquod propitiatorium, per Sacerdotem pro mortuis oblatum, sed sportulas, quæ in usum pauperum illic diebus à superstitibus conferebantur: illas enim oblationes vocari,*

Offerre pro defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare quid.

manifestum est ex Canonibus Carthaginensis & Vasensis Concilii: 13. q. 2.

Rursus Cyprianus in Serm. de Mortalitate, luctum super morte fidelium prohibet, nulla alia de causa magis, quàm ne Gentib. occasionem præberent reprehendendi fidem Christianorum. Quoties, *ait*, nobis revelatum est, quàm frequenter & manifestè de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assiduè, & publicè prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de seculo liberatos, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi iam indumenta alba sumpserunt, occasionem dandam non esse Gentilibus ut nos meritò ac iure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus, &c. *Quàm verò justiorem habuissent Gentes reprehendendi & irridendi Christianos causam, si pro beatorum & iam in cœlis apud Deum viventium defunctorum redemptione & salute sacrificassent, ut Pontificii de iis fingunt & somniant? Adversus Demetrianum quoque scribit*, Postquam hinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ, nullus veniæ locus est. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. *Est itaque irrefragibile, Cyprianum de nullo sacrificio pro redemptione animarum defunctorum loqui.*

Præterea in his Cypriani phrasibus Præpositio PRO, *non accipitur pro eo quod est*, E re ipsorum, *aut*, pro eorum commodo: *sed pro causa, & præpositione* Propter: *ut quum dicimus, pro mutuo animo, pro reconciliata gratia, id est, causa mutui animi, & causa reconciliatæ gratiæ. Sic Plinius epistola* 189. Hæc tibi pro amore mutuo scripsi. *Et Terentius in Eunucho*, Ego vol te pro istis dictis & factis ulcisci scelus. *Et apud Cyprianum quoque sit sensus, pro eis, id est, eorum causa, aut nomine: in eorum gratiam, & propter eos. B. Rhenanus hæc verba Cypriani libro quarto epistola quinta. Sacrificia pro eis semper offerimus: in Tertulliani libro ad Martyres sic interpretatur.* Quòd dicit, *inquit*, Sacrificia pro Martyribus offerri, sic accipiendum ni fallor, ut pro eis idem valeat, quod commemoratione eorum: veluti passione sive commemoratione passionis occasionem oblationibus & sacrificiis dante. *Et nox:* Gratulatoriæ ergo preces erant potius, quibus cùm Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignationis contulisset, tùm simile donum cœlitus sibi dari concordibus votis flagitabant: ceu adhuc canit Ecclesia, Gaudeamus in Domino, &c. Id confirmat quoque Augustinus Tractatu 84. in Ioan. de Martyribus & altari disputans, his verbis: Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, &c. *Hactenus Rhenanus. Atque ideo Cyprianus libro primo, epistola nona, non vult pro ejus dormitione offerri, & nomen ejus ad altare nominari, qui Presbyterum aliorum seu tutorem nominaverat, non quòd sentiret ipsum ideo in æternum damnatum esse, sed ne Ecclesiastica celebratione post mortem honoraretur. In epistola ad Presbyteros & Diac. suæ Ecclesiæ, commendat Tertullum quendam, qui sibi diligenter scripsisset dies obitus Martyrum*, Quo, *inquit*, celebrentur à nobis hic oblationes & sacrificia ad commemorationes eorum, &c. *Hîc exponit pro eis, per hæc verba, in commemorationem eorum. Sic etiam pro vivis dicit Cyprianus offerri seu sacrificari, quando in precibus, quæ fiebant in administratione Eucharistiæ, gratiæ pro iis agebantur, vel aliquid orabatur: ut libro* 3. *epist.* 1. *ad Lucium ab exilio cum suis reversum, inquit:* Hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris, non cessamus Deo gratias agere, & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est & perficiens custodiat & perficiat in vobis confessionis vestræ coronam. *Ita etiam pro lapsis, qui iam reconciliati erant offerebatur, qui post confessionem criminis, & factam pœnitentiam, exomologesinque finitam, post manus impositionē Episcopi & Cleri, hoc consequebantur. ut facta pro eis oblatione & precationibus, Eucharistiam acciperent, ut patet ex Cypriani epist.* 15. & 16. *l.* 3.

Sic etiam interpretatur Origenes, qui, ut dictum est, libro 3. *in Iobam ait*, Memoriam parentum vel amicorum nostrorum devotè agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. *Item*: Celebramus memoriam defunctorum, &c. ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei pro defunctis animabus. *Sic etiam Basilius*, Non decet, *inquit*, Christianos in Martyrum memoriis comparere aliam ob causam, quàm ut precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint ad hujusmodi zeli imitationem incitentur. *Item*: Nostri profectus tantùm causa, sat fuerit, illorum memoriam celebrare: &c. *vide suprà integrum locum. Nullum igitur ibi fiebat sacrificium propitiatorium, aut expiatio, vel redemptio ex Purgatorio animarum defunctorum. Etsi verò hæc pio studio ac zelo, ob enumeratas causas: introducta fuit in Ecclesiam consuetudo, cœpit tamen superstitio, qua nihil quidquam in religione diu syncerum ferre potest, non modò sensim obrepere in vulgi animos ad superstitiones propensissimi, verùm illos ipsos etiā sua contagione inficere, qui ab ea vulgum avocare debuerunt. Celebrari enim cœperunt, ad honestanda funera, panegyres, in quibus*

Superstitio & idolatria Memoriis martyrum accessit.

Panegyres instituta.

quibus habitæ sunt funebres orationes & conciones, cum Psalmorum & hymnorum cantu. Sic enim Chrysostomus homil. 14. in 1. Tim. 5. c. dē morte & funere monachorum. Mortem illi *inquit*, nec dicunt, nec existimant mortem. Cùm hymnis prosequuntur abeuntem, eamque rem, non elationem funeris, sed pompam & præmissionem vocant. *Et paulo post:* Inde gratiarum actio sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus, se hoc fine donari, sic exire certamine, & laboribus sudoribusque quiescere, Christumque videre. *Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium*, Ex hinc, *inquit*, non ululatus, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis, exanima concrepabant, &c. *Cùm autem hoc ritu quidam abuti cæpissent, Concilium Toletanum 3. hujusmodi errori hoc decreto mederi voluit:* Qui divina, *inquit*, *cap.* 22. vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & psallentium vocibus deberi ad sepulchra deferri, præcipimus. Nam funeris precamen, quod vulgò defunctis cantari solet, omninò prohibemus. Sufficiat autem, quòd in spe resurrectionis, Christianorum corporibus, famulatus divinorum impenditur canticorum.

Parentationes annuæ institutæ.

Deinde Parentationes annuæ institutæ sunt, quibus statis diebus annuatim mortuorum renovaretur memoria, maximè Martyrum, & aliorum virorum illustrium. Sic enim Tertullianus de Corona militis, oblationes pro defunctis annua die facimus.

Sanctorum cœlitum precibus se commendare cæperunt homines.

His studiis dum occupantur homines, nonnulli eò usque etiam abrepti sunt, ut alii illorum se precibus commendarent, tanquam eorum patrocinium postulantes, quos in sanctorum cœlitum numerum adscriptos esse sibi persuaserant: alii contra illos Deo suis precibus commendarent, quos minus sanctè in terris vixisse sciebant. Sic enim Tertullianus in libro de Monogamia inquit: Vxor pro anima defuncti mariti orat, & refrigerium interim expostulat ei, & in prima resurrectione consortium.

Sacella & altaria in honorem Sanctorum erigi cœpta.

Ex his initiis eò usque ventum est, ut passim cæperint Sacella & Aræ in honorem sanctorum mortuorum erigi, etiam in iis locis ubi corpora eorum sepulta non erant. Cùm verò cultus eorum hoc modo plus nimio excrevisset, Concilium Carthaginense 5. anno 438. celebratum, superstitionem hanc tali decreto abrogare aliquomodo voluit: Præcipimus, ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum constitutæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, evertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non possit, plebs tamen admoneatur, ne illa loca frequentet, aut aliqua ibi superstitione devincta teneatur.

Sacramentorum celebratio pro defunctis instituta.

Imò cura pro defunctis apud multos tanta fuit, ut illis etiam Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ administranda existimarent: qui tamen error in Carthaginensis Synodi 3. capite 6. prohibitus fuit.

Hæc initia etsi levia videri queant, & multi crescenti superstitioni obviam ire tentarint, primi tamen ejus authores magnam occasionem posteris insaniendi & à regia via aberrandi præbuerunt, & eiusmodi telam exorsi sunt, quam posteri magno studio contexuerunt. Hoc testantur Panegyres, orationes & conciones funebres, monodiæ & epitaphia veterum Patrum, inprimis verò Nazianzeni & Ambrosii, qui duo nobis multorum instar esse poterunt. Notum est quid senserit Nazianzenus de emigratione ex hac vita Basilii: nihilominus eidem, quem tamen quasi numen aliquod invocavit, bene precatur, ac si beatitudini ejus deesset aliquid: inquit enim in Epitaphio ejus, Deus ei beata tribuat, aliaque, &c. *Ambrosius autem in oratione funebri Theodosii & Valentiniani junioris*, Da requiem, *inquit*, perfecto servo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. *Et de Valentiniano ejusque fratre.* Beati, *ait*, ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? quis vetabit commendationis prosequutionem complecti?

Potest hoc quidem aliquo modo in iis Patribus excusari, nimirum, quod has phrases, sicut etiam suprà monuimus, tanquam apostrophas poëticas & rhetoricas, quales in vehementissimis affectibus sæpè erumpere consueverunt, amor & animi desiderium ingens extruserit. Sed posteritati melius fuisset consultum, si iis penitus abstinuissent. Si hoc non concedatur, pugnantia secum loquutum esse Ambrosium concedi oportet. Subindè enim inculcat & repetit in utraque Orat. funebri, Theodosium & Valentinianum manere in lumine, sanctorum cœtibus gloriari, requiem animæ possidere, deterså labe peccati ablutos; sua fide lotos, petitione consecratos, ex deserto, hoc est, ex hoc arido & inculto loco ascendisse ad illas florulentas delectationes æternæ vitæ, regnare in regno Domini nostri Iesu Christi, & similia, *Si ita res habet, quorsum igitur ista quæ paulo ante ex iisdem orationibus adducta sunt? Quorsum Ambrosius optat, precaturq; iis contingere, quod iam consequutos esse idem testatur & prædicat?*

Ex

Animas defunctorum juvari posse eleemosynis & oblationibus. Augustinus.

Ex his initiis quæ inclinatio veræ & orthodoxæ doctrinæ progressu temporis facta sit, Epiphanii ætas paulo post Ambrosium luculentissimè testatur. Hæc enim tum vulgi communis sententia fuit, orationibus, eleemosynis & oblationib. quæ in terris fiunt animas defunctorum nonnihil juvari posse, sicut ex Epiphanij disputatione cum Aërio manifestè intelligitur. Etsi verò Epiphanius nihil certi definiat, sed propter vulgi opiniones, quas reprehendere non audet & tamen ex Verbo Dei probare non potest, in medio hoc relinquat, & de industria obscuritatibus involuat: non multò tamen post Augustinus aliquibus in locis hanc vulgi sententiam affirmare & approbare cæpit, & negandum non existimavit, defunctorum animas, pietate suorum qui in terris superstites sunt relevari, quum pro illis sacrificium Christi offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Eam ob causam tres defunctorum ordines constituit. Primos dicit esse valde bonos, qui his subsidiis suffragiorum & opitulationum non indigeant. Secundos dicit esse sceleratiores quàm ut his liberari & adiuvari possint. Tertios facit inter hos utrosque medios, qui nec ita boni sint ut his suffragiis post mortem non indigeant: nec adeò mali, ut eis non prosint illa, sed cùm viverent, dicit eos meruisse, ut sibi illa post mortem prodesse possent. Ideoque concludit, sacrificia sive altaris, sive eleemosynarij, aut aliarum oblationum, quæ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones esse: pro valde malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, esse tamen qualescunque vivorum consolationes, aut certè ad hoc prodesse, ut saltem tolerabilior fiat ipsorum damnatio. De mediis dicit, eos officiis his suorum viventium relevari & adjuvari, ut plena fiat eorum remissio, & misericordius cum ipsis agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. In quo certè, vir alioquin sanctissimus, & purioris Evangelicæ doctrinæ constantissimus, pertinacissimusque assertor, Verbi Dei nequaquam sequitur vestigia, sed hominum judicia, & communem vulgi errorem. Nam ad Paulinum fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum locum Machabæorum: qui tamen liber extra Canonem est, proindeque Veteres asseruerunt, ea quæ in controversiam veniant, ex illo confirmari non debere. Deinde dicit: fundamentum totius disputationis se collocare in recepta consuetudine orandi & offerendi pro mortuis: Quo sensu autem hac à Veteribus facta sint, dictum est antea. Tertiò, ipsemet Augustinus de hac sua sententia non est certus. Quod enim in hac disputatione dicit, Preces pro defunctis damnatis, ad hoc prodesse, ut damnatio fiat tolerabilior: de eodem in libro de Civit. Dei. 21. capite 24. ita scribit: Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto. *Ex quibus intelligis, Augustinum vulgi opinionibus ausum libere in hac disputatione resistere, licèt hac concessione nollet ea affirmare. Et cap. 27. ejusdem libri,* Quis sit, *inquit*, ille modus vitæ, & quæ sint illa peccata, quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis, post mortem impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire; periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm satagerem inde, ad eorum indaginem pervenire non potui. *Augustinus igitur, quæ temporibus suis & receptis opinionibus concedit, mox dubia & incerta reddit. Quid hic faciendum Christianis hominibus? Quemadmodum ipsemet contra Cresconiū inquit,* Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero & quid in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo: *ita hanc ejusdem disputationem, quamvis sit catholici & laudati viri, tamen velut Scripturas Canonicas habere non debemus, ut non liceat eam nobis improbare, vel respuere, quam in ea aliter sentiat ac doceat, quàm Veritas habet, imò quàm ipsemet alibi docet. Nam libro 4. de Trinit. cap. 13. sic inquit*, Christus morte sua, uno verissimo sacrificio pro nobis oblato quicquid culparum erat, unde nos principatus & potestates ad luenda supplicia jure detinebant, abolevit, extinxit, & sua resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit.

Ad excusandum verò sanctissimum Patrem nonnihil facere videtur, quòd jam ante Augustini ætatem Africanæ Ecclesiæ sibi paulò plus quiddam, quàm cæteræ indulserunt, & vulgi plus aquo sese accommodarunt opinionibus & consuetudini. Inde enim Africanarum Ecclesiarum Doctores, Oblationis & Sacrificii nomina præcipuè usurparunt. Deinde in his potissimum Ecclesiis invaluit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio, & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferiis, atque feralibus precibus adjungerentur. Quod etsi in Occidentalibus Ecclesiis quoque frequentius factitatum fuit, non tamen ubique in aliis omnibus Ecclesiis, in universum pari ritu observatum fuisse, ex hoc non difficulter colligere licet, quod Dionysius in sua illa tam accurata funebrium ceremoniarum descriptione, nullum prorsus verbum habet, de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificii. Exstat etiam Carthaginensis 4. synodi decretum, quo præcipitur, ut pœnitentes, qui diligenter servarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quo intelligimus, jam tum quidem invaluisse &*

inveteraſſe opinionem pernitioſam Eccleſiæ de ſuffragiis vivorum pro defunctorum animabus, nondum tamen ita prorſum receſſum fuiſſe ab uſitata & recepta Eccleſiæ conſuetudine, ut nullus adhuc eſſet figmento de animarum per Miſſas ex Purgatorio liberandi locus. Nam tantùm de mortuorum memoria mentionem facit, in ſolennibus precationibus & oblationibus inſerenda, qua manifeſtè indicat, teſtatam hoc ritu eo tempore fuiſſe mortuorum cum Eccleſia cõſenſionem, quandoquidem eos ſolùm hoc honore dignos judicat, qui pœnitentiæ Canones non neglexerunt.

Chryſoſtomus.

Auguſtini ætate in Græca Eccleſia docuit Chryſoſtomus, qui eandem quæſtionem tractavit. Conſtituit autem Chryſoſtomus non tres defunctorum claſſes, ſicut Auguſtinus, ſed duas ſolùm, ut eſt videre Serm. 3. ad Philip. ad Hebræos Serm. 4. Homil. 69. & 70. ad Antiochenos. Ad primam claſſem Chriſtianos refert, qui in vera fide moriuntur: Ad ſecundam eos pertinere dicit, qui vel ſine Sacramentis hinc diſcedunt in infidelitate, vel qui baptizati quidem ſunt, ſed in peccatis moriuntur. Pro utriſque autem docet orandum & eleemoſynas erogandas, ad altare autem in Cœnæ Dominicæ celebratione pro fidelibus tantùm. Ac primus omnium docet, ſed ſine ullo teſtimonio, aut firmo aliquo argumento, ab Apoſtolis hoc inſtitutum eſſe homil. 69. ad populum Antiochenum: indeque probat, non eſſe inutile, ſi Eccleſia pro defunctis oret & oblationes faciat, ſed multum lucrum, magnamque inde utilitatem illis contingere. Non tamen docet, eos qui vera fide ex hac vita migrant, vel in Purgatorio, vel in aliis cruciatibus verſari: ſed in Serm. 3. ad Philip. ſcribit, fideles quum hinc diſcedant, & illuc migrent, beatos eſſe, quia cum Chriſto ſint. *Et in Serm. 4. ad Hebræos,* Dic mihi, *ait*, quid ſibi volunt in funere Hymni? Nonne quia Deum glorificamus & gratias agimus, quòd jam coronavit eum qui hinc diſceſſit, eò quòd à laboribus ſeu doloribus eum manumiſſum liberavit? *Idem docet etiam Serm. 2. ad Hebræos. Homilia 70. ad Antiochenos. Inprimis autem hoc faciunt quæ homil. 32. in Matthæum ſcribit,* Ad requiem, *inquit*, proficiſcitur, qui hinc migrat, turbationum enim omnium tranquillus quidam portus in morte eſt. *Et homil. 61. in Ioannem.* Si juſtus, *inquit*, moritur, lætandum eſt, quia liberatus à futura formidine, in tuto collocatur. Ille moriens cum Angelis evolabit, etiamſi nemo exequiis interveniat. *Licèt igitur Chryſoſtomus, pro recepto illius temporis more & conſuetudine, velit, etiam pro iis, qui in vera fide moriuntur, orandum, eleemoſynas & oblationes faciendas, nõ tamen propterea vult his exequiis animas eorum ex Purgatorio, vel aliis cruciatibus redimendas, quum jam æternã felicitatem aſſequutæ ſint, quo eas eũ Angelis avolare dicit ex hoc corporis ergaſtulo, etiãſi nemo his ſimilibuſq; exequiis interveniat.*

Quantum verò ad illos, qui ſine fide & in peccatis moriuntur, ſic docet Chryſoſtomus: peccatores ſi moriantur, lætandum quidem hoc nomine, quod malitia ipſorum interrupta eſt, ne poſſint vitia cumulare: ſed ipſi digni ſunt lachrymis, luctu & ejulationibus. Quæ enim ſpes eſt iis qui cum peccatis hinc diſcedunt? Ibi enim peccata non poſſunt exui aut deponi. Quamdiu in hoc mundo ſunt, ſpes eſt poſſe eos mutari: ſi verò hinc migrarint in infernum, ibi ex pœnitentia nihil ipſis emolumenti poteſt accedere. In inferno enim quis confitebitur tibi? ſunt igitur extra regnum Dei cum damnatis, &c. *Hæc conſentanea ſunt Verbo Dei: ſimul tamen docet Pater hic, etiã hos orationibus aliis q; exequijs poſt mortem aliquantulum iuvari.* Excogitemus, *inquit*, aliquod ipſis auxilium, modicum quidem & exiguum, per preces & eleemoſynas. Facit enim hæc res ipſis aliquam conſolationem, & aliquod refrigerium, ut indulgentia ipſis impetretur. *Hoc verò ut ſit intelligendum, ipſemet interpretatur, nimirum* ut pœna damnationis ipſis levior reddatur: *non igitur ut ex damnatione liberentur. Hæc omnia Chryſoſtomus Serm. 3. ad Philip. Hom. 69. ad Antiochenos. Serm. 41. ad Corinth. Hom. 61. in Ioa. Homi. 21. in Act. Imò homil. 21. in Acta eò uſque progreditur, ut dicat,* eos qui in peccatis mortui ſint, eleemoſynis ab æterna morte liberari poſſe. *Hæc verò eiuſmodi ſunt, ut ne à Pontificijs quidem approbentur. Gregorius M. lib. 4. Dial. cap. 44.* pro infidelibus & impijs ſi moriantur, non vult orandum eſſe. *Et inter Scholaſticos Bonaventura 4. Sent. Diſt. 46. aperiè negat,* damnatos in inferno poſſe juvari per ſuffragia viventium, nec quoad totalem liberationem, nec quoad pœnæ mitigationem, nec quoad temporis ſuſpenſionem, nec quoad fortificationem ad levius tolerandum.

Ex quibus intelligimus, quo Chriſtiana Religio iam tum Auguſtini & Chryſoſtomi ætate corruerit, & quantum ſeculum illud iam deſciverit à doctrina non ſolùm Apoſtolorũ ſed etiam Tertulliani & Cypriani, quantumque degenerarit à conſuetudine quæ horũ tempore in Africanis Eccleſijs maximè viguit. Nam etſi Tertullianus mentionem faciat Oblationum pro defunctis & natalitiis annua die faciendarum: Cyprianus autem Sacrificiorum pro dormitione eorum offerendorum, juxta eum, quem ſupra expoſuimus, ſenſum, de igne tamen Purgatorio, aut commodis & lenimentis, quæ ex illis ſacrificiis & oblationibus ad mortuos, non ſolùm beatos & iam in æterna requie viventes, ſed etiam ad damnatos & in inferno exiſtentes, redirent, quod Auguſtinus & Chryſoſtomus docẽt, ne ullum verbum quidem.

Aperta fenestra diſſimulãs

Eo ipſo autem, quòd hi duo Patres de Oratione, Sacri-

de oblationibus pro defunctis.

Sacrificijs & Oblationibus pro defunctis, in aliam sententiam, quàm secula priora fecerant, disputare cœperunt, seminaria & occasionem posteris submini straverunt, ad camerinam exequiarum pro defunctis stabiliendam & Ecclesijs obtrudendam, tum ex fundamento humanæ traditionis & consuetudinis orandi, sacrificandi & offerendi pro mortuis, sine tamen præcepto & exemplo Canonicæ Scripturæ, tum etiam aliis de causis, quas jam enumerabimus.

Pelagius 2.

Nam annis post Augustinum & Chrysostomum ferè 150. Pontificatum Romanum adeptus est Pelagius 2. præter consuetudinem absque Imperatoris jussu & permissu: Is decrevisse narratur à Gigante & aliis, ut solennis inseratur in sacris mortuorum memoria & commemoratio: hunc tamen ritum Pelagio longè vetustiorem fuisse, ex iis, quæ à nobis priùs sunt commemorata, facilè apparet. Pelagio autem adscriptum fuisse crediderim, quod hoc in Romana quoque Ecclesia observandum & tenendum esse, suo decreto sancivit, & fortasse etiam de suo aliquid, crescente superstitione, addidit.

Gregorius M.

In Pontificatu Rom. sequutus est Pelagium proximè Gregorius cognomento Magnus. Ejus ætate, ne cœptus historiæ cursus abrumpatur, omne superstitionis & idololatriæ genus, quasi mare quoddam, totum penè Christianum orbem inundavit, obruit ac penitus submersit, nemine jam, non modò non reluctante, sed omnibus viribus potiùs quas quisque potuit addentibus & suppeditantibus; imprimis Romanis Pontificibus. Et quantum quidem ad præsentem disputationem attinet, quas reprimere debuit Gregorius M. eas jam usu receptas & confirmatas superstitiones, magis magisque auxit & confirmavit, præsertim verò fabulosum ac pœticum figmentum de Purgatorio, & de superstitiosis ac plus quàm Ethnicis mortuorum inferiis & parentationibus. De Purgatorio contra Verbi Dei & veteris Ecclesiæ doctrinam sic scribit lib. 4. Dialogorum c. 39. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est. *Et libro 2. in cap. 2. primi Regum,* Qui perfectionem, *inquit*, bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. *Item in Psalmos pœnitentiales:* Post mortem carnis; alii æternis deputantur suppliciis, alii ad vitam per ignem transeunt purgationis. *Rursus ibidem:* Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Et illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem.

Sacrificia pro mortuis.

Sacrificia autem & Oblationes pro mortuis has ob causas potissimùm approbavit & instituit. Prima, *quòd intelligeret solennes fuisse institutas mortuorum Memorias in veterum Christianorum sacris, eumque ritum ad sua usque tempora tanquam per manus traditiũ pervenisse. Non autem intelligens, aut non expendens satis accuratè, quæ Veteres hoc ut facerent commovissent, aut certè dissimulans, mox inde collegit, frustra hac fuisse à Majoribus sic institutа, si nihil mortuis conferrent, eorumque adiuvarent & promoverent salutem: quum tamen, longè aliàs, & quidem graviores, quas antè commemoravimus, causas hujus instituti sui habuerunt.* Secunda *causa superstitionis & idololatriæ hujus, fuerunt apparentia spectra; seu illusiones diabolicæ, & ficta miracula. Nam in libris Dialogorum narrat*, frequenter exemplo ostensum, seu visione revelatum esse, animabus defunctorum multùm prodesse pro eis sacrificia. *Lib. 2. Dialog. cap. 23. refert*, duas quasdam sanctimoniales petulanti laborasse lingua. Benedictum verò minantem dixisse: Nisi correxeritis linguas, excommunico vos. Mortuæ verò sunt mulieres, & in templum sepultæ. Cùm autem tempore Missæ Diaconus clamaret de more, Si quis non communicat, det locum: vidit earum nutrix etiam istas sepultas mulieres surgere, atque de templo exire. Postea verò oblatione pro defunctis facta, remanserunt in sepulchris. *Simile est quod eodem libro cap. 24. narrat*, puerum quendam monachum, impensiùs amantem suos parentes, & visitantem eos, obiisse, sed denuò è sepulchro eum ejectum. Id quum ad Benedictum esset relatum, jussit communionem Dominici corporis in pectus defuncti reponi: id ubi factum & sepultus esset, mansit corpus in sepulchro. *Oportebant autem res tanti momenti Scripturæ sacræ authoritate doceri & muniri, non revelationibus spirituum, illusionibus diabolicis, & miraculis ad decipiendum editis: præsertim cùm Satanas, Apostolo teste, non raro transfiguretur in Angelum lucis: idemque ille Apostolus clamaverit*, Quòd si aut nos ipsi, aut Angelus è cœlo prædicaverit vobis Evangelium præter id quod prædicavimus vobis, anathema sit.

Hæc ejus approbavit Gregorius.

Sed tamen condonanda hæc aliquo modo esse Gregorio videntur. Fatetur enim se pleraque ex auditu habere, vel ex narratiombus comperta Virorum venerabilium. Ac hi fortasse ex aliis acceperunt, qui fide digni visi sunt: Sed verisimum illud est: Πολλάκις τὸν γνώμονα ἐξαπατᾷς ἰδίᾳ. *Ac Romanos ad δεισιδαιμονίαν naturâ proclives fuisse omnes Historici testantur. Fuit autem, & Gregorius Romanus, & quidem quod ad rem maximè pertinet, fuit Monachus, & ut verisimile est etiam illi viri boni, & fideles*

deles fuerunt Monachi, & fortasse etiam Romani, quibus attestantibus cognovit ea, quæ scripsit. Quod autem Lucam, & Marcum Evangelium ab ipsis scriptum, non visu, sed auditu didicisse, ait, atque etiam ita suis narrationibus fidem adstruere conatur, id nullus Orthodoxorum illi concesserit. Lucas enim & Marcus, quæ scripserunt, habuerunt ex Apostolis: Gregorius autem quæ narravit ex iis Monachis habuit, qui fortasse in Monasteriis vixerunt, ab ipso Gregorio exstinctis. Atque hos, ingenio ejus perspecto, probabile est, certasse inter se visionum, & somniorum expositionibus.

Adiuvabat ac promovebat hunc Gregorii conatum plurimum status illorum temporum calamitosissimus & perturbatissimus. De quo, si placet, audiamus ipsum Gregorium. Quid, inquit, est jam, rogo, quod libeat in hoc mundo? Undique luctus aspicimus, undique gemitus audimus: destructæ urbes, eversa castra, depopulati sunt agri, in solitudinē terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in urbib. habitator remansit: & ipsæ parvæ humani generis reliquiæ adhuc quotidie, sine cessatione feriuntur & finem non habent flagella cœlestis justitiæ, quia nec inter flagella directæ sunt actiones culpę. Alios in captivitatem duci: alios obtruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat Fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicitis: immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum. Ubi jam Senatus? ubi populus? Omnis secularium dignitatum ordo extinctus est in ea, & vacua ardet Roma. Hæc perpessa est à Longobardis Ecclesia, Italia atq; Roma. *Idem Gregorius Dialogorum libro 2. de Roma*: Vaticinium vetus est: Roma à Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, corusc ationibus & turbinibus, à terræ motu fatigata marcescet in semetipsa. Et profectò (addit Gregorius) in hac urbe, dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus: ejusque ędificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternuntur, videmus. *Idem Gregorius etiam nocturno Martyrum responso, asseruit*, finem mundo, universæque carni instare. *Invulgavit scriptis, & prædicavit* regnare Antichristum. *Præsat verbis talis Viri uti*: Mox terribilia in cœlo signa, hastæ, acies, ignes ab Aquilonis parte videbantur. Mox Longobardi gens effera in nostras cervices grassata est. Humanum genus, quod in hac terra præ multitudine nimia, quasi spissę segetes, exie-

rat, succisum: arva: urbes depopulatæ, eversa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt Monasteria virorum, atque fœminarum: desolata ab hominibus prædia, atque omni cultura destituta: in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat: occupaverunt bestiæ loca, quæ priùs multitudo hominum tenebat. Et quid in aliis mundi partibus agatur, ignoro: in hac terra, in qua nos quidem vivimus, finem suum mundus non jam nunciat, sed ostendit.

Sacrificia pro defunctis confirmata à Gregorio M.

In has occasiones intentus hostis humani generis, quod diu multumque attentavit, tandem perfecit, perrupitque. Nam horribilem & pernicio sum hunc errorem, ceu nubem quandam atram totum cœlum occupantem, in Ecclesiam Christi induxit per Gregorium Romanum Pontificem: quum in hoc miserrimo & rerum omnium perturbatissimo statu, magnam jacturam feciſſet vera Religio, pietas & eruditio in Occidentalibus Ecclesiis, incendio periissent instructissimæ Bibliothecæ, dissipatæ, imò eversæ essent Scholæ, nullique docti & pii viri, amplius supersessent, qui ingruentibus superstitionibus & corruptelis sanæ doctrinæ obviam ire & resistere possent.

Sacrificia pro defunctis Primevi Monachatus.

Utcunque tamen de mortuis & animarum illorum redemptione, exequiis & Parentationibus, pro illis in terra factis, senserit atque docuerit Gregorius, nihilominus tutissimum esse ratus est, pro se unumquemque in hac vita pię, rectèque se gerere, & quotidianas carnis & sanguinis Christi hostias immolare, additis etiam lachrymarum sacrificiis, quàm exspectare, ut defuncto sibi aliorum benefacta subveniant. Nam libro 4. Dialog. inquit: Beatius est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.

Eundem errorem multùm quoque promovit vita monastica. Nam crescente in Occidente numero Benedictinorum Monachorum post Gregorii tempora, crevit etiam Missarum numerus: excogitata sunt ab iisdem quatuor imprimis suffragiorum & officiorum genera, quibus à viventibus mortuorum in Purgatorio supplicia mitigari, salutem adiuvari ac promoveri posse crediderunt: nempe, elemosynæ, jejunia, preces, & præ cæteris omnibus Missæ, quarum usum præcipuè ad expianda peccata vivorum & mortuorum adhibere cœperunt. Accesserunt donationes & legationes Regum ac Principum: volebat quisque suæ saluti consulere: cupiebant nobiles illustrem sui, suorumque in sacris extare memoriam. Ad miraculum autem Missarum existimatio crevit, quum à Pontificibus Rom. & Conciliis post annos Christi 1000. decretum esset, panem esse corpus, & vinum sanguinem Christi realem. Nam mox fuerunt qui docerent, Christi corpus post semel oblatum esse in cruce pro originali peccato, nunc verò offerri jugiter in altari pro delictis

lictis & peccatis omnibus tam vivorum, quàm mortuorum. Tandem etiam Missæ palàm sunt divenditæ, & quæstus gratia ad res quaslibet adhibitæ: Hinc illa formæ in Missalibus libris recitandæ contra pestes, morbos, bella, famem, infamiam, inopiam, pro conservandis opibus, pro periclitantibus in corpore & fortuna, breviter contra omnis generis pericula.

In Canone nihil extat de Sacrificio pro defunctis

Quòd si expendamus verba Canonis, mox liquidò apparebit, ne unam quidem syllabam in eo extare, quæ tormentis & cruciatibus eorum accommodari possit, quos ex igne Purgatorio se evocare, sacrificuli iactitant. Nam eos solummodo Deo commendant, qui se cum signo fidei præcesserunt, dormiuntque in somno pacis, quique in Christo quiescunt. At dormire in somno pacis & quiescere in Christo, non est alicubi cruciari. Aut si, qui in Purgatorio versantur, dormiunt in somno pacis, & quiescunt in Christo, mentiuntur sacrificuli, qui ignes & flammas Purgatorii non multò remissiores esse affirmant igne illo tartareo, quo impii homines in æternum torquendi sunt: hunc enim solùm ab illis differre dicunt, quòd sit perpetuus, illo verò temporarii & finem habentes.

Hic verò rivam invenerunt sophistæ, quò sperant se elabi posse. Dicunt enim, hos quidem, qui in charitate mortui sint, in Christo quiescere, sed in spe, non autem reipsa: quòd ex hac vita migrarint non perfecta pœnitentia, penitùs defæcati terrenis & carnalibus sordibus quas priùs oporteat prorsus excoqui & expurgari lustrali illo igne, quàm ad locum beatorum recipiantur. Sic enim Bellarminus libro secundo de Missa, capite vigesimo quinto. Pacem, *inquit*, illi quandam habent & quietem, quia certi ac securi sunt de præmio æternæ felicitatis: & quia liberi sunt à bello tentationum & concupiscentiæ, & ab omni opere malo: sed nondum pacem ac quietem habent à tormentis & desiderio visionis divinæ. *Ergo juxta Bellarminum, in spe tantùm, non reipsa, qui moriuntur in Domino, beati sunt. Quomodo verò hic cævillus convenit cum his Christi verbis Ioan.5.* Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium & condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam?

Argumenta pro sacrificio Missæ pro iis qui in Purgatorio sunt

Ex his jam facilè potest responderi ad Bellarmini argumenta, quibus libro septimo de Missa capite septimo probare conatur, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri.

PRIMVM *argumentum sumit ex secundo libro Machabæorum capite duodecimo, ubi Iudas Machabæus iussit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum.* Et Scriptura, *inquit*, hoc factum laudans, apertè dicit, Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut à peccatis salventur. *Respondetur, hunc librum, ex quo errorem hunc defendere conatur, & in quo ista leguntur, non esse Canonicum, & proinde in hac controversia, sicut etiam in aliis, nihil ex eo probari posse.*

Liber Machabæorum non est Canonicus.

Ad hanc verò antiquam nostrorum cautelam dicit Iesuita, se duobus locis respondisse, videlicet libro primo de Verbo Dei, & libro primo de Purgatorio. In his locis probat primò, *hos libros vere esse Canonicos, authoritate Concilii Carthaginensis 3. quod Canon. 47. hos libros inter Canonicos numerat. Respondeo, hæc ratio solvi potest primò, authoritate contrarii Concilii, nimirum Laodiceni, quod ca. 59. decrevit, non esse hos libros inter Canonicos habendos. Hoc verò Concilium non tantùm 30. annis est Carthaginense antiquius, sed est etiam approbatum à Concilio universali Constantinopolitano sexto, ut est videre dist. decima sexta capi. Quoniam. Concilium autem Constantinopolitanum universale approbatum est ab Adriano Papa, Dist. eadem, cap. Sextum. Concilium igitur Laodicenum ejusdem authoritatis est cum sexto universali.*

Deinde, solvitur hæc ratio Bellarmini, authoritate aliorum decretorum hujus Concilij, quæ tamen ab ipsis Pontificiis non approbantur. Nam cap. 26. statuit. Nullum Episcopum vocandum esse Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem. *Ridiculum autem est, nos urgeri à Pontificiis authoritate Concilii hujus, quo tamen ipsimet teneri vel ligari nolunt.*

Secundò, *probat Machabæorum libros esse Canonicos, authoritate Innocentii 1. Gelasii 1. & B. Augustini, qui etiam eos in Canonem referunt. Nos his tribus Episcopis opponimus Melitonem Episcopum Sardicensem, qui apud Eusebium in Hist. Eccles. lib. 4. cap. 26. hos libros inter Canonicos non numerat. Deinde Cyprianum, qui in Symboli Apost. expositione, (licèt ab aliquib. liber iste Ruffino tribuatur) enumerans catalogum Veteris & Novi Testamenti librorum, qui secundùm traditionem Majorum (verba sunt authoris) per ipsum Spiritum sanctum inspirati creduntur, & Ecclesiis Christi traditi, horum librorum non meminit. Ad finem autem catalogi hæc verba subiicit:* Hæc sunt, *inquit*, quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ affectiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd & alii libri sunt, qui nō Canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Solomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach: ejusdem ordinis est libellus Thobiæ, & Iudith & Machabæorum libri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt: non tamè proferri ad authoritatem

ex his fidei confirmandam. *Hactenus ille. Tertiò, Hieronymum, qui in Prologo in Proverb.* Sicut, *ait*, Thobiam, & Iudith & Machabæorum libros, legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ita & hæc duo volumina, Sapientiam & Ecclesiasticum, legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. *Quartò, Hilarium in præfat. in Psalmos. Quintò, Athanasium in Synopsi. Sextò, Epiphanium Hæres. 8. & 76. & duobus locis de Mensuris & ponderibus. Septimò, Nazianzenum. Octavò, Damascenum: Qui omnes hos libros extra Canonem posuerunt. Nonò, ex recentioribus Lyranus, Hieronymum secutus, scripsit in Præfat. in Tobiam*, libros Machabæorum & nonnullos alios, non esse de Canone Scripturarum: receptos tamen esse ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur: sed ad dogmatum confirmationem, quæ in contentionem veniunt, minùs idoneos reputari. *Plerique autem hi Patres sunt antiquiores & viciniores Apostolorum temporibus, quàm Innocentius, Augustinus & Gelasius: & propterea de sententia primæ & Apostolicæ Ecclesiæ potuerunt esse certiores. Nam, ut Augustinus contra Faustum libro undecimo capite quinto ait*, Excellentia Canonicæ authoritatis Veteris & Novi Testamenti, Apostolorum temporibus fuit confirmata, & per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede sublimiter collocata, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.

Præterea non simpliciter verum est, quod Innocentius & Gelasius scripserunt: jam tum enim mysterium illud iniquitatis in Romanis Pontificibus operari cæpit.

Augustino quid nomen, Canonicum.

De Augustino difficilior est responsio, quia major est ejus in Ecclesia authoritas. Fieri autem potest, ut Augustinus nomen Canonicum *latius usurparit, quàm in hac disputatione fiat: nimirum, non solùm pro Christianæ fidei Canone, & norma, sed etiam pro regula morum in Ecclesia, cujus æquivocationis etiam Cajetanus meminit in fine Comment. ad Hist. Veteris & Novi Testamenti. Si igitur Augustinus hanc vocem de norma morum intelligit, nos ejus testimonium admittimus. Sin minùs, tum Augustinum opponimus ipsimet Augustino. Nam de Mirabilibus Scripturæ in fine libri secundi prorsus extra Canonem ponit libros Machabæorum. Quis verò uni Augustino, & quidem sibiipsi contrario potiùs credendum arbitretur, quàm iis omnibus Doctoribus, quorum paulo antè mentionem fecimus, qui omnes ante Augustinum extra Canonem hos libros referunt, præter unum Clementem supposititium. Idem Augustinus libro secundo contra Gaudentium, capite vigesimo tertio cùm Donatistæ furores suos defenderent Raziæ exemplo, ex libro secundo Machabæorum, dicit*, eam Scripturam apud Hebræos non haberi in authoritate cum Lege, & Prophetis, & Psalmis, quibus Dominus ipse testimonium perhiberit, tanquam suis testibus: receptam tamen ab Ecclesia, sed sobriè legendam & audiendam. *Hæc verba postrema Iesuita noster impudenter & malignè interpretatur, libro primo de Purgatorio, capite tertio.* Augustinus, *inquit*, debere sobriè legi hos libros dicit, propter exempla eorum qui se occiderunt, quæ in libro secundo narrantur, & imitanda non sunt: quomodo etiam Genesis sobriè legenda est, ne putemus imitandum factum Iudæ, qui incestum perpetravit. *Nam sobriè legendus est liber secundus, non tantùm propter hanc causam, sed imprimis quòd errores multos, eosque graves in doctrina, & in Historia continet.*

Augustinus libros Machabæorum inter Canonicos numerarit.

Quòd autem Augustinus Machabæorum libros, & alios, quos Ecclesiasticos vocant, inter Canonicos retulit, fecit id magis aliorum exemplo, maximè Occidentalis Ecclesiæ, quàm quòd apud seipsum certus esset, de omnibus libris quos enumerat, an revera essent Canonici. Quod tam clarum est, ut idem ipse quoque Bellarminus fateatur libro primo de Verbo Dei, capite decimo.

Tertiò, *probat Iesuita Machabæorum libros esse Canonicos hoc argumento*, Quia legantur in Missa. *Sed quàm hæc ratio falsa sit omnes intelligunt, Quidquid legitur in Missa id est Canonicum.*

Quartò, *dicit*, Patres testimonia passim ex his libris allegare, *& nominatim Augustinum ex libro 2. probare suffragia vivorum prodesse defunctis: vult igitur hinc colligere eos esse Canonicos. Respondeo, Non valet consequentia à citatione libri alicujus ad ejus totius approbationem. Hinc etiam Origenes Homil. 1. in Ecclesiasten scribit*, Palàm esse multa ab Apostolis vel Evangelistis exempla prolata, & Novo Testamento inserta, ex apocryphis, nec tamen idcirco locum dandum Apocryphis: quippe Apostolos Spiritu Dei repletos scivisse, quid ex eis assumendum, quid reprobandum esset. *Et Hieronymus in Præfat. in Iosuam scribit*, Librum Tobiæ (*quod etiam de similibus libris intelligi debet*) ab Ecclesiasticis Viris usurpari, etsi non habeatur in Canone. *Idem in Epistolam ad Titum*, Qui putant, *inquit*, totum librum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Enoch, de quo Apostolus Iudas in Epistola sua testimonium posuit, inter Scripturas recipere.

Quintò, quòd Patres hos libros allegent tanquam

tanquam Scripturam divinam. *Respondeo, Patres quidem non tantùm Canonicos, sed etiam Ecclesiasticos libros ad hunc modum allegare. Sic Athanasius Orat. 1. contra Arrianos citat locum ex 15. cap. Ecclesiastici, tanquam à Spiritu sancto profectum. Hilarius in Psalm. 135. adducit dictum Sapientiæ 1. tanquam dictum Prophetæ: & in Psalm. 125. tanquam ex Lege citat locum ex libro Iudith. A Damasceno in Orat. de defunctis, citantur libri Machabæorum tanquam divina Scriptura: Non tamen hi Patres libros istos pro Canonicis agnoverunt.*

Sequitur ergo ex his omnibus, locum illum ex libro secundo Machabæorum, tanquam apocrypho, à Iesuita citatum, non posse probare, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio existentibus rectè offerri.

Explicatur locus in lib. Machab. de Sacrificio Iudæ pro mortuis.

Quod autem ipsum locum attinet, Respondeo, frustrà Iudam sacrificasse pro ijs mortuis, sub quorum vestibus, contra expressam legem quæ Deuter. 7. cap. habetur, inventa sunt anathemata: & quidem ex ipsomet Bellarmino hoc probabo. Scribit ille libro 2. cap. 17. Sacrificia legalia non valuisse ad expiationem peccati. *Nam qui offerri iubebat, vel iustus erat vel iniustus. Si iustus, non egebat remissione peccatorum: Si iniustus, nihil valebat eius Sacrificium. Quæro iam ex Iesuita, viri illi, pro quibus sacrificavit Iudas, iustine an iniusti fuerint? Si iniusti, ut certè fuerunt, quia sacrilegio anathematis contra manifestam Dei legem peccarunt, tunc nihil valuit pro eis Sacrificium Iudæ, Iesuita teste. Sed vult eos fuisse iustos: nam libro 1. de Verbo Dei cap. 15. dicit, Iudam piè existimasse, eos in articulo mortis dolorem de peccato suo, coram Deo concepisse, & misericordiam apud Deum invenisse: id enim significant illa verba*, Quia considerabat, quòd hi: qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. *Si igitur iusti fuerunt, ut qui cum pietate dormitionem acceperunt, tunc non egebant remissione peccatorum, sed habebant optimam gratiam ante oblationem Iudæ. Si quis obijciat, potuisse valere Sacrificium illud ex merito Iudæ, vel Sacerdotum offerentium, respondet Bellarmin. Non posse merita unius conferre alteri primam gratiam certò & infallibiliter.*

Deinde respondeo ad locum libri Machabæ. Vnicum Iudæ factum universalem legem non statuere. Non potest autem, Augustino teste, ex tota sacra Scriptura demonstrari, aliquem ante Iudam simile quid fecisse.

SECVNDVM Argumentum, *quo probare vult Iesuita, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, sumit à consuetudine universalis Ecclesiæ catholicæ.*

Consuetudines Ecclesiæ universalis sunt Canonicæ.

Sacrificare pro defunctis in Purgatorio est consuetudo Ecclesiæ.

Ergo est Canonicum & retinendum.

De consuetudinibus Ecclesiarum.

Respondeo ad Maiorem primò, *per distinctionem, Consuetudines Ecclesiæ, si non adversentur manifestò & expresso Dei Verbo, sunt Canonicæ ideoque retinendæ: iuxta illud Augustin. l. 4. de Baptismo, cap. quinto.* Si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet teneri firmius: *Sin verò pugnent cum Verbo Dei, omnino sunt deserendæ. Reprehenduntur enim Samaritani 2. Reg. 17. quòd Dominum quidem timuerint, & tamen Dijs suis servierint, secundum morem & consuetudinem gentis suæ, & iuxta ritus antiquos. Tertullianus in libro de Velandis virginibus,* Veritati, *inquit,* nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum. Ex his enim consuetudo, ab aliqua fere ignorantia, vel simplicitate nata, in usum per successionem corroboratur adversùs veritatem. *Et mox:* Dominus noster Christus, veritatem se, non consuetudinem, nominavit. Si semper Christus, & prior omnibus, æquè veritas sempiterna & antiqua res est. Viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus est, Quodcumque adversùs veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. *Notum etiam est, quid hac de re Cyprianus ad Cæcilium scripserit libro secundo epist. 3. Et ad Pompeium contra epistolam Stephani Papæ,* Consuetudo, *inquit,* sine veritate, vetustas erroris est, propter quòd relicto errore veritatem sequamur. *Et ad Iubaianum,* Frustrà quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem opponunt nobis, quasi consuetudo maior sit veritate. *Item:* Non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est. *Basilius epistola* 80. Non est iustum consuetudinem legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Scriptura divinitùs inspirata, Iudex à nobis constituatur. *Et Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 6.* Quis dubitet, *inquit,* veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? *Gregorius M.* Si consuetudinem fortasse opponis, aduertendum est, quòd Dominus dixit: Ego sum via, veritas & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed, veritas. *Vide in hanc sententiam plura apud Gratianum dist. 8. & 11.*

Sacrificare autem pro mortuis in Purgatorio degentibus, ut vel inde citius liberentur, vel ibi mitius tractentur, consuetudo est pugnans cum Verbo Dei, quod ignorat Purgatorium, & docet, homines morientes, vel in cælum & vitam

vitam æternam recipi, vel in æternam damnationem abijci. Et Augustinus, ut antè de eo monuimus, docet, homines, qui in terris nec supremè boni, nec supremè mali fuerint, sed inter hos utrosque medium tenuerint, suorum viuentium officijs releuari & adiuuari, ut plena eorum fiat remissio: ingenuè fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum illum locum ex Machabæorum libro, *qui tamen non est in Canone.*

Secundò, *respondeo ad Minorem simpliciter, eam falsam esse, Si per Ecclesiam uniuersalem catholicam, veram primitiuam Ecclesiam, quæ ante sexcentesimum à nato Christo annum in terris fuit, intelligas. Nondum enim illis temporibus sacrificijs defunctos ex Purgatorio liberare conabantur, sed id circa, & post Gregorij M. demum tempora primò fieri cæpit, quum Purgatorium modò esset approbatum. Antea verò longè alium in finem quædam officia à viuentibus suis impendebantur mortuis, sicut suprà multis demonstratum est. Et ut rectè nos intelligat Lector, non negamus, in veteri Ecclesia sacrificia pro defunctis facta esse, & qualia illa fuerint sacrificia satis est explicatum à nobis superiùs: Illud verò pernegamus, Sacrificium aliquod Missæ, hodierno ritu, pro redemptione animarum in Purgatorio existentium, factum esse, sed ijs demum temporibus illud fieri in Ecclesia cæpit, quando horribilis verè doctrina inclinatio facta esset: & propterea illa consuetudo non est imitanda.*

Confutatio Argumenti ex Chrysostomo.

Tertium *Argumentum petit ab authoritate præcipuè Chrysostomi, qui homil. 69. ad populum Antiochenum hunc ritum ad Apostolicam traditionem refert. Respondeo, Quisquis dicit, pro mortuis orandum, quod Veterum aliqui fecerunt, vel sacrificio Missæ animas defunctorum ex Purgatorio liberandas, quod Pontificij hodie faciunt, ostendat & probet hoc, non ex quibuscunque literis, sed ex ecclesiasticis, canonicis & catholicis, quas recipit & tenet Ecclesia toto orbe diffusa: alia quippe literæ ad has res apud nos nullum authoritatis pondus habent. Ideoque, quod de exequijs defunctorum Chrysostomus ex Apostolica traditione narrat, quia canonicum non est, nos non constringit. Totidem fere verbis respondet etiam Augustinus lib. 23. cap. 9. Fausto Manichæo, sed in alia causa.*

Confutatio Argumenti ex consuetudine sæpè pro Apostolica traditione recepta.

Secundò *respondeo, multa ab antiquis temporibus sola consuetudine, vel etiam eorum qui Ecclesijs præerant, arbitrio obseruari cæpta, aut etiam ab hæreticis conficta, mox ad Apostolos authores relata fuisse, quo maior eorum esset authoritas teste Socrate lib. 5. cap. 21. Sic apud Eusebium lib. 5. cap. 21. Irenæus de Ieiunio ante Pascha dicit, fuisse quondam simplicem & vulgarem consuetudinem tantùm: progressu verò temporis Apostolicæ traditionis nomine obtrusa fuit Ecclesiæ, ut videre licet apud Leonem Serm. 6. de Quadragesima.* Apostolica, *inquit*, institutio 40. dierum ieiunijs impleatur. *Et scribit idem Leo Serm. 2. de Ieiunio Pentecostes,* sua ætate vulgò creditum, quidquid ab Ecclesia in consuetudinem receptum esset devotionis, à traditione Apostolica & Spiritus sancti doctrina id prodijsse. *Sic in controuersia illa primitiuæ Ecclesiæ de obseruatione Paschæ, utraque pars Apostolicam prætendebat traditionem, ut est videre apud Eusebium lib. 5. cap. 22. Socrates autem rectè iudicat, propriæ magis consuetudine, quàm ulla lege Apostolica, diuersitatem illam obseruationis inualuisse.* Neque enim Apostolis, *inquit*, propositum fuit de diebus festis leges condere: neque Euangelium iugum seruitutis his, qui ad Dominum conuertuntur, imponit: sed Paschatis, aliorumque festorum rationem, Seruator & Apostoli liberam fidelibus reliquerunt. *Alexander 1. Papa aquam benedictam instituit, ut ingenuè Durandus quoque fatetur lib. 4. cap. 4. Bellarmino autem Apostolica est traditio. Similiter D. Chrysostomus sub Apostolicæ traditionis nomine venditat, quod paulò ante eius ætatem obseruari cæpit ab Ecclesia, sicut suprà ostendimus.*

Explicatur locus Augustini.

Tertiò, *Chrysostomus non dicit, ut ei affingit Bellarminus, Apostolicam traditionem esse, Sacrificium Missæ offerre pro defunctis in Purgatorio existentibus: sed, in Cœna Dominica defunctorum agere commemorationem. Verba eius hæc sunt:* Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. *Toto autem cœlo differunt, Mortuorum agere in Eucharistia commemorationem: & Missam pro defunctis in Purgatorio degentibus celebrare. Proinde Bellarminus peruertit statum controuersiæ.*

Instat Iesuita, proferendo regulam S. Augustini lib. 4. de Baptismo, cap. 24. quæ est, ut id certissimè credatur ex Apostolica traditione descendere, quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper seruatum & retentum est. *Talem autem esse hunc ritum negari non potest. Nam in omni Ecclesia seruatus est. In nullo autem Concilio institutum, sed semper seruatum fuisse, patet ex testimonijs antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præcesserunt, ubi fit mentio de sacrificijs pro defunctis, &c. Respondeo* Primò, *regula huius praxin tam certam esse, quàm quod incertissimum. Quis enim nos certiores reddet, quid uniuersa Ecclesia semper & ubique seruauerit?* Secundò, *etsi hæc fuit sententia Augustini, alia tamen fuit Cypriani cum Concilio 70. Episcoporum, qui morem & consuetudinem quasi orbis uniuersi*

ad

ad sacræ Scripturæ regulam examinarunt. Tertiò, *in hac Instantia rursus statum causæ mutat Iesuita. Nam probandum illi erat, Apostolicam esse traditionem, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, nimirum ut hoc officio inde liberentur. Sic enim habet inscriptio hujus cap. 7. Ille verò tantùm probat, Orare pro defunctis esse Apostolicam traditionem.* Deniq; *Minorem nego in hac instantia Iesuitæ, Ritum nimirum offerendi pro mortuis semper & ubique in omnibus Ecclesijs observatum & retentum fuisse. Nam primo, Hieronymus, Gregorius M. Innocentius 3. Antoninus, Durandus, Platina & alij plures referunt, Apostolos ipsam solummodo Orationem Dominicam post consecrationem recitasse. Ergo ritus offerendi pro mortuis Apostolorum tempore non fuit observatus: nam in Dominica Oratione defunctorum & sacrificij pro illis nulla fit mentio. Respondet Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 7.* Apostoli primo tempore solam Orationem Dominicam poterant adhibere post consecrationem : deinde alio tempore addere alias preces : tum etiam, quia sine ulla certa prece poterant offerre sacrificium pro defunctis. Ad hoc enim sola interior mentis intentio abunde sufficit. *Respondeo* Primò *in genere, A posse ad inesse non valere consequentiam. Non enim sequitur, poterant hoc vel illud facere Apostoli, ergo fecerunt.* Deinde, *si maximè fecissent, ut coniectat Iesuita, certè aliqua saltem indicia eius in scriptis eorum extarent: nulla autem prorsus extant.* Tertiò, *si tempore Apostolorum interior mentis intentio non modò sufficiebat, sed abundè etiam sufficiebat, quare hodie non etiam sufficit? Aut unde scit Iesuita hanc fuisse in sacris Apostolorum intentionem? Nam interior mentis intentio soli Deo, non hominibus est cognita. Aut igitur fateatur Iesuita se nugari, aut intentionis huius mentis indicia aliqua in Apostolorum scriptis monstret. Contrarium autem ex illis demonstrari potest: nam viuentibus & morientibus in vera fide promiserunt, & alijs donarunt, tanquam cooperatores Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam. Et quoties de statu mortuorum scribunt, nullam orationis, cruciatus & purgationis, liberationisque mentionem faciunt: vide* 1. *Cor.* 15. *cap. & 1. Thess.* 4.

Secundò *negatur Minor, quòd Irenæus lib.* 1. *cap.* 18. *eos, qui mortuos redimunt, ut sint incomprehensibiles & inuisibiles principatibus & potestatibus, inter hæreticos numerat. Ergo consuetudo offerendi pro mortuis & eorum animas redimendi, nec semper, nec ubique in omni Ecclesia seruata fuit.* Secundò, *Tertullianus non absolutè omnia pro mortuis sacrificia ex consuetudine fluxisse docet, Bellarmino quoque teste lib. 2. de Missa cap. 7. sed annua tantùm. Ergo Minor Bellarmini falsa est.* Tertiò, *licèt in Africanis potissimùm Ecclesijs innaluerit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferijs atque feralibus precibus adiungerentur, non tamen in Occidentalibus & alijs omnibus Ecclesijs in universum pari ritu obseruatum fuit. Colligere hoc possumus ex accurata illa Dionysij descriptione funebrium ceremoniarum, in qua nihil omnino voluisse videtur prætermittere : & tamen nullum prorsus verbum in ea facit de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificij. Extat etiam quarta Carthaginensis Synodi decretum, quo mandatur,* ut pœnitentes, qui diligenter seruarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quibus intelligitur, ne tum quidem ullum adhuc locum in Ecclesia fuisse de animarum per sacrificium Missæ redemptione commento. Nam solùm meminit de mortuorum memoria in solennibus precationibus & oblationibus inserenda.* Quartò, *totis fere sexcentis annis ignis Purgatorij fornacibus caruit Ecclesia. Nam ut ex Augustini libro de Fide & Oper. cap. 16. Ad Dulcitium q. 1. In Enchiridio cap. 68. & 69. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 26. intelligimus, nihil eius ætas de hac quæstione certi decernere ausa est : sed proposita tantùm fuit tanquam probabilis quædam opinio, de qua disputare quidem magis liceret, quàm certi aliquid definire, & de qua nefas non esset dubitare. Sublato autem Purgatorio, tollitur etiam sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio existentib. Falsum est igitur, sacrificia pro expiatione & redemptione animarum omni tempore, & in omni Ecclesia usitata fuisse.*

Aërius hæreticus damnatus.

Quartum *Argumentum petit Iesuita ex damnatione Aërij hæretici,* quem, *inquit,* damnauit Ecclesia, & nominatim hæresim eius refutauit Epiphanius : docebat enim non esse pro mortuis sacrificium offerendum. Pupugit, *inquit,* hoc argumentum Philippum, & ideo in Apologia Confessionis Augustanæ duobus mendacijs medicamentum vulneri adhibendum curauit, &c. *Respondit ad hoc argumentum solidissimè Kemnitius parte 3. Examinis fol.* 107. 108. *&* 109. *quod tamen non ita pupugit Bellarminum, ut vel unico verbo attingeret saltem, nedum refutaret. Rem paucis explicabo. Aërius ex vulgi tunc opinionibus & sermonibus, quòd nimirum preces eorum, qui in hac vita sunt, eos omnino iuuent, qui ex hac vita excesserunt, hanc falsam consequentiam texuit & Ecclesiæ tribuit : nempe, si quis in hac vita nec Deum nec homines colat & diligat, sed etiam grauissima scelera committat, & sine remissione, in impœnitentia hinc discedat, modò post mortem pre-*

precatores aliquos habeat, non daturum ipsum scelerum suorum pœnas. Hoc sensu, hac ratione & hac de causa calumniabatur Aërius Ecclesiam tunc temporis pro mortuis orare. Quod si Epiphanius Pontificiorum sententia fuisset imbutus, respondisset, Orationibus illis omnino iuuari eos: & quidem ita, Vt peccata quæ eis in hac vita remissa non essent, in altero seculo, propter viventium orationes & suffragia, tanquam expiationes & propitiationes, remitterentur, & sic à pœnis & cruciatibus ignis Purgatorij liberentur. Non autem hac via incedit Epiphanius: sed Primò præsupponit, eos defunctos, pro quibus Ecclesia oret, viuere apud Deum. Non igitur sensit, eos torqueri alicubi, proindeque hoc nihil ad stabiliendum sacrificium Missaticum pro defunctis in Purgatorio degentibus facit. Secundò tamen præsupponit etiam, tales orationes esse adiumenta quædam & lenamenta superstitum in terris, qui nominum defunctorum commemoratione, & precibus pro mortuis testarentur, credere se firmiter, eos qui ex hac vita migrent, non perijsse, sed esse apud Deum in Regno cælorum: ac spem de ijs optimam concepisse, tanquam de fratribus peregrè profectis. Tum dicit: Prodest, quæ pro defunctis fit Oratio, licèt totam culpam, seu tota peccata non abscindat vel tollat: verùm enimuerò propterea, quia nos dum in hoc mundo sumus, sæpe & voluntariè & non voluntariè erramus, ut id quod perfectius est significetur. Nam & iustorum, &c. Sensus est: propterea hoc fit, ut Christus ab omnium hominum ordine, quantumuis iustorum discernatur, intelligaturque, neminem, quantumlibet iustum, ita saluum esse, sicut Christus, propria nimirum iustitia, sanctitate, proprijs virtutibus & meritis: sed omnibus hominibus ut saluentur, misericordia Dei & remissione peccatorum propter Christum opus esse: & eos, qui salui sunt, non propria iustitia, sed ex misericordia Dei per remissionem peccatorum propter Christum saluos esse.

Epiphanius confirmat vulgi opinionem.

Epiphanij vera sententia de precibus pro defunctis.

Ex his omnibus duo intelligimus: Primum est, Epiphanium in hac disputatione consuetudini & opinioni receptæ à vulgo sui temporis cessisse, & præsumptiones eius non ausum fuisse liberè reprehendere. Nam alio loco disertis verbis declarat, nihil omnino hominibus subsidij sperandum esse à superstitibus post discessum ex hac vita. Sic enim scribit lib. 2. tom. 1. hæres. 59. contra Catharos, in illud Canticorum, Veni tu columba mea, in regmine Petræ contiguæ muro. In regmine Petræ, inquit, in benignitate charitatis & misericordiæ Domini. Hoc tegmen Petræ, tegmen fidei, spei ac veritatis: contiguæ muro, hoc est, priusquam claudatur porta, priusquam Rex intra mœnia constitutus, non ampliùs admittat post discessum hunc & mortem: quando non ampliùs contiguæ muro, sed conclusæ sunt portæ, & non ampliùs licet corrigere. In futuro enim seculo, post hominis mortem, non ieiunij suppeditatio, non pœnitentiæ vocatio, non eleemosynæ ostentatio, imò neque criminalia opera, non bellum, non adulterium, non petulantia, imò nec iustitia & pœnitentia, sicut nec post messem spicæ, datur ut crassescat granum, nec ut à vento corrumpatur, nec ut alia aliqua læsio accedat. *Et paulo post:* Obsignata sunt enim promptuaria, & impletum est tempus, & certamen perfectum est, & cuacuatum est stadium, & coronæ datæ sunt, & qui decertarunt quieuerunt, & qui non peruenerunt discesserunt, & qui non decertarunt, non ampliùs adsunt, & qui in stadio victi sunt, ejecti sunt, & omnia palàm consummata sunt, post factum hinc discessum. Cùm autem omnes adhuc sunt in certamine, etiam post casum est resurrectio: adhuc spes, adhuc medela, adhuc confessio, etiamsi non perfectissimè, attamen aliorum salus non est desperata. *His verbis apertissimè docet Epiphanius, nihil quidquam accedere aut decedere posse amplius, nihilque commodari aut incommodari hominibus, humanisque animis, qui emeriti sunt liberique vitæ stipendijs, quod in disputatione cum Aërio ob metum vulgi non ausus*

ausus fuit palàm profiteri, & liberè eloqui.

Epiphanij disputatio contra Aerium veterem Missæ sacrificium.

Alterum *est quòd ex his intelligimus, quòd damnatio Aerij & disputatio cum eo Epiphanij non extruat, ut Bellarminus vult sed potius euertat Missæ sacrificium pro defunctis in Purgatorio degentibus. Non enim damnatus fuit propterea Aerius, quòd negaret, animas defunctorum Missæ sacrificio liberari non posse ex Purgatorij cruciatibus: sed quòd doceret,* Non esse orandum pro defunctis. *Longè autem alio sensu, aliisque de causis Veteres pro mortuis orarunt, quàm hodie in Papatu fiat, sicut suprà demonstratum est. Deinde, neque affirmat, neque negat disertè Epiphanius, Orationes viuorum mortuis prodesse: sed simpliciter dicit*, Orationes pro defunctis prodesse: *alibi autem disertè docet*, defunctis nihil subsidij sperandum esse ex viuorum officijs, exequijs & parentationibus.

3. *Primitiua Ecclesia orauit pro defunctis qui in Purgatorio sunt.*

QVINTVM *Argumentum petit ab authoritate probatissimorum Patrum Græcorum & Latinorum.* Respondeo *primò in genere, nullum ex his Patribus omnibus docere, Sacrificio Missæ ex Purgatorij flammis animas defunctorum liberari, quod Patrum istorum testimonijs probare conatur Iesuita.* Secundò, *in specie responsum est suprà ad loca Tertulliani, Cypriani, Chrysostomi, Epiphanij & Augustini, quæ Bellarminus adducit.*

Quòd ad Cyrillum Hierosolymitanum attinet, dicit ille quidem, pro sui iam temporis recepta consuetudine, sacrificium altaris maximum iuuamen esse animarum: *non autem dicit, liberari illo animas ex Purgatorio. Non negamus etiam quod Eusebius scribit, ciues Constantinopolitanos pro anima Constantini M. Imp. preces fudisse. Nullam autem consecutionem esse dicimus iterum, à precibus Veterum pro defunctis, ad Purgatorium Pontificium, quod Bellarminus ex illis fulcire & extruere conatur. Nam piorum animas etiam in cœlo putabant Veteres beatiores fieri posse, usq; ad diem extremi iudicij, quo demum plenum suæ felicitatis cumulum sint accepturæ. Orabat igitur pro illis Ecclesia adhuc in terris militans, ut beatiores fierent: & si quæ illis peccatorum nebulæ obstitissent, eæ penitus delerentur, ut ex ijs quæ suprà sunt dicta facilè potest intelligi. Quamuis hoc fieret à Veteribus sine ullo Scripturæ sacræ fundamento.*

Manifestissima sunt hæc etiam ex precibus quas fundit Ambrosius pro Theodosio & Valentiniano Impp. In illis enim præsupponit, illos iam detersa labe peccati ablutos esse, & æternæ vitæ delectationibus iam frui, pro quibus oraturum se dicit. Non dubitemus, *inquit*, de meritis Valentiniani, credamus vel Angelorum testimonijs, quòd detersa peccati labe ablutus ascendit, quem sua fides lauit: credamus, quia ascendit à deserto, hoc est, arido & inculto loco, ad illas florentes delectationes, ubi cum fratre coniunctus, æternæ vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Omnibus vos oblationibus frequentabo, &c. *Certè in Valentiniano, qui Catechumenus mortuus erat, propter quod etiam sorores ipsius superstites valde contristabantur, locum habuisset id, quod Pontificij de Purgatorio dicunt, per orationes & oblationes posse animas post mortem à peccatis & pœnis absolui. Ambrosius autem dicit, Ipsum iam à peccatis ablutum & innoxium, æterna vitæ frui voluptate, Audi verò rationes, ob quas ipse dicit, quòd oraturus sit pro Valentiniano, etiamsi æterna vita iam fruatur.* Dolor, *inquit*, plerunque solatium est dolentis. *Item*: Est in pijs affectibus quædam etiam flendi voluptas. *Et*, In commemoratione eius, quem amissum dolemus, acquiescimus. *Similiter de obitu Theodosij, probat ex fide ipsius, quòd anima eius sit iam conversa in requiem. Et addit*: Absolutus dubio iam certamine, fruitur nunc Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna: &c. *His præsuppositis, tamen orat*: Da requiem seruo tuo Theodosio: Illò conuertatur anima eius, ubi mortis aculeum sentire non possit. Dilexi virum, & ideo prosequar eum, usque ad regionem viuorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quò sua merita eum vocant, in montem Domini, ubi perennis vita, nullus gemitus, nullus dolor, &c. *Statim etiam post hanc orationem dicit*: Manet ergo in lumine Theodosius, & Sanctorum cœtibus gloriatur, illic completur Gratianum, & in regno Christi consideret templum eius. *Sic lib. 2. epistola 8. de Faustini sorore scribit*: Meliorem illic vitam exigit: (*Quæ verba Bellarminus astutè præterijt, ut minùs rectè sequentia intelligantur*:) Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, neo mœstificandam lachrymis, sed magis animam eius oblationibus Domino commendandam arbitror. *His mox subiungit*: Securus de meritis eius & fide. *Item*: Quid est quòd ingemiscamus pro mortuis, quum iam reconciliatio mundi facta sit apud Patrem per Christum? Quoniam ergo beneficia Christi tenemus, cùm apud omnes, tum apud te, Legatione pro Christo fungimur, ut nouerur irreuocabilia esse dona Dei, ut credas quòd semper credidisti, nec novò mœrore tuam in dubium adducas sententiam, quia ideo peccatum factus est Dominus, ut tolleret peccatum mundi, ut essemus in illo omnes iustitia

Rationes ob quas Ambrosius pro defuncto Valentiniano orauit.

Epiphanius de Faustini sorore.

quibus habitæ sunt funebres orationes & conciones, cum Psalmorum & hymnorum cantu. Sic enim Chrysostomas homil. 14. in 1. Tim. 5. c. de morte & funere monachorum. Mortem illi *inquit*, nec dicunt, nec existimant mortem. Cùm hymnis prosequuntur abeuntem, eamque rem, non elationem funeris, sed pompam & præmissionem vocant. *Et paulo post:* Inde gratiarum actio sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus, se hoc fine donari, sic exire certamine, & laboribus fudoribusque quiescere, Christumque videre. *Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium*, Ex hinc, *inquit*, non ululatus, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis, exanima concrepabant, &c. *Cùm autem hoc ritu quidam abuti cæpissent, Concilium Toletanum 3. hujusmodi errori hoc decreto mederi voluit:* Qui divina, *inquit*, *cap.* 22. vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodo, & psallentium vocibus deberi ad sepulchra deferri, præcipimus. Nam funeris precamen, quod vulgò defunctis cantari solet, omninò prohibemus. Sufficiat autem, quòd in spe resurrectionis, Christianorum corporibus, famulatus divinorum impenditur canticorum.

Parentationes annuæ institutæ sunt.

Deinde Parentationes annuæ institutæ sunt, quibus statis diebus annuatim mortuorum renovaretur memoria, maximè Martyrum, & aliorum virorum illustrium. Sic enim Tertullianus de Corona militis, oblationes pro defunctis annua die facimus.

Sanctorum cultum præcibus se commendare cœperunt homines.

His studiis dum occupantur homines, nonnulli eò usque etiam abrepti sunt, ut alii illorum se precibus commendarent, tanquam eorum patrocinium postulantes, quos in sanctorum cultum numerum adscriptos esse sibi persuaserant: alii contra illos Deo suis precibus commendarent, quos minus sanctè in terris vixisse sciebant. Sic enim Tertullianus in libro de Monogamia inquit: Vxor pro anima defuncti mariti orat, & refrigerium interim expostulat ei, & in prima resurrectione consortium.

Sacella & altaria in honorem Sanctorum erigi cœpta.

Ex his initiis eò usque ventum est, ut passim cæperint Sacella & Aræ in honorem sanctorum mortuorum erigi, etiam in iis locis ubi eorum corpora sepulta non erant. Cùm verò cultus eorum hoc modo plus nimio excresceret, Concilium Carthaginense 5. anno 438. celebratum, superstitionem hanc tali decreto abrogare aliquomodo voluit: Præcipimus, ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, evertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non possit, plebs tamen admoneatur, ne illa loca frequentet, aut aliqua ibi superstitione devincta teneatur.

Sacramentorum celebratio pro defunctis instituta.

Imò cura pro defunctis apud multos tanta fuit, ut illis etiam Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ administranda existimarent: qui tamen error in Carthaginensis synodi 3. capite 6. prohibitus fuit.

Hæc initia etsi levia videri queant, & multi crescenti superstitioni obviam ire tentarint, primi tamen ejus authores magnam occasionem posteris insaniendi & à regia via aberrandi præbuerunt, & eiusmodi telam exorsi sunt, quam posteri magno studio contexuerunt. Hoc testantur Panegyres, orationes & conciones funebres, monodiæ & epitaphia veterum Patrum, inprimis verò Nazianzeni & Ambrosii, qui duo nobis multorum instar esse poterunt. Notum est quid senserit Nazianzenus de emigratione ex hac vita Basilii: nihilominus eidem, quem tamen quasi numen aliquod invocavit, bene precatur, ac si beatitudini ejus deesset aliquid: inquit enim in Epitaphio ejus, Deus ei beata tribuat, aliaque, &c. *Ambrosius autem in oratione funebri Theodosii & Valentiniani junioris*, Da requiem, *inquit*, perfecto servo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. *Et de Valentiniano ejusque fratre.* Beati, *ait*, ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? quis vetabit commendationis prosequutionem complecti?

Potest hoc quidem aliquo modo in istis Patribus excusari, nimirum, quod has phrases, sicut etiam suprà monuimus, tanquam apostrophas poëticas & rhetoricas, quales in vehementissimis affectibus sæpè erumpere consueverunt, amor & animi desiderium ingens extruserit. Sed posteritati melius fuisset consultum, si iis penitus abstinuissent. Si hoc non concedatur, pugnantia secum loquutum esse Ambrosium concedi oportet. Subindè enim inculcat & repetit in utraque Orat. funebri, Theodosium & Valentinianum manere in lumine, sanctorum cœtibus gloriari, requiem animæ possidere, deterså labe peccati ablutos; sua fide lotos, petitione consecratos, ex deserto, hoc est, ex hoc arido & inculto loco ascendisse ad illas florulentas delectationes æternæ vitæ, regnare in regno Domini nostri Iesu Christi, & similia, *Si ita res habet, quorsum igitur ista quæ paulò ante ex iisdem orationibus adducta sunt? Quorsum Ambrosius optat, precaturq; his contingere, quod iam consequutos esse idem testatur & prædicat?*

Ex

Animas defunctorum iuuari posse eleemosynis & oblationibus. Augustinus.

Ex his initiis quæ inclinatio veræ & orthodoxæ doctrinæ progressu temporis facta sit, Epiphanii ætas paulo post Ambrosium luculentissimè testatur. Hæc enim tum vulgi communis sententia fuit, orationibus, eleemosynis & oblationibus quæ in terris fiunt animas defunctorum nonnihil iuvari posse, sicut ex Epiphanij disputatione cum Aërio manifestè intelligitur. Etsi verò Epiphanius nihil certi definiat, sed propter vulgi opiniones, quas reprehendere non audet & tamen ex Verbo Dei probare non potest, in medio hoc relinquat, & de indnstria obscuritatibus involuat: non multò tamen post Augustinus aliquibus in locis hanc vulgi sententiam affirmare & approbare cœpit, & negandum non existimavit, defunctorum animas, pietate suorum qui in terris superstites sunt relevari, quum pro illis sacrificium Christi offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Eam ob causam tres defunctorum ordines constituit. Primos dicit esse valde bonos, qui his subsidiis suffragiorum & opitulationum non indigeant. Secundos dicit esse sceleratiores quàm ut his liberari & adiuvari possint. Tertios facit inter hos utrosque medios, qui nec ita boni sint ut his suffragiis post mortem non indigeant: nec adeò mali, ut eis non prosint illa, sed cùm viverent, dicit eos meruisse, ut sibi illa post mortem prodesse possent. Ideoque concludit, sacrificia sive altaris, sive eleemosynarũ, aut aliarum oblationum, quæ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones esse: pro valde malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, esse tamen qualescunque vivorum consolationes, aut certè ad hoc prodesse, ut saltem tolerabilior fiat ipsorum damnatio. De mediis dicit, eos officiis his suorum viventium relevari & adjuvari, ut plena fiat eorum remissio, & misericordius cum ipsis agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. In quo certè, vir alioquin sanctissimus, & purioris Evangelicæ doctrinæ constantissimus, pertinacissimusque assertor, Verbi Dei nequaquam sequitur vestigia, sed hominum judicia, & communem vulgi errorem. Nam ad Paulinum fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum locum Machabæorum: qui tamen liber extra Canonem est, proindeque Veteres asseruerunt, ea quæ in controversiam veniant, ex illo confirmari non debere. Deinde dicit: fundamentum totius disputationis se collocare in recepta consuetudine orandi & offerendi pro mortuis: Quo sensu autem hæc à Veteribus facta sint, dictum est antea. Tertiò, ipsemet Augustinus de hac sua sententia non est certus. Quod enim in hac disputatione dicit, Preces pro defunctis damnatis, ad hoc prodesse, ut damnatio fiat tolerabilior: de eodem in libro de Civit. Dei. 21. capite 24. ita scribit: Quod quidem non ideo confitmo, quoniam non resisto. *Ex quibus intelligis, Augustinum vulgi opinionibus aufum libere in hac disputatione resistere, licèt hac concessione nollet ea affirmare. Et cap. 27. ejusdem libri,* Quis sit, *inquit*, ille modus vitæ, & quæ sint illa peccata, quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis, post mortem impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire; periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm satagerem inde, ad eorum indaginem pervenire non potui. *Augustinus igitur, quæ temporibus suis & receptis opinionibus concedit, mox dubia & incerta reddit. Quid hic faciendum Christianis hominibus? Quemadmodum ipsemet contra Cresconiũ inquit,* Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero & quid in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo: *ita hanc ejusdem disputationem, quamvis sit catholici & laudati viri, tamen velut Scripturas Canonicas habere non debemus, ut non liceat eam nobis improbare, vel respuere, quam in ea aliter sentiat ac doceat, quàm Veritas habet, imò quàm ipsemet alibi docet. Nam libro 4. de Trinit. cap. 13. sic inquit*, Christus morte sua, uno verissimo sacrificio pro nobis oblato quicquid culparum erat, unde nos principatus & potestates ad luenda supplicia jure detinebant, abolevit, extinxit, & sua resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit.

Ad excusandum verò sanctissimum Patrem nonnihil facere videtur, quòd jam ante Augustini ætatem Africanæ Ecclesiæ sibi paulò plus quiddam, quàm cæteræ indulserunt, & vulgi plus aquo sese accommodarunt opinionibus & consuetudini. Inde enim Africanarum Ecclesiarum Doctores, Oblationis & Sacrificii nomina præcipuè usurparunt. Deinde in his potissimùm Ecclesiis invaluit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio, & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferiis, atque feralibus precibus adjungerentur. Quod etsi in Occidentalibus Ecclesiis quoque frequentius factitatum fuit, non tamen ubique in aliis omnibus Ecclesiis, in universum pari ritu observatum fuisse, ex hoc non difficulter colligere licet, quòd Dionysius in sua illa tam accurata funebrium ceremoniarum descriptione, nullum prorsus verbum habet, de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificii. Ex stat etiam Carthaginensis 4. synodi decretum, quo præcipitur, ut pœnitentes, qui diligenter servarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quo intelligimus, jam tum quidem invaluisse &*

inveteraſſe opinionem pernitioſam Eccleſiæ de ſuffragiis vivorum pro defunctorum animabus, nondum tamen ita prorſum receſſum fuiſſe ab uſitata & recepta Eccleſiæ conſuetudine, ut nullus adhuc eſſet ſigmento de animarum per Miſſas ex Purgatorio liberandi locus. Nam tantùm de mortuorum memoria mentionem facit, in ſolennibus precationibus & oblationibus inſerenda, qua manifeſtè indicat, teſtatam hoc ritu eo tempore fuiſſe mortuorum cum Eccleſia cõſenſionem, quandoquidem eos ſolùm hoc honore dignos judicat, qui pœnitentia Canones non neglexerunt.

Chryſoſtomus.

Auguſtini ætate in Græca Eccleſia docuit Chryſoſtomus, qui eandem quæſtionem tractavit. Conſtituit autem Chryſoſtomus non tres defunctorum claſſes, ſicut Auguſtinus, ſed duas ſolùm, ut eſt videre Serm. 3. ad Philip. ad Hebræos Serm. 4. Homil. 69. & 70. ad Antiochenos. Ad primam claſſem Chriſtianos refert, qui in vera fide moriuntur: Ad ſecundam eos pertinere dicit, qui vel ſine Sacramentis hinc diſcedunt in infidelitate, vel qui baptizati quidem ſunt, ſed in peccatis moriuntur. Pro utriſque autem docet orandum & eleemoſynas erogandas, ad altare autem in Cœna Dominicæ celebratione pro fidelibus tantùm. Ac primus omnium docet, ſed ſine ullo teſtimonio, aut firmo aliquo argumento, ab Apoſtolis hoc inſtitutum eſſe homil. 69. ad populum Antiochenum: indeque probat, non eſſe inutile, ſi Eccleſia pro defunctis oret & oblationes faciat, ſed multum lucrum, magnamque inde utilitatem illis contingere. Non tamen docet, eos qui vera fide ex hac vita migrant, vel in Purgatorio, vel in aliis cruciatibus verſari: ſed in Serm. 3. ad Philip. ſcribit, fideles quum hinc diſcedant, & illuc migrent, beatos eſſe, quia cum Chriſto ſint. *Et in Serm. 4. ad Hebræos,* Dic mihi, *ait*, quid ſibi volunt in funere Hymni? Nonne quia Deum glorificamus & gratias agimus, quòd jam coronavit eum qui hinc diſceſſit, eò quòd à laboribus ſeu doloribus eum manumiſſum liberavit? *Idem docet etiam Serm. 2. ad Hebræos. Homilia 70. ad Antiochenos. Inprimis autem hoc faciunt quæ homil. 32. in Matthæum ſcribit,* Ad requiem, *inquit*, proficiſcitur, qui hinc migrat, turbationum enim omnium tranquillus quidam portus in morte eſt. *Et homil. 61. in Ioannem.* Si juſtus, *inquit*, moritur, lætandum eſt, quia liberatus à futura formidine, in tuto collocatur. Ille moriens cum Angelis evolabit, etiamſi nemo exequiis interveniat. *Licèt igitur Chryſoſtomus, pro recepto illius temporis more & conſuetudine, velit, etiam pro iis, qui in vera fide moriuntur, orandum, eleemoſynas & oblationes faciendas, nõ tamen propterea vult his exequiis animas eorum ex Purgatorio, vel aliis cruciatibus redimendas, quum jam æternã felicitatem aſſequutæ ſint, quo eas cũ Angelis avolare dicit ex hoc corporis ergaſtulo, etiãſi nemo his ſimilibuſq; exequiis interveniat.*

Quantum verò ad illos, qui ſine fide & in peccatis moriuntur, ſic docet Chryſoſtomus: peccatores ſi moriantur, lætandum quidem hoc nomine, quod malitia ipſorum interrupta eſt, ne poſſint vitia cumulare: ſed ipſi digni ſunt lachrymis, luctu & ejulationibus. Quæ enim ſpes eſt iis qui cum peccatis hinc diſcedunt? Ibi enim peccata non poſſunt exui aut deponi. Quamdiu in hoc mundo ſunt, ſpes eſt poſſe eos mutari: ſi verò hinc migrarint in infernum, ibi ex pœnitentia nihil ipſis emolumenti poteſt accedere. In inferno enim quis confitebitur tibi? ſunt igitur extra regnum Dei cum damnatis, &c. *Hæc conſentanea ſunt Verbo Dei: ſimul tamen docet Pater hic, etiã hos orationibus aliis, & exequiis poſt mortem aliquantulum juvari.* Excogitemus, *inquit*, aliquod ipſis auxilium, modicum quidem & exiguum, per preces & eleemoſynas. Facit enim hæc res ipſis aliquam conſolationem, & aliquod refrigerium, ut indulgentia ipſis impetretur. *Hoc verò ut ſit intelligendum, ipſemet interpretatur, nimirum* ut pœna damnationis ipſis levior reddatur: *non igitur ut ex damnatione liberentur. Hæc omnia Chryſoſtomus Serm. 3. ad Philip. Hom. 69. ad Antiochenos. Serm. 41. ad Corinth. Hom. 61. in Ioã. Homi. 21. in Acta. Imò homil. 21. in Acta eò uſque progreditur, ut dicat,* eos qui in peccatis mortui ſint, eleemoſynis ab æterna morte liberari poſſe. *Hæc verò ejuſmodi ſunt, ut ne à Pontificijs quidem approbentur. Gregorius M. lib. 4. Dial. cap. 44.* pro infidelibus & impijs ſi moriantur, non vult orandum eſſe. *Et inter Scholaſticos Bonaventura 4. Sent. Diſt. 46. aperiè negat,* damnatos in inferno poſſe juvari per ſuffragia viventium, nec quoad totalem liberationem, nec quoad pœnæ mitigationem, nec quoad temporis ſuſpenſionem, nec quoad fortificationem ad levius tolerandum.

Ex quibus intelligimus, quo Chriſtiana Religio iam tum Auguſtini & Chryſoſtomi ætate corruerit, & quantum ſeculum illud iam deſciverit à doctrina non ſolùm Apoſtolorũ, ſed etiam Tertulliani & Cypriani, quantumque degenerarit à conſuetudine quæ horũ tempore in Africanis Eccleſijs maximè viguit. Nam etſi Tertullianus mentionem faciat Oblationum pro defunctis & natalitiis annua die faciendarum: Cyprianus autem Sacrificiorum pro dormitione eorum offerendorum, juxta eum, quem ſupra expoſuimus, ſenſum, de igne tamen Purgatorio, aut commodis & lenimentis, quæ ex illis ſacrificiis & oblationibus ad mortuos, non ſolùm beatos & iam in æterna requie viventes, ſed etiam ad damnatos & in inferno exiſtentes, redirent, quod Auguſtinus & Chryſoſtomus docẽt, ne ullum verbum quidem.

Aperta fraudis diſpendia.

Eo ipſo autem, quòd hi duo Patres de Oratione, Sacri-

de oblationibus pro defunctis.

Sacrificijs & Oblationibus pro defunctis, in aliam sentętiam, quàm secula priora fecerant, disputare cœperunt, seminaria & occasionem posteris subministrarunt, ad cameriuam exequiarum pro defunctis stabiliendam & Ecclesijs obtrudendam, tum ex fundamento humanæ traditionis & consuetudinis orandi, sacrificandi & offerendi pro mortuis, sine tamen præcepto & exemplo Canonicæ Scripturæ, tum etiam aliis de causis, quas jam enumerabimus.

Pelagius 2.

Nam annis post Augustinum & Chrysostomum ferè 150. Pontificatum Romanum adeptus est Pelagius 2. præter consuetudinem absque Imperatoris jussu & permissu: Is decreuisse narratur à Gigante & aliis, ut solennis inseratur in sacris mortuorum memoria & commemoratio: *hunc tamen ritum Pelagio longè vetustiorem fuisse, ex iis, quæ à nobis prius sunt commemorata, facilè apparet. Pelagio autem adscriptum fuisse crediderim, quòd hoc in Romana quoque Ecclesia observandum & tenendum esse, suo decreto sancivit, & fortasse etiam de suo aliquid, crescente superstitione, addidit.*

Gregorius M.

In Pontificatu Rom. sequutus est Pelagium proximè Gregorius cognomento Magnus. Ejus ætate, ne cœptus historiæ cursus abrumpatur, omne superstitionis & idololatriæ genus, quasi mare quoddam, totum penè Christianum orbem inundavit, obruit ac penitus submersit, nemine jam, non modò non reluctante, sed omnibus viribus potiùs quas quisque potuit addentibus & suppeditantibus; imprimis Romanis Pontificibus. Et quanum quidem ad præsentem disputationem attinet, quas reprimere debuit Gregorius M. eas jam usu receptas & confirmatas superstitiones, magis magisque auxit & confirmavit, præsertim verò fabulosum ac poëticum figmentum de Purgatorio, & de superstitiosis ac plus quàm Ethnicis mortuorum inferijs & parentationibus. De Purgatorio contra Verbi Dei & veteris Ecclesiæ doctrinam sic scribit lib. 4. Dialogorum c. 39. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est. *Et libro 2. in cap. 2. primi Regum*, Qui perfectionem, *inquit*, bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. *Item in Psalmos pœnitentiales:* Post mortem carnis; alii æternis deputantur suppliciis, alii ad vitam per ignem transeunt purgationis. *Rursus ibidem:* Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Et illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem.

Sacrificia pro mortuis.

Sacrificia autem & Oblationes pro mortuis hac ob causas potissimùm approbavit & instituit. Prima, *quòd intelligeret solennes fuisse institutas mortuorum Memorias in veterum Christianorum sacris, eumque ritum ad sua usque tempora tanquam per manus traditiũ perveniss. Non autem intelligens, aut non expendens satis accuratè, quæ Veteres hoc ut facerent commoviss., aut certè dissimulans, mox inde collegit, frustra hæc fuisse à Majoribus sic institutа, si nihil mortuis conferrent, eorumque adiuvarent & promoverent salutem: quum tamen, longè alias, & quidem graviores, quas ante commemoravimus, causas hujus institutiuis habuerunt.* Secunda *causa superstitionis & idololatriæ hujus, fuerunt apparitiæ spectra, seu illusiones diabolicæ, & ficta miracula. Nam in libris Dialogorum narrat*, frequenter exemplo ostensum, seu visione revelatum esse, animabus defunctorum multùm prodesse pro eis sacrificia. *Lib. 2. Dialog. cap. 23. refert*, duas quasdam sanctimoniales petulanti laborasse lingua. Benedictum verò minantem dixisse: Nisi correxeritis linguas, excommunico vos. Mortuæ verò sunt mulieres, & in templum sepultæ. Cùm autem tempore Missæ Diaconus clamaret de more, Si quis non communicat, det locum: vidit earum nutrix etiam istas sepultas mulieres surgere, atque de templo exire. Postea verò oblatione pro defunctis facta, temansserunt in sepulchris. *Simile est quod eodem libro cap. 24. narrat*, puerum quendam monachum, impensiùs amantem suos parentes, & visitantem eos, obiisse, sed denuò è sepulchro eum ejectum. Id quum ad Benedictum esset relatum, jussit communionem Dominici corporis in pectus defuncti reponi: id ubi factum & sepultus esset, mansit corpus in sepulchro. *Oportebant autem res tanti momenti Scripturæ sactæ authoritate doceri & muniri, non revelationibus spirituum, illusionibus diabolicis, & miraculis ad decipiendum editis: præsertim cùm Satanas, Apostolo teste, non raro transfiguretur in Angelum lucis: idemque ille Apostolus clamaverit*, Quòd si aut nos ipsi, aut Angelus è cœlo prædicaverit vobis Evangelium præter id quod prædicavimus vobis, anathema sit.

Sed tamen condonanda hæc aliquo modo esse Gregorio videntur. Fatetur enim se pleraque ex auditu habere, vel ex narratiombus comperta Virorum venerabilium. Ac hi fortasse ex aliis acceperunt, qui fide digni visi sunt: Sed verissimum illud est: Πολλάκις τῶν γνώμην ἀξιοπιστοτέρων ἰδίαι. *Ac Romanos ad superstitionem naturâ proclives fuisse omnes Historici testantur. Fuit autem, & Gregorius Romanus, & quidem quod ad rem maximè pertinet, fuit Monachus, & ut verissimile est etiam illi viri boni, & fideles*

lictis & peccatis omnibus tam vivorum, quàm mortuorum. Tandem etiam Missæ palàm sunt divenditæ, & quæstus gratia ad res quaslibet adhibitæ: Hinc illa formæ in Missalibus libris recitandæ contra pestes, morbos, bella, famem, infamiam, inopiam, pro conservandis opibus, pro periclitantibus in corpore & fortuna, breviter contra omnis generis pericula.

In Canone nihil extat de Sacrificio pro defunctis

Quòd si expendamus verba Canonis, mox liquidò apparebit, ne unam quidem syllabam in eo extare, quæ tormentis & cruciatibus eorum accommodari possit, quos ex igne Purgatorio se evocare sacrificuli iactitant. Nam eos solummodo Deo commendant, qui se cum signo fidei præcesserunt, dormiuntque in somno pacis, quique in Christo quiescunt. At dormire in somno pacis & quiescere in Christo, non est alicubi cruciari. Aut si, qui in Purgatorio versantur, dormiunt in somno pacis, & quiescunt in Christo, mentiuntur sacrificuli, qui ignes & flammas Purgatorii non multò remissiores esse affirmant igne illo tartareo, quo impii homines in æternum torquendi sunt: hunc enim solùm ab illis differre dicunt, quòd sit perpetuus, illa verò temporarii & finem habentes.

Hic verò rimam invenerunt sophistæ, quâ sperant se elabi posse. Dicunt enim, hos quidem, qui in charitate mortui sint, in Christo quiescere, sed in spe, non autem reipsa: quòd ex hac vita migrarint non perfecta pœnitentia, penitùs defæcati terrenis & carnalibus sordibus quas priùs oporteat prorsus excoqui & expurgari lustrali illo igne, quàm ad locum beatorum recipiantur. Sic enim Bellarminus libro secundo de Missa, capite vigesimo quinto. Pacem, *inquit*, illi quandam habent & quietem, quia certi ac securi sunt de præmio æternæ felicitatis: & quia liberi sunt à bello tentationum & concupiscentiæ, & ab omni opere malo: sed nondum pacem ac quietem habent à tormentis & desiderio visionis divinæ. *Ergo juxta Bellarminum, in spe tantùm, non reipsa, qui moriuntur in Domino, beati sunt. Quomodo verò hic cavillus convenit cum his Christi verbis Ioan.* 5. Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium & condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam?

Argumenta pro sacrificio Missæ pro iis qui in Purgatorio sunt 1.

Ex his jam facilè potest responderi ad Bellarmini argumenta, quibus libro septimo de Missa capite septimo probare conatur, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri.

PRIMVM *argumentum sumit ex secundo libro Machabæorum capite duodecimo, ubi Iudas Machabæus justit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum.* Et Scriptura, *inquit*, hoc factum laudans, apertè dicit, Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut à peccatis salventur. *Respondetur, hunc librum, ex quo errorem hunc defendere conatur, & in quo ista leguntur, non esse Canonicum, & proinde in hac controversia, sicut etiam in aliis, nihil ex eo probari posse.*

Liber Machabæorum non est Canonicus.

Ad hanc verò antiquam nostrorum cantilenam dicit Iesuita, se duobus locis respondisse, nimirum libro primo de Verbo Dei, & libro primo de Purgatorio. In his locis probat primò, *hos libros verè esse Canonicos, authoritate Concilii Carthaginensis 3. quod Canon. 47. hos libros inter Canonicos numerat. Respondeo, hæc ratio solvi potest primò, authoritate contrarii Concilii, nimirum Laodicæni, quod ca. 59. decrevit, non esse hos libros inter Canonicos habendos. Hoc verò Concilium non tantùm 30. annis est Carthaginense antiquius, sed est etiam approbatum à Concilio universali Constantinopolitano sexto, ut est videre dist. decima sexta capi. Quoniam. Concilium autem Constantinopolitanum universale approbatum est ab Adriano Papa, Dist. eadem, cap. Sextam. Concilium igitur Laodicenum ejusdem authoritatis est cum sexto universali.*

Deinde, solvitur hæc ratio Bellarmini, authoritate aliorum decretorum hujus Concilij, quæ tamen ab ipsis Pontificiis non approbantur. Nam cap. 26. statuit. Nullum Episcopum vocandum esse Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem. *Ridiculum autem est, nos urgeri à Pontificiis authoritate Concilii hujus, quo tamen ipsimet teneri vel ligari nolunt.*

Secundò, *probat Machabæorum libros esse Canonicos, authoritate Innocentii 1. Gelasii 1. & B. Augustini, qui etiam eos in Canonem referunt. Nos his tribus Episcopis opponimus Melitonem Episcopum Sardicensem, qui apud Eusebium in Hist. Eccles. lib. 4. cap. 26. hos libros inter Canonicos non numerat. Deinde Cyprianum, qui in Symboli Apost. expositione, (licet ab aliquib. liber iste Ruffino tribuatur) enumerans catalogum Veteris & Novi Testamenti librorum, qui secundùm traditionem Majorum (verba sunt authoris) per ipsum Spiritum sanctum inspirati creduntur, & Ecclesiis Christi traditi, horum librorum non meminit. Ad finem autem catalogi hæc verba subiicit:* Hæc sunt, *inquit*, quæ Patres intra Canonem conclusere unt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd & alii libri sunt, qui nõ Canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Solomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach: ejusdem ordinis est libellus Thobiæ, & Iudith & Machabæorum libri. Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt non tamẽ proferri ad authoritatem

ex his fidei confirmandam. *Hactenus ille. Tertiò, Hieronymum, qui in Prologo in Proverb.* Sicut, *ait*, Thobiam, & Iudith & Machabæorum libros, legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ita & hæc duo volumina, Sapientiam & Ecclesiasticum, legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. *Quartò, Hilarium in præfat. in Psalmos. Quintò, Athanasium in Synopsi. Sextò, Epiphanium Hæres. 8. & 76. & duobus locis de Mensuris & ponderibus. Septimò, Nazianzenum. Octavò, Damascenum: Qui omnes hos libros extra Canonem posuerunt. Nonò, ex recentioribus Lyranus, Hieronymum secutus, scripsit in Præfat. in Tobiam*, libros Machabæorum & nonnullos alios, non esse de Canone Scripturarum: receptos tamen esse ab Ecclesia, ut ad morum informationem in ea legantur: sed ad dogmatum confirmationem, quæ in contentionem veniunt, minùs idoneos reputari. *Plerique autem hi Patres sunt antiquiores & viciniores Apostolorum temporibus, quàm Innocentius, Augustinus & Gelasius: & propterea de sententia primæ & Apostolicæ Ecclesiæ potuerunt esse certiores. Nam, ut Augustinus contra Faustum libro undecimo capite quinto ait*, Excellentia Canonicæ authoritatis Veteris & Novi Testamenti, Apostolorum temporibus fuit confirmata, & per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede sublimiter collocata, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.

Prætera non simpliciter verum est, quod Innocentius & Gelasius scripserunt: jam tum enim mysterium illud iniquitatis in Romanis Pontificibus operari cæpit.

Augustino quid nomen, Canonicum.

De Augustino difficilior est responsio, quia major est ejus in Ecclesia authoritas. Fieri autem potest, ut Augustinus nomen Canonicum *latius usurparit, quàm in hac disputatione fiat: nimirum, non solùm pro Christianæ fidei Canone, & norma, sed etiam pro regula morum in Ecclesia, cujus æquivocationis etiam Cajetanus meminit in fine Comment. ad Hist. Veteris & Novi Testamenti. Si igitur Augustinus hanc vocem de norma morum intelligit, nos ejus testimonium admittimus. Sin minùs, tum Augustinum opponimus ipsimet Augustino. Nam de Mirabilibus Scripturæ in fine libri secundi prorsus extra Canonem ponit libros Machabæorum. Quis verò uni Augustino, & quidem sibiipsi contrario potius credendum arbitratur, quàm iis omnibus Doctoribus, quorum paulo antè mentionem fecimus, qui omnes ante Augustinum extra Canonem hos libros referunt, præter unum Clementem suppositititum. Idem Augustinus libro secundo contra Gaudentium, capite vigesimo tertio cùm Donatistæ furores suos defenderent Raziæ exemplo, ex libro secundo Machabæorum, dicit*, eam Scripturam apud Hebræos non haberi in authoritate cum Lege, & Prophetis, & Psalmis, quibus Dominus ipse testimonium perhibuerit, tanquam suis testibus: receptam tamen ab Ecclesia, sed sobriè legendam & audiendam. *Hæc verba postrema Iesuita noster impudenter & malignè interpretatur, libro primo de Purgatorio, capite tertio.* Augustinus, *inquit*, debere sobriè legi hos libros dicit, propter exempla eorum qui se occiderunt, quæ in libro secundo narrantur, & imitanda non sunt: quomodo etiam Geneseos sobriè legenda est, ne putemus imitandum factum Iudæ, qui incestum perpetravit. *Nam sobriè legendus est liber secundus, non tantum propter hanc causam, sed inprimis quòd errores multos, eosque graves in doctrina, & in Historia continet.*

Augustinus libros Machabæorum inter Canonicos numerat.

Quòd autem Augustinus Machabæorum libros, & alios, quos Ecclesiasticos vocant, inter Canonicos retulit, fecit id magis aliorum exemplo, maximè Occidentalis Ecclesiæ, quàm quòd apud seipsum certus esset, de omnibus libris quos enumerat, an revera essent Canonici. Quod tam clarum est, ut idem ipse quoque Bellarminus fateatur libro primo de Verbo Dei, capite decimo.

Tertiò, *probat Iesuita Machabæorum libros esse Canonicos hoc argumento*, Quia legantur in Missa. *Sed quàm hæc ratio falsa sit omnes intelligunt, Quidquid legitur in Missa id est Canonicum.*

Quartò, *dicit*, Patres testimonia passim ex his libris allegare, *& nominatim Augustinum ex libro 2. probare suffragia vivorum prodesse defunctis: vult igitur hinc colligere eos esse Canonicos. Respondeo, Non valet consequentia à citatione libri alicujus ad ejus totius approbationem. Hinc etiam Origenes Homil. 1. in Ecclesiasten scribit*, Palàm esse multa ab Apostolis vel Evangelistis exempla prolata, & Novo Testamento inserta, ex apocryphis, nec tamen idcirco locum dandum Apocryphis: quippe Apostolos Spiritu Dei repletos scivisse, quid ex eis assumendum, quid refutandum esset. *Et Hieronymus in Præfat. in Ionam scribit*, Librum Tobiæ (*quod etiam de similibus libris intelligi debet*) ab Ecclesiasticis Viris usurpari, etsi non habeatur in Canone. *Idem in Epistolam ad Titum*, Qui putant, *inquit*, totum librum debere sequi eum, qui libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Enoch, de quo Apostolus Iudas in Epistola sua testimonium posuit, inter Scripturas recipere.

Quintò, quòd Patres hos libros allegent tanquam

tanquam Scripturam divinam. *Reſpondeo, Patres quidem non tantùm Canonicos, ſed etiam Eccleſiaſticos libros ad hunc modum allegare. Sic Athanaſius Orat. 1. contra Arrianos citat locum ex 15. cap. Eccleſiaſtici, tanquam à Spiritu ſancto profectum. Hilarius in Pſalm. 135. adducit dictum Sapientiæ 1. tanquam dictum Propheta: & in Pſalm. 125. tanquam ex Lege citat locum ex libro Iudith. A Damaſceno in Orat. de defunctis, citantur libri Machabæorum tanquam divina Scriptura: Non tamen hi Patres libros iſtos pro Canonicis agnoverunt.*

Sequitur ergo ex his omnibus, locum illum ex libro ſecundo Machabæorum, tanquam apocrypho, à Ieſuita citatum, non poſſe probare, Sacrificium Miſſæ pro defunctis in Purgatorio exiſtentibus rectè offerri.

Explicatur locus in lib. Machab. de Sacrificio Iudæ pro mortuis.

Quod autem ipſum locum attinet, Reſpondeo, fruſtrà Iudam ſacrificaſſe pro ijs mortuis, ſub quorum veſtibus, contra expreſſam legem quæ Deuter. 7. cap. habetur, inventa ſunt anathemata: & quidem ex ipſomet Bellarmino hoc probabo. Scribit ille libro 2. cap. 17. Sacrificia legalia non valuiſſe ad expiationem peccati. *Nam qui offerri iubebat, vel iuſtus erat vel iniuſtus. Si iuſtus, non egebat remiſſione peccatorum: Si iniuſtus, nihil valebat eius Sacrificium. Quæro iam ex Ieſuita, viri illi, pro quibus ſacrificavit Iudas, iuſtinè an iniuſti fuerint? Si iniuſti, ut certè fuerunt, quia ſacrilegio anathematis contra manifeſtam Dei legem peccarunt, tunc nihil valuit pro eis Sacrificium Iudæ, Ieſuita teſte. Sed vult eos fuiſſe iuſtos: nam libro 1. de Verbo Dei cap.* 15. *dicit, Iudam piè exiſtimaſſe, eos in articulo mortis dolorem de peccato ſuo, coram Deo concepiſſe, & miſericordiam apud Deum inveniſſe: id enim ſignificant illa verba*, Quia conſiderabat, quòd hi: qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. *Si igitur iuſti fuerunt, ut qui cum pietate dormitionem acceperunt, tunc non egebant remiſſione peccatorum, ſed habebant optimam gratiam ante oblationem Iudæ. Si quis obijciat, potuiſſe valere Sacrificium illud ex merito Iudæ, vel Sacerdotum offerentium, reſpondet Bellarmin. Non poſſe merita unius conferre alteri primam gratiam certò & infallibiliter.*

Deinde reſpondeo ad locum libri Machabæ. Vnicum Iudæ factum univerſalem legem non ſtatuere. Non poteſt autem, Auguſtino teſte, ex tota ſacra Scriptura demonſtrari, aliquem ante Iudam ſimile quid feciſſe.

SECVNDVM Argumentum, quo probare vult Ieſuita, Sacrificium Miſſæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, ſumit à conſuetudine univerſali Eccleſiæ catholicæ.

Conſuetudines Eccleſiæ univerſalis ſunt Canonicæ.

Sacrificare pro defunctis in Purgatorio eſt conſuetudo Eccleſiæ.

Ergo eſt Canonicum & retinendum.

Reſpondeo ad Maiorem primò, *per diſtinctionem, Conſuetudines Eccleſiæ, ſi non adverſentur manifeſto & expreſſo Dei Verbo, ſunt Canonicæ idcoque retinendæ: iuxta illud Auguſtin. l. 4. de Baptiſmo, cap. quinto.* Si conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet teneri firmius: *Sin verò pugnent cum Verbo Dei, omnino ſunt deſerendæ. Reprehenduntur enim Samaritani 2. Reg.* 17. *quòd Dominum quidem timuerint, & tamen Dijs ſuis ſervierint, ſecundum morem & conſuetudinem gentis ſuæ, & iuxta ritus antiquos. Tertullianus in libro de Velandis virginibus*, Veritati, *inquit*, nemo præſcribere poteſt: non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum. Ex his enim conſuetudo, ab aliqua fere ignorantia, vel ſimplicitate nata, in uſum per ſucceſſionem corroboratur adversùs veritatem. *Et mox:* Dominus noſter Chriſtus, veritatem ſe, non conſuetudinem, nominavit. Si ſemper Chriſtus, & prior omnibus, æquè veritas ſempiterna & antiqua res eſt. Viderint ergo, quibus novum eſt, quod ſibi vetus eſt, Quodcumque adversùs veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo. *Notam etiam eſt, quid hac de re Cyprianus ad Cæcilium ſcripſerit libro ſecundo epiſt. 3. Et ad Pompeium contra epiſtolam Stephani Papæ*, Conſuetudo, *inquit*, ſine veritate, vetuſtas erroris eſt, propter quòd relicto errore veritatem ſequamur. *Et ad Iubaianum*, Fruſtrà quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem opponunt nobis, quaſi conſuetudo maior ſit veritate. *Item*: Non quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt. *Baſilius epiſtola* 80. Non eſt iuſtum conſuetudinem legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Scriptura divinitùs inſpirata, Iudex à nobis conſtituatur. *Et Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 6.* Quis dubitet, *inquit*, veritati manifeſtatæ debere conſuetudinem cedere? *Gregorius M.* Si conſuetudinem fortaſſe opponis, aduertendum eſt, quòd Dominus dixit: Ego ſum via, veritas & vita. Non dixit, Ego ſum conſuetudo, ſed, veritas. *Vide in hanc ſententiam plura apud Gratianum diſt. 8. & 11.*

De conſuetudinibus Eccleſiarum.

Sacrificare autem pro mortuis in Purgatorio degentibus, ut vel inde citiùs liberentur, vel ibi mitiùs tractentur, conſuetudo eſt pugnans cum Verbo Dei, quod ignorat Purgatorium, & docet, homines morientes, vel in cælum & vitam

vitam æternam recipi, vel in æternam damnationem abijci. Et Augustinus, ut antè de eo monuimus, docet, homines, qui in terris nec supremè boni, nec supremè mali fuerint, sed inter hos utrosque medium tenuerint, suorum viuentium officijs releuari & adiuuari, ut plena eorum fiat remissio: ingenuè fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, nisi unicum illum locum ex Machabæorum libro, *qui tamen non est in Canone.*

Secundò, *respondeo ad Minorem simpliciter, eam falsam esse, Si per Ecclesiam universalem catholicam, veram primitiuam Ecclesiam, quæ ante sexcentesimum à nato Christo annum in terris fuit, intelligas. Nondum enim illis temporibus sacrificijs defunctos ex Purgatorio liberare conabantur, sed id circa, & post Gregorij M. demum tempora primò fieri cœpit, quum Purgatorium modo esset approbatum. Antea verò longè alium in finem quædam officia à viuentibus suis impendebantur mortuis, sicut suprà multis demonstratum est. Et ut rectè nos intelligat Lector, non negamus, in veteri Ecclesia sacrificia pro defunctis facta esse, & qualia illa fuerint sacrificia satis est explicatum à nobis superius: Illud verò pernegamus, Sacrificium aliquod Missæ, hodierno ritu, pro redemptione animarum in Purgatorio existentium, factum esse, sed ijs demum temporibus illud fieri in Ecclesia cœpit, quando horribilis verè doctrina inclinatio facta est: & propterea illa consuetudo non est imitanda.*

Tertium *Argumentum petit ab authoritate præcipuè Chrysostomi, qui homil. 69. ad populum Antiochenum hunc ritum ad Apostolicam traditionem refert. Respondeo, Quisquis dicit, pro mortuis orandum, quod Veterum aliqui fecerunt, vel sacrificio Missæ animas defunctorum ex Purgatorio liberandas, quod Pontificij hodie faciunt, ostendat & probet hoc, non ex quibuscunque literis, sed ex ecclesiasticis, canonicis & catholicis, quas recipit & tenet Ecclesia toto orbe diffusa: alia quippe literæ ad has res apud nos nullum authoritatis pondus habent. Ideoque, quod de exequijs defunctorum Chrysostomus ex Apostolica traditione narrat, quia canonicum non est, nos non constringit. Totidem fere verbis respondet etiam Augustinus lib. 23. cap. 9. Fausto Manichæo, sed in alia causa.*

Consuetudo sepè pro Apostolica traditione recepta.

Secundò *respondeo, multa ab antiquis temporibus sola consuetudine, vel etiam eorum qui Ecclesijs præerant, arbitrio obseruari cœpta, aut etiam ab hæreticis conficta, mox ad Apostolos authores relata fuisse, quo maior eorum esset authoritas teste Socrate lib. 5. cap. 21. Sic apud Eusebium lib. 5. cap. 21. Irenæus de Ieiunio ante Pascha dicit, fuisse quondam simplicem & vulgarem consuetudinem tantum: progressu verò temporis Apostolicæ traditionis nomine obtrusa fuit Ecclesiæ, ut videre licet apud Leonem Serm. 6. de Quadragesima.* Apostolica, *inquit*, institutio 40. dierum ieiunijs impleatur. *Et scribit idem Leo Serm. 2. de Ieiunio Pentecostes,* sua ætate vulgò creditum, quidquid ab Ecclesia in consuetudinem receptum esset devotionis, à traditione Apostolica & Spiritus sancti doctrina id prodijsse. *Sic in controuersia illa primitiuæ Ecclesiæ de obseruatione Paschæ, utraque pars Apostolicam prætendebat traditionem, ut est videre apud Eusebium lib. 5. cap. 22. Socrates autem rectè iudicat, propria magis consuetudine, quàm ulla lege Apostolica, diuersitatem illam obseruationis inualuisse.* Neque enim Apostolis, *inquit*, propositum fuit de diebus festis leges condere: neque Euangelium iugum seruitutis his, qui ad Dominum conuertuntur, imponit: sed Paschatis, aliorumque festorum rationem, Seruator & Apostoli liberam fidelibus reliquerunt. *Alexander 1. Papa aquam benedictam instituit, ut ingenuè Durandus quoque fatetur lib. 4. cap. 4. Bellarmino autem Apostolica est traditio. Similiter D. Chrysostomus sub Apostolicæ traditionis nomine venditat, quod paulò ante eius ætatem obseruari cœpit ab Ecclesia, sicut suprà ostendimus.*

Tertiò, *Chrysostomus non dicit, ut ei affingit Bellarminus, Apostolicam traditionem esse, Sacrificium Missæ offerre pro defunctis in Purgatorio existentibus: sed, in Cœna Dominicæ defunctorum agere commemorationem. Verba eius hæc sunt:* Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. *Toto autem cœlo differunt, Mortuorum agere in Eucharistia commemorationem: & Missam pro defunctis in Purgatorio degentibus celebrare. Proinde Bellarminus peruertit statum controuersiæ.*

Explicatur locus Augustini.

Instat Iesuita, proferendo regulam S. Augustini lib. 4. de Baptismo, cap. 24. quæ est, ut id certissimè credatur ex Apostolica traditione descendere, quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper seruatum & retentum est. *Talem autem esse hunc ritum negari non potest. Nam in omni Ecclesia seruatus est. In nullo autem Concilio institutum, sed semper seruatum fuisse, patet ex testimonijs antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præcesserunt, ubi fit mentio de sacrificijs pro defunctis, &c. Respondeo* Primò, *regula huius praxin tam certam esse, quàm quod incertissimum. Quis enim nos certiores reddet, quid uniuersa Ecclesia semper & ubique seruauerit?* Secundò, *etsi hæc fuit sententia Augustini, alia tamen fuit Cypriani cum Concilio 70. Episcoporum, qui morem & consuetudinem quasi orbis uniuersi*

ad

ad sacra Scriptura regulam examinarunt. Tertiò, *in hac instantia rursus statum causæ mutat Iesuita. Nam probandum illi erat, Apostolicam esse traditionem, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus rectè offerri, nimirum ut hoc officio inde liberentur. Sic enim habet inscriptio hujus cap. 7. Ille verò tantùm probat, Orare pro defunctis esse Apostolicam traditionem.* Deniq; *Minorem nego in hac instantia Iesuitæ, Ritum nimirum offerendi pro mortuis semper & ubique in omnibus Ecclesijs observatum & retentum fuisse. Nam primò, Hieronymus, Gregorius M. Innocentius 3. Antoninus, Durandus, Platina & alij plures referunt, Apostolos ipsam solummodo Orationem Dominicam post consecrationem recitasse. Ergo ritus offerendi pro mortuis Apostolorum tempore non fuit observatus: nam in Dominica Oratione defunctorum & sacrificij pro illis nulla fit mentio. Respondet Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 7.* Apostoli primo tempore solam Orationem Dominicam poterant adhibere post consecrationem : deinde alio tempore addere alias preces : tum etiam, quia sine ulla certa prece poterant offerre sacrificium pro defunctis. Ad hoc enim sola interior mentis intentio abundè sufficit. *Respondeo* Primò *in genere, A posse ad inesse non valere consequentiam. Non enim sequitur, poterant hoc vel illud facere Apostoli, ergo fecerunt.* Deinde, *si maximè fecissent, ut coniectat Iesuita, certè aliqua saltem indicia eius in scriptis eorum extarent: nulla autem prorsus extant.* Tertiò, *si tempore Apostolorum interior mentis intentio non modo sufficiebat, sed abundè etiam sufficiebat, quare hodie non etiam sufficit? Aut unde scit Iesuita hanc fuisse in sacris Apostolorum intentionem? Nam interior mentis intentio soli Deo, non hominibus est cognita. Aut igitur fateatur Iesuita se nugari, aut intentionis huius mentis indicia aliqua in Apostolorum scriptis monstret. Contrarium autem ex illis demonstrari potest: nam viuentibus & morientibus in vera fide promiserunt, & actu donarunt, tanquam cooperatores Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam. Et quoties de statu mortuorum scribunt, nullam orationis, cruciatus & purgationis, liberationisque mentionem faciunt: vide 1. Cor. 15. cap. & 1. Thess. 4.*

Secundò *negatur Minor, quòd Irenæus lib. 1. cap. 18. eos, qui mortuos redimunt, ut sint incomprehensibiles & inuisibiles principatibus & potestatibus, inter hæreticos numerat. Ergo consuetudo offerendi pro mortuis & eorum animas redimendi, nec semper, nec ubique in omni Ecclesia seruata fuit.* Secundò, *Tertullianus non absolutè omnia pro mortuis sacrificia ex consuetudine fluxisse docet, Bellarmino quoque teste lib. 2. de Missa cap. 7. sed annua tantùm. Ergo Minor Bellarmini falsa est.* Tertiò, *licèt in Africanis potissimùm Ecclesijs inualuerit, ut Cœnæ Dominicæ celebratio & eleemosynarum oblationes, funeribus, inferijs atque feralibus precibus adiungerentur, non tamen in Occidentalibus & alijs omnibus Ecclesijs in uniuersum pari ritu obseruatum fuit. Colligere hoc possumus ex accurata illa Dionysij descriptione funebrium ceremoniarum, in qua nihil omninò voluisse videtur prætermittere : & tamen nullum prorsus verbum in ea facit de adhibita ad eas Cœnæ administratione, & oblati sacrificij. Extat etiam quarta Carthaginensis Synodi decretum, quo mandatur,* ut pœnitentes, qui diligenter seruarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. *Ex quibus intelligitur, ne tum quidem ullum adhuc locum in Ecclesia fuisse de animarum per sacrificium Missæ redemptione commento. Nam solùm meminit de mortuorum memoria in solennibus precationibus & oblationibus inferenda.* Quartò, *totis fere sexcentis annis ignis Purgatorij fornacibus caruit Ecclesia. Nam ut ex Augustini libro de Fide & Oper. cap. 16. Ad Dulcitium q. 1. In Enchiridio cap. 68. & 69. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 26. intelligimus, nihil eius ætas de hac quæstione certi decernere ausa est : sed proposita tantùm fuit tanquam probabilis quædam opinio, de qua disputare quidem magis licuerit, quàm certi aliquid definire, & de qua nefas non esset dubitare. Sublato autem Purgatorio, tollitur etiam sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio existentib. Falsum est igitur, sacrificia pro expiatione & redemptione animarum omni tempore, & in omni Ecclesia usitata fuisse.*

Quartum *Argumentum petit Iesuita ex damnatione Aërij hæretici,* quem, *inquit,* damnauit Ecclesia, & nominatim hæresim eius refutauit Epiphanius : docebat enim non esse pro mortuis sacrificium offerendum. Pupugit, *inquit,* hoc argumentum Philippum, & ideo in Apologia Confessionis Augustanæ duobus mendacijs medicamentum vulneri adhibendum curauit, &c. *Respondit ad hoc argumentum solidissimè Kemnitius parte 3. Examinis fol. 107. 108. & 109. quod tamen non ita pupugit Bellarminum, ut vel unico verbo attingeret saltem, nedum refutaret. Rem paucis explicabo.* Aërius ex vulgi tunc opinionibus & sermonibus, quòd nimirum preces eorum, qui in hac vita sunt, eos omnino iuuent, qui ex hac vita excesserunt, hanc falsam consequentiam texuit & Ecclesiæ tribuit : nempe, *si quis in hac vita nec Deum nec homines colat & diligat, sed etiam grauissima scelera committat, & sine remissione, in impœnitentia hinc discedat, modo post mortem pre-*

Aërius hæresis eius damnatur.

precatores aliquos habeat, non daturum ipsum scelerum suorum pœnas. Hoc sensu, hac ratione & hac de causa calumniabatur Aërius Ecclesiam tunc temporis pro mortuis orare. Quod si Epiphanius Pontificiorum sententia fuisset imbutus, respondisset, Orationibus illis omnino iuuari eos: & quidem ita, Vt peccata quæ eis in hac vita remissa non essent, in altero seculo, propter viventium orationes & suffragia, tanquam expiationes & propitiationes, remitterentur, & sic à pœnis & cruciatibus ignis Purgatorij liberentur. Non autem hac via incedit Epiphanius: sed Primò præsupponit, eos defunctos, pro quibus Ecclesia oret, viuere apud Deum. Non igitur sensit, eos torqueri alicubi, proindeque hoc nihil ad stabiliendum sacrificium Missaticum pro defunctis in Purgatorio degentibus facit. Secundò tamen præsupponit etiam, tales orationes esse adiumenta quadam & lenamenta superstitum in terris, qui nominum defunctorum commemoratione, & precibus pro mortuis testarentur, credere se firmiter, eos qui ex hac vita migrent, non perijsse, sed esse apud Deum in Regno cœlorum: ac spem de ijs optimam concepisse, tanquam de fratribus peregrè profectis. Tum dicit: Prodest, quæ pro defunctis fit Oratio, licèt totam culpam, seu tota peccata non abscindat vel tollat: verùm enimuerò propterea, quia nos dum in hoc mundo sumus, sæpe & voluntariè & non voluntariè erramus, ut id quod perfectius est significetur. Nam & iustorum & peccatorum commemorationem facimus: pro peccatoribus quidem, misericordiam Dei deprecantes: pro iustis verò Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, &c. ut Christum ab hominum ordine discernamus, &c. Aërius calumniabatur, Ecclesiam pro defunctis orare, ut tota peccata, quantumuis grauia & enormia, eis remittantur. Respondet Epiphanius. Non tota. Igitur aliqua tantùm peccata defunctorum per orationes superstitum remittuntur? Series quidem disputationis postulabat, ut hoc explicaret: sed non facit, propter vulgi opinionem, quam reprehendere noluit: in medio igitur relinquit, & de industria obscuritatibus inuoluit, ut legenti pateat. Imò tam cautus est in hac disputatione Epiphanius, ut ad quæstionem Aërij, An omnino mortuis prosint aliquid preces, quæ pro ipsis in terris fiunt? non respondeat, Prodesse omnino: sed solùm dicit, Illa oratio, quæ pro mortuis fit, prodest. Quomodo? Non dicit, ut per illam vel omnia, vel aliqua saltem peccata remittantur. Imò, non dicit, quòd Orationes illæ mortuis prosint: Sed, Propterea, inquit, quia nos, dum in hoc mundo sumus, sæpe & voluntariè & inuoluntariè erramus, ut id quod perfectius est significetur. Nam & iustorum, &c. Sensus est: propterea hoc fit, ut Christus ab omnium hominum ordine, quantumuis iustorum discernatur, intelligaturque, neminem, quantumlibet iustum, ita saluum esse, sicut Christus, propria nimirum iustitia, sanctitate, propriis virtutibus & meritis: sed omnibus hominibus ut saluentur, misericordia Dei & remissione peccatorum propter Christum opus esse: & eos, qui salui sunt, non propria iustitia, sed ex misericordia Dei per remissionem peccatorum propter Christum saluos esse.

Ex his omnibus duo intelligimus: Primum est, Epiphanium in hac disputatione consuetudini & opinioni receptæ à vulgo sui temporis cessisse, & præsumptiones eius non ausum fuisse liberè reprehendere. Nam alio loco disertis verbis declarat, nihil omnino hominibus subsidij superandum esse à superstitibus posit discessum ex hac vita. Sic enim scribit lib. 2. tom. 1. hæres. 59. contra Catharos, in illud Canticorum, Veni tu columba mea, in tegmine Petræ contiguæ muro. In tegmine Petræ, *inquit*, in benignitate charitatis & misericordiæ Domini. Hoc tegmen Petræ, tegmen fidej, spei ac veritatis: contiguæ muro, hoc est, priusquam claudatur porta, priusquam Rex intra mœnia constitutus, non ampliùs admittat post discessum hunc & mortem: quando non ampliùs contiguæ muro, sed concluſæ sunt portæ, & non ampliùs licet corrigere. In futuro enim seculo, post hominis mortem, non iciunij suppeditatio, non pœnitentiæ vocatio, non eleemosynæ ostentatio, imò neque criminalia opera, non bellum, non adulterium, non petulantia, imò nec iustitia & pœnitentia, sicut nec post messem spicæ, datur ut crassescat granum, nec ut à vento corrumpatur, nec ut alia aliqua læsio accedat. *Et paulo post:* Obsignata sunt enim promptuaria, & impletum est tempus, & certamen perfectum est, & cuacuatum est stadium, & coronæ datæ sunt, & qui decertarunt quieſcunt, & qui non peruenerunt discesserunt, & qui non decertarunt, non ampliùs adsunt, & qui in stadio victi sunt, ejecti sunt, & omnia palàm consummata sunt, post factum hinc discessum. Cùm autem omnes adhuc sunt in certamine, etiam post casum est resurrectio: adhuc spes, adhuc medela, adhuc confessio, etiamsi non perfectissimè, artamen aliorum salus non est desperata. *His verbis apertissimè docet Epiphanius, nihil quidquam accedere aut decedere posse amplius, nihilque commodari aut incommodari hominibus, humanisque animis, qui emeriti sunt liberique vitæ stipendijs, quod in disputatione cum Aërio ob metum vulgi non ausus*

Epiphanius consensit vulgi opinionibus.

Epiphanij vera sententia de precibus pro defunctis.

Epiphanij ridiculosa cum Aerio contra Missæ sacrificium.

ausus fuit palàm profiteri, & liberè eloqui.

Alterum *est quòd ex his intelligimus, quòd damnatio Aërij & disputatio cum eo Epiphanij non extruat, ut Bellarminus vult sed potiùs euertat Missæ sacrificium pro defunctis in Purgatorio degentibus. Non enim damnatus fuit propterea Aërius, quòd negaret, animas defunctorum Missæ sacrificio liberari non posse ex Purgatorij cruciatibus : sed quòd doceret,* Non esse orandum pro defunctis. *Longè autem alio sensu, aliisque de causis Veteres pro mortuis orarunt, quàm hodie in Papatu fiat, sicut suprà demonstratum est. Deinde, neque affirmat, neque negat diserte Epiphanius, Orationes viuorum mortuis prodesse : sed simpliciter dicit*, Orationes pro defunctis prodesse: *alibi autem diserte docet,* defunctis nihil subsidij sperandum esse ex viuorum officijs, exequijs & parentationibus.

5. Primissima Ecclesia non orauit pro defunctis qui in Purgatorio sunt.

QVINTVM *Argumentum petit ab authoritate probatissimorum Patrum Græcorum & Latinorum.* Respondeo *primò in genere, nullum ex his Patribus omnibus docere, Sacrificio Missæ ex Purgatorij flammis animas defunctorum liberari, quod Patrum istorum testimonijs probare conatur Iesuita.* Secundò, *in specie responsum est suprà ad loca Tertulliani, Cypriani, Chrysostomi, Epiphanij & Augustini, quæ Bellarminus adducit.*

Quòd ad Cyrillum Hierosolymitanum attinet, dicit ille quidem, prosui iam temporis recepta consuetudine, sacrificium altaris maximum iuuamen esse animarum : *non autem dicit, liberari illo animas ex Purgatorio. Non negamus etiam quod Eusebius scribit, ciues Constantinopolitanos pro anima Constantini M. Imp. preces fudisse. Nullam autem consecutionem esse dicimus iterum, à precibus Veterum pro defunctis, ad Purgatorium Pontificium, quod Bellarminus ex illis fulcire & extruere conatur. Nam piorum animas etiam in cœlo putabant Veteres beatiores fieri posse, usq; ad diem extremi iudicij, quo demum plenum suæ felicitatis cumulum sint accepturæ. Orabat igitur pro illis Ecclesia adhuc in terris militans, ut beatiores fierent : & si quæ illis peccatorum nebulæ obstitissent, ea penitus delerentur, ut ex ijs quæ suprà sunt dicta facilè potest intelligi. Quamuis hoc fieret à Veteribus sine ullo Scripturæ sacræ fundamento.*

Manifestissima sunt hæc etiam ex precibus quas fundit Ambrosius pro Theodosio & Valentiniano Impp. In illis enim præsupponit, illos iam detersa labe peccati ablutos esse, & æternæ vitæ delectationibus iam frui, pro quibus oraturum se dicit. Non dubitemus, *inquit*, de meritis Valentiniani, credamus vel Angelorum testimonijs, quòd detersa peccati labe ablutus ascendit, quem sua fides lauit. credamus, quia ascendit à deserto, hoc est, arido & inculto loco, ad illas florentes delectationes, ubi cum fratre coniunctus, æternæ vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Omnibus vos oblationibus frequentabo, &c. *Cerè in Valentiniano, qui Catechumenus mortuus erat, propter quod etiam sorores ipsius supersistites valde contristabantur, locum habuisset id, quod Pontificij de Purgatorio dicunt, per orationes & oblationes posse animas post mortem à peccatis & pœnis absolui. Ambrosius autem dicit, Ipsum iam à peccatis ablutum & innoxium, æternæ vitæ frui voluptate, Audi verò rationes, ob quas ipse dicit, quòd oraturus sit pro Valentiniano, etiamsi æterna vita iam fruatur.* Dolor, *inquit*, plerunque solatium est dolentis. *Item* : Est in pijs affectibus quædam etiam flendi voluptas. *Et*, In commemoratione eius, quem amissum dolemus, acquiescimus. *Similiter de obitu Theodosij, probat ex fide ipsius, quòd anima eius sit iam conversa in requiem. Et addit:* Absolutus dubio iam certamine, fruitur nunc Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna: &c. *His præsuppositis, tamen orat* : Da requiem seruo tuo Theodosio: illò conuertatur anima eius, ubi mortis aculeum sentire non possit. Dilexi virum, & ideo prosequar eum, usque ad regionem viuorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quò sua merita eum vocant, in montem Domini, ubi perennis vita, nullus gemitus, nullus dolor, &c. *Statim etiam post hanc orationem dicit:* Manet ergo in lumine Theodosius, & Sanctorum cœtibus gloriatur, illic complectitur Gratianum, & in regno Christi considerat templum eius. *Sic lib. 2. epistola 8. de Faustini sorore scribit* : Meliorem illic vitam exigit : (*Quæ verba Bellarminus astutè præterijt, ut minùs rectè sequentia intelligantur* :) Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, neo mœstificandam lachrymis, sed magis animam eius oblationibus Domino commendandam arbitror. *His mox subiungit* : Securus de meritis eius & fide. *Item* : Quid est quòd ingemiscamus pro mortuis, quum iam reconciliatio mundi facta sit apud Patrem per Christum ? Quoniam ergo beneficia Christi tenemus, cùm apud omnes, tum apud te, Legatione pro Christo fungimur, ut nouetur irreuocabilia esse dona Dei, ut credas quod semper credidisti, nec novo mœrore tuam in dubium adducas sententiam, quia ideo peccatum factus est Dominus, ut tolleret peccatum mundi, ut essemus in illo omnes

Rationes ob quas Ambrosius pro defuncti orauit.

iustitia

iustitia Dei, non iam culpæ obnoxij, sed iustitiæ remuneratione securi. *Hæc omnia ex Ambrosio orante pro mortuis in medium adduxit Kemnitius : quæ tamen Bellarminus alto silentio præterijt.*

Dionysij doctrina de precibus pro defunctis.

Ad eundem etiam modum Dionysius cognomento Areopagita lib. 7. Hierarchiæ Ecclesiast. multis verbis præsupponit, mortuos, pro quibus oratur, æterna felicitate frui. Consequentiam etiam illam Pontificiam, Si defunctorum animabus petitur refrigerium, ergo nondum habent illud, sed sunt in cruciatibus, Dionysius ex professo refutat. Quærit enim, quare Antistes oret, ut mortui, dimissis peccatis, collocentur in luce & in regione vivorum? Si enim illic quisque recipiet remunerationem, prout in hac vita se gessit: defunctus verò suas operationes hujus vitæ iam consummauit, quomodo per Antistitis orationem ad aliam requiem, quàm vita ipsius dignum est, transferetur? Hic sanè locus fuisset dicendi de Pœnis Purgatorij, de suffragijs & satisfactionibus vivorum pro mortuis, si eo tempore Ecclesia orans pro mortuis, talia agnouisset. Dionysius autem nihil horum dicit : tantùm in genere respondet, iustorum preces efficaces esse in hac vita, nedum post mortem, pro ijs tantùm, qui digni sunt. *Orationis*, verò *super mortuum hunc esse sensum dicit* : Pontifex didicit ex Scripturis diuinitùs traditis, quòd illis, qui piè vixerunt, reddetur secundùm opera ipsorum, sed tamen ita, ut diuina bonitas per summam clementiam non respiciat aut imputet maculas, quæ ipsis ex humana infirmitate adhæserunt : Nemo enim mundus est à sorde, dicit Scriptura. *Non ergo coniecit Dionysius hominem propter naturæ corruptæ maculas in Purgatorium, sed dicit eas ex bonitate & clementia Dei remitti seu condonari. Pergit autem quærere, Si hæc certò promissa sunt, & dantur defunctis in Christo, quare ergo Antistes ea pro mortuis petit? Et tres assignat rationes : Prima est*, Pontifex ad imitationem bonitatis Dei aliorum dona, tanquam proprias expetit gratias. *Secunda*, Quia ipse Pontifex nouit, ea quæ diuinitùs promissa sunt, certò donari piè defunctis. Vt igitur præsentibus etiam manifestet & confirmet, quæ bona certò donanda sint piè obdormientibus, ideo ea in forma precationis proponit, quia quæ iuxta Deum petit, Pontifex consequitur. Et in illa sua oratione nihil aliud petit, quàm quæ in Scripturis expressè promissa sunt, donanda piè defunctis. *Tertia*, Pontifex à Christo accepit *potestatem* Clauium, ut iudicium Dei iuxta Verbum ipsius patefaciat & manifestet, Deo charos admittendo, & impios excludendo. Ita ergo in Christo defunctos quasi transmittens & transuehens eos in æternam requiem, per absolutionem formæ precationis, eos in lucem & regionem viuorum transferri *ostendit. Hæc quasi ex professo refutant ea, quæ Pontificij ex ritu orationis Veterum pro mortuis, ad confirmandum Missæ sacrificium pro ijsdem exculpunt: & ostendunt quam ob causam & quo sensu Veteres pro mortuis orarint: non quòd seruirent eos esse in cruciatibus, unde nostris suffragijs sint redimendi; Sed partim propter superstitum institutionem, exhortationem & consolationem: nam quum considerarent infirmitates suorum defunctorum, non autem coram viderent eorum felicitatem, confugerunt ad Deum, & precibus misericordiæ Dei eos commendarunt, ut sic orationibus his se confirmarent de salute & beatitudine mortuorum: Partim etiam, quòd crederent animas defunctorum in cœlis quoque his orationibus viuorum beatiores & feliciores usque ad extremi iudicij diem fieri posse.*

Quibus accedit, quòd etiam in veteri Ecclesia passim obtinuit opinio illa, qua credebatur, animas defunctorum usque ad ultimum iudicij diem in communi quadam custodia detineri, nec ante illum liberari inde posse. Nam Irenæus in fine libri quinti, Cùm, *ait*, Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, pòst deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo. Et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, pòst accipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei. Nemo enim est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis, erit sicut magister eius. Quomodo ergo magister noster non statim euolans abijt, sed sustinens definitum à Patre resurrectionis suæ tempus, quod & per Ionam manifestum est, post triduum resurgens assumptus est: sic & nos sustinere debemus definitum à Domino resurrectionis nostræ tempus prænuntiatum à Prophetis, & sic resurgentes assumi, quotquot Dominus hoc dignos habuerit. *Sic etiam Lactantius lib. 7. de Diuino præmio cap.* 21. Ne, *inquit*, putet quisquam animas post mortem protinus iudicari: Omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus aduenerit, quo maximus Iudex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata iustitia, ij præmium immortalitatis accipient, &c. *Tertullianus quoq; solis Martyrum animabus beatam Dei visionem & mansionem in cœlo concedit.*

Ex

Ex his omnibus manifestissimum sit, non rectè adduci à Bellarmino veterum Patrum testimonia de Oratione pro mortuis, ad confirmandum Missæ sacrificio animas defunctorum ex Purgatorio liberari. In eiusmodi enim precibus hoc præsuppositum Veterum non fuit, quòd crediderint piorum animas post mortem esse in peccatis, & in cruciatibus ignis Purgatorij, unde viventium Orationibus & suffragijs, tanquam expiationibus & satisfactionibus, sint redimendæ. Sed hoc Veterum aliqui præsupposuerunt, animas defunctorum in una & communi custodia detineri, usque ad nouissimum diem: plerique autem, piorum animas, pro quibus orarunt, detersa labe peccati, iam esse ablutas & innoxias, saluas & in luce perpetua: frui illic vita meliore, imò tranquilliore & delectatione vitæ æternæ in Sanctorum cœtibus. Causas igitur Orationis pro defunctis habuerunt, non quas Bellarminus fingit, sed quas enumerauimus.

Canon Cœnæ tacitè & cum silentio legi cœpit.

Omnia in primitiua Ecclesia clara voce pertractata.

Omnia in veteri Ecclesia alta & clara voce recitata fuisse etiam in Cœnæ Dominicæ celebratione, suprà satis multis ostensum est. Hinc Gregorius Turonensis lib. 7. hist. cap. 8. testatur, ante Missam olim silentium fuisse imperatum, ut Missæ exaudiri possent. *Vnde manifestum est, non fuisse hæc sacra occultè & cum silentio peracta, aut verba clam & cum murmure lecta.*

Submissa voce Canon legi cœpit.

Gigas quoque testatur in Floribus temporum, olim publicè, claraque voce, & lingua vulgari omnia in Cœnæ actione recitata fuisse. Olim, *inquit*, quasi ab omnibus per usum quotidianum Canon discebatur, quia alta voce pronuntiabatur. *Vnde ob casum, quem mox referemus, à Vigilio Papa institutum dicit*, ut Canon submissa voce legeretur. *Et Martinus Polonus*, Vigilius, *inquit*, statuit, ut Canon nunquam legatur, nisi super sacrificia, & in altari consecrato, voce submissa. *Clarius autem Vigilius circa annos Domini 545. Longissimè igitur à vero aberrauit Valerius Anshelmus Ryd, qui hoc institutum Sixto 1. adscribit, cuius tempore Canon Missæ Romanæ nondum fuit consutus, quum vixerit circa annos Christi 125.*

Iustiniani Imp. leg. quòd omnia in Ecclesia clara voce peragi debeant.

Iustinianus Imp. autem, qui Vigilij tempore vixit & Imperio præfuit, hanc eius constitutionem aliâ abrogauit & rescidit, quæ habetur in Nouellis Constitutionibus, Extra. 123. Constitut. authentica, & de verbo ad verbum sic habet: Iubemus, ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri, non sub silentio vel tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiri possit, sacram oblationem & preces in sancto Baptismate adhibitas, celebrent: quo maiore deinde deuotione, in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & D. Apostolus docet, dicens 1. Corinth. 14. cap. Enimverò, si solummodo benedicas spiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo, ipsum Amen? quandoquidem quid dicas, non videt. His igitur de causis conuenit, ut inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis & Presbyteris Domino nostro Iesu Christo, Deo nostro cum Patre & Spiritu sancto proferantur. Scituris religiosissimis Sacerdotibus, quòd si quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi de his rationem reddent: neque vos hæc cognoscentes conquiescemus, relinquemúsque multa. *Huc usque Iustinianus.*

Lex hæc Iustiniani Imp. generalis est.

Hardingus contra Iuellum hanc Iustiniani legem Græcæ duntaxat, non etiam Romanæ Ecclesiæ datam fuisse scribit. Verùm contra Vigilij Romani Episcopi decretum hæc à Iustiniano lex potissimùm promulgata videtur. Deinde Hardingus manifestè ab ipsomet Imperatore refutatur, qui sua decreta generatim ab omnibus in toto terrarum orbe capescì atque seruari iubet. Sic enim scribit Cod. de Iudicijs cap. Properandum. Visum est præsentem legem omni terrarum orbi ponendam, nullis locorum vel temporum angustijs coarctandam. *Atque legem Ecclesiasticam his verbis sancit Cod. de Episc. & Cleric. cap. Generaliter.* Et hoc non solùm in veteri Roma, vel in hac Regia ciuitate, sed in omni terra ubicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus. *De rebus autem iis, quæ Constantinopolitanam urbem peculiariter attinebant, in suprà nominata Constitutione, sic habes:* Quæ ad Ecclesiam huius regiæ ciuitatis Constantinopolitanæ pertinebant, ea sumus peculiari lege complexi.

Bellarmini lapsus Imperatoris illusio.

Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 12. dupliciter ad hanc legem Imperatoris respondet. Primò, Non ad Imperatorem pertinuisse, ut de ritu sacrificandi leges ferret: proinde non multùm referre quid ille sanxerit. *Quasi cura Religionis non ad Magistratum politicum pertineat. Secundò dicit*, Imperatorem solùm iubere, ut quæ alta voce dici solebant ab omnib. alta voce dicerentur. *Rectè: omnia autem clara voce dici solebant: quum igitur quidam essent, qui aliqua submissa voce pronuntiarent, reprehenduntur ab Imperatore, & iubet*, ut inter cæteras preces, etiam ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce proferantur.

Fabula ob quam Canon tacitè legi cœpit.

Hoc quidem Imperatorio edicto sublata tum fuit Vigilij constitutio: progressu verò temporis, quum

quum iam Antichristus manifestè regnaret in Ecclesia, rursus renovata & confirmata est, idq, ob hanc sive fabulam, sive historiam, cuius Sophronius meminit in Prato Spirituali, cap. 196. & Alcuinus in lib. de divinis officijs: qui authores ante annos 800. *floruerunt. Eam quoque Iacobus de Voragine, Gabriel Biel in Expositione Canonis Lect. 15. litera E. Innocentius 3. Durandus in Ration. lib. 4. cap. 35. Clichtoveus & alij narrant.* Fertur, *inquiunt omnes uno ore*, quòd quum antiquitùs publicè & alta voce Canon diceretur, omnes penè per usum illum sciebant, & in plateis & vicis illum decantabant. Vnde quum quidam pastores in agro, Pane super lapidem posito, Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conversus est in carnem. Ipsi autem igne de cœlo acerrimo divino iudicio sunt percussi: *nullus tantæ cladis relictus est nuntius.* Propter quod, *inquit Durandus*, Patres statuerunt, verba ista sub silentio dici, inhibentes sub anathemate, ne proferantur, nisi à Sacerdotibus super altare & in Missa. *Ita quidem isti: interim verò in quo Concilio, in qua Synodo, in quo Conventu, à quibus Patribus hoc decretum factum sit: aut à quo clades hæc exulgata, quum hi pastores omnes extincti, & nullus superstes relictus fuerit, de his inquam ne gry quidem. Adhæc mitum sanè, Si, ut Pontificij scribunt, vel Sacerdos ipse, nisi altare consecratum, & calicem, & corporale, & reliquam suppellectilem adhibuerit: nisi panem fixo intuitu inspexerit: nisi integra quinque verba vno spiritu pronuntiaverit: nisi mentem & voluntatem consecrandi singularem attulerit, frustrà omnem laborem insumit, neque quicquam omnino consecrat: Qui Pastores isti sine his omnibus consecrare potuerint?*

Sed demus illis veram hanc esse historiam: tamen ex recitatione eius Missæ secreta validissimè refutari potest. Fatentur enim omnes suprà nominati Pontificij Doctores, Canonem olim publicè & alta voce recitatum esse. Canon autem absolutus & compositus est circa annos Christi 600. *Missa igitur secreta diu post hæc tempora instituta, & Canon serò cum murmure ac silentio legi cæpit. Cumque Laici, ex publica actione ita illum didicerint, ut pueri etiam in plateis, & Pastores in agro decantarint eum, necesse est illum in vulgari & omnibus nota lingua lectum, seu recitatum fuisse, alioquin ab idiotis addisci non potuisset.*

Deinde quæro, cur ob hunc unicum casum à Christi exemplo, & mandato: Apostolorum etiam, totiusque Antiquitatis ritu & consuetudine, tot seculis piè usurpata, discesserint? Respondent Innocentius de Missæ mysti. & Ioan. Billet de Divinis Officijs, Non tantùm ob hunc casum institutum, ut Canon secretè legatur, sed etiam in genere, ne si verba sacrosancti Canonis clara voce recitata, ab omnibus exaudiantur, tunc assiduitate ac frequentia vilescant: quod enim tritum sit, plerunque contemni solere. *Cur igitur non idem metuunt in recitatione Orationis Dominicæ, quam iubent in Missa clara voce pronuntiare? Anne Canon, ab hominibus excogitatus, maioris est dignitatis & præstantiæ, quàm Oratio Dominica, ab ipso Christo dictata? Respondet Durandus lib. 4. cap. 47. hoc propterea fieri,* quòd Oratio Dominica sit de Evangelio. *Appositissimum verissimumque responsum. Quum igitur Canon Missæ non sit de Evangelio, sed eius doctrinæ perversio, recte eum cum murmure & silentio legunt, quòd mysteria eius, nulla ratione melius, quàm sola taciturnitate commendari queant. Thomas parte tertia, quæstione 183. scribit*, oblationem & consecrationem duntaxat ad Sacerdotem pertinere, ideoque verba tacitè legi debere, quandoquidem illa nihil ad plebem spectent. *Sed quàm firma hæc sit ratio, & quàm Christianè hæc dicantur, pio Lectori iudicandum relinquo. Rectiùs dixit Lactantius lib. 5 ca. 20. Fida silentia instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciret populus quid coleret.*

Lactio Canonis cum silentio Fabulosissimum refert.

Sed in hac re, quemadmodum in alijs omnibus, Ethnicos egregiè imitantur. Nam ut illæ persuasum erat, visum eos amittere, qui Orgia & Eleusinia, atque etiam Bonæ Deæ sacra vidissent: ita etiam sacrificuli dira minantur ei, qui ad verba Canonis diligentius aures arrigat, vel ea curiosiùs investigaret. Tradit etiam Lactantius de libris Sibyllinis, lib. 1. Institut. divin. nefas fuisse illos ab aliquo inspici, nisi à Quindecimuiris, aut, ut Livius refert, à Decemviris, qui eorum erant interpretes. Imò qui hæc arcana exulgasset morte mulctabatur. Et quò magis homines ab eorum exulgatione absterrerentur, divina visa & supplicia iactabant, quibus aut moniti, aut punitii essent, qui ea prodidissent: ad eum prorsus modum, quo Pontificij scriptores nugantur, pastores illos igne cælesti percussos, qui Canonem publicè extra Missam recitarunt. Imò, quid interest inter hoc exemplum, & quod à Plinio narratur lib. 28. cap. 2. de Tullo Hostilio Rege, quum ex Numæ libris, eodem quo ille sacrificio Iovem cœlo devocare conaretur, quoniam parùm ritè quædam feciſſet, quòd fulmine ictus sit? *Quis non intelligat, Pastorum istorum fabulam, ex hac Pliniana, paucis duntaxat immutatis, natam & confictam esse? Quid verò dico de Ethnicis Magos etiam, eorumque artem imitatur Romana Ecclesia, sua sacra tam solicitè occultando & à vulgi auribus removendo. Scribit enim Cornelius Agrippa de occulta Philosophia lib. 3. cap. 2.* Magos & artem magicam horrere lucem & revelationem: amare verò

tenebras:

tenebras: tacendo confirmari, efferendo exterminari. *Estque hoc axioma Magorum*: Oportet magicum operatorem, si fructum inde consequi velit, secretum esse. *Rectè igitur Gabriel Biel in Exposit. Canonis literis F. G. H. Lectionis 4. comparavit Missæ secretæ consecrationem*, Magiæ veneficarum & incantatorum, lac ex scamno & manubrijs securium emulgentium.

CAPVT VIII.

Hæreticorum huius Classis de Eucharistia Errores.

De Pepuzianorum & Collyridianorum Errore.

Vide Viretum de Origine & misteriis Sacram. libr. 1. c. 30.

EVsebius *lib. 1. de vita Constantini Imp. scribit*, mulieres aliquibus in locis solitas fuisse è suo sexu aliquas eligere, quæ munia Ecclesiastica obirent, quòd Licinij Imp. Rom. edicto & lege in Syria unà cum viris congregari & convenire vetarentur. *Illud verò præter Ecclesiæ morem, ac præter Dei Verbum à Licinio homine Ethnico mandatum fuit, & propterea mulieres illæ coactæ, non sponte hoc fecerunt: cumque singulare factum sit, in exemplum non trahendum est. Epiphanius verò de* Pepuzianis, *quorum sectam eundem cum Phrygum hæresi facit, quæque circa annos Domini 147. initium habuit*, Episcopos apud ipsos & Presbyteros etiam mulieres fuisse scribit, quæ unà cum viris sacramenta administrarint, & alia munia Ecclesiastica obierint, nihil enim differre dixisse: in Christo namque neque masculum, neque fœminam esse. *Idem author de* Collyridianis *mulieribus refert*, quòd statò quodam anni die, currum quendam, seu sellam quadratam ornarint, expanso super ipsam linteo, sub quo panes κολλυρίδας, *unde Collyridianæ dictæ*, promentes, in Mariæ nomen obtulerint.

Mulieribus nec docere, nec sacramenta administrare licet.

Quum autem mulieres ab omni Ecclesiastico docendi munere in Christiana Ecclesia arceantur, eadem etiam à Sacramentorum Novi Testamenti conferendorum ratione omnino abstinere debent. Paulus enim 1. Tim. 2. dicit, Mulieri docere non permittito: *ergo nec Sacramenta administrare. Christus enim illa coniunxit inquiens*, Ite, docete omnes gentes, baptizantes, &c. *Quæ verò Christus coniunxit, nobis nequaquam licet separare. Ex quo consequitur, ut cui ex Dei Verbo docendi munus non est concessum, eidem quoque nec baptizandi, nec Cœnam Dominicam administrandi ministerium à nobis tribuendum sit, aut ex ulla necessitate permittendum.*

Hoc diligenter in primitiva Ecclesia observatum fuit, ut ex Tertulliano colligere licet, qui in lib. de Velandis Virginibus, Non, *inquit*, permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis sortem sibi vendicare. *Epiphanius contra Collyridianos*, Si mulieribus, *ait*, præceptum esset Deo sacrificare, aut regulare quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium in Novo Testamento perficere, quæ digna facta est in proprijs finibus suscipere universorum Regem Deũ cœlestem Dei Filium cuius uterus templum factum est & domicilium, ad Domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem, & admirandum mysterium præparatus est. At non complacuit. Sed neque baptisma dare concreditum est: alioqui potuisset Filius ab ipsa potiùs, quàm à Iohanne baptizari. *Quibus verbis Epiphanius clarissimè docet, in primitiva Ecclesia fœminis adeò non licuisse Eucharistiam administrare, ut nè ipsi quidem B. Virgini concessum fuerit. Addit ibidem*: Et ministrarum quidem diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia: sed non ad sacrificandum, neque ut quicquam aggredi permittantur: verùm reverentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visitationis, affectionis, aut laboris. *Item*, Neque in Veteri, neque in Novo Testamento haberi, quòd mulieres sacrificarint. *Vide plura apud eundem Hæres. 79. Tom. 2. lib. 3. Et in Synodo Carthaginensi 4. Cap. 99. decretum fuit*, Ne mulier quantumvis docta & sancta in conventu virorum docere præsumat.

Vide Tractatum Christoph. Ehamnid Dalbij de Exorcismo & Cynocephal. 111. 113. & 117.

Quod autem objiciuntur exempla Sephoræ Exod. 4. quæ præsente marito Mosæ filium suum circumcidit: item Deboræ Iudic. 4. & Oldæ 2. Reg. 22. Prophetissarum, & in Ecclesia docentium, respondemus, Ex particulari generale quiddam colligi: tum, Ex facto extraordinario regulam perpetuam constitui, cùm nusquam alibi legamus, mulieres in populo Dei & sub lege suos vel alienos liberos circumcidisse, aut in Ecclesia docuisse. Denique legibus, non exemplis vivendum esse dicimus.

De Ebionitarum Errore.

Ex Cypriani quoque lib. 2. epistola 3. ad Cæcilium colligitur, Ebionitas *eo tempore plebi in calice Dominico non vinum, sed aquam puram pro vino porrigere solitos; id q. sobrietatis & abstinentiæ prætextu. Ob quam causam & Athenienses sua sacrificia ἄοινα & νηφάλια, hoc est, vino carentia & sobria, ut docet Iulius Pollux, celebrarunt: in quibus Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ,*

Lunæ, Veneri, Vraniæ & Nymphis non vinum, sed aquam mulsam libabant. Porrò error sic Africanas deinceps aliasque Ecclesias inuasit. Cyprianus autem ea de re Cæcilium monet, se divinitùs admonitum esse, in administratione Cœnæ nil aliud fieri debere, quàm quod Christus in prima institutione fecisset, *& id prolixè multis Scripturæ locis probat: hortatur etiam Cæcilium, ut eiusmodi abusum Cœnæ, scribendo ad Collegas, abroget, & ea quoque de re se ad collegas scripturum promittit. Vbi Magdeburgenſium Centuriatorum error notandus, qui Centuria 3. hanc epistolam à Cypriano ad Cornelium Romanum Episcopum scriptam referunt: & hoc nouellum institutū Rom. Episcopis adscribunt. Sed utrumque falsum est. Nam Cyprianus hanc Epistolam ad Cæcilium collegam suum scripsit: deinde non Pontifices Rom. huius erroris authores fuerunt: sed, ut Epiphanius hæresi 30. testatur, Ebionitæ, qui circa annos Christi 85. exorti, sed dicto citius extincti sunt: deinde Tatiani & Severiani circa annum Domini 155. qui vinum prorsus nullum biberunt, ob eamque causam se* Encratitas *nominarunt, hoc est, abstinentes, ut Theodoretus: ab alijs etiam* Aquarij *dicti sunt, ut Augustinus in lib. de Hæresibus cap. 64. indicant.*

Docebant autem, ut idem Epiphanius lib. 2. Tom. 1. hæres. cap. 47. testatur, Vinum esse diabolicum, ac scleratos esse qui eo uterentur, quòd vitis ex semine esset diaboli, ac proinde serpentis imaginem referat. Factum etiam suum ex diuturnæ consuetudinis usu defendebant: *Cyprianus autem ad id respondit:* Vicii ratione opponunt consuetudinem, quasi consuetudo maior sit veritate. Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.

Refutauit hunc errorem non solùm Cyprianus, sed etiam Chrysostomus homil. 83. in Matth. Sed sunt tam impia & absurda deliria, ut refutatione nullam mereantur. Tolerari hoc aliquo modo potuisset, si in eorum gratiam factum ab eis fuisset, qui abstemij dicuntur, & à vino ita abhorrent, ut ne eius odorem quidem ferre possint, aut vel guttulam sine nausea excipere. Sed præstat hos, ab hoc Cœnæ symbolo abstinere, si id præstare non possunt, quod Christus instituit, quàm eorum causa illius mutare & corrumpere institutionem.

De Montanistarum Errore.

De funesta autem Montanistarum *Eucharistia*, Cataphrygum *quoque & Gnosticorum, qui istorum propagines fuerunt, sic scribit Philastrius, & ex eo (ut videtur) Augustinus*: De infantis, *inquit*, anniculi sanguine, quem de toto eius corpore, minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur: Miscentes enim farinæ, panemque inde facientes, ubique ut sacrificium & oblatio in Pascha te emittunt ad socios. Infans autem, à quo sanguis expressus est, si mortuus fuerit, pro martyre: sin superuixerit, pro magico habetur sacerdote. *Horrendum hoc facinus non aliam ob causam ab illis patratum arbitror, quàm quòd realem sanguinem in Eucharistia habere vellent. Quin idem Augustinus de Hæres. cap. 26. refert*, eosdem etiam semine humano panem Eucharisticum conspersisse, *quæ animus vel meminisse horret.*

His autem nihilo vel meliores, vel saniores fuerunt alij hæretici, qui à Damasceno Barsaniani, *siue* Semidalitæ *nominantur: qui non tantùm in cæteris cum Caimanis consenserunt, sed etiam hoc habuerunt à se, sibique peculiarem errorem etiam præter Eutychiani Dioscuri delirium, quòd in Cœna Domini (in qua tamen nihil immutandum Paulus docet 1. Corinth. 11.) propane tantùm similæ & farinæ quantum summis digitis comprehendere potuerunt, ceperunt, eamque summis labris degustarunt tantùm, & prousu esuque panis Cœnæ subsituerunt.* Barsaniani seu Semidalitæ.

De Artotyritarum Errore.

Artotyritæ *verò hæretici* in mysterijs suis appoſuerunt panem & caseum, *& sic mysteria sua celebrarunt, ut Epiphanius de illis refert hæresi 49. lib. 2. tom. 1. Augustinus quoque in libro de Hæresibus cap. 28. de iisdem sic scribit*: Artotyritæ offerunt panem & caseum, dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ouium fuisse celebratas. *Hanc verò oblationem interpretantur aliqui, in Eucharistia fieri solitam ab illis. Addiderunt itaque tertium hoc symbolum, nempe caseum, ad duo quæ Christus instituerat, videlicet ad panem & vinum: Vel sub illuerunt loco vini caseum, quòd Deo gratior videretur caſei oblatio, quàm vini. Caseus enim est fructus ouium, quo sacrificij genere Deum valde delectatum esse primò dicebant, & legitur etiam Genes. 4. cap. Quanquam hæc Artotyritarum sententia, & duorum istorum Patrum de eadem verba, Augustini scilicet & Epiphanij, de pane & caseo offerendis, intelligi quoque extra Eucharistiam possunt, quasi hoc genere sacrificij uterentur pro veteribus & legalibus sacrificijs, quæ in primitiua Ecclesia multi hæretici, veluti* Nicolaitæ, *& alij adhuc retinebant & usurpabant. Neque dubium est, quin hac fundamenta Manichæorum hæresis, ex Ethnicorum superstitione desumpta fuerint. Theophrasti enim sententia fuit, nudam victimam Deo gratiorem esse cruenta, quòd sanguinis effusio esset crudelis & à natura Dei aliena.* Eamque

Vide Bellarm. de Origine Hæres. tom. 1. col. 1068.

Eamque ob causam etiam θυσίαν non δατὸ τῦ θύειν, quod macta re significat, sed δατὸ τῦ θυμιᾶσθαι, hoc est, suffimento derivavit, quòd gratissimum Deo sit sacrificium naturalium odorum vapor & suffitus, non autem mactatæ pecudes. Sacræ Literæ autem nos docent, sacrificia illa externa Deo non grata fuisse propter res quæ in illis offerebantur, sed primò propter obedientiam, quia Deus illa instituerat: deinde propter Christum, cuius typi pleraque erant.

Antyquitus mutata dicti.

Cæterum ut ad Antytritas *reuertamur, dicti illi à Veteribus sic fuerunt, δατὸ τῦ ἄρτος, id est, pane, & τυρῶ, hoc est, caseo: & perinde sonat nomen illorum, si verbum verbo exprimas, ac si tu dicas* Panicasciistas. *Epiphanius eos Pepuzianis annumerat, nec dubium est Montanistarum fuisse propaginem. Quo tempore autem caperint, & quandiu durarint, quibus item successoribus eorum hæresis defensa fuerit, certò non potest indicari, pauci enim meminerunt illorum, & credibile est eos mox extinctos, cùm propter manifestam sacrosanctæ Cœnæ depravationem, tum etiam propter discipulorum paucitatem.*

Quicquid sit, ex errore tamen illorum obiter quoque intelligi potest, tunc temporis Transsubstantiationis, & Consubstantiationis seu Impanationis dogma prorsus incognitum fuisse. Nam si sensissent illi, nullam panis substantiam relinqui in Cœna, aut carnem Christi simul cum pane sociari, aut sola carne contenti fuissent, aut panem carni potius quàm cæsum adiunxissent.

De Messalianorum, vel Euchetarum errore.

Vide Oecolamp. Dialogum fol. 149.

Nunc de Messalianis *dicendum, qui & Euchetæ dicti fuerunt, & quæ de sacra Eucharistia, imò de Sacramentis in universum hominibus persuadere conati sint. Nomē utrunq; quorum prius Syriacum à* ש׳ואל, Scheal, *deductum, posterius Græcum est δατὸ τῦ εὔχεσθαι ab orando habent. Nam ut Augustinus in libro de Hæres. cap. 57. scribit, tantum orarunt, ut eis, qui de illis audierunt, incredibile visum fuerit, in eoque proram ac puppim salutis collocarunt, Magnum dedit hic error, hocque genus hominum non tantum incrementum, sed etiam fundamentum Monachatui, qui hodie in Papatu habilitus est ac viget. Perpetuò enim orare solent, non ex vera fide, sed ex superstitione: & labiorum suorum motui, ac verborum à se effusorum sono tribuunt, quod solius Christi est, nimirum peccatorum remissionem & vitam æternam. Cæperunt autem initia quædam habere sub Constantio Imp. ut Epiphanius indicat: innotuerunt autem sub Valentiniano & Valente Imppcirca annos Christi 341. Docuerunt inter alia quoque, Sacramenta, hoc est, Baptismum & Cœnam Domini, nec obesse, nec prodesse hominibus: quòd in unam certarum precum & verborum demurmuratorem transferrent causam remissionis peccatorum, redemptionis & libertatis nostræ. Quasi verò non obsit contemnere quod Christus præcepit, ac non prosit quod idem instituit. Sed hoc pacto insanire libebat istis ob precatiunculas suas perpetuas & meritorias, quas pluris faciebant licèt à se inventas, quàm quod insisset & instituisset Filius Dei.* Fidem etiam & Evangelij prædicationem *Euchetæ* ob eandem causam inutilem constituerunt. *Ab eorum errore igitur non multùm absunt* Anabaptistæ *hodie & Suvenkfeldiani, qui Ministerio Ecclesiastico & Verbi Dei prædicatione magno supercilio reiectâ, Sacramenta quoque flocci faciunt, & vacua, seu inania ac nuda tantùm signa in sacra Cœna constituunt, nè aliqua videlicet ex parte cum Papistis consentire videantur. Errant igitur, qui putant Messalianos damnatos esse ab Ecclesia, quòd negarent ipsum Christum in mysteriis corporaliter ore manducari. Hæc enim non est causa sed, ut diximus, quòd de mysteriis profanè sentirent. In quem errorem non verisimile est eos incidere potuisse, si velut ex Catholico & Orthodoxo dogmate, de corporali manducatione ipsius veri corporis in pane, edocti fuissent: Hoc enim ex instituto Christi corporaliter manducatum neq; prodesse, neque obesse, nullis unquam Hæreticis, ex Monasteriis præsertim prodeuntibus, & plerunque nimiâ superstitione fascinatis, in mentem venire potuisset.*

Origo Messalianorum.

De Nestorianorū & Eutychianorū errore.

Refert hæc Anthropomorphitarum errorem etiam de quo vide Dialogum Oecolamp. fol. 148. b.

Nestoriani *quoq; &* Eutychiani, *sic de naturis duabus in Christo senserunt & docuerunt, ut ex consequentibus legitimæ Eucharistiæ institutioni nonnihil detraherent, licèt palàm non impugnarent.* Nestorius *enim ita duas illas in Christo naturas separabat, ut humanæ suam, & divinæ naturæ suam quoque personam tribueret: personæ unitate, quæ duabus naturis constaret, prorsus sublata. Hac verò doctrina suæ carnis assumptæ Sacramentum manifestè violabat, & simul Eucharistiæ mysterium premebat, cuius celebratione non aliud magis quàm carnis nostræ cum carne Christi naturalem communicationem testamur. Insuper quoq; credimus, eam carnem pro nobis traditam esse, quæ panis sit cœlestis, operante nimirum Spiritu sancto à Verbo increato in utero virginis assumpta, & cum eodem in personam unam, nempe Christum Iesum, verum Deum & hominem, contracta.* Eutyches *autem, qui humanitatis naturā è medio sublata, non nisi unam camq; divinam in Christo agnoscebat, nihil prorsus aut corpori Christi aut carni reliquit, quod in Eucharistia recoleremus, corpora videlicet & sanguinis veritate in totum sublata. Est enim Eucharistia certissimum μνημόσυνον veritatis corporis & sanguinis Christi: quod qui vel distrahunt, vel naturæ violatione subvertunt, non habent amplius quod Eucharistiæ mysterio tribuant.*

CAPVT IX.

Vide Casaubonū Exercitationes contra tom. 1. Baronij Annal. p. 504. 505. &c.

De Nominibus, quibus hoc Sacramentum Cœnæ his primis à Christo sexcentis annis appellatum fuit.

CHristus *Servator noster hæc mysteria* Corpus & sanguinem *suum vocat, à materia cœlesti, cuius fideles in hoc sacrosancto convivio participes sunt. Sic enim inquit:* Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus. *Vocat etiam poculum* Novum Testamentum in sanguine suo.

1. *Corpus & sanguis Domini.*

2. *Cœna Dominica.*

Paulus 1. *Corinth.* 11. *vocat* Δεῖπνον κυριακὸν Cœnam Dominicam. Convenientibus, *inquit*, vobis in unum, hoc non est Dominicam Cœnam edere, &c. *Sic autem vocatur, partim propter Vesperam, vel subnoctiurnum illud tempus, quo Christus Pascha secundùm legem cum discipulis suis celebravit, eique mox sacrum hoc convivium substituit: partim verò ab auctore, vel etiam à fine: Nam & à Domino instituta est, & in eius memoriam celebratur.*

3. *Panis & poculum benedictionis.*

Idem Apostolus hæc mysteria vocat, panem & poculum Benedictionis 1. *Corinth.* 10. Poculum, *inquit*, benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? *Hac verò appellatione usum fructumque huius conviuij exprimit Paulus, quòd nimirum sit instrumentum, per quod participes fiamus corporis & sanguinis Domini. Vel appellat poculum benedictionis, id est, gratiarum actionis: quòd Ministri in eo gratijs Deo agendis benedicunt panem & poculum.*

4. *Mensa Dominica.*

Vocat ibidem quoque Mensam Domini: Non potestis, *ait*, Mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum: *per Metonymiam subiecti, cibum intelligit, qui in Mensa, seu Conviuio illo apponitur: vel cultum, qui Domino exhibetur in hac Mensa. Apertissimè autem hac appellatione Cœna Dominica distinguitur à sacrificio, cui sunt Aræ, vel Altaria destinata.*

5. *Fractio panis.*

A Luca cap. 20. *Act. nominatur* Fractio panis: Vno, *inquit*, sabbathorum, cùm convenissent discipuli ad frangendum panem: *id est, ad celebrandam Cœnam Domini. Est Synechdoche membris: sicut etiam c.* 2. *Act.* Erant-que perdurantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. *Vnde etiam Syrus vertit, in fractione Eucharistiæ,* בקעיראנכרסטיא

Et hæc quidem sunt nobiliora nomina, quæ in Evangelica historia his mysterijs tribuuntur. Quæ verò sequuntur, ab Apostolicis virís & primitiuæ Ecclesiæ Doctoribus tradita sunt.

6. εὐχαριστία.

Veterrimi Theologi mysterium hoc Cœnæ Dominicæ appellarunt εὐχαριστίαν, *hoc est*, Gratiarum beneficij recordationem, *seu* Gratiarum actionem: *quòd ex præcipuis eius partibus sit commemoratio, vel recordatio & obsignatio maximi beneficij, quod Deus humano generi præstitit, nimirum redemptionis nostræ per Filium suum factæ: & gratiarum actio pro eo.* (*Isidorus* Bonam gratiam *interpretatur, sed male. Vnde etiam apud Evangelistas* ἀχαριστεῖν & ἀναγεῖν, *itemque apud Patres* ἀχαριστία & ἀναγία *eodem sensu usurpantur, ex loco illo Pauli, in quo sacrum poculum vocat poculum* ἀναγίας. *Nititur autem hæc appellatio cum Christi manifesto exemplo, tum præcepto eiusdem expresso. Hanc enim actionem instituens Dominus, eam à gratiarum actione exorsus est, & in eadem finiit. Nam, ut Evangelistæ aperte tradiderunt,* accepto pane & poculo gratias egit: & *rursus:* quum surrexisset à Cœna, hymno dicto, abijt in montem. *Deinde, quum panem & poculum discipulis dedisset, ac iussisset eos de eo edere ac bibere, addidit:* Hoc facite in mei recordationem, *Luc.* 22. *Similiter apud Paulum* 1. *Cor.* 11. Hoc facite in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini καταγγέλλετε annunciate, &c. *Seu, cum solenni gratiarum actione promulgate & celebrate: hoc enim Græcum verbum significat.*

seu Gratiarum actio.

7. Ἀγάπη

Nominarunt quoque Patres hanc actionem Ἀγάπην, *hoc est*, amorem, charitatem, *vel* dilectionem: *à fine minùs principali. Est enim Cœna Domini mutuæ charitatis symbolum, quum omnes ad communem mensam & Cœnam accedimus, & unius panis participes reddimur. Deinde, collecta olim in Cœna celebratione fiebant, & eleemosyna in usum ac subsidium pauperum conferebantur, distribuenda, quibus fideles suam erga Christi egentia membra charitatem & dilectionem declarabant. Vnde sic Tertullianus in libro contra Gentes:* Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit: vocatur enim Ἀγάπη, id quod dilectio penès Græcos est.

8. Σύναξις.

Appellata etiam est à Veteribus Σύναξις *non solùm, quòd universalis Ecclesia per totum orbem dispersa, in Cœnæ celebratione de uno pane & uno poculo participat, ut volunt aliqui: sed etiam à congregatione, collectione, & conventu Ecclesiæ ad audiendum Verbum, precationem & usum Cœnæ communem. Id enim in tota antiquitate Græca nominarunt* συναγειν, συναξεις ποιειν, & συναγεσθαι, *quod in historia Tripartita & alibi, Ignatio, Dionysio, &c.* Missas facere, collectas celebrare & Missarū Solemnia, *Latinus Interpres vertit: Quod Tertullianus in libro de persecut.* Colligere nominat *Sic igitur dicta fuit ob has causas maximè, ut intelligeremus, Sacramenta debere esse veluti*

velati nervos publica congregationis, & ad ſtatuendum diſcrimen inter domeſticam Cœnam & ſacram hanc actionem, Cœnam Dominicam non privatim, ſed in publico Eccleſiæ cœtu adminiſtrari debere.

9. Λειτουργία.

Frequentiſſimè etiam à Græcis Eccleſiaſticis Scriptoribus λειτουργία *vocatur. Vox hæc derivatur à* λεῖτος, *quod idem eſt atque* δημόσιον, *hoc eſt, publicum, ut Plutarcho & Heſychio placet, & ἔργον opus: ut λειτουργία ſit publici muneris adminiſtratio, non tamen cum imperio: unde etiam* διακονία & λειτουργία *Græcis claſicis authoribus idem ſignificat. Ab Eccleſiaſticis Scriptoribus interdum uſurpatur pro quavis adminiſtratione ſacra in genere. Sic enim Paulus Rom. 15.* Si Spiritualia, *inquit*, ipſorum Gentes participarunt, debent etiam ipſæ in carnalibus eis λειτουργῆσαι miniſtrare, vel inſervire, & ſubvenire, *ex publica nimirum collecta. Specialius deinde pro adminiſtratione publici alicujus muneris ad Deum authorem relati uſurpatur. Hinc Paulus Rom. 13. Magiſtratum vocat Dei* λειτουργόν. *Idem vocabulum Act. 13. ponitur, pro prophetandi & docendi munere. Lucæ 1. cap. & Hebræ. 10. pro Levitici ſacrificij opere. Inde translata eſt vox ad ritum publicum adminiſtrationis Cœnæ Dominicæ, in quo unus multis inſeruit, & Sacramentum exhibet.*

10. Ἀναφορὰ προσφορὰ τελετὴ θυσία ἱερουργία. Sacrificium. Oblatio. Immolatio.

Vocatur etiam à Græcis authoribus ἀναφορὰ, προσφορὰ, τελετὴ, θυσία, ἱερουργία: *& à Latinis eodem ſenſu* Oblatio, Sacrificium, Immolatio.

Pontificij ex his nominibus probare conantur, Patres, qui his uſi ſunt, ſenſiſſe, Euchariſtiam eſſe ſacrificium, oblationem & immolationem, in qua realiter ſacrificetur, offeratur & immoletur verum & ſubſtantiale corpus & ſanguis Chriſti, pro expiatione peccatorum vivorum & mortuorum. Sed Patres longè alio ſenſu his vocibus uſi ſunt. Primò *& præcipuè, quòd Cœna Domini eſt ſacrificij ſemel in cruce peracti* ἀνάμνησιν, *ſeu memoria & recordatio. Sic enim interpretatur Auguſtinus libro decimo de Civit. Dei cap. 5. Et in Sententijs Proſperi de Conſec. Diſt. 2. Chryſoſtomus ad Hebræ. Homil. 17. Et quidem Auguſtinus epiſtola 23. diſertè exponit, quomodo intelligendum ſit, quod Chriſtus in Sacramento immolari dicitur videlicet, non quod verè & reipſa Chriſtus in Euchariſtia immoletur: ſed quod memoria ſeu commemoratio immolationis Chriſti ſemel in cruce factæ, ibi celebretur. Et alibi dicit, Immolatio carnis quæ ſit manibus Sacerdotis, vocatur paſſio & mors Chriſti in cruce non rei veritate, ſed ſignificante myſterio.* Secundò, *Cum ſacra Cœna in hunc uſum à Chriſto inſtituta ſit, ut per hanc ipſi ſanctæ ſocietate inhæremus, & per ipſum denique beati efficiamur, Patres huic præcipuo ſi externos cultus ſpectes, & quotidiano cultui divino, nomen ſacrificij indiderunt. Vnde Auguſtinus de Civit. Dei 10. lib. 6. cap. ita ſcribit:* Verum Sacrificium eſt omne opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſumus. Tertiò, *cum Eccleſia ex Iudæis & Gentibus per prædicationem Evangelij collecta eſſet, apud quos Sacrificia pecudum & ciborum voluptuoſiſſima fuerunt, conſuetum nomen Sacrificij manſit, ut omnibus Novi Teſtamenti cultibus tribueretur, inter quos Cœna Domini primum locum obtinuit. Hoc ſenſu Cœna ab Athanaſio vocatur* exanguis immolatio: *à Cyrillo* incruentum Sacrificium: *& ab Epiphanio* novum Sacrificium, *quòd veteribus legalibus Sacrificijs ſucceſſerit.* Quartò, *quia Cœna celebratur non ſine precibus fidelium, & gratiarum actione pro omnibus beneficijs, tum verò pro illo maximè, quòd morte Chriſti ab æterna damnatione redempti ſumus, inde quoque ſacrificij nomen accepit: ut aperiſſimè intelligitur ex Auguſtini epiſtola 120. ad Honoratum: ex Euſebio de Demonſt. Evang. libro primo cap. 10. Tertulliano lib. 4. contra Marcionem: Chryſoſtomo ſuper Matthæum Homi. 16. Sic etiam Irenæus* Oblationem Cœnæ celebrationem vocat, *propter preces & gratiarum actiones libro 4. cap. 34. Nam frequentiſſimè preces & gratiarum actiones in ſacris Literis ſacrificij nomine appellantur: ut eſt videre Pſalmo 50. & 69. Eccleſiaſtici ca. 35. & Hebr. 13.* Quintò, *Chriſtiani aliqui pro veteri conſuetudine legis, vinum, panem, primitias frugum & alias ἀπαρχὰς in Eccleſia contulerunt, non tam ad ſuſtentationem pauperum & Miniſtrorum, quàm ad uſum Cœnæ Dominicæ. Quia verò talia dona & collationes vocantur in ſacris Literis Sacrificia Deo grata & accepta, ut videre licet. Phili. 4. Hebr. 13. ideo Patres totam actionem Cœnæ Dominicæ appellarunt ſacrificium, ut intelligitur ex Iuſtini Apologia 2. Tertulliani Apologetico cap. 3. Irenæi lib. 4. cap. 32. & 34. Cypriani ſermone 1. de eleemoſyna, ubi apertè Cœnam Domini vocat Sacrificium, à ſacrificio oblationum pro pauperibus, quæ à fidelibus Deo offerebantur pro pauperibus & uſu Cœnæ. Locuples, inquit, & dives es, & Dominicum te celebrare credis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, & partem de Sacrificio (id eſt, de pane & vino à populo oblato) quod pauper obtulit, ſumis.*

Notandum tamen, Dionyſij ætate, quem Apoſtolorum temporibus, vixiſſe Pontificij dicunt, nomen Sacrificij *& oblationis Cœnæ Dominicæ attributum nondum fuiſſe. Id enim ex cap. 3. liquidò apparet:* Piè, *inquit*, inſpiciendum eſt, cuius rei gratia quod alijs quoque venerandis divinitque myſterijs

commune vocabulum est, huic præ cæteris præcipuè ac peculiariter applicetur, ut singulariter κοινωνία seu communio vel societas, & σύναξις sive collectio dicatur.

11. μυστήρια Mysteria

A Græcis quoque & Latinis authoribus Μυστήριον Mysterium *appellatur: non tam, quòd catechumeni, energumeni & pœnitentes ad sacram hanc actionem non admittebantur, quàm quòd, ut Chrysostomus docet Homil. 46. in Ioan. omnia in sacrosancta Cœna, non simpliciter, ut exteriùs videntur & dicuntur, intelligenda, sed interioribus oculis, hoc est, mente & spiritu consideranda sunt.*

12. Collecta.

A Cassiano & alijs Collecta *vocatur, per Synecdochen membri: à donis, quæ in ea offerebantur à fidelibus, & colligebantur in usus pauperum.*

13. Missa Missæ nomen apud Patres non reperitur. Vide Casaubonu Exercitationes contra tom. 1. Annal. Baronij p. 582.

Tandem Romani cœperunt actionem Cœnæ MISSAM *vocare, sive, ut alij volunt,* MISSA *neutro genere: quo tamen nomine annis plus minus quadringentis post natum Christum carnit. Nam apud Augustinum, Hieronymum, Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, & illius ætatis alios non reperitur in hac significatione. Bis quidem legitur in Sermonibus de Tempore, qui Augustino tribuuntur, & apud Hieronymum in Proverbia. Certissimum autem est, eos libros, neque ab Augustino, neque ab Hieronymo conscriptos esse, ipsa quoque Erasmo teste. Chrysostomo autem, Basilio, Nazianzeno, Gregorio Nysseno, & reliquis omnibus Græcis authoribus pentius hoc nomen ignotum fuit.*

Missæ nomen olim aliud significabat quàm hodie.

Apud Latinos nonnullos authores legitur quidem, sed longè alio sensu, quàm hodie accipitur: nimirum aut pro populari cœtu, vel concione, loco & tempore divinorum Officiorum, hoc est, Sacramentorum distribuendorum, vel precum gratia, congregata: aut pro ipsis Officijs divinis. Hoc sensu usurpatur ab Ambrosio lib. 5. epist. 33. & à Leone in Epistola ad Dioscorum Alexandrinum: ubi Missæ *nomen aperiè legitur, sed id ipsum intelliguntur, quod Hilarius in Psalm. 65. vocat,* divinorum Sacramentorum Officia, *quando nimirum in Ecclesiasticis conventibus, vel Sacramenta distribuebantur & participabantur: vel quando ad preces, seu orationes congregabantur. Sic enim scribit Ambrosius ad* Marcellinam: *sequenti die (erat autem Dominica) post lectionem atque tractatum (id est, actionem finitam) dimissis Catechumenis missam facere cœpi. Verba Leonis sic habent:* quum solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quàm recipere basilica simul una non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne, his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi qui postmodùm confluxerint, non recepti, quum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. *Hic manifestè inter Missam & Sacrificium distinguit: & nomine Missæ non Eucharistiam, sed vel cœtum populi intelligit, ad percipiendam Eucharistiam congregatum: vel sacrum Officium. Sic apud Cassianum libro secundo de modo Psalmorum cap. 13. legitur,* post Missam nocturnam non esse dormiendum. *Cap.* 15. Post orationem Missam, unumquemque ad cellulam suam redire debere. *Apud eundem legitur libro tertio de Canonicis diurnarum orationum & Psalmorum modo, cap. 6.* Illud quoque nosse debemus, nihil à senioribus nostris, qui hanc eandem matutinam solennitatem addi debere censuerunt, de antiqua Psalmorum consuetudine immutatum: sed eodem ordine Missam, quo prius in nocturnis conventibus perpetuò celebratam. *Capite sequenti videtur hanc vocem usurpare pro dimissione congregati cœtus, cùm de eo qui non in tempore ad horas orationum adest, sic scribat:* illi non licere deinde ingredi in oratorium, sed stantem pro foribus congregationis Missam præstolari debere. *Ita cap. 8. bis pro fine soluti congressus usurpat, inquiens:* contenti somno, qui nobis post vigiliarum Missam usque ad lucis indulgetur adventum. *Item:* Nisi post vigiliarum Missam somni quantumcunque gustaverit. *Et cap 11. non obscura conjectura colligi potest, neutiquam pro actione Cœnæ Dominicæ ipsum hac voce usum esse: Nam & peculiari nomine eum ritum designat,* collectam, *vel* communionem Dominicam *appellando: Et* Missæ *vocabulo utens, ipsum quasi aliud quiddam ac diversum distinguit, ac pro horis seu orationibus illis Canonicis usurpat, inquiens:* die Dominica unam tantummodò Missam ante prandium celebrari, in qua Psalmorum atque orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia solennius aliquid ac perpensius impendentes, in ipsa tertiam & sextam pariter consummatam repetant. *Hoc ipsum etiam ex vetustis Latinis è Græco translationibus intelligi potest. Quando enim Græcus author ἐκκλησίαν nomine, quòd cœtum, concilium, vel concionem significat, vel verbo ἐκκλησιάζειν, quod est cœtum congregare, utitur, Latinus Interpres sæpius Missam, vel Missam facere transtulit. Sic in Sozomeno Græco lib. 7. cap. 5. habetur:* ἐκκλησιάζοντῶν τῷ λαῷ *quod proprie*

propriè significat populo concionem habente: Epiphanius autem in Tripart. Hist. lib. 9. cap. 9. sic Latinè transtulit: Cùm populus congregaretur ad Missas. Socrates quoque sic Græcè scripsit libro quinto cap. 15. καθ' ἑωυτὸς ἐκκλησιάζειν hoc est, cœtum, seu concionem per se habere: Epiphanius verò in Tripart. Hist. lib. 7. cap. 31. sic reddidit: Apud seipsos Missarum celebrare solennia. Cassander etiam ex Benedicti regula ostendit, itemque ex Honorio, Orationes, quas nunc Collectas vocant, Missas appellatas olim fuisse.

Missæ & oratio olim idem.

Olim quoque Missæ *nomen pro quavis precatione usurpatum, ex Epistola quadam Chromatij, & Heliodori ad Hieronymum scripta de Gregorio Cordubensi Episcopo intelligi potest. Et in Mileuitano Concilio anno Domini 402. celebrato, cap. 12. sic sancitum fuit:* Placuit ut preces, vel orationes seu Missæ: quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. *Hic apertè Orationes & Missæ pro eodem accipiuntur.*

Missæ nomen quæ ratione in Decretalib. epistolis primorum Episcoporū Rom. loquatur.

Objcitur autem, Missæ nomen in decretalibus Epistolis primorum Pontificum Roman. inveniri, & quidem Eucharistiæ Sacramentum sic nominari. Respondeo, hoc ipsum apertissimum testimoniam esse, quòd hæ Epistolæ non sint genuinæ & genuina istorum Pontificum scripta, quum certissimum sit, hoc nomen in hac significatione apud nullum probatum authorem horum temporum reperiri.

Missæ nomen reperitur apud interpretes Græcorum authorum.

Secundo objcitur, Missæ *vocabulum inveniri, Primò, apud Interpretes Græcorum authorum, Ignatij, Dionysij & similium:* Deinde *etiam apud recentiores authores, qui semper Missæ nomine utuntur, quum de Veterum Eucharistia scribunt. Respondeo de primo, non authorum Græcorum, sed Interpretum illa esse verba. Sic enim Interpres Dionysij ἱερουργίαν reddidit nunc Missam, nunc salutis hostiæ oblationem: quum Græcum nomen longè aliud significet. Ignatius scripsit δοκῶ σπουδὴν, quòd propriè significat,* Conviuium sacrum celebrare: *Interpres autem transtulit, Missas celebrare. Inde exclamant Pontificij, apud Ignatium, Dionysium & alios vetustissimos authores reperitur nomen Missæ, ergo illis temporibus Missa est celebrata. Non autem quæritur, quid aut quomodo Interpretes hoc vel illud reddiderint, sed quid ipsi authores scripserint: Græcæ autem Ecclesiæ doctoribus Missæ nomen tam fuit ignotum, quàm quòd ignotissimum.*

Alterum verò quod attinet, Sigebertus quidem, unus ex recentioribus Ecclesiasticis Scriptoribus, de Leone I. qui Episcopatui Rom. præfuit circa annos Domini 440. refert, quòd solitus fuerit super corporibus vel memorijs Martyrum Missas celebrare. *Item,* in vrbe Vasensi, ab obsidione Hunorum liberata, eius Ecclesiæ Pastorem, pro gratiarum actione Missam celebrasse, *sub annum Domini 453. Augustinus verò non sic loquitur: sed de Civit. Dei libro octavo cap. 27. scribit,* ad Martyrum Memorias Cœnam Dominicam administratam fuisse. *Similiter Innocentius 3. Durandus & alij hos sequuti scribunt,* Petrum Apostolum primam in Oriente Missam celebrasse *Gratianus, aut si quis alius Canonibus insarsit,* Iacobum Apostolum & Basilium de Missa ordinasse & Missam celebrasse, *dicit. Imitantur autem perperam recentiores illi Ecclesiastici Scriptores in loquendo, vel scribendo sui seculi consuetudinem, quando Missæ nomen iam longè lateque receptum & pro Cœna Domini usurpatum esset. Id verò primò omnium cœpit fieri post annos Domini 400. ut diximus. Quàm ob causam autem Cœna Dominica sic appellari cœperit, ut variæ ac discrepantes de eo sunt sententiæ, ita etiam variæ etymologiæ & derivationes nominis, ad probandum quod quisque vult finguntur.*

Missæ nomen Hebraicis iuxta aliquot.

Nam primò, *sunt qui dicant, deduci ab Hebraico nomine* מסה, missah *cuius contructum* משה missath *exstet Deuteron. 16. cap. & significare ibi Sacrificium voluntarium, seu spontaneam oblationem primitiarum, ex quibus Israelitæ placentas conficiebant, & in Sacrificio levabant. Missam igitur dictam volunt Eucharistiam, quòd sit spontanea oblatio, quæ passim pro vivis & mortuis offeratur Deo in Ecclesia. Sed hæc derivatio quæ Reuclinum authorem habet, ut licet videre apud Polydorum Vergilium lib. 5. cap. 12. neque Eucharistiæ seu Cœnæ Domini, neque Missæ Pontificiæ competit. Nam spontaneum seu voluntarium est, & quod sponte fit, & ad quod faciendum nullo debito, vel præcepto obstringimur. Cœna autem Dominica non est spontaneum aliquid, quod vel agere, vel omittere nostro beneplacito & voluntate liceat, & ad quod nullo certo mandato ad stringamur. Sed quia expresso Christi mandato præcipitur, ideo est, ut sic dicam, oblatio debita. Deinde, nec Pontificia Missa spontaneum Sacrificium est: pleraque enim Missæ, non nisi ex debito Fundationis, vel præsentiarum amore à sacrificulis celebrantur. Pagininus igitur Dominicanus & Hebrææ linguæ peritissimus in sua translatione Bibliorum, non Oblationem, sed Sufficientiam, hoc est, prout ferunt cuiusque facultates, nomen hoc* מסה missah *Deuter. 16. interpretatur, unde Tributum quidam reddiderunt. Et hunc quidem sensum testimonijs insignium Hebræorū cōfirmat: cui suffragantur verba proximè sequētia: Iuxta benedictionem Domini Dei tui, id est, prout benedixerit tibi Iehova, Deus tuus, &c. Alij respiciunt ad locum Danielis 11. capite, ubi de Antiocho loquens Propheta, qui typus Antichristi fuit,*

fuit, Deum, *inquit*, fortitudinum in loco suo venerabitur, Deum quoque quem non noverunt Maiores eius, venerabitur auro, & argento, & lapide pretioso. *Vbi Deum fortitudinum vocat Daniel* מעזים. Mahuzim, *allusione quadam ad nomen Missæ: & quia munimentum, roburque regni Pontificij constat in Missa, in qua Deus, Mundo antea incognitus, Panis videlicet, seu hostia panacea pro Deo colitur, existimarunt nonnulli, non absque singulari Dei providentia nomen hoc Missæ Sacrificio Papistico tributum esse. Sed non probabiles sunt hæ derivationes, præterea etiam coactæ nimium & detortæ. Constat quidem Ecclesiam voces nonnullas in Novo Testamento mutuatam esse ab Hebræis: ut* Satan, Osianna, Sabaoth, Halleluia, Pascha *& similes. Sed hæ voces ad Latinam Ecclesiam non venerunt, nisi per Græcam: quum Apostoli & primi Ecclesiæ Doctores non nisi Græcè scripserint: ideoque etiam in Novo Testamento Græcè conscripto inveniuntur. Apud Græcos verò nulla est mentio huius vocis Missæ. Adhæc, Syri, ut Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant Cœnam, non habent Missæ vocabulum: & tamen si Hebraica vox apud illos conservari debuit, apud eos maximè id fieri debuit, qui semper ea lingua, licèt nonnihil corrupta, usi sunt. Adde quòd linguæ Hebraicæ periti Doctores, Origenes, Iustinus, Epiphanius, & Hieronymus hac voce nunquam utuntur, quòd mirandum foret, si vox hæc Hebræa esset. Denique, si ita esset, non Missa, sed Missah dicendum esset: quo tamen modo nemo scribit, aut loquitur. Quære ab Hebræis non deducta videtur.*

Missæ nomen secundum aliquos Græcum est.

Sunt igitur qui Græcam eius originem quærant ὅσιος τὸ μύειν: *unde & μυστήρια, quòd arcana sint & secretiora quædam in hoc Sacramento mysteria: sed tum quoque non rectè scriberetur, si quidem scribendum foret Mysſa, non Missa: quomodo eorum hactenus nemo scripsit.*

Missæ nomen secundum plerosque Latinum est.

Plerique affirmant Latinam esse dictionem, à mittendo derivatam. Dixerunt enim Veteres Missam & Remissam, *pro* Missione, *vel* Remissione. *Sic Tertullianus libro quarto contra Marcionem:* Diximus, *inquit*, de Remissa peccatorum. *Cyprianus de Bono patientiæ*, Qui remissam peccatorum erat daturus. *Et libro tertio epist.* 14. Qui blasphemat Spiritum sanctum, remissam peccatorum non habet. *Vt ergo dixerunt Veteres Remissam pro Remissione: sic etiam Missam pro Missione. A mittendo igitur nomen Missæ desumptum videtur. Sed hic rursus variant. Aliqui putant, actionem Cœnæ vocatam Missam, à missis eleemosynis vel collectis, quæ in Liturgia sacra mittebantur, hoc est, afferebantur, deinde porrigebantur & dabantur pauperibus, ut ex Tertulliano, Iustino & Veteribus omnibus liquet. Alcuinus & Paschasius à transmissione precum & oblationum populi, per ministerium & orationem Sacerdotis ad Deum, dictam esse Missam volunt.* Preces, *inquiunt*, & oblationes, quas fideles Deo omnipotenti offerre desiderant, per ministerium & orationem Sacerdotis ad Deum transmittuntur: unde & à plerisque dicitur Missa. *Quòd si Missa est ministerium & oratio Sacerdotis, quâ fidelium preces & oblationes ad Deum, quas illi offerre desiderant, transmittuntur, manifestissimum est, quibus in rebus sacrificij cultus, quem incruentam mentis & Spiritus hostiam, Basilij Liturgia vocat, ex olim adhuc purioris Ecclesiæ Romanæ traditione & ritu celebrarisit intelligendum. Lombardus libro* 34. *Dist.* 3. Missa, *inquit*, dicitur eò quod cœlestis nuncius ad consecrandum viuificum corpus adveniat, iuxta dictum Sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c. *Idcirco nisi Angelus veniat, Missa nequaquam iurè vocari potest. Idem Lombardus libro* 4. *Dist.* 24. Missa, *inquit*, dicitur, vel quia Missa est hostia, cuius commemoratio fit in illo officio: unde dicitur, ite, missa est: *id est*, sequimini hostiam, quæ missa est ad cœlestia, tendentes post eam: vel, quia missus cœlestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare cœleste defertur hostia: unde & dicitur, ite, missa est.

Alij à remissione peccatorum desumptum putant: sicut & Cyprianus utitur Remissa *pro* Remissione: *quòd in hac actione annuntietur peccatorum remissio omnibus conversis, qui ad eam admissi sunt. Et huc respicere aiunt, Conclusionem Græcæ & Latinæ Liturgiæ. In Græca dicitur*, λαοῖς ἄφεσις πᾶσι, populis sit remissio: *id est, sit vobis remissio, qui accessistis ad communionem. In Latina autem dicitur*, Ite, missa est: *quòd perinde esse volunt, ac si diceretur*, Remissio peccatorum vobis certò annunciata est.

Innocentius 3. *de Missæ myst. cap.* 12. Totum, *inquit*, officium divinum dicitur Missa, quasi transmissio, eo quòd populus fidelis per ministerium Sacerdotis (qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines) preces, & supplicationes, & vota transmittat Altissimo. Ipsum verò sacrificium, hostia, Missa vocatur, quasi transmissa: primùm nobis à Patre, ut esset nobiscum: postea Patri à nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum. Primùm nobis à Patre per incarnationem: postea Patri à nobis per passionem. Et in Sacramento primùm nobis à Patre per sanctificationem: postea Patri à nobis per oblationem. Hæc est sola sufficiens & idonea missio seu legatio ad solvendas inter Deum & homines inimicitias

micitias & offensas. *Hæc ille. Sic etiam Rupertus Tuitiensis Abbas*, Hoc, *inquit*, sacrosanctum altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationem & solutionem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, sola valens & idonea missio, seu legatio est. *Hæ verò Lombardi, Innocentij, Durandi, & similium etymologiæ & derivationes nominis Missæ, post introductum demum Transubstantiationis dogma, ab istis confictæ fuerunt.*

Ex vetustis autem Scriptoribus, qui Innocentium & similes diu anteceserant, perspicuè colligi potest, Missam ab emittendis Catechumenis, Energumenis & similibus: & à dimittendis è sacro cœtu populis, dictam esse. Nam quum in divini cultus ipsius; sacrificij memoria celebratione, perventum esset ad ipsam mysteriorum actionem, voce Diaconi foràs mittebantur, hoc est, exire iubebantur, qui divinis mysterijs non communicarent, nec sacrificio participarent: quales erant Catechumeni, Energumeni, id est, ab immundis Spiritibus vexati, & in publica pœnitentia constituti. Cæteros omnes communicare oportebat: alioquin ut impudentes & improbi astare iudicabantur, qui mysteriorum non essent consortes. Sic autem hac de re scribit in Liturgia quæ Chrysostomo tribuitur: Ante cantionem Symboli Apostolici, Diaconus clamat, ianuas, ianuas sapienter observemus: ne scilicet quis adsit sacris, qui inde missi & electi sunt, & quib. interesse non licet. *Cùm ita accipitur etiam in Carthaginensi 4. Synodo c. 48* Episcopus nullum prohibeat usque ad Missam Catechumenorum, neque hæreticum, neque Iudæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi, & audire Verbum Dei. *Hic Missa non potest accipi pro Sacrificio, vel sacra Cœna: nam illa non erat Catechumenorum, sed fidelium tantùm. Neque potest accipi pro Evangelio, & Lectionibus, quæ recitabantur præsentibus Catechumenis: nam Concilium volebat ea etiam ab infidelibus audiri. Quare Missa eo loco non nisi pro missione Catechumenorum accipitur. Eodem modo accipitur etiam hæc vox in Concilio Ilerdensi Can. 4. ubi prohibentur* incestuosi permanere in Ecclesia, nisi usque ad Missam Catechumenorum. *Sic Augustinus de Tempore Serm. 237. & 244. & 251.* Ecce, *ait*, post sermonem fit Missa Catechumenis: manebunt fideles. *Hinc idem*, ianuam contra Catechumenos claudi, *ait*. *Et Isidorus Hispalensis libro 16. cap. 18.* Missa tempore Sacrificij est, quando Catechumeni foràs mittuntur, clamante Levita: Si quis Catechumenus remansit, exeat foràs: & inde dicta est Missa, quia Sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur. *Idem ex Isidoro Alcuinus refert:* Missam nihil aliud quàm dimissionem, eamque duplicem esse dicens: Aliam Catechumenorum, cùm post Evangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum, nisi baptizatum, interesse licet: Tunc enim clamante Diacono ijdem Catechumeni mittebantur foras. Hæc ergo Missa fiebat ante actionem Sacramentorum. Missa verò fidelium, post confectionem & perceptionem Sacramentorum. *In Liturgia Æthiopum statim finito Evangelio dicit Diaconus:* Exite foràs, qui non vultis accipere Sacramentum, seu Eucharistiam: Ite Catechumeni. *Et in Armeniorum Missa Diaconus paulò ante Præfationem clamat:* Qui non sunt digni communicare hanc oblationem Dei, exeant foràs. *Et Maximus Dionysij Scholiastes in sua Ecclesiastica Mystagogia cap. 15. ait:* Catechumenorum & reliquorum, qui divina ostendendorum mysteriorum contemplatione indigni sunt, fit per sacros Ministros dimissio & electio. *Balsamon ad Canonem Laodicenum 22. Etiam hodie ab Hypodiaconis dicitur:* Quotquot non fideles, sed Catechumeni estis egredimini: Fideles autem state, visuri sanctorum mysteriorum Sacrificium. *Ex Ordine Romano constat, quòd post decantatum symbolum Diaconus clamare solebat:* Catechumeni recedant: si quis Catechumenus est recedat: Omnes Catechumeni exeant foràs. *Innocentius quoque libro 6. cap. 12.* Missa, *inquit*, Catechumenorum est ab Introitu usque post Offertorium. Et dicitur Missa ab emittendo, quia tempore quo Sacerdos incipit Eucharistiam consecrare Catechumeni foràs de Ecclesia emittuntur. Perfecto siquidem Evangelio, Diaconus clamare solebat: Si quis Catechumenus adest, exeat foràs. *Rhenanus etiam, in Annotationib. ad lib. 4. Tertulliani contra Marcionem*, Missam dixit prisca ætas, *ait*, pro missione. Vnde Sacrificio id vocabulum accommodatum, ex hac occasione: Catechumeni qui & auditores dicuntur & audientes Tertulliano, in Templo manebant donec Evangelium exposuisset Episcopus. Tum clamabat Levita, Catechumeni exeunto: vel, si quis Catechumenus remansit, Exeat. Ab hac itaque Catechumenorum dimissione, vulgus appellationem Missæ sacro attribuit. Hoc Antiquitatis mysterium in Isidori Lexico refertur. Sic Consul Romanus senatum mittebat. Et in quibusdam Gentilium sacrificijs lictor clamitabat, Exesto hostis, victus, mulier, virgo, ceu prodit Festus. Hodie in fine sacri Levita pronunciat, Ite, missa est, *id est*, missio est, quod olim in initio dicebatur, antequam

quam inciperentur videlicet ipſa myſteria. Hinc iuxta vulgi conſuetudinem Ambroſius Miſſas facere dixit. A parte totum eſt nominatum. Nam propriè Miſſa erat tempore ſacrificij, quando Catechumeni foràs mittebantur, ceu modo retulimus. *Huc uſque Rhenanus. Ex eo igitur quod Catechumeni, vel etiam totus cœtus denunciante Diacono diſcederet, ipſa actio, quæ ſacra communio fuit, appellata eſt* Miſſa. *Poſtea cùm vel propter Populi negligentiam, vel propter Sacerdotum avaritiam, tota eiuſdem ratio commutata, & res, quæ priùs communis fuerat, facta eſſet privata, tamen ut in ſimilibus rebus fieri plerunque ſolet, nomen ſervatum eſt. Exempli gratia: Vigiliæ Veterum in epulas converſæ ſunt: altaria, in quibus irrationalia animalia immolabantur, in Menſam Dominicam: Sabbatum in diem Dominicam: Rebus tamen ad hunc modum immutatis, nomina nihilominus Vigiliarum, Altarium, Sabbathorum retinentur.*

Miſſæ nomen non convenit Miſſæ Papiſticæ.

Quum autem hæc conſuetudo foràs mittendi non communicantes primò occaſionem appellationi Miſſæ dederit, atq; ſic ab extraneo quodam actu Miſſa dici cœperit, intelligimus inde facilè, non ſine magno vocabuli abuſu, Sacramentum Cœnæ hodie vocari Sacrificium Miſſæ: *Cùm nomen* Miſſæ *non hoc ipſum, quod in memoria & repræſentatione ſacrificij ſit & agitur à communicantibus, reſpiciat ſed ab eorum miſſione deductum ſit, qui ſacrificij participatione indigni iudicarentur. Deinde cùm hodie nulli ſint in Miſſæ Pontificiæ celebratione communicantes, & nulla ab illa communicantium miſſio fiat, ſublato more & ritu, qui appellationi cauſam dedit, & ipſa Miſſæ voce ſignificatur, omnino fateri cogimur, non eſſe hanc Pontificiorum veram* Miſſa, *neq; Veterum authoritate defendi poſſe: quod ex Gregorio Magno, in expoſitione Ordinis Romani pluribus Caſſander indicat. Quemadmodum autem invalescente paulatim humanæ authoritatis præſumptuoſa temeritate, in accumulandis ſubinde novis ceremonijs, quibus priſca ſimplicitas, qua uſi fuerunt Chriſtus, Apoſtoli, & qui eos proximè ſecuti ſunt, audaciſſimè fuit depravata, ſacroſanctæ Cœnæ Dominicæ ritus & appellatio in Miſſæ nomen eſt mutata, quæ tamen, ut dictum eſt, cùm primùm à foràs miſſione eorum, qui Cœnæ Dominicæ non communicabant, dici cœperit, nihil habet cum ipſa communione Cœnæ commune: Sic tandem effectum eſt, ut & res, & inſtitutio Chriſti, in opus & actionem totogenere diverſam horribiliter transformata ſit.*

Sed hic operæ pretium erit verba Gregorij ex Caſſandro referre ut vel inde quoque colligatur, quid ex ipſius (quamvis Romani Pontificis) iudicio de hodierna Miſſarum profanatione ſit ſentiendum. Propter hoc certè, *ait*, dicitur Miſſa, quoniam mittendi ſunt foràs per Diaconum, qui non participant ſacrificio, vel communione ſancta. Proinde cùm Chriſtus ſit Dei iuſtitia; Eccleſia autem iuſtitiæ norma, utpote ſuper Chriſtum fundata: Uerùm enimverò iuſtitia dicitur, qua cuique ſua tribuuntur: Cùm hoc, inquam, ita ſit, quomodo Miſſa erit, niſi quod ſuum eſt, ei permiſſum fuerit? Scilicet, ut Diaconus faciat exire, quos non oportet ſacris myſterijs intereſſe. *Item*: Omne, quod pro re aliqua agitur, tamdiu imperfectum eſſe probatur, quámdiù deeſt illi hoc, propter quod agitur: ſed Miſſa pro eo dicitur, quod qui divinis Sacramentis intereſſe non debent, exire iubentur: (*idem eſt autem exire, quod mitti.*) Igitur niſi ad vocem Diaconi, more Maiorum, non communicantes exire præcipiantur, officium, quod uſitato nomine Miſſa dicitur, ritè non perficitur. *Hæc Gregorius Magnus, citante Caſſandro, cuius tamen vulgò potiſſimùm authoritate, multis iam ſeculis, hæc infauſta Miſſæ appellatio in locum Dominicæ Cœnæ ſubſtituta fuit, inenarrabili paſſionis Chriſti contumelia, & deploranda totius veri cultus Chriſtiani, adeoque ipſius veræ iugis ſacrificij abrogatione.*

Miſſa autem fidelium ab extrema voce, quæ in fine totius actionis dicitur, Ite, Miſſa eſt, nomen accepit, Perinde enim eſt, ac ſi diceretur, Abite iam, nam dimiſſio eſt, cuique ad ſua nunc redire licet. *Et tunc Miſſa à dimittendo dicitur, quia tunc ad propria fidelis quiſque dimittitur. Sic enim ſcribit Polydorus Vergilius de Invent. libro quinto cap.* 12. Facta re divina. Diaconus ad populum converſus pronunciare ſolet, Ite, Miſſa eſt. Convenit hoc loco, ut huius nominis Miſſæ originem explicemus, ne quis ut ſordidum & peregrinum reſpuat: quando hactenus permulti id indagare conati, rem in incerto reliquerunt, quippe qui non unde natum eſſet, ut libamento iam libato, *id eſt*, ſacrificato, per hunc modum poteſtas fieret abeundi volentibus, prodiderunt, ſed circa vim illius verbi Miſſa aberrantes, delirationem quandam ſomniarunt, non animadvertentes noſtros Sacerdotes illud ex moribus inſtitutiſque Priſcorum eſſe mutuatos, ſicut pleraque alia. Cæterùm ne nos etiam aliquid divinaſſe potiùs, quàm rem certam prodidiſſe dicamur, Apulei teſtimonium cunctis certè probandum ducemus in medium, unde moris huius originem abundè haurire licebit. Is enim libro ſui Aſini aurei, 11. quum ſe dicit in ſacris Deæ Iſis interfuiſſe, ſic rem declarat, At quum ad ipſum iam templum pervenimus, Sacerdos maximus, quique divinas effigies progerebant, & qui venerandis penetralibus

tralibus peridem fuerant initiati, intra cubiculum, Deæ recepti, disponunt ritè simulachra spirantia. Tunc ex ijs unus quem cuncti grammatea (sic Græci vocant scribam) dicebant, pro foribus adsistens, cœtu pastophorum, quòd sacrosancti collegij nomen est, velut in concionem vocato indidem de sublimi suggesto, de libro, de literis, fausta vota præfatus, Principi magno, Senatuique & equiti, totique Romano populo, nauticis navibus, quæque sub imperio mundi nostratis reguntur, renunciat, sermone rituque Græcienſi, ita λαοῖς ἄφετος, populis missio. Quam vocem cunctis feliciter evenire signavit populi clamor insequutus. Exin gaudio delibuti populares, talos, verbenas, corollas ferentes exosculatis vestigijs Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad suos discedunt lares, & reliqua. Istæ duæ Græcæ dictiones significant populis missionem, & verba sunt Græcanico more & lingua pronunciata, quæ Græci Latinique iuxta usurpabant, post cuncta celebrata mysteria, ut diceretur missio populis, *id est*, vel datur, vel est, ut tum demum omnibus abire fas esset. Idem igitur mos à nostris etiam servatur, peractis sacris, per Diaconum pronunciatur, Ite, Missa est: quod idem est, ac licet, *hoc est*, ire licet.

Missa nomen Germanicum.

Denique si in rebus serijs ludere licet, non erraverit, qui Missam *dixerit esse Germanicam vocem, quæ celebres & frequentes nundinas significat. Quemadmodum enim mercatores in eiusmodi nundinis varios contractus exercent metiendo, quod Germani vocant* Wässen/ *emendo, vendendo, usuris, dolis, fraudibus, mendaciis, & sæpe vitiosas merces pro bona pecunia extrudunt: sic Missa Pontificia nihil aliud est quam nundinatio, qua sacrificuli & Monachi, impostoris, dolis, fraudibus, mendaciis, & fictitijs sermonibus (ut Petrus prædixit) omnes ferè totius mundi opes ad se rapiunt. Vel Missa dicitur, quòd in omnes mundi opes Clerum Papisticum* Immiserit, *& latis fundorum ac prædiorum possessionibus ditaverit. Hæc enim sola Missa est, quæ ipsos cœli & inferni constituit Dominos, ut per quam magno ære redemptam januam cœli aperiunt, contemptam verò & spretam ad ima tartara detrudunt. Hæc ipsos Romanos fecit rerum Dominos, gentemque togatam. Vndecunque autem hoc nomen prodierit, tamen cùm neque sacræ Scripturæ, neque Apostolicæ Ecclesiæ notum fuerit aut ipsum Eucharistiæ Sacramentum significaverit: illi autem ritus & illa dogmata, quæ posteriore ætate unà cum nomine Missæ introducta sunt in Ecclesiam, crescente paulatim Antichristi regno, tam sint à Cœna Domini aliena & remota, ut non plus cum ea similitudinis, aut cognationis habeant, quàm Ethnicorum aut Turcarum sacrificia; atque horrenda hæc idolomaniæ lerva hodie isto vocabulo & appelletur & intelligatur, indignissimum non abs re existimandum, hoc nomine Sacram Domini Cœnam deformare. Perinde enim dici videtur Missa Christiana, ac si dicantur idola Christiana, vota Monachorum Christiana, unctiones Sacrificorum & morientium Christianæ, & id genus alia. Est Missa profanatio Cœnæ potius, quàm vera Domini Cœna.*

Viaticum *etiam nominari cœpit Eucharistia circa Gregorij M. tempora, ut testatur Gregorius libro septimo epistola 62. eò quòd daretur privatim moriturís & ex hac vita migraturis. Idiota quidam Italus, qui vixit seculo nono post natum Christum de eodem sic scribit.* Quia *inquit*, ad nuptias Ecclesiæ triumphantis grandis restat via, cibus iste Viaticum est potentissimum, in cujus virtute ambulat Christianus usque ad montem Horeb. Habet enim istud viaticum omne delectamentum, & omnis Spiritualis saporis suavitatem, cujus perceptione confortantur corda: *capite 20. Contemplationum de morte.*

14. Viaticum.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Ceremoniis & Ritibus, eorumque Inclinatione in Cœnæ Domini Eccleſiarum Orbis Chriſtiani, præter Romanam, ab anno Domini 600. uſque ad annum 850.

Ceremoniæ Cœnæ in immenſi æſtu auctæ.

IN hac tertia Claſſe, ut Doctores pauciores & ignobiliores fuerunt, præter Fulgentium & Gregorium M. ſic ritus & ceremoniæ in ſacris actionibus, præſertim autem in Cœna Dominica in immenſum excreverunt: Nam ceremoniæ præcedentis Claſſis partim retentæ, partim mutatæ ſunt, & plurimæ de novo inſtitutæ, ſicut ordine, & quàm poſſum breviſſimè referam.

1. Miniſtri Cœnæ qui Monachi.

Adminiſtrarunt enim Cœnam ſacram non ſolùm Epiſcopi, Sacerdotes vel Presbyteri in hac Claſſe, ſed etiam Monachi, idque palàm in Templis & publicis congreſſibus. Monachi autem jam inde à prima ſuæ origine non in Clericorum, ſed Laicorum numero habebantur, & ab omni miniſterio Eccleſiaſtico ſeparati erant, ut ad celebranda intra Cœnobiorum ſepta divina myſteria aliunde Presbyterum acciperent: proque magna abſurditate habitum fuit in puriori Eccleſia, ſi Monachus ſacerdotio fungeretur, & Officia divina celebraret, Vnde Hieronymus ad Riparium & Deſiderium ſcribit: Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium. *Et ad Heliodorum*, Alia, *inquit*, cauſa eſt Monachi, alia Clerici. Clerici oves paſcunt, ego paſcor. Illi de altari vivunt, mihi ſecuris quaſi ad radicem infructuoſæ arboris ponitur. *Progreſſa temporis verò conceſſum eis fuit, ut ex ipſo Ordine Presbyter ordinaretur, cujus miniſterio in celebrandis & participandis Sacramentis uterentur. Tandem Canonizati & in tribum Clericorum adſcripti ſunt, ut non jam Monachi ſimpliciter, ſed aliquid majus eſſent, ut qui Clericorum officiis aggregari, & ſacris initiari à primis ordinibus uſque ad culmen Epiſcopatus etiam poſſent. Quando autem, & quibus authoribus hæc mutatio facta ſit, in libro noſtro de Origine & progreſſu Monachatus folio 83. & ſequentibus, prolixè indicavimus.*

Monachi Sacerdotes factiſi.

Adminiſtrantes Cœnam ſimul communicare opportuit.

Oportuit autem Cœnam adminiſtrantes ſimul communicare: ſic enim decrevit Synodus Toletana 12. circa Annos Chriſti 681. celebrata. Relatum eſt nobis, *inquit Synodus*, quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot Sacrificia in uno die videntur offerre: ſed ſi in uno die plurima per ſe offerant Sacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendant, & in ſola tantùm extrema Sacrificii oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumant: quaſi non ſit toties illa vero & ſingulari Sacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit, Nónne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris? Certum eſt, quòd hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici Sacramenti. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps divino altario Sacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulſum ſe noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? Ergo modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcunque ſacrificans corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri in altario immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. *De Conſec. Diſt. 2. cap. Relatum eſt. Ex hoc Canone colligimus, magnam hoc tempore fuiſſe Miſſarum frequentiam, & tamen magnam quoque in hac ipſa communionis raritatem, ut quæ non ſolùm à populo, ſed ipſis etiam Sacrificulis contemneretur. Decrevit hoc etiam Carolus M. in legibus Aquiſgranenſibus, hac uſus ratione, ut verè Presbyteri dicere poſſint*, ſumûmus Domine Sacramenta.

Clerico in adminiſtratione Cœnæ morbo correpto alius ſuccedat, alias non.

In Toletano Concil. 7. Can. 1. ſancitur, Ut Clerico, inter adminiſtrationem Cœnæ Dominicæ, morbo correpto, alius ſuccedat, qui inceptum perficiat: *Alioquin juxta Can. 14. Synodi Romanæ à Zacharia 1. Papa celebratæ anno Dom. 742.* Epitcopus aut Presbyter, qui Miſſam incepit peragere, non audet inde recedere, ita ut alius Epiſcopus aut Presbyter ſupplere Miſſarum ſolennia velit, ſed perducere debet primus Miſſam uſque ad finem.

In Synodo apud Palatium Vernis à Pipino Francorum Rege anno 755. celebrata ſtatuitur, Ut

Ut nulli Presbytero sine jussu sui Episcopi liceat Missas celebrare & baptizare. *In Synodo Anglicana anno 786. sancitur Can.* 10. Ne aliquis ex Ministris altaris, nudis cruribus ad Missam celebrandam accedat.

Cœna celebrata super Altaris lapidei, & Mensis.

Administrata autem Cœna fuit non tantùm super aris lapideis in hunc usum in Templis extructis, sed etiam super Mensis in plurimis Ecclesiis, Sic Ignatius in vita Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani indicat, eum in mensa lignea sacra peregisse. *Cranzius in Metropoli l. 1. c. 9. indicat*, Carolum M. ad mensam in medio Templi collocatam accessisse, & unà cum eo alios quoque communicaturos *Vide etiam infrà cap.* 8. *de Mensa quam Justinianus Imp. Constantinopoli reparavit.*

Qui ad Cœnam admissi sunt.

Admissi sunt ad Cœnam quicunq; Christianam doctrinam fuerunt amplexi, præter illos qui nondum baptizati essent. Unde apud Bedam legitur l. 2. *c.* 5. quòd Episcopus regiis quibusdam adolescentibus apud Orientales Saxones, quamvis à Christiana Religione non abhorrerent, Dominicam Cœnam negarit, quia non vellent baptizari. *Excommunicatos etiam, & notoriè scelleratos, vel nondum plenè institutos in Religione Christiana à communione arcebant. Hinc Plato indignè tulit, quòd Tarasius Constantinum, qui uxore repudiata alteram duxerat, ad communionem admisisset: Zonaras tom.* 3. *Turonensis quoq; Synodi c.* 19. *cavet*, ne pueris, aut aliis quibuslibet personis sine delectu Corpus Domini distribuatur à presbyteris. *Et Beda in Lucam l.* 4. *c.* 15. *scribit*: Nisi spē quispiam primæ immortalitatis inducrit, nisi annulo fidei operam præmunierit, nisi ipsam fidem piè confitendo prædicaverit, non potest Sacramentis interesse cœlestibus. *Et in Ioan. l.* 1. *c.* 2. *scribit*: Ecclesiastica consuetudo Catechumenis corporis & sanguinis Christi communionem non tradit, quia non sunt renati ex aqua & Spiritu quibus tantùm creditur participatio corporis & sāguinis Christi, *Eadem verba Albinus etiam l.* 2. *in Ioa. c.* 2. *habet. Sic incestuosi, homicidæ, adulteri, justi sunt exire à Nicetio tempore communionis, ut Turonensis refert in vitis Patrum c.* 17. *Et quales ad Cœnam accedere debeant Beda docet l.* 3. *de Tabernaculo, c.*14. Lavent, *inquit*, manus suas ac pedes in aqua labri ænei, & sic ad altare accedant: abluant lachrymis, actus & incessus, ac deinde manus ad contingēda Christi mysteria proferant, pedumque gressus in atria Domini ponant. Quod æquè præceptum reor his qui eorundem Sacramentorum perceptione mundandi sunt, ut cautiore cura prius actus suos cogitatusque discutiant, eventilent, purgent, & sic ad participanda fidei Sacramenta procedant, ne audire cogantur illud Apostoli: Quicúque enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. *Et l.* 3. *in Sam. c.* 8. Si tam solerter mundicia quærebatur ejus qui sanctificatum Moysi manib. panem typicum gustaret: quantam necesse est mundiciæ curam gerat, qui in sanctas ac venerabiles Christi manus acceptum panem in Sacramentum corporis ejus consecratum, in memoriam mortis ejus mortalibus creditum, ad vitæ perennis est auxilia sumpturus? Nempe illud Apostoli necesse est semper animo retineat: Quia quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Et Isidorus in li. de Officiis jubet, ut conjuges aliquot dies antequam ad mensam Domini accederent, à carnali consuetudine abstinerent, & continentius viverent. *Cabilonensis etiam Synodus c.* 46. *præcipit*, abstinendum aliquot diebus ab operibus, & purificandum corpus, animamque ut sic se præparet homo ad sumptionem tanti Sacramenti.

Azymi panis usurpatus & vini aquā mixtum.

Usi etiam sunt azymo pane: & passim decretum fuit, ut vinum mixtum cum aqua Cœnæ adhiberetur: ut videre est in Antisiodorensi Synodo Ca. 8. *& Bracarensi* 3. *c.* 1. *Ratio utriusque materiæ in Constantinopol. Concil. 6. his verbis redditur.* Oblatio quæ in Sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem fermenti debet habere: Siquidem Christi corpus fuit sine corruptione genitum. In calice verò debet aqua & vinum offerri. Nam si solùm vinum offertetur, sanguis Christi inciperet esse sine nobis: sin sola aqua, plebs sine Christo; ideo utrumque miscetur, &c. *Ejusdem Concilij Can.* 32. *ad probandum hunc ritum manifestè Chrysostomi verba corrumpens, sic habet*, Quoniam cognovimus in Armeniorum regione vinum tantùm in sacra mensa offerri, aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt, prætexentes Ecclesiæ Doctorem Ioannem Chrysostomum in interpretatione Matthæi hoc asserentem: ut jam nunc ab ignorantia liberentur, illius Patris mentem orthodoxè aperimus. Cùm enī antiquam Hydropatastarum hæresim, qui pro vino sola aqua in Sacrificio usi sunt, subverteret, illam orationem composuit, in qua aqua in Sacrificio Missæ adjunctionem amovere illi existimant, cum tamen non docent sanctius per solum vinum oblationem fieri, quandoquidem & suæ Ecclesiæ ubi est illi pastoralis administratio tradita, aqua vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi Sacrificium oportet, ex pretioso & honorando nostri Redemptoris sanguine & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi

vivificationem effusa est, & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Ecclesia ubi spiritalia luminaria refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Iacobus Domini nostri Iesu Christi secundùm carnem frater, & Basilius Cæsarien. Archiepisc. cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis inscripto tradito sacrificio, ita peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt S. Patres, ita apertè tradiderunt. Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundùm traditum ab Apostolis ordinem facit, deponatur, ut imperfectè ac simpliciter mysterium enuncias, & quæ tradita sunt innovans. *His autem verbis apertè Canon iste Chrysostomi verba, ut dictum, corrumpit, isque alienum sensum affingit. Inquis enim Chrysostomus* : Cujus rei gratia non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit Christus? Pernicioſam quandam hæresim radicitùs evellere voluit, eorum qui aqua in mysteriis utuntur: ita ut ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & jam post resurrectionem in nuda mysterii mensa vino usus est. Ex genimine autem, ait, vitis, quæ certè vinum non aquam producit: *Homil. 83. in Matt. Notandum verò est, Canones istos, qui hodie huc Syn. 6. vulgò adscribuntur, pleroſque non veros, sed nothos & supposititios esse. Cùm enim veri Canones in quibusdam Romanæ Ecclesiæ adversarentur, ut Hugo de Concilijs indicat, non solùm Sergius Papa eos legere & approbare noluit, sed etiam sequentes ipsum Rom. Pontifices summo studio à Latinis Ecclesijs removerunt, & alios suppoſuerunt: ut non sine causa Sabellicus aliique historici dicant, se non potuisse reperire, quanam in hac Synodo ceremonijs Romanis contraria essent constituta. Quemadmodum autem in hoc Canone Chrysostomi verba in alienum sensum translata sunt, sic etiam falsum est quòd Iacobo & Basilio Missæ compoſitionem adscribit. Nam in Græcia hac Synodus congregata fuit, in qua in hodiernum usque diem, diversa est à Romanis Missæ celebratio. Et si adiectis à Romanis Pontificibus, quos supra lib. 2. c. 5. recensuimus, coloribus Missa nudetur, nihil supererit à Iacobo aut Basilio petitum.*

Indicium de Canonibus Synodi 6.

In eadem Synodo sancitur Can. 28. Ne uvæ distribuantur cum Eucharistia. Verba Canonis sic habent. Quoniam in diversis Ecclesijs intelleximus uvam ad altare allatam Ministros cum incruento illo oblationis Sacrificio conjunctam, ex quadam quæ invaluit consuetudine, utraque simul populo distribuere: decernimus ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, sed ad vivificationem & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat. Sacerdotes verò has uvas allatas privatim benedicentes, non secus ac primitias quasdam distribuant pœnitentibus ad laudem datoris fructuum, per quas nostra corpora divina dispositione augentur & nutriuntur. Si quis secus fecerit, deponatur.

Ne cum Eucharistia non distribuuntur.

Decretum etiam fuit Can. 52. ut in omnibus Quadragesimalis lejunij diebus, præterquam Sabbatho & Dominica, & Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum Sacrificium. *Quale autem illud Sacrificium, & quare hoc à Synodo constitutum sit, Carranza in Epitome Conciliorum ex Theodoro Balsamon explicat:* Sacrificiū, *inquit*, præsanctificatorum, est oblatio sacrificii jam peracti & perfecti. Iejuniorum autem dies, luctus & compunctionis in expiationem peccatorum, & quia Deo sacrificium offerre est festum diem agere, statuerunt Patres non fieri novam consecrationem tota Quadragesima nisi Sabbato & Dominica, &c. In his festum agere, non jejunare nec lugere conceditur. *Hoc autem apud Romanistas hodie in die Parasceves tantùm observatur.*

De sacro præsanctificatorum sacrificio.

Concilium Turonense, referente Burkhardo lib. 5. cap. 9. decrevit, dandam ægrotis Eucharistiam intinctam sanguine Domini, ut Presbyter verè dicere possit, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi. *Respondet Bellarminus*, Panem intinctum comedere, præsertim in pyxide exsiccatum, non esse bibere. *Et verè hic loquitur Iesuita: Ergo non, ut alibi dicit, sub specie panis corpus & sanguis sumitur. Nec ita sensisse Patres hujus Concilii ex decreta intinctione colligitur. Emendatum tamen fuit hoc decretum in Bracarensi 3. Synodo, & celebratio vel sumptio Eucharistiæ ad primam institutionem Christi revocata: Sanciverunt enim*, non esse dandum populo panem intinctum in sanguine, quòd Dominus dederit utramque speciem seorsim, id est, primò speciem panis, postea speciem vini.

Eucharistia intincta ægrotis danda.

In consecratione seu benedictione symbolorum usi sunt, non tantùm institutionis verbis, sed etiam aliis precibus: Et quidem innumeræ precationum & cantionum formulæ subinde ab Ecclesiarum Antistitibus excogitatæ & auctæ sunt: ut intelligitur ex Sigeberti Chronico, ubi harum cantionum & precularum longum catalogum recitat. Et Cæsarius homil. 5. hunc ordinem ponit: Ut Sacerdos in consecratione dicat, Sursum corda, &c. Respondeat populus, Habemus ad Dominum. *Item*: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Benedictus qui venit, &c. Postea recitetur oratio Dominica: sequatur benedictio in populum, & tandem corporis & san-

In consecratione verba institutionis usurpata, & aliæ quæ precules.

& sanguinis Christi sacramentum sumatur. *Et Carolus M. lib. 2. cap. 27. de Cultu imaginum dicit*, Sacerdotem infulatum circumstantis populi deprecationes suis precibus miscere.

In vasis sacris.

In Synodo Anglicana anno 786. habita, præcipitur Ca. 10. Ne calix aut patina de cornu bovis fiat, quòd sit de sanguine.

In Concilio Bracarensi 3. Ca. 2. sancitum fuit, ut si quis scienter sacra vasa aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his, vel bibere ex eis ausus fuerit, si secularis sit, perpetua excommunicatione damnetur: si religiosus, ab officio deponatur.

Eucharistiæ elevatio.

Panem & calicem consecratum eleuarunt, ut à populo conspici possent. Sic enim Damasc enus scribit ad Iordanum : In eleuatione panis Eucharistiæ non dicimus Trisagios, vel Trisagyrios: sed unus Hagius, unus Kύριος Iesus Christus, in gloria Dei Patris.

Vestimenta in Cœnæ Celebratione usitata.

Vestimenta, quibus administrantes Cœnam usi fuerunt, in hac Classe nonnihil cæperunt variare. Multi enim solam stolam induerunt. In Concilio Bracarensi 3. circa annos Christi 674. habito, sancitur, Vt Sacerdos Missam celebraturus, non aliter accedat, quàm Orario utroq; humero circumseptus, sicut & quando fuit consecratus, ita ut de uno eodemq; Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis : Si quis aliter egerit, excommunicationi subijcitur: *Ca. 3. dist. 23. ca. 9. Regino lib. 1. de disciplina Eccles. cap. 80. ex Remensi Concilio anno Domini 813. habito, traditur*, nulli Presbyterorum, absq; sacerdotali amictu, alba, stola, casula, Missam celebrare licitum esse. *Tarasius Constantinopol. Patriarcha Eucharistiam celebrans, vestibus sacratis albis indutus fuisse dicitur à Metaphraste in vita eius. Et Cranzius refert lib. 1. Metrop. ca. 9.* Sacerdotem purpura indutum Cœnam administrasse ac distribuisse Carolo M. *In Matisconensi Synodo 1. statuitur*, Vt Archiepiscopus sine Pallio Missas celebrare non præsumat: *Ca. 6. Ac refert Philippus Melanchton l. 4. Chron.* usum pretiosarum vestium in distributione Cœnæ primùm Caroli M. liberalitate in Ecclesiam introductum fuisse.

Mulieres velato capite Eucharistiam sumpserint.

Mulieres velato capite, tempore mysteriorum ad Eucharistiam accedere jubet Beda lib. 2. capite tertio, in Iobum : ne fortè aliquibus Anglis, hoc est ministris altaris scandalum afferant.

Manus in formam crucis componat, qui Eucharistiam sumere vult.

In Constantinopolitano 6. Concilio universali anno Domini 681. vel circà habito, ca. 101. sancitur, ut si quis ad mensam Domini accedere velit, manus in formam crucis componat, & sic communicet. *Nihil autem huiusmodi vel à Christo, vel ab Apostolis, vel aliis qui hoc proximè sequuti sunt, mandatum fuit. Deinde est etiam hic Canon unus ex suppositititis.*

Iejuni Eucharistiæ sint sumpturi.

Iejunos quoque accedere oportebat. Vnde Beda in Lucam lib. 22. sic scribit : Quod si quem movet, cùm cœnatis Saluator Apostolis suum corpus ac sanguinem tradiderit, quare non universalis Ecclesiæ consuetudine jejunii doceamur eadem sacramenta percipere : breviter audiat, ideo tunc cœnatos communicasse Apostolos, quia necesse erat Pascha illud typicum antea consummari, & sic ad veri Paschatis sacramenta transiri. Nunc in honorem tanti tamque terribilis sacramenti placuisse magistris Ecclesiæ, primò nos Dominicæ passionis participatione muniri, primò spiritualibus epulis interiùs exteriusque sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus ; & vilibus escis refici. *In Antistodorensi Synodo cap. 19. sancitur*, Non licere Presbytero, diacono aut subdiacono, post acceptum cibum vel potum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare.

Cœna integra data.

Integra etiam Cœna, non mutilatè fuit distributa tam Laicis, quàm Clericis, viris & mulieribus. Extant hujus rei clarissima exempla apud Bedam lib. 4. cap. 3. Vincentium lib. 23. cap. 7. 81. 97. Et Gregorius 3. in epistola ad Bonifacium Apostolum Germanorum sic scribit : Si fideles Christiani fuerint, Domini corporis & sanguinis participatio eis tribuatur : *ut est videre apud Nauclerum Generat. 25. Beda in Ioannem lib. 1. cap. 1. scribit*, Fideles de baptisterio ad altare sanctum ingredi, ac ibi Dominici corporis ac sanguinis victima singulari consecrari debere. *In lib. de Muliere forti* : Multùm solicita est Ecclesia, ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, judicium sibi manducet ac bibat. *Et in Caroli M. lib. 2. cap. 27. videre est, quòd utramque partem, panem & calicem, distribuerent laicis.* Carnem, *inquit*, Redemptoris nostri in remissionem peccatorum sumimus, & sanguinis tinctione percutientis Angeli impetum evadimus. *Lib. 3. cap. 6.* Sanguis Christi, qui à nobis in sacramento sumitur, pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. *Lib. 4. cap. 14.* Corporis & sanguinis Dominici mysterium quotidie in sacramento à fidelibus sumitur.

Eucharistia in manus data.

In manus quoque sumpserunt Eucharistiam, nec passi sunt sibi eam à Ministris in os ingeri aut infundi. Vnde in Synodo Antistodorensi circa annos Domini 614. congregata, sancitur cap. 36. Non licere mulieri nuda manu Eucharistiam sumere. *Et Beda lib. 4. cap. 24. de Ceadmonno refert*, quòd ægrotans sibi allatam Eucharistiam, ipse in manus acceperit. *Et lib. 3.*

lib.3.de Tabernaculo,cap.14.scribit: Abluant lachrymis actus & incessus, ac deinde manus ad contingenda Christi mysteria proferant. *Sic Tarasius Patriarcha* Eucharistiam fidelium manibus distribuisse dicitur *ab Ignatio in vita ejus.*

Cum excommunicate nō communicandū. Missæ ante Imagines celebrandæ.

Nec licuit cum excommunicato communicare,*ut in Antisiodorensi Synodo statuitur,cap.38.*

*Et in Londinensi quadam Synodo constitutum est,*ut Missæ ante imagines celebrentur, *sicut referunt Centuriatores Magdeb. Cent. 8. Col.362.*

In uno altari nō eadem Missa celebranda eodem die.

Nec concessum fuit super uno altari uno die duas Missas celebrare: hoc enim vetuit Antisiodorensis Synodus cap.10.

In templis etiam ac publicis cœtibus celebrari debuit: Vnde Carolus M. in suis Constitutionibus præcepit, ne quis Presbyterum die Dominico inuitet ad domum suam, ad Missam faciendam: sed ut omnes ad Ecclesiam veniant.

In templis cœna celebranda.

Post distributionem Cœnæ benedictio super populum recitata est, & sacra finita sunt, ut habet Cæsarius homilia quinta. Interdum sequutum est actionem Cœnæ conuivium in ipso templo.Scribit enim Vincentius lib. 23. cap. 100.de Ausberto Rothomagensi Episcopo,quòd his expletis CœnæDominicæ solennibus,omnes cives in templum convenire jusserit ad præparata conuivia. Vt autem ter, si non frequentius, Laici in anno communicent,nisi quis forte majoribus quibusdā impediatur criminibus, Turonensis Synodus cap. 50.decrevit. Et Cabillonensis cap. 46. Cavendum,ne si nimium in longum differatur perceptio corporis & sanguinis Christi, ad perniciem animæ pertineat. Crucis Christi signationem in Baptismo,Confirmatione & Cœna prorsus necessariam Albinus facit lib. 7. in Ioannem cap. 19. Nisi,inquit,signum Crucis Christi adhibeatur sive frontibus credentium,sive ipsi aquæ ex qua regenerantur,sive oleo,quò chrismate unguntur,sive sacrificio quo aluntur:nihil eorum rite perficitur. Non autem probat ex Verbo Dei. Remensis Synodus c.2. prohibuit,ne ulli Laici,sed Sacerdotes tantùm ad ægrotos Sacramentum deferant. Sic enim habet Canon ille:Pervenit ad notitiam nostram,quòd quidam Presbyteri in tantum parvi pendant divina mysteria,ut laico,vel fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis,& quibus prohibetur ne Sacrarium ingrediantur,nec ad altare appropinquent,illis sancta sanctorum committuntur.Quod quàm sit horribile,quamq; detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat,sed omnimodo Presbyter per seipsum infirmum communicet:quòd si aliter fecerit,gradus sui periculo subjacebit. Habetur de Consec. dist.2. c. pervenit. In primitiva autem Ecclesia hoc tam superstitiosè non fuit observatum. Nam Serapioni animam agenti Sacerdos ægrotus Eucharistiam per puerum misit, qui & Sacramentum eidem administravit,ut Dionysius Alexandrinus apud Eusebium testatur. Similiter non tam viris, quàm fœminis olim Eucharistia domum deferenda data fuit.Hinc etiam Albericus Hostiensis Episcopus ab Innocentio 2.in Angliam missus, Westmonasterii Synodum convocavit anno Domini 1138. in qua sancitum fuit,ne Hostia ad infirmos, nisi per Sacerdotem, aut per Diaconum,aut necessitate instante, per quemlibet,cum summa reverentia deferatur. Matth. Parisiensis lib.4. Chron. & Liber de bello Standarico cap. 2. In Constantinopolitana 6. Synodo universali ca.23. sancitum fuit, pro Eucharistiæ administratione nihil exigendum. Verba Canonis hæc sunt: Nullus Episcopus,sive Presbyter, sive Diaconus purissimam præbens communionem, ab eo qui communicat,ejus participationis gratia obolos vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia,nec pecuniis Spiritus sanctificationem impartimur: sed ea iis quæ digni sunt, absque ulla fraude est communicanda. Qui secus fecerit deponatur.

CAPVT II.

De Ceremoniis & Ritibus Cœnæ Dominicæ in Romana Ecclesia hujus tertiæ Classis.

IN Classis præcedentis Ca.6.expositimus,quomodo in Romana Ecclesia opera & studio Episcoporum ejus, Ceremoniæ paulatim creverint: In hac verò Classe,crescente magis magisque Romani Pontificis authoritate & potentia,dum Imperatores quoq; eam legibus munierunt & confirmarunt,Ceremoniæ quoq; creverunt,& in immensum accumulatæ sunt. Antichristus enim, qui mox post Constantinum Magnum quasi in aluum Ecclesiæ receptus fuit, quiq; Gregorio M. sedem Romanam tenente, vitam & incrementa accepit,& quasi ad maturitatem suam, atque ad ipsum tempus partus deductus est,post mortem Gregorii, Phocæ Imperatoris, quasi obstetricis, ope & auxilio,in lucem editus fuit. A quo tempore Romanis Pontificibus, tanquam verissimis Antichristis,quidlibet audendi, fingendi & refingendi,ut inquit ille, in Ecclesia Dei maximæ potestas fuit.Hæc autem multitudo rituum & ceremoniarum,ab hominibus excogitatarum, plurimùm Ecclesiæ Christi in hac tertia & sequenti quarta Classe nocuit.Dum enim Doctores eorum institutione & administratione, populus verò spectatione occupantur, vera & solida institutio de sacra Cœna, ut de aliis capitibus Christianæ Religionis nihil dicam,neglecta est. Deinde etiā accessit

acceſſit opinio cultus, quæ comes eſt & pediſſequa ſplendidarum atque numeroſarum ceremoniarum, ac ſemper exitialis fuit veræ doctrinæ. Nam hominum mentes mirificè capiuntur & faſcinantur ceremoniarum pompa & ſplendore: & mox iſta perſuaſione imbuuntur, quòd ejuſmodi operibus favorem Dei promereantur.

GREGORIVS I.

Exſtat epiſtola Gregorij M. de quibuſdam in Miſſa ceremonijs & ritibus à ſeſe immutatis: quæ quia multa obſervatione digna continet, integram eam hic adſcribemus ex libro 7. epiſtola 63. indict. 2. Veniens, ait, quidam de Sicilia mihi dixit, quòd aliqui amici ejus vel Græci vel Latini, neſcio quid quaſi ſub zelo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ de meis diſpoſitionibus murmurarent, dicentes: Quomodo Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſpoſuit comprimere, qui eius conſuetudines per omnia ſequitur? Cùm enim dicerem, quas conſuetudines ſequimur, reſpondit: Quia Alleluia dici ad Miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſtis, quia ſubdiaconos ſpoliatos procedere, quia Kyrie eleiſon dici, quia orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi: Quia in nullo eorum ſecuti aliam Eccleſiam ſumus. Nam ut Alleluia hìc diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ, traditur tractum: & ideo magis in hac ſede illam conſuetudinem amputauimus, quæ hìc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua Eccleſia conſuetudo fuit. Sed placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ, nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie, ut ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt? Kyrie eleiſon autem nos neque dicimus, ſicut à Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt: apud nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam Chriſte eleiſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Miſſis alia quæ dici ſolent taceamus: tantummodo Kyrie eleiſon & Chriſte eleiſon dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulò diutiùs occupemur. Orationem autem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens eſt viſum, ut Precem quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus: & ipſam traditionem quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus, Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos autem à ſolo Sacerdote. In quo ergo Græcorum conſuetudines ſecuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparauimus, aut nouas & utiles conſtituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari? Ergo veſtra charitas, quum occaſio dederit ut ad Cathenenſem ciuitatem pergat, vel in Syracuſana Eccleſia eos quos credat atq; intelligat, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet ſedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? quod & dominus pyſſimus Imperator & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur. Tamen ſi quid boni vel ipſa vel altera Eccleſia habet, ego & minores me, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari parátus ſum. Ex hac epiſtola Gregorij intelligimus, in celebratione Cœnæ Dominicæ quædam ex Græca Eccleſia accepiſſe Romanam: quædam ex Hieroſolymitana; quædam proprio arbitrio vel variaſſe, vel adieciſſe. Diſcrè quod fatetur Gregorius, ſe paratum etiam alios rectius quiddam monentes ſequi. Non mirum igitur ſi Ceremoniæ vel ritus Miſſæ plurimùm ſemper variarunt, tanquam res ex humano cerebro fictæ & compoſitæ. Illud potiùs admirandum, tantum progreſſu temporis humanas iſtas ceremonias & conſtitutiunculas authoritatis & neceſſitatis conſequutas fuiſſe. Tertiò, non obſcurè, ſed palàm confitetur Gregorius, ſe & alios accumulantes ritus in Cœna Dominica, ab Apoſtolorum conſuetudine diſceſſiſſe. Hæc autem fuit ipſiſſima peſtis & calamitas fundi Dominici: quò longius enim à ritu & conſuetudine Apoſtolorum diſceſſum fuit, eò plures ceremoniæ ad Cœnam ſacram non pertinentes, introductæ ſunt. Inquit enim Gregorius: Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo Orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Cur igitur Apoſtolica ſimplicitas non fuit retenta? aut, quandoquidem ab ea diſceſſum eſt, cur non ad eam reditur? Nam extra controverſiam eſt, Apoſtolos optimo & conuenientiſſimo modo Cœnam adminiſtraſſe. Quarìo, ea quæ à Chriſto & Apoſtolis in Cœna celebratione uſurpata ſunt, longè præſert ijs, quæ huic actioni poſtea ab hominibus ſuperſtitioſis adiecta fuerunt. Nam de Canone loquens, quem ipſe Precem vocat, Valde, inquit, mihi inconueniens viſum eſt, ut Precem, quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus: & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus. Humanis itaque traditionibus tantum tribuere cultum, quantum

postea tributum est, certè non est pietas.

Meminit idem primus in lib. Dialogorum quarto cap. 55. & in Regiſtro Hoſtiarum rotundarum, quos panes numularios ipſe vocat, ad formam denariolorum illorum effictos, pro quibus venditus ſit Iudas: ſed eos non probat. Ordinaſſe autem Gregorius dicitur, ut Introitus Miſſæ cum modulatione ſeu uno Pſalmi alicuius verſiculo cantetur: ante illa tempora namq; tantùm Epiſtola Pauli & Euangelium legebantur, deinde Miſſa celebrabatur. Durandus, Sabellicus, Iacobus de Voragine in vita Pelagij & alij. Inſtituit quoque ut Κύριε ἐλέησον nonies & à Clero tantùm in Miſſa caneretur: quod prius apud Græcos ſimul à Clero & populo cantabatur. Durandus in Rat. lib. 4. cap. 12. Platina in vita eius. Cumq; antea ſemel tantùm in anno cantatum fuiſſet Alleluia in Romana Eccleſia, Gregorius decreuit, ut per totum annum ad Miſſas cantaretur. Dicitur etiam compoſuiſſe Gradualia, ſeu Reſponſoria, & Tractus, ac ad Miſſas ea cantari inſtituiſſe. Durand. Ration. lib. 4. cap. 9. Iacobus de Voragine in vita Pelagij. Viuorum quoque in Miſſarum ſolennitatibus mentionem facere iuſſit. Nam Conſtantio Mediolanenſi Epiſcopo ſcripſit, ut Ioannis Epiſcopi Rauennatenſis faciat in Miſſis mentionem: lib. 3. epiſtola 37. & lib. 6. epiſtola 17. Pallijs etiam in Miſſis uti præcepit Gregorius, quo tamen veſtitus genere Metropolitani huc uſq; à reliquis Epiſcopis diſcernebantur tantùm. Sic enim ſcribit lib. 4. epiſt. 51. & 54. Singulis quidem Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſeruato, Pallium quoq; tranſmiſimus, quo fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolennia utatur. Non tamen ſingulis, ſed certis tantùm diebus in Miſſa ijs utendum conſtituit, ut ex Leonis Papæ literis ad Gerhardum Laureacenſem, ſiue Bathanienſem Archiepiſcopum apparet: ſic enim ſcribit: Pallium fraternitati tuæ ad Miſſarum ſolennia celebranda concedimus: quod tibi non aliter, Eccleſiæ tuæ priuilegijs in ſuo ſtatu manentibus, uti largimur, niſi ſolùm in die conſecrationis Chriſmatis, ac ſanctæ Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti, ſeu in Natalitijs ſanctorum Apoſtolorum, atq; B. Ioannis Baptiſtæ, nec non in feſtinitatibus ſanctæ Dei genetricis Mariæ, ſimulq; in Dominico Domini noſtri natiuitatis Dei, pariterq; in ſolennitatis Eccleſiæ tuæ die, & natalitio tuo die: verum etiam in conſecratione Epiſcoporum, & Presbyterorum, & quando à te Synodus celebratur, ſi forte illic conuenticulum fuerit neophytorum, qui ad fidem Chriſti tua adhortatione ſunt perducendi: nec non in feſtiuitate S. Stephani protomartyris Chriſti, ſanctiq; Laurentij, & illorum ſanctorum tuorum qui corpora liter in tua requieſcunt parochia, uti concedimus die, SICVTI à predeceſſore noſtro D. Gregorio hujus almæ ſedis præſule ſancitum eſt. In Sacrario verò tua fraternitas Pallium induere debet, &c.

De uſu fermentati & azymi panis in Cœna ſic ſcripſit Gregorius in Regiſtro. Romana, inquit, Eccleſia offert azymos panes, propterea quòd Dominus ſine ulla commiſtione ſuſceperit carnem. Aliæ verò Eccleſiæ fermentatum offerunt, pro eo quòd Verbum Patris indutum eſt carne, & eſt verus Deus & verus homo. Nam & fermentum commiſceturfarinæ: ſed tamen tam azymum quàm fermentatum dum ſumimus viuum corpus Domini Seruatoris efficimur. *Hæc Gregorius, qui certè conſtitutionem illam Alexandri non agnouit, ſed uſum panis azymi & fermentati liberum reliquit.* *Uſus fermentati panis liber.*

Decreuit etiam, non licere communicare illis, qui excommunicatis communicent, *ut ex Regeſto eius lib. 5. cap. 148. indicatur 11. q. 3. cap. 25. Hoc telo proſtrarunt Romani Pontifices progreſſu temporis Imperatores, Reges, Principes & quoſcunq; ſibi non obedientes.* *Cum excommunicato non communicandum.*

Auxit quoq; Canonem, *his adiectis verbis:* Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. *Platina & Gigas.* *Gregorius Canonem auxit.*

Ex eodem Gregorio intelligitur, eius tempore utramq; ſpeciem in uſu fuiſſe. Nam lib. 4. Dialog. cap. 58. dicit, Chriſti ſanguinem, iam non in manus infidelium, ſed in ora fidelium fundi. *Et homil. 22. in Euangel. inquit*, Ore corporis, & cordis Chriſti ſanguinem hauriendum eſſe. *Reſpondet Bellarminus, Gregorium dicere*, ſumi Chriſti ſanguinem, quod ipſe non negat. Bibi autem debere ore corporis, aut ſub ſpecie vini ſumi, ipſum non dicere. *Falſa autem ſunt hæc. Nam non dicit Gregorius, ſumi Chriſti ſanguinem: ſed in ora fidelium fundi: & ore corporis & cordis hauriendum eſſe: quod ad panis ſpeciem nullo modo referri poteſt. Nam, ut Bellarminus ipſe fatetur colum. 932. non bibitur panis, ſed ſolum editur. Senſit igitur Gregorius, ſanguinem bibi debere ore corporis, & ſub ſpecie vini ſumi.* *Veraque ſpecies uſurpata ſub Gregorio M. Roma.*

Deniq; in Synodo quadam Romana ab hoc Gregorio decretum fuit, ne Epiſcopi Miſſas publicas in Monaſterijs celebrent, ne concurſus illuc fiat populi, præſertim verò mulierum. *Miſſæ in monaſterijs non publicè celebrãdæ*

BONI-

BONIFACIVS III.

Bonifacium 3. authorem fuisse, ut altaria candidis ac lineis pannis operirentur, *Polydorus refert lib.5.cap.6.*

DEVSDEDIT.

De hoc Pontifice Sigebertus in Chronico refert, quòd author fuerit, ut secunda Missa in Ecclesia fieret, *Vincentius lib.24.ca. 2.scribit*, quòd instituerit secundam Missam in clero: *sic etiam legitur tomo 2. Concil. in vita eius.*

VITALIANVS.

Missa Latina instituta

Vitalianus Cantiones, Missas & cætera omnia in Templis Latinè fieri decreuit *circa annos Domini 666. qui numerus est Bestiæ. Balæus. Apparuerunt autem paulo post multa tristia & horribilia signa in cœlo, aëre & terra, quibus proculdubio non solùm Turciti motus, sed etiam insignis illa & pernitiosa in Ecclesia mutatio denunciabatur, qua cunctà deinceps in Templis peregrina & incognita lingua peragi debuerunt.*

BENEDICTVS.

Hic Pontifex duos calices aureos, & vestem holosericam auro gemmisque intextam, ad Missarum celebrationem contulit. Liber Pontificalis. Sabellicus Ennead. 8. lib. 6.

SERGIVS.

Sergius Patenam Missæ actioni destinauit, habentem in margine gemmas, & in medio crucem ex hyacintho & smaragdo, pensantem libras viginti: Item thymiaterium aureum, in quo odor suauitatis in Missarum celebrationibus incenderetur. Liber Pontificalis in Sergij vita.

Idem, Agnus Dei: & Miserere nobis, *ad Missam cantari præcepit, teste Sigeberto in Chronico, & Platina in eius vita.*

De trina Hostiæ fractione.

Sergius quoq; trinam Hostiæ fractionem instituit. Finita enim in tertia parte Canonis precatione, Libera nos, &c. *Sacerdos acceptà patenà, eaq; in vertiginem circumactà, postquam cruce se obsignauit, eandem deinde hostiæ supponit, calicemq; amoto operculo detecto, hostiam ad os calicis sublatam & collocatam, per medium in duo primùm frusta frangit. Horum autem alterum, quod sinistra manu tenet, aut quod dextra, ut alij volunt (non enim per omnia omnes eosdem ritus sequuntur) in patenam reponit: alterum verò rursus in duo alia frustula frangit: horum, quod læua decerptum est, cum altero iam præfracto, in patenam reponit: posterius verò, hoc est, tertiam hostiæ partem, paululum cum calice eleuat: qua deinde ter in crucis formam circumactà, calicem obsignat, ac deniq; demurmuratis precultis, ad hanc rem pertinentibus, conuersus ad populum, pacemq; precatus spectatoribus, tertiam illam particulam, alia sacra verba demurmurans, in calicem immergit, & cum vino permiscet, tandemq; illam cum vino deglutit. Hunc, inquam, ritum Sergius instituit, ut habetur de Consec. dist. 2. cap. 22. Et testatur etiam Lombardus Sent. lib. 4. dist. 12. c. 3. Thomas Part. 3. quæst. 83. art. 5. Durandus lib. 4. c. 51. Antoninus tit. 13. ca. 1. §. 6. Quotus autem huius nominis Sergius hic fuerit, nemo unquam prodidit. Gratianus quidem hoc decretum Sergio Papæ tribuit, sed nec titulum, nec quicquam præterea addit; Quare vel primus esse potest, qui Pontificatum Romanum tenuit circa annos Domini 690. & in Templis exornandis & idololatrijs ampliandis sedulus fuit: Vel secundus, qui Os Porci dictus est, & Pontifex fuit circa annum Domini 844. Vel tertius Sergius, qui Formosum prædecessorem suum demortuum, atq; è sepulchro sublatum capite truncauit, eiusq; cadauer in Tyberim proiecit, & Pontificiam sellam occupauit anno Domini 910. Sergius igitur trinæ huius fractionis author est, non Christus. Vnde Bellarminus etiam lib. 1. de Missa cap. 27. Nostra, inquit, fractio sine dubio non habet Dominum authorem.*

Partes trinæ oblatæ fractæ quid significent

Quid autem partes istæ significent, Sergius dicto loco apud Gratianum indicat: Triforme, *inquit*, est corpus Domini. Pars oblatæ in calicem missa, corpus Christi, quod iam resurrexit, monstrat: pars comesta, ambulans adhuc super terram: pars in altari usq; ad Missæ finem remanens, corpus iacens in sepulchro. *Hæc postea paulò mutatis verbis Amalarius & Rabanus sic recensuerunt:* Per particulam oblatæ in calicem Missæ, ostenditur Christi corpus, quod iam resurrexit à mortuis: Per comestam à Sacerdote & populo, post resurrectionem adhuc cum discipulis ambulans in terra, & semetipsum vivum præbens: per relictam in altari, insinuatur eum iacere in sepulchro, & à discipulis in passione derelictum. *Et Micrologus:* Tripliciter corpus Domini intelligitur: Vnum, quod resurrexit à mortuis, quod significat particula in sanguinem missa. Hæc enim corporis & animæ Christi

coniunctionem designat. Aliud, quod adhuc viuit in terra, significatum per particulam à Sacerdote sumptam. Tertium, quod iam requieſcit in Chriſto, quod etiam à tertia particula in altari reſeruata apertè figuratur, quam viaticum morientium appellare ſolemus. *Sunt autem hæc inuſitata, vel potiùs monſtroſa. Etenim Chriſti corpus unicam duntaxat formam, nedum tam diuerſas atq; diſcrepantes habet. Eſt etiam in hac fractione nulla analogia, quæ ad ſenſum Sergij recipiendum nos inuitet. Cur non potiùs corpus ſepultum, pars in calicem miſſa ſignificat? cùm in ſanguinem Chriſti & mortem eius omnes ſpiritualiter, Apoſtolo teſte, ſepulti ſimus. Et calix in Scripturis paſſionem etiam ac mortem ſignificet. Pars autem comeſta, cur non corpus innuit quod cum Chriſto eſt? quum in coordibus fidelium habitet Chriſtus: uq; regnum Dei intra nos eſſe, dixerit. Pars verò ſuperſtes, cur non corpus viuum in terris ſignat?*

Quidam igitur inuenta hæc, ſeu potiùs figmenta non probarunt: ideoq; ipſi alia, ſed non minùs abſurda confinxerunt. Sic enim Gloſſa ad diſt. 2. de Conſec. c. Triformi. Hodie, *inquit*, hæc non ſeruantur: ſed duæ partes ſiccæ comeduntur: prima ſicca, pro animabus Sanctorum ad laudem Dei: altera ſicca, pro illis qui ſunt in Purgatorio: tertia cum ſanguine pro illis qui ſunt in peccatis viuentes. Ivo *Carnutenſis in lib. de Officijs diuinis*: Nos quoque, *ait*, non ociosè ſacramentum corporis Chriſti in tres partes diuidimus, quia & Chriſti paſſionem per hoc commemoramus præteritam, & hoc numero tria intelligimus, quibus capitis, id eſt, Chriſti & Eccleſiæ unitatem commendamus. Prima enim portione ſubſtantivum Chriſti corpus figuramus, quod Sabbatho quieuit in ſepulchro, & per reſurrectionem ad dextram Patris conſedit. Secunda portio, quam cum prima in patena ponimus, illam Chriſti corporis, id eſt, Eccleſiæ Chriſti partem ſignificat, quæ iam cum capite ſuo, quaſi in Sabbatho quieſcit, & unam iam immortalitatis ſtolam poſſidet, in qua illum Latronem credimus eſſe, cui in cruce confitenti Dominus dixit: Hodie mecum eris in Paradiſo; & de qua cantat Eccleſia: Gaudent in cœlis animæ Sanctorum. Tertia portio, quam in ſanguine ponimus, illam Eccleſiæ partem ſignificat, quæ calicem Domini bibit, id eſt, Chriſti paſſionem imitatur.

Honorius *in lib. de Gemma animæ cap. 56. hanc ſignificationem aliquantò etiam aliter tripartitæ huius fractionis refert*: Oblata, *inquit*, non integra ſumitur, ſed in tria diuiditur, unum in calicem mittitur, aliud à Sacerdote ſumitur, tertium in pixidem morituris ad viaticum reponitur, quia corpus Domini eſt triforme, illud quod de Maria ſumtum à morte reſurgens, cœlos penetrauit, & illud quod adhuc in electis laborat in terra, & illud quod in ſepulchris iam pauſat. Pars in calicem miſſa, eſt corpus Domini iam ſumtum in gloria: Pars à Sacerdote vel à populo comeſta, eſt corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia adhuc in terra laborans: Pars in altari relicta, eſt corpus Domini in ſepulchris quieſcens, id eſt, Eccleſia in Chriſto mortua, per unionem corporis Chriſti reſurrectura.

Ab his omnibus diſſentit Hilpertus, *Berengarij præceptoris deſertor, Cenomanenſis olim Epiſcopus, Anſhelmi æqualis, Lombardo verò annis 50. vetuſtior; Is enim in carmine quodam Elegiaco, cùm variam ſortem deſcripſiſſet eorum, qui ex hac migrant vita, alijs quidem in cœlum receptis, alijs ad inferna detruſis, nonnullis in Purgatorium deſtinatis: demum ita de his fractæ hoſtiæ partibus ſcribit, ut dicat*, eam, quæ calici immergitur, pro viuis offerri: ex reliquis autem alteram ſanctis deſeruire in laudem, alteram afflictis & cruciatis in Purgatorio conducere ad ſalutem. Et ſi damnatus ſit cui fit ſacrum, fructum tamen eius non eſſe inanem, ſed in fructum cedere purgandis, & in gloriam beatis: quod quidem & calici immiſſa particula circa viuos efficiat, ad laudem videlicet & ſanctificationem iuſtorum: qua de cauſa etiam factum ſit, ut morituris ſerò Viaticum impertiatur. *Iuxta Hilpertum hunc igitur, Sacerdos in Priuatæ Miſſa perſonas multiplices agit, viuorum, mortuorumq; omnis generis, non tantùm eorum qui iam ſunt beati, ſed eorum etiam qui adhuc ſunt beandi. Horum omnium ſe Vicarium Sacerdos ſoliphagus eſſe profitetur, & communicationem Cœnæ Dominicæ, quæ ad omnes ex æquo pertinet, ſola adumbrat hoſtiæ fractione. Cumq; ab ea cæteros omnes, tanquam prophanos & indignos, excludat, quorum tamen potiſſimùm cauſa, & Cœna inſtituta eſt, & celebrari debet, fingit tamen ſe ad eius vocare communionem etiam mortuos, qui ut nihil amplius commercij cum viuis, ita nec cum Cœna, quæ in horum gratiam inſtituta eſt, habere poſſunt. Sed quoniam Monophagi iſti Sacerdotes nemicam quidem hoſtiæ ſuæ præſentibus diſtribuunt, ne fractio eius ſuperuacanea eſſe videretur, aliquid comminiſci neceſſe fuit, quò ſe magna myſteria repræſentare docerent.*

Aliqui has tres partes, tres Chriſti naturas ſubſtantiales innuere, Deitatem, animam, corpus: aliqui tres Perſonas Trinitatis de-

Digitized by Google

monſtrare docuerunt, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

Alij aliter adhuc triforme hoc corporis myſterium hodie intelligunt & explicant : Nam triplicem myſtici corporis Eccleſiæ Chriſti ſtatum, hac trium particularum confractione, oſtendi & repræſentari *tradunt*. Priore parte, quæ & maxima eſt, Eccleſiam Chriſti triumphantem in beatis, qui iam in cœlis æterna beatitudine perfruuntur ſignificari volunt. Altera verò, Eccleſiam dormientem in illis, qui in charitate quidem & ſigno fidei ex hac vita migrarunt, ſed plenam ſuam in Purgatorio expiationem expectant. Tertia, Eccleſiam militantem deſignari intelligunt, in ijs, qui adhuc ſuper terram à Domino peregrinantur, nondum participes effecti gloriæ Sanctorum.

Sic itaque ipſo vero frangendorum myſteriorum uſu deperdito, inanem tantùm eiuſdem ceremoniam retinent, quam etiam adeò dubiè norunt, ut nihil de ea ſtatuere certi queant : ignorentque quid, & quamobrem frangant.

Hæc etiam omnia ſatis oſtendunt, quòd ſicut à Sergio Papa iſta corporis Chriſti, in tribus confractæ hoſtiæ particulis, introducta triformis ſignificatio & repræſentatio, ex humano figmento primò cœpit : ſic quoque ſuam quique, & ut in huiuſmodi humana authoritate inſtitutis myſterijs fieri ſolet, non ſemper uniformem, ſed pluſquam triformem hac de re natam fuiſſe ſententiam.

GREGORIVS II.

Missa in dedicato loco celebranda.

Gregorius 2. Miſſam non niſi in dedicato vel conſecrato loco celebrare *iuſſit, ut Balæus teſtatur in eius vita, & Valer. Anshel. Ryd.*

Item, Vt Quadrageſimali tempore in quintis ferijs, *quæ hactenus (ut vocant) officia propria non habebant*, ieiunium cum Miſſarum celebritate fieret, *ordinauit. Sigebertus. Ædituus. Flores temporum. Balæus. Valer. Anshel. Ryd.*

GREGORIVS III.

Canonem auxit Gregorius.

Gregorius III. Onſtituit hic Papa, ut poſt primam Sanctorum commemorationem in Canone Miſſæ Sacerdos dicat : Et eorum, quorum ſolennitas hodie in conſpectu tuæ Maieſtatis celebratur, Domine Deus noſter toto orbe terrarum, &c. *anno Chriſti 731. Sigebertus.*

Duo vel tres calices in Cœna

Duos vel tres calices in celebratione Cœnæ ad altare collocare, contra inſtitutionem Chriſti eſſe *ſcribit, in epiſtola ad Bonifacium Germanorum Apoſtolum, qui in ſingulari dixerit :* Hic calix Noui Teſtamenti eſt. *Verba eius hæc ſunt :* In Miſſarum ſolennijs obſervandum eſt, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit diſcipulis. Accepit namque calicem, & dedit eis, dicens : Hic eſt calix Noui Teſtamenti in meo ſanguine, hoc facite quotieſcunque ſumitis. Vnde congruum non eſt, duos vel tres calices in altario ponere, cùm Miſſarum ſolennia celebrantur. *contra inſtitutionem Chriſti.*

Decreuit etiam in epiſtola ad Bonifacium, Ne leproſi cum ſanis communicent, ſed ut ſeparatim Cœna eis exhibeatur. *Ne leproſi cum ſanis communicent.*

ZACHARIAS.

Concilium Zachariæ Synodum in cuius cap. 13. ſancitur, Non licere Sacerdoti infulato capite, nec cum baculo paſtorali, neque nudis cruribus Miſſam celebrare. *Chronicon Æditui : & Gigas in Floribus.*

Inſtituit quoque epiſtola 2. ad Bonifacium, ut epileptici poſtremo loco ſacram Cœnam accipiant.

STEPHANVS III.

Stephanus, à Stephano 3. conuocata, decreuit, ut omni die Dominico à ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadarijs, ſuper altare Petri Miſſa celebretur : & Gloria in excelſis Deo, *dicatur. Liber Pontificalis.*

Inaugurari Reges cæperunt in Miſſa.

Hic quoque Pontifex primus omnium fuit, qui in Miſſarum celebratione inaugurauit Reges. *Scribit enim Regino lib. 2. quòd Stephanus inter celebrationem conſecrationis altaris, & oblationem ſacrificij, in Reges Francorum vnxerit Pipinum, & filios eius, Carolum & Carolomannum, & Bertrodam coniugem eius.*

ADRIANVS.

Adrianus in Offertorijs, & Offertoriorum verſibus, quod geminatum eſt, geminauit. *Sigebertus, anno 772.*

Ambroſianam Miſſam in omnibus Eccleſijs abrogauit, excepta Eccleſia Mediolanenſi, *quæ eius tenaciſſima fuit : & Gregorianam obſeruari præcepit. Gigas in Floribus, & Wernerus in Faſciculo temporum.*

Cumque Angeli cruſtam in Cœna, & calices ac patenas de cornu bouis uſurparent, Adrianus per Legatos ſuos in Synodo Panem, & non cru-

cruſtato panis, iubet in Cœna adminiſtrari: calices item & patenas corneas abrogat eò quòd ſint ſanguine exc. 10.

LEO III.

Coronâ imperatoribus in Miſſa impoſita.

LEo hic primus Pontificum Romanorum in Miſſa coronam Imperialem impoſuit Carolo ad altare D. Petri, eumq; veſte Imperatoria indnit, & oleo ita largè perfudit, ut à vertice ad pedes uſq; deſtillaret. A quo ritu poſteri Pontificibus arrogarunt Romanis authoritatem ac poteſtatem Imperatoribus tradendi confirmandiq; Imperium. In hac verò coronatione Leo Imperium Carolo non tradidit vel confirmauit: ſed Carolus iure belli & tranſactionis Imperium Occidentis occupauit: à Romano autem Pontifice renunciationem ſolennem, ſeu promulgationem tantùm fieri voluit. Honeſtiſſimum enim ac piiſſimum eſt, fieri renunciationem Imperatorum, Regum ac Principum in magna frequentia, ſolennibus ritibus, cum ardenti ac ſeria precatione ad Deum pro re omnium in genere humano maxima, pro ſalute Imperij, aliorumq; Regnorum, pro incolumitate ac fœlicitate illius, cui cura, gubernatio, protectio ac defenſio Eccleſiæ ac Reipublicæ commendata eſt, cuius ſaluti ſingulorum ſalus incluſa eſt. Sed hoc ius cur Romanus Pontifex ſibi vendicat præ aliis? quod nec diuino nec humano iure ullo, ſed conſuetudine tyrannica ſuum fecit. De Deo ſcriptum eſt, quòd transferat Imperia mundi, De Miniſtris Eccleſiæ aliter docet Scriptura, quos non vult inuadere & adminiſtrare Regna politica. Poſſet tamen aliquo modo ei concedi ius renunciandi propter Caroli exemplum, ſi non ex eo falſum fingeret aliud commentitium ius, quo ſtabiliendæ tyrannidis ſuæ cauſa, ad ſuam vocem ita alligat Imperatoris authoritatem, ut ſine ea nullam eſſe contendat.

Pontifices Rom. ſuas ceremonias ceteris aliis obtruſerunt.

His autem ſuperſtitionibus & fictitijs cultibus non ſolum Romanam Eccleſiam onerarunt Pontifices Rom. ſed alijs quoq; Eccleſijs in quas tamen nihil prorſus iuris eis fuit, eas imperarunt, & per ſuos ſatellites obtruſerunt. Nam Britannicis Eccleſijs Agatho Papa miſit Ioannem Monachum, Archicantorem Romanum, ut ſacrificiorum Miſſæ ritum eas doceret, circa annum Domini 679. Beda lib. 4. c. 18. de Geſtis Anglorum. Ante hæc enim tempora Miſſas nondum habuerunt in Anglia, ſed tota fuit ſolicitudo Doctoribus ſeruiendi Deo. De Adriano Balæus in vita eius refert, quòd Miſſarum ritus à Gregorio M. editos, Occidentalibus Eccleſijs imperauerit. Et qui vitam Crodegangi Metenſis Epiſcopi conſcripſit, cap. 11. refert, quòd is Miſſas Romæ ad Confeſſionem Petri coram Papa celebrarit; ut nimirum probaretur, an recte illos ritus perdidiciſſet: & quòd ſe, plebemque ſuam Deo & S. Petro commendarit.

CAPVT III.

Liturgia Gregoriana ſeu Romana.

IN ſecunda & tertia Claſſe ordine expoſuimus, quæ quisq; Romanorum Pontificum ſacroſanctæ Cœnæ celebrationi, quam vulgò Miſſam vocant, adiecerit: ea tandem in unum quaſi corpus hoc tempore redacta, vel in certam formam conſarcinata & conſuta creduntur, quam Gregorianam ſeu Romanam Liturgiam appellant: quòd vel à Gregorio M. vel ab alio aliquo eius ætate ex Pontificum Rom. placitis & veteribus Liturgijs compoſita eſſet & in Romana Eccleſia illa deinceps uterentur tantùm, omnibus alijs formulis abrogatis. Eam integram adſcribemus, lucet poſt hæc tempora ei quædam adiecta ſint etiam, ut intelligat Lector, quàm in hac tenta Claſſe prodigioſè à ſuperſtitioſis hominibus ritus & Ceremonia in Cœna Dominica accumulatæ ſint, & quàm procul à Chriſti, Apoſtolorum ac Primitiuæ Eccleſiæ veneranda ſimplicitate & veſtigijs Romana Eccleſia receſſerit.

1. De quinque Pſalmis, qui vel ab Epiſcopo celebraturo, vel ab alijs canuntur.

CElebraturus Epiſcopus Miſſarum ſolennia, primò omnium quoſdam Pſalmos & Orationes præmittit, præcipuè autem hos quinque, Quàm dilecta tabernacula tua: Benedixiſti: Inclina: Credidi: De profundis, ut refert Innocentius 3. lib. 1. de Myſterijs Miſſæ c. 47. Durandus in Rationali diuinorum l. 4. c. 2. Sabellicus & Volateranus.

Author huius

De authore huius ritus ſic ſcribit Platina: Cœleſtinus 1. conſtituit, ut Pſalmi Dauidis ante ſacrificium Antiphonatim ab omnibus canerentur: quod antea fieri non conſueuerat. *Idem teſtatur Sabellicus Enne. 8. lib. 1. Claruit Cœleſtinus circa annos Domini 430.* Eſt autem Antiphona *vox reciproca, interprete Innocentio: quòd duo chori reciprocando viciſim melodiarum cantus alternant.*

Antiphona quid. De inuentâ cantus eius origine.

In cantu verò hoc ſuo non ſolùm voce articulari, ſed etiam pneumaticis muſicorum inſtrumentis per totam ferè ſuam Miſſam utuntur. Fieri autem vulgò ſolet, ut hominum aures & mentes eiuſmodi concentibus inſtrumentorum ſic afficiantur, ut Verbum Dei, eiusque anditum præ illo facilè faſtidiant & repudient. Nec requiri ea ad cultum Dei in Eccleſia Chriſti,

Christi, vel ipsum tempus, quoccepta sunt primò sacris officijs adhiberi, liquidò docet. Nam non solùm Platina, sed ipse quoq; Bellarminus lib.2.de Missa cap.15.fatetur, usum illorum ortum esse Vitaliani Papæ tempore, *circa annos Christi 670. Aimonius verò de Gestis Francorum ad Ludouici Pij refert tempora, qui circa annos Domini 820. imperauit: lib. 4. cap. 114. Si igitur florentissima illa tempora Christi, Apostolorum & Primitiuæ Ecclesiæ, annos plus minus 700. caruerunt instrumentis illis Musicis, quis igitur hodie iure damnauerit illas Ecclesias, quæ ijsdem instrumentis careni? præsertim quum ad ludaicas ceremonias pertineant, neq; Christianis magis conueniant, quàm Circumcisio & Neomeniæ? Ridet Bellarminus citato loco posteriorem hanc rationem, & falli nostros apertissimè dicit.* Iudaicæ, *inquit*, ceremoniæ duplices erant. Quædam ipsorum propriæ, quæ videlicet ad aliquid futurum significandum erant institutæ, ut Circumcisio & similes: & hæ nobis verè non conueniunt. Aliæ erant communes ipsis cum aliis Gentibus: eæ scilicet, quæ naturali ratione niruntur, non autem significatione rerum futurarum, ut genua flectere, pectus tundere, &c. *Respondeo, Hæc Bellarmini distinctio nihil valet: nam etiam victimæ cruentæ, earumq; oblationes Iudeis & Gentibus communes erant, & tamen Christi sacrificio sunt sublatæ. Ad priorem verò rationem nihil Iesuita respondet, cur nimirum aureo illo seculo Christi & Apostolorum, diuq; post Ecclesia Christi sine omni detrimento his caruerit instrumentis.* Adhibentur autem, *inquit*, in Dei laudibus propter infirmos, quorum non pauci in Ecclesia numerantur: iuuant enim tum ad excitandam pietatem, tum ad fastidium & tædium minuendum, quod ex longitudine & grauitate officiorum oritur. *Sed habuit etiam primitiua Ecclesia suos infirmos, & quidem non paucos, non tamen propter eos organis usa est. Et si vera hæc esset ratio, certè Deus neglexisset infirmos illorum temporum, non concedendo illis usum musicorum instrumentorum. Deniq; organorum istorum crepitu magis abstrahuntur animi à pietate, quàm ad eam incitentur, sicuti quotidiana experientia satis docet.*

11. De Indumentis Sacerdotum in Missa.

Dum hi Psalmi canuntur, Episcopus vel Sacerdos in Sacrario vestimenta sacrũ & ad Missæ celebrationem paratis, indiuitur.

Sunt autem sex Indumenta Episcopi & Sacerdotibus communia: videlicet, Amictus, Alba, Zona vel Cingulum, Stola, Manipulus & Planeta. *Nouem verò Pontificibus seu Episcopis speciali: nimirum*, Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Chirothecæ, Mitra, Annulus, Baculus pastoralis. *Durandus lib. 3. cap. 1. De his vestibus sacris pauca dicemus: ac primò de sex Indumentis Episcopis & Sacerdotibus in Missa communibus.*

Celebraturus Episcopus vel Sacerdos primò assumit Amictum, *quo caput tegitur, eumq; loco Ephod, siue Superhumeralis & Rationalis habet. Omnibus sacris vestibus supponitur: sed omnibus supereminet. Duobus funiculis seu chordulis ante pectus ligatur. In quibusdam locis linea camisia alba, aut superpellitium super communes vestes indiuitur, priusquam amictus imponitur. Amictus etiam super os Planetæ reuolutur: eo quoq; collum stringitur: Durandus in Ration. lib. 3. c. 2.* De Amictu.

Post Amictum, Albam *siue* Camisiam *Sacerdos induit. Ob candorem vocatur Alba, & fit de lino. Habet caput in & ligulam: Larga est, quum in Veteri Testamento stricta fuerit. Porrò aurifrisium & grammata diuersis in locis, ac varijs operibus ad decorem habet. Vsq; ad talos descendit. Manicæ quoq; tam albæ, quàm etiam tunicellæ debent esse strictæ, non nimis laxæ, ut labantur & brachia nudentur. Durandus ib. c. 3.* De Alba.

Debet Alba circa lumbos Sacerdotis seu Pontificis Zona vel Cingulo, *quod in veteri lege Baltheum dicebatur, præcingi, ne diffluendo incessum impediatur. In sinistro latere Pontificis ex Cingulo duplex dependet succinctorium, quòd aliàs succingulum vocatur. Hoc verò Succingulum inter indumenta legalia non fuisse legitur. Exod. 28. c. Nam legales Sacerdotes calebes non fuerunt, nec castitatem sacrificulorum modernorum, cuius Succinctorium signum est, seruarunt. Durandus eodem lib. c. 4.* De Zona.

Post hæc Sacerdos Stolam, *quæ etiam* Orarium *dicitur, super collum sibi imponit cum osculo: quæ à collo per anteriora descendens, dextrum & sinistrum latus adornat, usq; ad genua protenditur, & cum zona nexibus quibusdam à dextris & sinistris colligatur: eademq; ab humero sinistro Sacerdotis in dextrum in modum crucis reflectitur. Hoc quum tempore Bracarensis Synodi 3. circa annos 674. à quibusdam Sacerdotibus non fieret, ideò Can. 3. eiusdem Synodi tale decretum editum fuit:* Ecclesiastica, & antiqua institutione præfixũ nouimus, ut omnis sacerdos, cùm ordinatur, orario utroq; humero ambiatur, scilicet, ut qui impertur-batus præcipitur consistere inter prospera, & aduersa virtutum semper ornamento, utroq; circumseptus appareat humero. Qua ergo ratione tempore sacrificij nõ assumit, quod se in sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, ut quod quisq; percepit in cõsecratione honoris Stola, siue Orarium.

hoc retineat & in oblatione, vel perceptione suæ salutis scilicet, ut cùm sacerdos ad solennia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario, utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita, ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens signum in suo pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat. *Extat, dist. 23. c. Ecclesiastica: refertur etiam à Durando lib. 3. cap. 5. & Innocentio lib. 1. c. 54. de Myst. Missæ. Non tamen ubique etiam hodie partes stolæ reducuntur ante pectus in modum crucis. Et in Concilio Triburiensi præcipitur*, ut Presbyteri non vadant nisi stola Oraria induti: *ibid. & extat quoque apud Burkhardum lib. 6. c. Presbyteri. Et inde nomen* Orarii *habet, quòd licèt sacerdotibus baptizare, consignare & alia plura orando facere concessum sit sine aliis indumentis, Orario tamen nisi magna necessitate cogente, nihil horum facere conceditur. Durandus ibid.*

Diaconis etiam hoc indumento uti licet sed tantùm in sinistro humero, Vnde in Toletana 4. Synodo ca. 39. sancitur, ut Diaconi unum tantùm Orarium gestent, idque in sinistro humero, sed purum, nec ullis coloribus, vel auro ornatum: dextram autem partem habeat liberam, ut expeditiùs ministrent: *dist. 25. Vnum. Et in Bracarensi 1. Synodo c. 27. decretum fuit*, Ne diaconi absconsis infra tunicam Orariis utantur, ut nihil differre à Subdiacono videantur, sed ut superposito scapulę coutantur. *Lectoribus autem & Psalmistis Orarii vel Stolis uti in universum prohibetur in Concilio Laodicensi c. 23. dist. 23. c. Non oportet.*

In sinistra manu Sacerdotis ad altaris ministerium accedentis, quædam ponitur Mappula, *quæ &* Manipulus *vel* Sudarium *appellatur. Vsus hujus Manipuli non ab Aaron sumptus est, ut reliqua fere omnia, sed ab Arsenio cujus damore & consuetudine, qui, ut in Martyrologio Bedæ indicatur, sudarium semper ferebat in sinu vel manu, ad extergendas lachrymas. Habebant quoque olim paruas mappas & mantilia protergendis manibus, & reverenter tractandis Sacramentis. Durandus lib. 3. cap. 6.*

Postremò super omnes vestes induitur Planeta, *quæ &* Casula *dicitur. Planeta dicitur ὁτὸ τῆς Πλάνης, id est errore: nam errabundus ejus limbus super brachia elevatur. Sine hac nunquam Sacerdos officium celebrat: Ea quoq; in extensione manuum in anteriorem & posteriorem dividitur. Duas habet plicaturas, sinistram & dexteram: duplicaturę etiam ante pectus & humeros. Demiq; hæc Casula unica & integra, & undiquaq; clausa est. Durandus eodem lib. cap. 7.*

Præter has vestes Sacrificulis deputatas, est etiam quædam alia linea, quæ Superpellitium *dicitur, quo seruitiis quibuslibet altaris & sacrorum vacantes super vestes communes utuntur: sic dictum, quòd antiquitus super tunicas pelliceas de pellibus mortuorum animalium factas induebatur: & in modum crucis formatur. Durandus in Rational. lib. 3. cap. 1.*

Est etiam alia vestis, quæ Pluviale *vel* Cappa *vocatur, quam à legali tunica mutuati sunt. Vnde sicut illa tintinnabulis, sic hæc fimbriis infigitur. Prolixa est usque ad pedes: in anteriore parte aperta est, nec eam nisi in majoribus festivitatibus induunt. Durandus ibidem. Ab hac sacrificos dicunt* Capellanos *appellatos esse, & eorum Sacella* Capellas.

Sequuntur nunc Vestimenta novem, Pontificibus seu Episcopis specialia.

Caligas & Sandalia *quibus in Missæ celebratione utuntur Episcopi, non habuisse originem ab Aaron volunt, sed ab Apostolis, utpote quibus dictum sit, ut* calceamentur sandaliis: *Item*, Euntes, docete omnes gentes. *Celebraturi igitur Pontifices, dum quinque Psalmi dicuntur, Caligis induuntur, usque ad genua protensis, ibique contrictis: & sùt hiacynthini, id est, aërei vel cœlestis coloris. Consequenter Sandaliis calceantur, incipiendo à dextro pede. Habent ea de subtus integram soleam: desuper verò corium fenestratum: interius quandoque ex corio albo fiunt: exteriùs de nigro, quandoque de rubeo, quandoque ex diversis colorib. Lingula à corio separata, super pedem consurgit: & quidem linea lingula usque ad finem Sandalii per medium ejus procedit: linea verò ab utroque latere procedunt, & in fine Sandalij ad ipsam lineam mediam referuntur, ibiq; terminantur. Superior quoque pars Sandaliorum, per quam pes introducitur, variis consuitur funiculis, ne duo ejus cornua desluant seu ab invicem separentur. Durandus lib. 3. cap. 8. Innocentius de Myst. Missæ lib. 1. cap. 48.*

Nec omittendum, quòd ex ceremoniarum ritu & Pontificum institutis prohibitum est, sacram Eucharistiam nudis pedibus conficere. Pythagoræ verò symbolum fuit, Nudis pedibus sacrificandum: *& non nisi nudo pede ad templum Vestæ accedere olim moris apud Romanos, unde* Nudipedalia *sacra. Apud Iudæos item mox fuit, sacra ad sancta non ingredi loca, nisi nudis pedibus. Moysi certè Deus præcipit, ut calceamenta solveret, quod in quo staret loco, terra sancta esset. Post Mosem Iosueo idem est imperatum. Scribit etiam Iosephus, Berenicen Regis Agrippæ sororem, quum Hierosolymam profecta esset voti gratia rem sacram facturam idem fecisse. Mirum igitur, quum ritus Missaticos*

omnes

Diaconis Orarium concessum.

De Manipulo.

De Planeta.

De Superpellitio.

De Pluviali.

De Caligis & Sandaliis.

Eucharistia nudis pedibus non conficienda.

omnes vel ab Ethnicorum vel Iudæorum ſacris mutuati ſint Pontificii, quòd hunc non etiam retinuerint, præſertim quum eo ſignificetur, inter ſacrificandum mundos, & mundanis relictis curis, & à ſcelerum inquinamentis expiatos, rei diuinæ operam dare debere.

De Succinctorio & Stolis. *Romanus Pontifex poſt Albam & Cingulum aſſumit* Orale, *quandam videlicet Sindonem, & capiti in modum veli imponit, replicatque ſuper humeros & ante pectus: Legalis Pontificis ordinem ſequens, qui poſt lineam ſtrictam & zonam inducbat Ephod, id eſt, ſuperhumerale, Aſſumit etiam crucem quandam, catenulis inſertam, quam à collo ſuſpenſam ſibi ſtatuit ante pectus. Nam & Legalis Pontifex Laminam auream gerebat in fronte, pro qua Antichriſti crucem gerunt in pectore. Durandus in Rationali lib. 3. cap. 9.*

De Tunica. *Poſt appoſitam ſtolam Pontifex induit* Tunicam, *quæ alibi* Subtile, *in lege verò* Ποδήρης, *id eſt, talaris dicebatur: Ea non cingitur ſicut Alba. Hodie quidam Epiſcopi duabus tunicis utuntur, ſecundum legalem conſuetudinem. Exod. 39. prima eſt ſerica, ſecunda hiacinthina, Durandus lib. 3. cap. 10.*

De Dalmatica. Collobio. *Epiſcopus immediatè ſuper Tunicam* Dalmaticam *induit, ex Sylveſtri Papæ inſtitutione, quâ ab inconſutili tunica Domini, & Apoſtolorũ neſcio quo Collobio mutuantur. Eſt autem* Collobium *veſtis ſine manicis, prout in Cuculla monachali apparet: Sylveſter autem in Dalmaticam vertit, latas & protenſas manicas addendo, & in Sacrificiis altaris geſtandam inſtituit, 93. Diſt. ca. Diaconi. Platina in vita ejus & Sabellicus Enne. 7. libr. 8. Dicta eſt autem Dalmatica, quòd in Dalmatia & poſt omnia alia indumenta ſacerdotalia reperta ſit. Habet duas lineas coccineas hinc inde, ante & retro, à ſummo uſque ad deorſum. In ſiniſtro quoque latere fimbrias ſolet habere: & quadam Dalmaticæ quindecim habent fimbrias ante & retrò. Apparet autem ex Canone Gregorii, qui legitur diſt. 23. c. communis, & extat lib. 7. Epiſt. 3. quòd eo tempore non licuerit Epiſcopo uti Dalmatica abſque indulgentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Durandus lib. 3. cap. 11.*

De Chirotheca. *Statim poſt indutam Dalmaticam Pontifex manus ſuas operit* Chirothecis, *quæ circulum deſuper habent aureum, & ſunt inconſutiles ac alba. Durandus lib. 3 cap. 12.*

De Mitra. Rectè hæc omnia beſtia apud Ioannem Antichriſti ſunt deſignatur. *Poſtquam Epiſcopus Planetam induit,* Mitra *loco cidaris, ſeu thiaræ, vel infulæ capiti ejus imponitur: ea habet duo cornua: juxta illud Apoc. 13. Vidi aliam beſtiam aſcendentẽ de terra, & habebat cornua duo ſimilia agno, & loquebatur ſicut draco: habet etiam duas fimbrias ſeu lingulas poſteriùs dependentes, in quarum ſummitatibus ſunt fimbriæ rubei coloris, quæ ſuper ſcapulas pendent. Circulus quoque aureus poſteriorem & anteriorem Mitræ partem complectitur. Et eſt Mitra hæc quandoque linea & alba. Paulus 2. in Mitram Papæ maximas opes contulit, coëmptis undique ac magnis pretiis adamantib. ſapphiris, ſmaragdis, Chryſolitis, jaſpidibus unionibus, & quidquid gemmarum in pretio eſt, quibus ornatus in publicum prodit. Platina.*

De Annulo. *Inducit etiam Epiſcopus digito* Annulum aureum. *Durandus libro 3. cap. 14.*

De baculo. Baculi *uſum deducunt à præcepto Chriſti, quo Apoſtolis mandavit, ut baculos ſumerent in viam. Is quandoque ex oſſe & ligno conficitur, quæ cryſtallina & deaurata ſphærula conjunguntur: Os ſuperius recurvatur: lignum inferius ferro acuitur. Aliquando in curvatura ejus Caput formatur: quandoque in curvatura ſcribitur,* Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis: ne ob culpã gregis ira turbet in Paſtore oculum rationis: 6. q. 1. *ex merito: aliquando in ſphærula ſcribitur,* Homo: *aliquando juxta ferrum ſcribitur,* Parce. *Durandus Ration. libro tertio capite 15. Romanus Pontifex Paſtorali hoc baculo non utitur, quia de re hujuſmodi fabulam narrant.* Beatus Petrus Martialem diſcipulum ſuum, quem Dominus in medio diſcipulorum conſtituit, quum dixit, Niſi efficiamini ſicut pueruli iſte, &c. miſit cum quibuſdam aliis ad nuntiandum hoc Petro. Cui Petrus, Accipe hunc baculum, *inquit*, & tangens illum dic, Surge in nomine Domini & prædica. Ille quadrageſimo die à tempore mortis ejus tetigit illum, & ſurrexit & prædicavit: ita Petrus baculum à ſe removit nec recuperavit. *Innocentius tertius antem Papa hanc fabulam aliter recitat in Speculo Eccleſiæ.* Petrus, *inquit*, miſit baculum ſuum Euchario primo Trevirorum Epiſcopo, quem una cum Valerio & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ miſit: cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum Petri fuerat à mortuis ſuſcitatus. Hunc baculum in hodiernum uſque diem cum magna religione Trevirenſis Eccleſia ſervat.

Pontifex Rom. cum baculo utatur fabu-la. *Præter hæc eſt etiam aliud veſtimenti genus, quod* Pallivm *vocant. Et eſt veſtis ſumma lanea & candida, cui utrinque pendent duæ faſciæ, & ad humeros circulus ducitur, ac quatuor purpureis crucibus inſignita eſt. Hujus inſignis rationem Gregorius M. ad Epiſcopum Salonitanum ſcribens, hanc reddit,* quòd dicit, illud humanitatem & juſtitiam ſignificare, ut ij, qui illo utuntur, foris ſummiſsè ſe gerant, *id eſt*, mites ſint, & intus animum æquum habeant, *hoc eſt*, juſtitiam colant. *Et ſolis Metropolitis ſeu Archiepiſ-*

De Pallio.

copis hac vestis convenit, ut ea à reliquis Episcopis discernantur. Marcus tamen Pontifex instituisse narratur, ut Episcopus Ostiensis: quòd ab eo Romanus consecraretur, Pallio quoque uteretur. Polydorus Vergilius refert libro quarto de Invent. cap. 12. *Clementem primum Roma. Episcopum*, Metropolitanos seu Archiepiscopos Pallio, cujus usum ipse primus introduxerit, ornavisse. *Sed qui conditionem illorum temporum secum expenderit, hoc vanissimum esse mox intelligit. Ad Gregorium M. igitur originem Palliorum, eorumque usum in Missa referendum arbitror, de quâ re vide suprà in Gregorio* I.

Origo vestitus sacerdotalis.

Hunc autem superbum vestimentorum ritum in Cœna, non Christus instituit, neque eo usus est in prima Cœnæ institutione. Post Cœnam nox surgens, loturus pedes discipulorum, Pallium deposuit: vel, ut Ioannes scribit, 13. *cap. vestimenta* SVA, *non aliena: non sacra, & huic usui peculiariter destinata sed quotidiana: Ergo non Superhumerale aut Rationale, vel simile. Similiter nec Apostolos eum instituisse legimus. Vnde Hortulus animæ*, Apostoli, *inquit*, & eorum successores in quotidianis vestibus & ligneis calicibus Missam celebrarunt. *Aut cui credibile foret, Apostolos discrimen ciborum Iudaicum impugnasse, vestimentorum autem sacerdotalium ritum ac differentiam reliquisse? Et tamen non pudet Pontificios hæc & similia referre ad traditionem Apostolicam.*

Ajunt igitur nonnulli hunc ritum institutum esse à Clemente primo, quem decrevisse volunt, ut Sacerdotes sacris paludamentis: Episcopi insula, pastorali pedo, Sandaliis & chirotecis: Archiepiscopi Pallio: Pontifex, Cardinales & Legati cum Crucis vexillo ad Concionis & Missæ sacra vestiantur. *Nauclerus, Valerius, Anshelmus Ryd, &c. Egregium mendacium, nec conveniens istis temporibus. Mirum si sanctus hic abolitum per humillimum Christum superbum Aaronem restituere cogitarit. Verisimilius est quod Polydorus lib.* 6. *cap.* 12. *scribit.* In exordio, *inquit*, surgentis religionis, Sacerdotes rem divinam facturi nihil superinduere consueverant, quum potiùs intrinsecûs animi virtutibus vestire, ac vitiis corporis exuere studerent, quàm novos sumere apparatus.

Sunt igitur qui Sacerdotalem vestitum Stephano 1. *adscribant. Non autem tam bene Romanam Ecclesiam eo tempore habuisse arbitror, ut liceret hoc Stephano.*

Alii igitur ad Sylvestrum: alii ad Zachariam 1. *hoc inventum referunt, quod magis crediderim. Nam Cælestinus* 1. *qui Episcopatum Rom. adeptus est circa annos Domini* 428. *post Sylvestrum annis* 100. *in Epistola ad Gallia Episcopos inter alia sic scribit*: Discernendi à plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste: conversatione, non habitu: mentis puritate, non cultu.

Quidquid sit, ritus hic Iudaismum sapit: quod etiam fateri cogitur Bellarminus libro secundo de Missa cap. 15. De vestibus, *inquit*, sacris habemus exemplum Testamenti Veteris, in quo Sacerdos Sacrificium oblaturus certis vestibus à Deo præscriptis induebatur. Fuisse autem vestes typos ac figuras vestium sacrarum, quibus nunc induuntur Sacerdotes Christiani, ostendunt authores, quos jam citabo: qui singulatim demonstrant, quæ ex nostris vestibus cui ex Iudaicis respondeant. *Et tamen hunc ritum in sacris Christianorum defendere conatur*, Primò, *exemplis Regum & Principum.* Ut Reges, *inquit*, & Magistratus in publicis actionibus, non in vulgari vestitu, sed alio augustiore, & certis insignibus, quo & reverentia ipsis concilietur, & simul imperium ipsorum & potestas repræsentetur: sic etiam omnino conveniebat, ut in hac publica totius Ecclesiæ actione Sacerdos sacro & peculiari habitu uteretur, tum ad reverentiam mysterii, tum ad ipsam Christi passionem repræsentandam idoneo. *Respondeo, est fallacia à non Consequente. Non enim valet consequentia à rebus profanis ad sacras: alioquin sequeretur, nec ipsum Christum & Apostolos rationem reverentiæ hujus mysterij habuisse. Deinde, est elenchus à non causa ut causa. Vestitus enim, quàtumvis superbus & splendidus, non conciliat huic sacræ actioni authoritatem & reverentiam aliquam, quemadmodum terrenis Principibus & Magistratibus, sed ipse Filius Dei, Iesus Christus, sacram hanc Cœnam instituens.*

Secundò, *authoritate S. Ioannis Evangelistæ, de quo Polycrates in Epistola Synodica ad Victorem Rom. Episcopum, quæ apud Eusebium exstat libro quinto Hist. Eccles. cap.* 24. *refert*, quòd sacerdotale petalon, seu laminam auream in fronte gestarit. *Respondeo, Si maximè hoc sit, quod de Ioanne testatur Polycrates, de quo tamen non immeritò dubitatur, illud tamen ob infirmitatem Iudæorum magis, quàm ob necessitatem ab eo factum esse. Constat enim primis aliquot annis Apostolos ceremonialia quædam Mosaica, ut res indifferentes, propter imbecilles, & nondum de abrogatione legis Mosaicæ planè edoctos, observasse, ut patet ex Act.* 16. *ca. ubi Paulus Timotheum, quem volebat secum adducere ad Iudæos, qui sciebant eum Græco patre natum esse, circumcidit: idemq. Apostolus* 1. *Corinth.* 9. *scribit se Iudæis factum esse quasi Iudæum, ut Iudæos lucrifaceret, & iis qui sub lege erant, quasi & ipse esset sub lege, ut eos lucrifaceret: & iis qui sine lege fuerint, tanquam ipse quoq; sine*

ſine lege ſit, ut lucrifaceret eos qui ſunt ſine lege. Cùm autem viderent obſtinatos Iudæos, obſervationem legis, tãquam neceſſariam ad ſalutem, urgere, nequaquam ceſſerunt & obſecundarunt amplius, ſed manifeſtè contra legem egerunt, nè doctrinam de abrogatione legis, & libertatem Evangelij tuerentur. Vnde Paulus Antiochiæ Petrum in gratiam falſorum fratrum Iudaïzantem graviter reprehendit, Gal. 2. cap. Idem 1. Corinth. 10. legem diſcrimine ciborum abrogat: & Galat. 5 aperte docet, adeò eſſe abrogatam legem Moyſis, ut ſi quis ea opinione circumcidatur, aut alias obſervet legis ceremonias, tanquam ad ſalutem neceſſarias, non poſſit ſalvari. Hac reſponſione utitur ipſe quoq; Bellarminus. Nam quum Polycrates in eadem Epiſtola, authoritate S. Ioannis celebrationem Paſchæ decima quarta lunæ defenderet, ſic ad id reſpondet Bellarminus libro 3. de Cultu Sanctorum cap. 12. Ad authoritatem, *inquit*, S. Ioannis Evangeliſtæ, quam pro ſe adferebant Quartadecimani, reſpondet Beda libro 3. Hiſt. cap. 25. Ioannem celebraſſe Paſcha decima quarta die, ut ſe accommodaret in illis initiis Iudæis ad fidē converſis, ſicut etiam propter eandem cauſam Paulus circumcidit Timotheum. *Si valet hæc reſponſio Bellarmino contra Quartadecimanos, nobis quoque valeat contra Petalon & veſtitum Aaronicum in ſacris: eoque magis, quòd de abrogatione legis Moſaicæ hodie ſatis edocti ſumus. Aut ſi exemplo Ioannis Petalon in Eccleſia eſt retinendum, eodem jure retineatur etiam celebratio Paſchæ quartadecimæ luna.*

Veſtitus in Cœnæ adminiſtratione qui retinendi dicat.

Cùm verò conſtet, Chriſtum in inſtitutione Cœnæ, item͡q; Apoſtolos in celebratione ejus, veſte vulgari & honeſta uſos eſſe, non peccat miniſter, ſi ad Menſam Domini prodeat tectus ſue quidem decoro tamen & honeſto veſtitu: Cùm etiam qui percipiunt Sacramentum, non alia quam vulgari veſte utantur. Vitetur ſaltem ſuperſtitio. Veteres quoque unico tecti videntur Pallio ſuperinducto vulgari veſtimento: idque non vel ex Chriſti, vel Apoſtolorum exemplo, ſed ex traditione humana tantum. Tandem ſuperbus ille & operoſus excogitatus ſeu inventus eſt veſtitus, quem modò recenſuimus, quoque hodie utuntur Pontificii Sacerdotes in ſuis ſacris, ex imitatione veſtitus Aaronici, quod ne ipſe quidem Innocentius 3. Bellarminus & alii diſſimulant. Decent autem nos ſacra litera, Leviticæ omnia non tantùm eſſe abrogata, ſed etiam à nemine rurſus in Chriſti Eccleſiam reducenda. Nec immeritò Veſtitus ille Miſſalis Leviticus in reformatis Eccleſijs abijcitur.

III. De Capitis compoſitione, & manuum lotione.

Hũ ſacris veſtibus ſic ornatus Epiſcopus vel presbyter, Caput pectinat: deinde manus & faciem lavat. Durandus lib. 4. cap. 3.

Ritus Iudaicus. Origo. Vide Stuchium de Eſtimbeorum ſacrificijs p. 17. b.

Manuum hanc lotionem à Lege ſumpſerunt. Legitur enim Exod. 30. & 38. cap. & 40. quòd Moſes fecerit labrum æneum de ſpeculis mulierum, in quo lavarint ſe Sacerdotes in ingreſſu Tabernaculi, quando acceſſuri erant ad altare. *Durandus ibidem. Scribit etiam ac Phariſæis ablutionem manuum, antequam ciborum caperent, aſſitatam fuiſſe ex Evangelica hiſtoria notum eſt.*

Apud Ethnicos quoque Sacerdotes, antequam Diis immolarent, aut rem divinam facerent, corpus abluebant. Vnde & Æneas ex ritu precatur is 2. Æneid. inquit: Donec me flamine vivo Abluero. Heſiodus etiam in Operis & diebus, vetat, ne quis manè Iovi libet vinum χοὸν ἀνίπτοις, id eſt, illotis manibus: inquit enim, ut Eraſmus vertit,

Ne unquam manè Iovi vinum libaveris ardēs
Illotis manibus, neque divum preterea alli.

Ac nè vel amnem quiſpiam ingrediatur, aut fontem χέρνιβα ἀπενίπτω. idem prohibet. Vnde vocum χερνίπλυσις, χειροντίπτρου & χέρνιβος apud Homerum crebra mentio: quæ voces perinde ſonant, quaſi dicas, manuum lotionem, à qua rem divinam antiquitus auſpicabantur, atque etiam convivium, utpote rem ſacram. Hinc Euſtathius illa Homeri ιλ. α. χερνίψασθε δ' ἔπειτα, manus laverunt five abluerunt, ſic exponit Οὗτος χερνίπτονται οἱ παλαιοὶ. Δεῖ δὲ καθαρὰς τὰς θείων γίγνεσθαι χεῖρας anonymus quidam apud Suidam inquit: χερνιβοῤῥυὲς πρὸς αὐτοὺς τοὺς βωμοὺς ἀπόκτεναν. Inde nata proverbia, Illotis manibus, Illotis pedibus accedere, *intellige, ad ſacra, pro eo quod eſt irreverenter & imparatè, ut Eraſmus annotat in Chiliadibus.*

IIII. De Aquæ benedictæ conſecratione & aſperſione.

Poſt hæc aquam ex inſtitutione Alexandri 1. Papæ benedicit: altare, Templum & populum ea conſpergit, ut ſpiritus immundi tam ex Templo, quàm ex cordibus hominum propellantur: hanc enim virtutem aquæ exorcizata tribuunt. Nam in Canone Alexandri ſic legitur: Aqua ſale conſperſa, populis benedicimus: ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur & purificentur: quod & omnibus Sacerdotibus faciendum mandamus, &c. *Durandus libro quarto capite quarto.*

Ritus hujus Origo.

Nata autem eſt hæc ſuperſtitio apud Chriſtianos, partim ex prava quadā imitatione Iudaïſmi. Iudæi enim aquam luſtralem quoque habuerunt, quæ ex cineribus vaccæ ruſæ conficiebatur, & Sanguinis Chriſti meritum adumbrabat, qui nos ab omni iniquitate emundat. Quam verò

ceremonia hac Christi sanguinem adumbrarit, ejus morte etiam abrogata fuit. Dumque fuit in usu, Verbum Dei secum conjunctum habuit: nunc verò quando illo destituitur mera est superstitio. Neq; solùm propria authoritate revocata est in Ecclesiam Christi, sed insuper tributa ei sunt, quæ soli merito Christi adscribi debent. Nam per aquam hanc non modò pollutos purgari, sed etiã diabolos fugari & spectra arceri credunt: imò mortuorum sepulcris & tumbis lapideis inspergunt, ut quæ mortuorum delictis expiandis serviat, & Purgatorii ardores tolerabiliores faciat. Partim etiam ab Ethnicis hæc superstitio ad Christianos manavit: apud quos aquæ lustralis aspergines in usu fuisse ex his verbis Dionysii Halicarnassæi lib. 7. colligitur: καὶ καθαρὸς τὸ ἱερὸ περιεργίζοντες ὕδατι: Et purâ aquâ lustrantes sacra. *Idem testatur Iustinus Apol. 2. ubi inquit:* Qui adeunt templa *(Gentiles intelligit)* seipsos aspergunt, postea offerunt Numinibus grates, nidores atque libamina. *Ac Ædituorum munus fuisse apud illos, adstare ad januas Templi, & ingredientes adspergere aqua lustrali ex Valentiniani historia patet. Is enim quum adhuc Tribunus militum esset, sequereturque Iulianum Apostatam in Fortunæ fanum, utrinque autem ad januas starent aditui lustrationibus purgantes ingressuros, ubi vidit guttam aspersam chlamydi suæ, ædituum pugno percussit, quòd se Christianum, & hoc pacto pollutum, non purgatum diceret, ut referunt Theodoretus libro tertio capite decimo sexto & alij.*

Aquæ lustrali quam vim tribuerint Ethnici.

Huic aquæ lustrali Ethnici non minorem vim & efficaciam quàm Christiani suæ affinxerunt, ut ex jam dictis intelligitur. Clarissimè autem id docet Cicero lib. 1. de Legibus, ubi dicit, Aspersione aquæ labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari. *Quin Prisci Ethnici putarunt, nullum esse nefas vel scelus adeò grande, quod hac aqua deleri non posset: imò & parricidia hoc purgamine lavari posse dixerunt: sic enim Peleus purgavit Patroclum à cæde Clysonomi: Acastus Peleum à nece fratris sui Phoci: Ægeus Medeam à parricidijs & veneficijs. Vnde Euripides, σὺ λαοσσοὸς κλύζει πόντια ἐν θροΐσιν κακῶν. Quæ verba Ovidius sic reddidit in Fastis.*

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes.

Sed quia plura de aqua lustrica, ejusque aspergine diximus in nostro libro de Origine Templorum, &c. ideò hic brevitati studemus.

v. De Introitu Missæ.

His finitis, Sacerdotem vel Episcopum ad altare accedentem, Chorus excelsa voce Antiphona, quæ ad Introitum *solet vocari, excipit: consequenter ex institutione Damasi Papæ,* Gloria Patri, &c. *dicitur in Missa: alioquin ante Damasum fuisse usum in Ecclesia canendi* Gloria Patri, &c. *ad finem Psalmorum in Orientalibus Ecclesijs, patet ex Theodoreto lib. 2. Hist. cap. 24. & Sozomeno lib. 3. cap. 19. qui scribunt, Antiochiæ temporibus Constantij Imp. Catholicos & Arianos in Psalmorum fine dicerni solitos, quòd illi canerent,* Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: *hi autem* Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.

Ritus hujus Origo.

Gregorius 1. autem Introitum *Missæ cum cantu ordinavit: antea enim tantùm Epistola Pauli & Evangelium legebantur, & postea Missa celebrabatur. Durandus lib. 4. cap. 5. Sabellicus Ennead. 8. lib. 9. & Balæus in vita Gregorij. Nauclerus Generat. 21. Hermannus Gigas & Platina referunt, quòd Gregorius M. Introitum in Missa, qui semel antea duntaxat canebatur, iterari & bis cantari iusserit, occasione non tam ridicula, quàm superstitiosa & fabulosa: Quum, inquiunt,* pro quodam defuncto ante annos 180. die anniversario constituto in Ecclesia S. Petri celebraret Gregorius & cantaretur Introitus, Requiem æternam dona eis Domine: audivit vocem de cœlo, Non faciam: sed vir Deo devotus putans illusionem esse, jussit reincipere Requiem: tunc rursus audivit vocem, Non faciam, quia anima illius damnata est. Prosequitur Gregorius officium, orans causam damnationis revelari sibi: cui revelatur, ideo damnatus, quòd propter inimicitias, quas remittere noluit, Corpus Christi semel in anno omiserit accipere, & de hoc confessus non fuisset. *Sed fabulam hanc esse omnes intelligunt, ad confirmanda Sacrificia pro mortuis, & confessionem auricularem excogitatam: Nam ante Gregorium Sacrificia pro mortuis non fuerunt in usu, sed ille author earum fuit: & confessio auricularis in Concilio demum Lateranensi instituta perhibetur, anno Christi 1215.*

Introitus nomen vide.

Ipsum verò Introitus nomen palàm admonet, inde dictum esse, quòd recitari canive soleret, vel à sacrario egredienti in Chorum Episcopo aut Sacerdote, vel introeunte & conveniente ad sacra populo. Conradus Brunus lib. 2. cap. 1. & alij volunt, sic dici, quòd sit Introitus, id est, initium Missæ. Mos autem hic ex Græcis Ecclesijs in Romanam, & alias deinde Occidentales Ecclesias translatus est, sed tamen corruptus & depravatus. Nam vetus admodum fuit consuetudo in Orientalibus & Græcis Ecclesijs canendi Psalmos in cœtibus Ecclesiasticis, in quibus integri Psalmi cantari solebant, ut ex Chrysostomi in Matthæum Homilia vigesima prima intelligitur. Contra verò Pontificiorum iste Introitus, ut alij cantus fere

omnes,

omnes, ex truncatis Scripturis & ridiculis batologijs conflati sunt.

VI. De accessu Sacerdotis ad altare.

Sacerdos ad altare procedit inter duos, videlicet Presbyterum & Diaconum, quos antecedit Subdiaconus Evangelij codicem clausum gerens: huic præcedunt duo Ceroferarij, quem etiam antecedit ferens thuribulum cum incenso, candidis induti lineis vestibus. Durandus libro quarto capite sexto.

VII. De confessione facienda in Missa & pectoris tunsione.

Priusquam Sacerdos vel Episcopus gradus altaris ascendat, & antequam sacrum ordinetur officium, inclinati se ante altare: tum cum adstantibus generaliter confitetur peccata, præmittens Psalm. Iudica me Deus, & discerne causam meam, &c. *ex institutione Cœlestini Papæ: & inter confitendum pectus tundit: ut referunt Durandus lib. 4. c. 7. Innocentius lib. 2. Myster. Missæ c. 13. Platina in vita Cœlestini. Sabellicus Enne. 8. lib. 1.*

Ritus hic nouus.

Ritum hunc confitendi priusquam Sacerdos altare conscendat, Fasciculus temporum, Nauclerus Generat. 8. & Valer. Anshelmus Rydtribuunt Pontiano Rom. Episcopo circa annos Christi 235. Quidam tamen Damaso adscribunt, sicut indicat Polydorus lib. 5. cap. 10. Platina in vita Damasi, & Petrus de Natalibus lib. 1. c. 56.

Consuetudo hac apud Ethnicos quoque in usu fuit: apud quos qui rem divinam faciurus erat, ad suas levandas culpas, se inprimis reum dicere solebat, noxæ pœnitere, admissa fateri, vultuque submittere, & ad omnem modestiam fingere: Gyraldo teste de Dijs Syntag. 17. Videtur tamen apud Pontificios illis substituta esse, qua vetus Ecclesia uti publicè solebat, proposito Dei sermone, quo omnes rei peragerentur suorum scelerum, & petita, nuntiataq; ex eodem absolutione. Qui ritus in nostris etiamnum Ecclesijs fere observatur, tum maximè, quum ad sacram Synaxin conveniunt, ut ab initio indicavimus. Aut potius illi Confessioni successit, quæ exigebatur olim ab ijs qui publicè Ecclesiam offenderant; & absolutioni, quæ illis impertiebatur, qui ob sua scelera, à sacra communione excluſi, Pœnitentes vocabantur: de quibus Cyprianus scribit libro tertio Epistola 14.

Peccatum in hoc ritu quid Sanctis mortui inuocantur.

In hac autem peccatorum confessione qua sit à Sacerdote in Missæ celebratione peccatur in hoc maximè, quòd ea non fit soli Deo sed etiam Sanctis mortuis. Ad hoc verò Bellarminus libro sect. ndo de Missa cap. 16. Confessionem, *inquit*, quatenus fit Sanctis adversarij non probant, quòd existiment Sanctos eam audire non posse, cùm tam procul absint. *Sed utitur fallacia non causæ ut causæ: Nam distantia locorum & personarum non propriè causa est, ob quam Sanctis factam confessionem reijcimus, sed hæc potiùs, quòd hoc modo Sanctis tribuitur gloria, de qua ipsemet Dominus apud Prophetam testatur, quòd nulli alij sit daturus. Pergit tamen & dicit:* Ecclesia Catholica nihil dubitat, Sanctos cognoscere, ut orationes, ita etiam confessiones nostras, tum ex ritu invocationis Sanctorum, qui semper fuit in usu apud veros Christianos, tum ex miraculis, quæ omnibus seculis facta sunt, ad Sanctorum invocationem, quorum multa refert Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. Argumentum sic formari potest: Si Sancti orationes & confessiones nostras exaudiunt, sunt utique invocandi, & est eis confitendum. Sed est verum antecedens, ergo & consequens. Assumptionem probat duabus rationibus:* Prima *est*, Sanctorum invocationem semper fuisse apud veros Christianos in usu. *Respondeo hoc esse falsissimum. In Veteri quidem Testamẽto orantes sæpè fideles meminerunt Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis & aliorum, ut est videre Exod. 32. Psalm. 132. 1. Reg. 15. sed eos non invocarunt. Præterea nomine Abrahami, &c. non ipsas propriè personas, sed fœdus Dei cum ipsis initum intellexerunt: de quo vide 2. Paralip. 6. cap. Psalm. 132. Denique ipsemet Bellarminus fatetur tom. 1. Patres ante adventum Christi non intellexisse aut novisse preces supplicantium. In Novo etiam Testamento Christus non docuit nos invocare Sanctos, sed solum Deum Patrem omnipotentem.* Vos ita precamini *inquit Matth. 6.* Pater noster, &c. *Apostoli etiam non Sanctos invocarunt: Ergo non secundum Bellarminum invocatio mortuorum Sanctorum semper fuit in usu. Adhæc Concilium Carthaginen. 3. cap. 23. Laodicenum c. 35. Ambrosius in c. 1. Rom. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei c. 10. & contra Faustum l. 20. c. 21. orationes & preces, quæ vel ad Angelos, vel ad Sanctos homines referuntur, damnant prorsus ut impias: ergo ritus iste non semper in usu, sed potiùs prohibitus fuit apud veros Christianos.*

Miracula in quo modo ad confirmationem invocationis edita.

Secundam *rationem, qua probat, Sanctos cognoscere orationes & confessiones nostras, petit Iesuita ex miraculis, quæ omnibus seculis facta sint ad Sanctorum invocationem. Sed & hoc est falsum, miracula scilicet ad Sanctorum invocationem semper facta. Nam illa miracula, quæ Augustinus l. 22. de Civit. Dei. c. 8. commemorat, non sunt facta ad Sanctorum invocationem, ut ex toto illo cap. colligi potest. Nec sunt edita à Sanctis, sed à Deo: non ad Sanctorum, sed Dei invocationem, & doctrinæ Sanctorum confirmationem. Vnde Augustinus eodem loco dicit,* mi-

racula illa necessaria fuisse priusquàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus, *nimirum, non in Sanctos, sed in Deum. Deinde, ut maximè ad Sanctorum invocationem quædam miracula facta sint, nihil tamen id quoq; contra nos facit. Prædixit enim Servator cum Apostolo Paulo*, Satanam ad suam doctrinam blasphemam confirmandam signa quoque, prodigia & miracula edeturum. *Matth.24.2. Thes.2. Apoc.16.c. Negatur etiam hypotheticum connexum in hoc argumento Iesuitico. Non enim sequitur, Sancti sciunt & audiunt nostra tum dicta tum facta: Ergo Sancti is est confitendum. Sancti Angeli & tota Ecclesia peccatum Davidis norant, nulli tamen Angelorum, sed soli Iehovæ suum peccatum confessus est David. Et quamvis Nathanum Prophetam Davidis facinora non latèrent, & David ipsum pro se orare sciret, tamen non homini, sed Deo confessus est.* Tibi soli, *inquit*, peccavi, & malum coram te feci. *Item*, Confitebor adversùm me iniustitiam meam Domino. *Nec valet consequentia Iesuitæ, Quia offendimus Deum, Sanctos & Ecclesiam præsentem, ideo his omnibus confitendum: ut ille etiam dicebat Luc.15.* Peccaui in cœlum & coram te. *Nam offenso Deo offendimus omnes creaturas, non tamen sequitur omnibus creaturis confitendum. Offenderat David Deum, Angelos, Ecclesiam, Vriam & eius amicos, & tamen soli Deo confessus est peccatum suum. Filius ille prodigus per Metonymiam subiecti intelligit per Cœlum, Deum ipsum, quia est thronus vel sedes Dei.*

De tunsione pectoris.

Percussionem autem vel tunsionem pectoris in Missa quòd attinet, etsi eam à sacris Cœnæ Dominicæ precibus tollere non possimus, quia dolentis & pœnitentis ceremonia est: Luc.18.& 23. tamen ea non est Sacerdotis propria, sed omnium peccatorum.

VIII. De incenso benedicendo & in thuribulum mittendo.

Facta confessione & data absolutione, Pontifex vel Sacerdos incensum cum benedictione thuribulo imponit. Sacerdos autem ministrans incensum representat Episcopo, vel Diaconus Sacerdoti. Durandus lib.4.c.8.

IX. De osculo altaris & libri.

Post immissum in thuribulo incensum Sacerdos seu Episcopus, dicto, Deus tu conuersus, &c. *altare in medio deosculatur, & codicem Evangelij apertum, & quidem à parte sinistra: Inde verò transiens ad dextrum cornu altaris, signat se signo crucis: & postea liber Evangelij super altare clausus ponitur. Deinde Romanus Pontifex, ut etiam quidam alij, conversus osculatur Diaconum: Diaconus statim se inclinans osculatur pectus eius. In nonnullis verò Ecclesijs Episcopus primò osculatur ministros, postea altare, demum Evangelij librum: in alijs Ecclesijs Diaconi bini & bini latera altaris alternatim osculantur. Durandus lib.4.cap.9.*

Ritus huius origo.

Hæc etiam ceremonia neq; à Christo, neq; ab Apostolis, aut Apostolicis viris, sed ab Innocentio I. qui Episcopatum Rom. tenuit circa annos Domini 410. instituta est. Apud Iustinum quidem & Tertullianum mentio fit Osculi pacis, *quo se fratres mutuo salutabant: Quid verò hoc ad osculum Missæ, quo non fratres, sed vitrum, poculum, aut tabulam, imaginem, vel ossa hominum mortuorum continentem, osculantur? Quod si licuit Ecclesiæ hoc pacis osculum tollere, & in eius locum ossium, imaginum, & altarium osculum instituere, liceat nobis quoque hodie idem rursus abrogare. Sed aiunt, ad tepiditatis nostræ remedium hoc inventum esse ab Innocentio, ut omni daretur osculum pacis, pro mysterio unitatis, ut qui Sacramentum non participant saltem in una fide Sacramenti, unitatis & pacis se communicare ostendant spiritualiter. Hoc autem remedium, quia non divinum, sed humanum inventum erat, non potuit tepiditatem expellere & pietatis ardentioris fervorem excitare. Charitas enim Dei non per osculum externum, sed per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, Paulo teste. Vna etiam fides Sacramenti ex osculo non perspicitur, sed ex obedientia Verbi Dei, & Sacramentorum fideli & integra perceptione: nam hoc modo Manichæi, qui calicem Dominicum averfabantur, in veteri Ecclesia deprehensi & agniti fuerunt. Denique non iussit Christus, ut qui Sacramento abstinere velint, eius loco sese mutuò osculentur, sed iussit omnes edere ac bibere.*

Transitionem autem hanc, seu potiùs conversionem & circumactionem & in dextram & in sinistram altaris partem, dum Missam celebrant Sacerdotes, ex Ethnicorum ritibus sumpserunt. Nam Cœlius Rhodig. Antiquit. lib.1. cap.9. indicat, in Gracorum monumentis reperiri, morem sacrificandi apud Ethnicos observatum diu, ut circumcurrerent Sacerdotes aras, cursum auspicati à lævo dextrorsum, mox verò à dextris lævorsum. Extat inter Symbola Pithagoræ hoc quoq; προσκυνεῖν πεπερόμενον, hoc est, Circumactus, *seu*, vertigine actus adora. *Plutarchus tamen in Numa hoc Numæ Regi, non Pythagoræ adscribere videtur: ubi etiam hæc cognitione digna de vertigine in sacris affert.* Conversio, *inquit*, inter sacra, fertur ea quidem motum universi exprimere: sed vero propius est, quoniam

Deorum

Deorum templa ad Solem Orientem spectant, eum qui sacra operatur, inde se in orbem circumvertere, dum ad Deum redeat, eoque voti sui perfectionem indicare. *Nisi potius quod Ægyptiorum rotæ obscurè repræsentant, idem hoc Numæ institutum declarat: videlicet, nihil in rebus humanis stabile; ideoque conveniens esse, ut quocunque modo vitam nostram Deus torqueat atque revolvat, boni consulamus.*

x. De Thurificatione.

Post hæc thuribulum accipiens Episcopus de manu Sacerdotis adolet super altare: deinde sacerdos thuribulum recipit & incensat Episcopum. In quibusdam Ecclesijs Episcopo thurificato, altare à Diacono circumcirca thurificatur. Durandus libro 4. cap. 10. Ac Sother Papa decrevisse dicitur, ne Monachæ incensum circa altaria ferant. *Durandus ibidem, & Marianus Scotus. Licèt autem in Missa pro vivis debeant omnes thurificari, in Missa tamen pro defunctis, non debet thus per chorum portari: nec offerri, sed circa corpus tantum. Hoc ex Mosaicis cæremonijs desumptum est; in quibus prohibitum fuit oleum lætitiæ & thus suavitatis pro peccato offerri. Durandus ibidem.*

Ritus huius Origo.

Testatur Platina in vita Sixti, Leonem 3. qui Pontificatui Rom. præfuit circa annos Dom. 800. Thus Missæ addidisse. *In eo verò non est Christi institutionem sequutus, qui tempore illo, quo Cœnam instituit, non thymiama obtulisse legitur. Proinde falsum est quod de Sothere scribitur.*

Thuris usus in Missa frequentissimus.

Est autem thuris usus in hoc Papistico sacro frequentissimus, tum ad altare, tum ad Evangelium, tum ad Sacerdotem, tum etiam ad Clerum & populum. Quod verò eius sit mysterium, exponens Ioannes de Lapide in Resolut. dubiorum circa celeb. Miss. cap. 10. artic. 2. alios imitatus, præsertim Innocentius 3. lib. 2. cap. 13. de Offic. Missæ, præter rationes alias, quæ ab eo adducuntur, suffitus adhiberi testatur in hoc sacro, propter diabolicæ malignitatis repulsam (*sunt enim hæc illius verba*) ne videlicet ille malignus aliquid contra sacrificium, vel celebrantem, machinari vel facere possit. Huiusmodi enim fumo omne genus dæmoniorum extruditur. *Hæc ille. In qua quidem sententia nequaquam fallitur, si Porphyrio & Magis fidem habemus: nam illis testibus magna vis est suffituum ad dæmonas tum alliciendas, evocandosq;; tum ad eosdem arcendos & abigendos. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 15. thuris usum institutum in Ecclesia dicit, tum ut significetur bonus odor Evangelij, & eorum qui Evangelium prædicare debent: tum ob similitudinem quam habet incensum cum oratione: tum etiam ad gloriam Dei repræsentandam: Deus enim in nebula se ostendere solebat in Veteri Testamento: tum denique ad tetrum odorem, si quis ex multitudine hominum in Ecclesia existeret, abstergendum.*

Sumptum est hoc partim ex Iudaismo, ipso quoq; Bellarmino teste l. 2. de Missa c. 15. Nam Exo. 30. sic præcipitur: Adolebit super altare thymiamatis Aaron, suave fragrans mane; quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. *Et rursus ibidem.* Sume tibi aromata, stacten & onychan, galbanum boni odoris, thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama compositum opere unguentarij mistum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem omnia contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi: sanctum sanctorum erit nobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino; homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis. *Hoc verò thuribulum aureum & incensum Iudaicum Paul. ad Hebr. 9. cap. inter ea numerat, quæ usque ad tempus correctionis durare debuerunt. Partim verò ex Ethnicismo. Testatur enim Epiphanius lib. 2. tomi 1.* Gentes Dijs suis thus sacrificare. *Unde nonnulli ipsum, probabili sanè ratione, ἀπὸ τῆς θύειν, id est, sacrificando, volunt fuisse dictum, propterea quod antiquitus solo thure à Gentilibus fuerit sacrificatum præsertim à pauperibus, unde postea in omnibus Sacrificijs fuit adhibitum. Et Lactan. inquit lib. 5. cap. 21.* Thus aris imponunt. *Hic verò ritus primitivæ Ecclesiæ incognitus fuit in sacris, ut ex lib. 1. cap. 20. Lactantij apparet, ubi de Ethnicis dicit*: Thure colunt, quod corde debebant. *Et Augustinus in Psal. 49.* securi sumus, *inquit*, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis quærit à nobis Deus. Habebat hoc sacrificium Zachæus in Patrimonio suo: habebat & illa vidua in sacello suo: habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Immola Deo sacrificium laudis, & hæc immolatio, hoc sacrificium laudis est gratias agere illi, à quo habes quidquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur quidquid mali habes. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo preces tuas, hoc odore Dominus delectatur. *Et in Psalm. 57.* Noli extrinsecus

thura

thura comparare : ſed dic, In me ſunt Deus vota tua tua, quæ reddam laudes tibi. *Arnobius quoque libro 7. contra Gentes ſcribit*, Religionem thuris novellam eſſe. *Hæc teſtimonia maioris debent eſſe ponderis, quàm ea quæ ex ſuſpectis authoribus & ſuppoſititijs ſcriptis, nimirum ex Conſtitutionibus Apoſtolicis & Liturgijs Iacobi & Chryſoſtomi citat Bellarminus libro ſecundo de Miſſa c. 15. ad probandum, apud populum Dei antiquiſſimam conſuetudinem eſſe, thuris adhibendi in ſacrificio divino.*

XI. De Κύριε ἐλέησον.

Dum Sacerdos incenſum ante altare adolet, Chorus interea nouies Κύριε ἐλέησον *decantat, ſingulis videlicet perſonis in Trinitate tribus vicibus : Durandus lib. 4. cap. 12. Novenaria autem hæc repetitio harum duarum vocum non carere myſterio arbitror. Numerum enim novenarium ſacris dicatum fuiſſe, præſertim magicis, ex multis Veterum teſtimonijs intelligitur. Ouidius enim de ſacris Lemuralibus lib. 5. Faſt. ſic dicit.*

Quum dicit nouies, Manes exite Paterni,
Reſpicit, & purè ſacra peracta putat.

Vulgatum verborum.

Huc accedit, quòd magnam tribuunt vim hiſce verbis Pontificij. Dicunt enim quòd ad pronuntiationem iſtorum verborum à B. Baſilio factam, portæ Ticinenſis ſive Papienſis Eccleſiæ ſint apertæ : Cumq; B. Geminianus Κύριε ἐλέησον *clamaſſet, quinq; Reges in fugam verſos eſſe : putant igitur, ea forte aliquid aliud ſignificare, quàm* Domine miſerere, *quod tamen ipſis ignotum ſit : Durandus ibidem. Hæc ut magicas ſuperſtitiones admodum reſpiunt, ita teſtantur etiam de eorum ignorantia. Nam ut concedamus hæc fuiſſe edita miracula à Baſilio & Geminiano, non eſt tamen vis hæc verbis adſcribenda, ſed fidei qua ſuis precibus id à Deo impetrarunt.*

Ritus huius Origo.

Sylveſter ergo hæc verba in Miſſam à Græcis aſſumpſit : non enim exiſtimarunt Latinam linguam ſatis barbaram imperitæ plebi, niſi etiam de Græca aliquid adieciſſent. Et Gregorius M. inſtituit, nouies Κύριε ἐλέησον *à Clero tantùm in Miſſa publicè cantari debere, quod prius apud Græcos è Clero & populo ſimul fiebat : utq; totidem vicibus etiam Chriſte eleiſon diceretur, quod apud Græcos non fit : Durandus ibid. Platina & Balaus in vita Gregorij. In Concil. Vaſenſi 2. quoq; cap. 3. decretum fuit, ut* Κύριε ἐλέησον *in omnibus dicatur Eccleſijs Gallicanis ad Miſſas, quod antehac non fiebat. Canon enim ſic habet :* Quia tam in ſede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias, dulcis & nimiùm ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, ut Kyrie eleiſon frequentiùs cum grandi affectu & compunctione dicatur : placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſijs noſtris iſta conſuetudo ſancta, & ad matutinum, & ad Miſſas, & ad veſperam, Deo propiciante, intromittatur. *Ante Cœleſtinum Papam ab hoc* Κύριε ἐλέησον *Miſſa incipiebatur : quod adhuc obſervatur in Sabbato ſancto. Durand. ibi.*

XII. De Gloria in excelſis Deo, &c.

Dicto Κύριε ἐλέησον *mox Sacerdos vel Epiſcopus regreſſus à dextra ara parte in medium, cum mediocre capitis ſubmiſſione, atq; ſimul iunctis manibus inchoat hymnum angelicum,* Gloria in excelſis Deo, &c. *Et quidem Sacerdos ſtans ante altare ſolus illum inchoando pronuntiat : ac incipiens elevat manus, ſeque vertit ad Orientem : Chorus autem concinnendo proſequitur. Durandus lib. 4. c. 13. Innocentius 2. de Myſt. Miſſæ lib. 2. c. 20.*

Hymni huius origo in Miſſa.

Hymnum hunc præcepit Teleſphorus 1. Papa circa annos Chriſti 136. ad Miſſam nocturnam Natalis Domini, *quam & ipſe inſtituit*, cantari, *ut in eius Epiſtola Decretali legitur, ac ex ea referunt Innocentius ut ſupra, Platina in vita Teleſphori, Cranzius in Metrop. lib. 2. c. 1. Sigebertus. Sabellicus Enne. 8. lib. 7. Sed hoc falsò tribui Teleſphoro, inde colligitur, quòd ante Damaſum Papam, qui Pontificatum Rom. tenuit circa annos Domini 370. Cantus Romæ prorſus non fuit, ut ex epiſtola eius ad Hieronymum apparet, ubi ſic legitur :* Peto tuam charitatẽ, ut ſicut à rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum Pſallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur : quia tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, ut tantùm in die Dominica Apoſtoli epiſtola una recitetur, & Evangelij capitulum unum dicatur : & nec Pſallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore noſtro cognoſcitur. Peto igitur ut iubeat fraternitas tua rei hujus nobis aperire veſtigia. *Ergo per Damaſum demum in Eccleſiam Rom. introductus eſt cantus operâ Hieronymi annis poſt Teleſphorum 240. Ob eandem cauſam longiùs aberravit à ſcopo Marianus Scotus, qui hoc Sixto 1. adſcribit prædeceſſori Teleſphori.*

Symmachus autem Papa circa an. Chriſti 505. conſtituit, omni die Dominico, & in Natalitijs Martyrum Gloria in Excelſis, ad Miſſas canere : *Durand. & Innocentius ut ſupra : Antoninus tit. 11. c. 1. § 8. Platina : Petrus de Natalib. l. 3. c. 139. Et confirmatur in Synodo à Stephano 4. convocata ann. Dom. 768 vt Sigebertus indicat. In Rom. tamen Eccleſia hoc*

hoc decretum Symmachi non observatum circa an. Dom. 1010. *ex Benone intelligitur, qui in lib. de Concordia Officiorum quærit, quum Telesphorus & Symmachus ac Toletanum Concil. iusserint omni die Dominico, & Natalibus Sanctorum, canere hymnum Angelicum, Gloria in excelsis Deo: cur id nunc Rom. Ecclesia non observet? Progressu temporis cantus hic usurpari cœpit etiam in festis Apostolorum, & Confessorum, in quorum honorem quæcunque Ecclesia dedicata est, & generaliter in omnibus festis cœlestem solennitatem repræsentantibus. In diebus tamen luctus & ieiuniorum, item in Missa pro defunctis non dicitur: præterquam in duobus sabbathis Spetialibus ministerijs ordinatis. Et Innocentius* 3. *statuit*, ut quando in diebus profestis celebretur Missa in honorem B. Mariæ, vel Spiritus sancti, vel sanctæ Crucis, hymnus Angelicus non dicatur. *Episcopus verò Bethleemitanus in omni die & Missa, etiam pro defunctis, Gloria in excelsis, decantat, quia hymnus ille in Bethleemitana regione primò cantatus est: Durandus ibidem.*

Nicolaus 1. *Papa circa an. Dom.* 860. Gloria in excelsis, in Cœnæ Dominicæ festo ad Missam cantari *mandavit: de Consec. dist.* 1. *porrò: & Trithemius de Script. illustribus Duran. verò in Rationali lib.* 6. *cap.* 75. *hoc Bonifacio Papæ, quotus autem fuerit non indicat, adscribit: sed addit*, hoc fieri falsem in ijs Ecclesiis in quibus Chrisma conficiatur, nec in alijs.

Hymnum Angelicum sequitur, Laudamus te, *&c. quæ verba, & sequentia Innocentius* 3. *dixit à Telesphoro addita fuisse, & sic decernitur etiam in eius Decretali, sed eadem fide qua superiora. Alij igitur asserunt, Hilarium Pictaviensem Episcopum ea subiecisse, ut Innocentius refert: alij Symmachum Papam: Duran. ibid. Beleth. c.* 36. *Martinus Polon. & Petrus de Natal. l.* 3. *c.* 39.

XIII. De Salutatione ad populum, Dominus vobiscum.

In quibus orationibus Missæ hæc salutatio non interponitur.

Angelico hymno finito, Sacerdos ad populum se convertens, illum salutat, ac dicit, Dominus vobiscum. *In omnibus autem Missæ orationibus hanc salutationem Sacerdos præmittit: nisi in orationibus quæ præcedunt Prophetias, & ijs quæ immediatè sequuntur post primam orationem, & illis quæ dicuntur in Parasceve, tunc enim Missa non dicitur, licèt Sacerdos communicet: nec Sacerdos se ad populum convertens salutat eum, sed simpliciter exhortatur populum, dicens*, Oremus: *cui mox subijcitur*, Flectamus genua: *vel*, Humiliate capita vestra Deo. *Ad salutationem autem illam*, Dominus vobiscum: *Chorus & populus respondent*, Et cum Spiritu tuo. *Postea Sacerdos se convertit ad altare versus Orientem, dicendo, Oremus: Oratione finita, Chorus respondet*, Amen. *Durandus lib.* 4. *cap.* 14.

In Bracarensi Synodo 1. *cap.* 21. *sancitur*, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri, sed uno modo populum salutent, dicentes: Dominus vobiscum: Et ut respondeatur à populo, Et cum Spiritu tuo. *Romæ tamen hoc unico tantùm die non observatur: idque ob huiusmodi fabulam. Cùm Gregorius M. Missam celebraret in Ecclesia S. Mariæ maioris, & diceret*: Pax Domini sit semper vobiscum: *responsum dicitur ei ab Angelis*, Et cum Spiritu tuo: *In huius rei memoriam quum eo die Pontifex Rom. ibi Missificat, ad* Pax Domini sit semper vobiscum, *non respondetur ei à Choro. Antoninus tit.* 12. *cap.* 3. §. 8.

Salutatio hæc nondum.

Bellarminus lib. 2. *cap.* 16. *de Missa testatur, hanc salutationem sumptam esse ex Iudæorum more, qui salutantes dicebant*, Dominus tecum, *aut* vobiscum, *ut patet Iudicum* 6. *Ruth.* 2. 2. *Paral.* 27. *& Luc.* 1. *Etsi verò Religiosa hæc sit excitatio quædam, damnari tamen non possunt ij, qui non utuntur ea, quum ne Christum quidem aut Apostolos hac salutatione usos demonstrari possit. Augustinus quodam in loco super Psalmos monet populum, ne statim credat esse verum Dei nuntium illum Sacerdotem, qui usurpaverit, Dominus vobiscum.*

Septies populus salutatur in Missa.

Notandum autem est, septies populum salutari in Missa. Primò, *in ipso Missæ exordio ante Collectam.* Secundò, *ante Evangelium*, Tertiò, *post Evangelium.* Quartò, *ante Præfationem.* Quintò, *ante pacis Osculum.* Sextò, *ante primam Postcommunionem.* Septimò, *finita Postcommunione ultima. Nam in qualibet Salutatione mutatur officium Missæ, & de uno officio in aliud transitur: unde putant meritò salutationem præmitti. Durandus ibidem.*

Nota etiam, quòd in quinque duntaxat ex præmissis Salutationibus Sacerdos ad populum se convertit: exceptis nimirum duabus, quæ fiunt ante Evangelium, & Præfationem: ibidem.

Nec omittendum, quòd Sacerdos semper volvit se ad populum ad dextram, & per eandem se ad populum convertit. Verùntamen cùm dixit: Orate pro me Fratres, *se convertit ad sinistram: ibidem.*

XIII. De Collecta.

Salutatione *præmissa, per quam auditores reddantur attenti, subijciuntur à Sacerdote ora-*

Orationes ad dexteram partem altaris, & finiuntur his verbis, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: *vel*, Per omnia ſecula ſeculorum. *Interea verò dum Sacerdos altè dicit Orationem, alij non debent verbis orare, ſed ad illam orationem attendere, & ad eam reſpondere*, Amen. *Durandus lib.4.c.15.*

Nomen collectarum quid ſignifiet.

Orationes autem iſtæ Collectæ *vocantur, quòd Sacerdos in ijs petitiones totius populi in unum colligit, & concludit ut eas ad Deum referat, ut placet* Walafrido *ca.22.& Micrologo cap.3. Propriè tamen* Collectæ *dicuntur, quæ ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur populus, &c. Durandus ibidem, & Innocentius de Myſt. Miſſæ lib.2.cap.27. Vel dicuntur* Collectæ, *quòd omnes aſtantes ſe debeant illo potiſſimùm tempore in unum (cunctis mentis evagationibus abiectis) colligere, ut ſimul cum Sacerdote mentem elevantes, idem à Deo petant, quod ille omnium nomine palàm à Deo poſtulat. Vnde conſuetudinis eſt, ut cùm* Collecta *canitur, genua flectat Chorus, vel inclinet cum reverentia & humilitate priùs erectum corpus. Fr. Titellmannus in expoſitione myſt. Miſſæ cap.16.*

Collectæ impari numero fiunt.

Obſervatur verò à pluribus, ut in numero ſemper impari Collectas *legant, ratione myſterij: vel unam, propter unitatem Diuinitatis: vel tres, propter Trinitatem: vel quinq; propter quinq; plagas Chriſti: vel ſeptem, propter ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam, ſive propter ſeptem verba quæ Ieſus in Cruce noviſſima protulit. Numerum autem parem fugiunt, propter diviſionem quæ ab ipſo incipit. Binarius enim, primus ab unitate recedit, à quo cæteri numeri diviſibiles ſortiuntur originem, ipſum intra ſe includentes. Titellmannus ibid. cap.17. Morem autem hunc imparis numeri in ſacris ex Ethnicorum conſuetudine mutuati ſunt. Plutarchus enim inter Pythagorica ſymbola etiam hoc refert: Cœleſtibus imparia ſacrificato: quam legem in ſuis ſacris diligenter ac religioſè obſervarunt Ethnici. Vnde etiam Virgilius Ecloga 8. Numero Deus impare gaudet. Inter impares autem numeros, ternarius præcipuæ fuit veneration is, ut ex Iuvenalis Satyra 6. intelligitur: & in ſacris magicis magnam eius vim fuiſſe ex eo apparet, quòd in his ſæpè uſurpatus legitur, ut eſt videre apud Virgilium Eclog.8. & Tibullum lib.1.Eleg.2.*

Collectarum author.

Has verò Collectas, paucis exceptis quæ Innocentio primo & tertio adſcribuntur, alij ad Gelaſium 1. alij ad Gregorium M. aut ſimul utrumq; referunt, tum quòd preces huiuſmodi ab alijs compoſitæ ordinaſſe ac correxiſſe credantur, tum quòd ſuas & ipſi illis addiderunt: nam ut teſtatur Innocentius cap.27. lib.2. de Miſſæ myſt. plures & varij earum authores fuerunt. Ex quo effectum eſt, ut excreſcente prater modum earum numero & diverſitate, caverit Concilium Africanum octavum, cui B. Auguſtinus interfuit, ut nullæ recitarentur niſi antè à Concilio approbatæ.

XIV. De Epiſtola.

Epiſtola ubi legenda.

Oratione finita legitur Epiſtola *à Subdiacono uno comitato Acolutho, in dextera parte Eccleſiæ, ſecundùm M. Petrum Antiſiodorenſem: ſecundùm alios verò melius hoc fit in medio templi, & quidem libro Epiſtolarum ſuppoſito panno. Durand. Ration. lib.4.cap.16.*

Quis legere debeat Epiſtolam in Eccleſia.

Nullus autem debet Epiſtolam ſolenniter in Eccleſia legere, niſi ſit Subdiaconus: qui ſi forte defuerit, legatur à Diacono: vel etiam à Sacerdote: melius enim eſſe dicunt, ut Sacerdos etiam Miſſam cantans, illam legat, quàm Acoluthus vel alius inferioris ordinis. Durandus ibid. Ac Leo 9. Papa removit ab officio Eccleſiaſtico Diaconum quendam, nulla alia de cauſa, quàm quòd voce & ſono in Eccleſia Wormatienſi, in qua tunc erat cum Imperatore Pontifex, conſueto, & non ritu ac tono Romano, in Miſſa legiſſet Epiſtolam. Vnde claret qualis eo tempore faſtus fuerit in Rom. Pontificibus. Cranzius in Saxonia lib.4.c.45.

Legitur verò Epiſtola nec ſemper de Prophetis, nec ſemper de Apoſtolis: ſed interdum ſumitur de Veteri Teſtamento, licèt rarò, interdum de Novo: Nunquam tamen legitur de quinque libris Moſis. Durandus ibidem.

Epiſtola ſedendo audienda.

Audit autem populus Epiſtolam *ſedendo. Milites tamen ſtare conſueverunt, quando* Epiſtolæ *Pauli leguntur, in honorem eius, quia miles fuit; unde in ſignum militiæ ſuæ depingitur cum enſe in manu, ut nugatur eodem loco Durandus.*

Huiusmodi ritus exulbem.

Quis verò morem hunc legendæ in Miſſa Epiſtolæ *inſtituerit, non omnino certum eſt. Bellarminus eum antiquiſſimum eſſe ex Iuſtini Apologia & Tertulliani Apologetico capite 39. probare conatur. Et ſunt qui Teleſphoro hoc inventum adſcribant, alij Hieronymo, ut Platina in vita Sixti. Reſpondeo, conſuetudinem fuiſſe antiquiſſimam legendi Apoſtolorum Epiſtolas in Eccleſia, fatemur, ſed non fragmenta Epiſtolarum, ut hodie fit. Adde, quòd Hieronymi adhuc ætate nulla erat ejuſmodi ſacrorum ratio, cuiuſmodi eſt Miſſa Papiſtica. Proinde alij ingenuè fatentur authorem huius ignorari.*

XV. De reverentia poſt lectam Epiſtolam facienda.

Perlecto Epiſtolæ *fragmento Subdiaconus cum Acolutho ad Epiſcopum accedunt: & Subdiaconus librum clauſum ei repræſentat: Epiſco-*

pus

pius verò supra illum maximum ponit, quam osculatur Subdiaconus: ac vicissim ille huic benedicit. Quòd si sacrum celebratur Pontificium, prosectus ad pedes Pontificis, calciamentum eius deosculatur Subdiaconus. Durandus lib. 4. ca. 17.

XVI. De Graduali, seu Responsorio.

His finitis, leguntur aliquot versiculi (qui ut plurimùm ex Scripturis sumuntur) priusquam legatur Euangelium. Hæc tamen consuetudo non videtur usque adeò antiqua & uniuersalis. Nam in Concilio Toletano 4. circa annos Christi 631. vel iuxta alios 639. celebrato, ca. 11. prohibentur Laudes post Epistolam, his verbis: In quibusdam Hispaniarum Ecclesijs laudes post Apostolum decantantur, priusquàm Euangelium prædicetur, dum canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Euangelium annunciari. Præsumptio est enim, ut anteponantur ea, quæ sequi debeant. Nam laudes Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbauerint. *Progressu verò temporis Romana consuetudo interserendi* Gradualia, *& alia eiusmodi, paulatim omnibus placuit, & ubique recepta approbataque fuit, ut testatur Walafridus cap. 22.*

Auctor huius rei.

Sunt autem quatuor genera horum versiculorum: nam alij vocantur Responsorium *seu* Graduale; *alij* Alleluia: *alij* Tractus: *alij* Sequentia; *vel* Prosa: *de quibus ordine agemus, si prius de authoribus horum centonum pauca dixerimus. In ijs quærendis idem accidit quod in alijs plerisque, quorum dum certi authores nominari non possunt, ad Gelasium & Gregorium recurritur: quoniam hi duobus præcipuè horum centonum adscribitur coagmentatio. Durandus author est, ab Ambrosio, Gelasio & Gregorio composita esse* Gradualia, Tractusque: *& ab iisdem cum* Alleluia *cantari iussa, sed sine teste. Antoninus parte 2. tit. 11. ca. 1. §. 2. de eodem sic scribit:* Cœlestinus Papa circa annum 430. constituit, ut non solùm Introitus, sed etiam Gradualia seu Responsoria & Offertoria ante sacrificium dicerent. *Sub eo etiam Orationes cum modulatione ad Missam cantari cœperunt. Vnde & Platina:* Graduale quoque (*ait*) Cœlestino adscribitur à nonnullis: *quod etiam testatur Sabellicus Enne. 8. lib 1.*

Responsorium unde dictum.

Responsorium *dicitur, quòd uno incipiente alij respondeant, ut scribit Rabanus lib. 2. de Instit. Clericorum ca. 51. Vel, quia versui aut Epistolæ correspondere debet: ut si in Epistola agatur de gaudio, & in Responsorio similiter: si ibi de tristitia, & hic similiter. Durandus lib. 4. cap. 19.*

Cur autem Graduale *dicatur, non eodem modo ab omnibus traditur. Quidam putant dictum à gradibus scilicet humilitatis, significans ascensus nostros de virtute in virtutem: unde multi* Graduale *non festiuis & modulatis vocibus efferunt, sed quasi cantum grauem & asperum, simpliciter potius & lamentabiliter canunt, altius tamen Lectione & Epistola. Alij dictum* Graduale *arbitrantur, à gradibus alteris: quòd in festiuis diebus in eius gradibus cantatur: in profestis verò in medio Chori ante gradus aræ. Durandus lib. 4. cap. 19. Innocentius lib. 2. de Missæ Myst. cap. 31. Vel* Graduale *dicitur, quòd à versu priori ad secundum, ordinato quodam processu, quasi gradatim tam vocis modulatione, quàm sententiæ verborum alacritate, scandit. Illud enim diligenter obseruantibus facilè patebit, quòd ferè semper secundus, qui subsequitur gradualis versiculus, tam verborum forma, quàm vocis modulatione, aliquantò ascendat festinior, & voce magis elenata scandere soleat, ut refert Titellmannus in Expos. Myst. Missæ cap. 21. Bellarminus lib. 2. cap. 16. de Missa, putat, veram esse rationem quam B. Rhenanus afferat in Annotationibus ad librum Tertulliani de Corona militis, quòd scilicet dicatur* Graduale, *quia canebatur, dum Diaconus gradus ascenderet ad Euangelium decantandum. Ex quo etiam intelligi potest, cur eiusmodi versiculi decantentur, nimirum ne otiosè transigeretur tempus illud, quod necessariò interponendum erat inter Epistolam & Euangelium, dum se Diaconus ad decantandum illud præparabat.*

Graduale dictum.

Graduale unde dictum.

Hinc autem apparet, centonem hunc supposititium esse à Pontificijs pro Psalmorum cantu, & precibus ad Deum fusis, quibus populus Episcopum ac Verbi Ministrum suggestum ascendentem, aut alium aliquem locum eminentiorem, ex quo sacram haberet ad populum concionem, olim prosequebatur, eidemque bene precabatur: ac simul se ad Dei Verbum audiendum, maiore cum religione & fructu præparabat excitabatque. Episcopi enim cathedram fuisse in sublimiori loco collocatam, ex quo commodiùs à cunctis exaudiri posset, ac tanquam speculator populum speculari, traduntque Platina & cæteri eiusmodi scriptores: quod factum esse testantur Clementis decreto. Huc etiam facit, quod in Missa, Episcopus siue Sacerdos sedet toto ferè eo tempore, quod inter Orationes, quas Collectas *appellari diximus, & Euangelij lectionem consumitur. In quo apparere videntur veteris consuetudinis indicia, Episcopi sc. sedentis, dum Psalmi canerentur: ac demum surgentis & suggestum ascendentis, quum Euangelium esset expositurus.*

Graduale & alia similia in locum Psalmorum, subsiitua.

XVII. De Alleluia.

Post Gradualè cantatur Alleluia: *quod significat laudate Dominum. Latitia est cantium,*

Alleluia quid.

cum, & id auditum ab Angelis decantari fingunt, ut Durandus indicat lib. 4. cap. 20. Dubium autem non est, quin hymnus hic ab Hebræis ad Græcos & Latinos transfusus sit: hoc enim ipsa vox indicat, quæ frequenter in sacris literis, præsertim verò in Psalmis occurrit.

Alleluia quando cantatum.

Augustinus quidem testatur epistola 119. cap. 15. usum fuisse celeberrimum, ut solùm à Paschate usque ad Pentecosten quotidie, & in Dominicis diebus caneretur Alleluia in signum lætitiæ, ob Christi resurrectionem: sed non dicit ad Missam. Olim etiam semel tantum in anno cantatum fuisse Alleluia, Sozomenus lib. 9. cap. Tripartite hist. & Nicephorus lib. 12. cap. 34. his verbis indicant: Apud Romanos unoquoque in anno semel psallunt Alleluia, primo die Paschæ: ita ut Romani pro iuramento quasi habeant, ut hunc hymnum audire mereantur. *Gregorius M. autem* per totum annum, excepta Septuagesima usque ad Pascha, ad Missas cantari ieu dici instituit, *ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ imitationem: ut refert Platina in vita Gregorij: Sabellicus Enne. 8. lib. 5. Antoninus tit. 12. cap. 3. §. 6. Quum autem de hoc, & quibusdam alijs quosdam murmurare sentiret, tanquam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudinem sequeretur, hanc reddidit rationem:* Nos, *inquit*, in nullo horum aliam Ecclesiam sequuti sumus. Nam ut Alleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum: *lib. 7. epist. 63.*

Alleluia quibus cantatum.

Alleluia *quoque interposito versu repetitur, & sic bis cantatur. In nonnullis etiam Ecclesijs* Alleluia *canitur à pueris*, Graduale *ab adultis: & alicubi Alleluia cantans, sumit aliquid in manus, Durando teste lib. 4. cap. 20.*

Alleluia non semper dicitur.

Præterquam autem quòd in hoc cantu voce utuntur peregrina, quam bona pars Cantorum, à quibus canitur, non intelligit, nedum imperita turba, hoc etiam accedit, quod eam nec pronuntiare vellet, nec scribere norint. Scribunt enim & pronuntiant Aalleluia, *quasi unica sit dictio, cuius nulla prorsus sic pronuntiatæ est significatio. Deinde mirum dictu, quàm prolixè extendant illud a finale. Postremam enim hanc syllabam aliquando plus vicies repetunt, in hunc modum,* Alleluia aaaaaaaaaaa, *&c. Quid dici vel cogitari potest magis ridiculum, magisque indignum Christianis sacris? Et tamen his ineptijs mysterium subesse fingunt magnum. Sic enim Titellmannus in Exposit. myst. Missæ cap. 22.* Plerunque, *ait*, huius vocabuli syllabam, præcipuè nouissimam, longo notarum tractu, & varijs neumatum distinctionibus, festiuè & modulatè iubilando potiùs, quàm cantando protrahimus, summopere nitentes illius beatæ & perfectæ laudis, quæ est in fauci-

bus beatorum assequi imitationem: quod dum non possumus, ut volumus, saltem ut possumus, vel psallendo sectari conamur. *Idem mysterium refert Innocentius lib. 2. cap. 32. de myst. Missæ.*

XVIII. De Tractu.

Tractus quando dicatur, & cur sic dictus.

A Dominica Septuagesimæ usque ad vigiliam Paschæ, scilicet in diebus luctus, quia tunc non canitur carmen lætitiæ, pro Alleluia, *dicitur* Tractus, *ex institutione Telesphori Papæ, ut Durandus refert lib. 4. cap. 21. immemor eius, quod cap. 20. dixerat, Gregorium, Ambrosium & Gelasium composuisse* Gradualia, Tractus & Alleluia, eaque ad Missam cantari instituisse. *Non etiam connenit cum ijs, quæ suprà titulo, de* Gloria in excelsis Deo, *de Origine cantus in Romana Ecclesia diximus. Vincentius quoque lib. 21. Spec. cap. 101. Tractum Gelasio adscribit, sed sine teste. Alij igitur recentiùs inuentum esse arbitrantur.*

Tractus unde dicatur.

Tractus *verò nomen sacrificulorum insciti truncatè pro* Tractatu *ab ipsis pronuntiari & scribi in eorum Missalibus aliquibus videtur: nisi fortè ipsis sic appellare placeat, quòd quum adhibetur, producti or tum sit verborum tractus, præsertim quum Graduali annectitur: & hac significatione, idem fere sonaret quod* productio. *Interpretes harum sacrarum ceremoniarum, ut Durandus, Titellmannus & alij, deducunt hoc nomen à trahendo, & hanc reddunt rationem, quòd hoc carmen tractum, & cum asperitate vocum, ac prolixitate verborum cantetur, ad significandam huius seculi miseriam, longam sanctorum Patrum expectationem, & Iudæorum in captiuitate Babylonica mœrorem. Alij malunt à tractando deductum, pro tractatione accipere: quòd successisse conijciant in locum prædicationis Verbi diuini, à cuius tractatione* Tractatus *hic cento sit appellatus. Nam hic ferè fuit horum consarcinatorum mos, ut saltem nomina retinuerint rerum, quarum usus, qui fuerat in veteri Ecclesia, exoleuerat: ut si rebus ipsis formam veteris Ecclesiæ referre & exprimere non possent, saltem inania prætenderent nomina, quibus eam utcunque adumbrarent, & sic Christiano populo imponerent. De hac enim sacrarum Scripturarum tractatione, hæc scripsit in Apologetico Tertullianus cap. 39.* Cogimur, *inquit*, ad literarum diuinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus: disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. *Hac ille. Hac igitur sacrarum literarum tractatione ex Papistici sacris sublata atque explosa, satietate abundè spectanti turbæ, si multo strepitu,*

Nota.

strepitu magnoque boatu ipsis histriones isti aures oppleant. Commodè igitur Tractatus hanc ob causam Graduali subtexitur.

Quòd in præmissis Canticis non solùm in vocis modulatione, sed etiam in verbis magna sit diversitas.

Neque verò in his canticis diversitas ex vocis tantùm est modulatione, sed maximè etiam ex parte verborum, quæ sub notis suis aut tristius aut lætius cantantur. Vnde Graduale plerunque tale quid sumitur, quòd pœnitentiam sonet, illique congruat. Alleluia autem, versiculum lætitiæ illius superuenturæ expressiuum continet. Tractus verò, plerunque incolatus præsentis statum, ipsa quoque verborum substantia manifestat. Exempli gratia: Dominica post octauam Epiphaniæ prima, graduale canitur: Misit Dominus verbum suum: & sanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum. *Cui versiculus lætior annectitur, qui est gratiarum actionis:* Confiteantur Domino, misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. *Sed quòd de superiori loco descendens cantor, altiori vocis modulatione Alleluia decantat, eiusmodi connexum habet versiculum:* Laudate Deum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Virtutes eius, *quod æterni gloriam gaudij, angelicaque laudis iubilum aperiè proponit. Item Dominica secunda, quæ subsequitur, Gradualis prima pars est ista:* Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. *Subditur versiculus:* Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in maiestate sua. *Post Alleluia:* Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. *Ecce prima pars timorem, qui est incipientium, proponit. Secunda spe futuræ visionis, ex adificationis spiritualis beneficio considerato, aliquantò assurgit altius, à timore quasi gradu quodam, ad amorem. Alleluia verò, regnum Christi feliciter susceptum, & uniuersale ex hoc terræ gaudium, explicat. Similiter & in Sanctorum festiuitatibus est considerare. Sumamus de communi Martyrum officio exempla. Graduale est:* Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, &c. *Subditur versus:* Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. *Item Gradualia sunt:* Vindica Domine sanguinem sanctorum. Exultabunt sancti. Timete Dominum. Pretiosa in conspectu Domini, &c. *Cum suis versibus autem qui Alleluia adiunguntur, huiusmodi sunt:* Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sancti tui, Domine, benedicent te, & gloriam regni tui dicent. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei. Fulgebunt iusti. Lætamini in Domino. Iudicabunt sancti, *& similia, quæ illam superuenturam in cœlis, quam expectamus, gloriam omnia præ se ferunt. De Tractibus autem exemplo sit primus, qui canitur in Septuagesima:* De profundis clamaui, &c. *Itemque qui in Dominica quadragesimæ:* Qui habitat in adiutorio Altissimi. *Et qui totes per quadragesimæ tempus replicatur:* Domine non secundùm peccata nostra facias nobis: *& item in alijs, in quibus omnibus, vel clamorem audiamus eius, qui in profundis habitat, & ad supernum illud lumen nondum oculos valet attollere, siue eius, qui sub varijs tentationum illusionibus, hinc timorem noctiurnum, illinc sagittam in die volantem, hinc negotium perambulans in tenebris, illinc dæmonij meridiani incursum metuens de tribulatione poscit auxilium. Siue eius, qui propter iniquitatum multitudinem, malæ punitionis pœnam timens, ad misericordiæ confugit auxilium. Denique quoniam prolixum est secundum Ecclesiæ ordinationem, hoc luctus & peregrinationis tempus ne prorsus sine omni consolatione, luctus perseueret continuus, quasi ad modicam respirationem, audeat nonnunquam Ecclesia lætiora, etiam in Tractu proponere, sed rariùs. Idq; vocis sic asperitate temperat, ut facilè pateat, peregrini non plenum esse gaudium. Exempli gratia, postquam in septuagesima de profundis clamauit exaudiri, & in Sexagesima contritiones sanari petijt, tertia quæ est Quinquagesimæ, aliquantulùm respirans, pro Tractu assumit Ecclesia:* Iubilate Domino omnis terra, seruite Deo in lætitia. Introite in conspectu eius, quoniam ipse fecit nos, &c. *Quæ verba licèt gaudium habeant: tamen non nisi peregrinantium sunt: ut Titelmannus in Expositione myst. Missæ cap. 24. indicat.*

XIX. De Prosa, vel Sequentia.

Post Alleluia, Prosa *vel* Sequentia *canitur, quod est similiter canticum exultationis: & cantatur ab omnibus simul in Choro: & addantur suauissimi moduli & contentus musicorum instrumentorum, quæ vulgò* Organa *vocant, alternis Choro respondentium & accinentium, sicut & in hymno angelico, & alijs huiusmodi. Quanquam autem primus ferè ignoretur Organorum inuentor, Vitalianus tamen Pontifex ea primus ad sacros hymnos canendos adhibuisse dicitur. Sapius autem hymnus hic rythmi, quàm carminis speciem refert: certisque de causis* Prosæ *obscurè ac parùm Latinè de industria factæ sunt, ut concentus, & tonus, atque adeò sonus esset iucundior: nam Musici & Cantores in omnibus linguis id præcipuè obseruant.* Prosa, vel Sequentia quid sit.

Est verò Prosarum, *vel* Sequentiarum *usus recens inuentum, testè ipso quoque Alberto, quod ne hodie quidem sacris omnibus generatim adhiberi solet, sed tamen urbanis sacrisipsis, sele-* Prosarum vel Sequentiarum origo.

celebrioribus & solennioribus, non autem rusticis, tabernariis & humilioribus. Imò verò sunt quædam familiæ Monachorum, quæ ijs omnino carent, & à Sequentiarum usu prorsus abstinent, nominatim Cistercienses Ordo.

Ab omnibus autem hoc additamentum Noggero tribuitur; quem alij Nodgerium, alij Noëgrium dicunt. Albertus, Durandus, & plures alij Abbatem eum S. Galli in Helvetia fuisse dicunt: sed errant: hic enim qui Sequentiarum inventor est, non fuit Abbas ille Noggerus Sangallensis, qui vixit circa annos Christi 973. sed Monachus eiusdem Cœnobij & nominis circa annum Domini 863. ut Stumpfius in Annal. Helvet. indicat. Et has quidem Prosas Nicolaus 1. circa annum Christi 867. procurante Noggero in Gallicanis Ecclesijs cantari concessit ad Missas loco Neumatis seu (ut ipsi pronuntiant) Neumæ, quod antiquitus accini consueverat ad finem hymni Alleluia, qui cum suo Neumate semper cani solebat. Durandus lib. 4. ca. 22. Martinus Polonus in Chronico. Trithemius de Viris illustribus. Balæus in vita Nicolai & Genebrardus in Chron. Quid autem significet Neuma, se fatentur ignorare: aiunt enim vocem esse non significativam. sed adjici duntaxat ad finem huius hymni, ad exprimendum inbilum & letitiâ quam significat. Νεῦμα alioquin Græcis significat nutum & assensum: sed his Cantoribus illud est, aaaa tam productum, cuius paulò antè meminimus: quod per interiectiones ha ha ha ha, melius exprimeretur: utpote quòd tanquam gaudij & lætitiæ vox accinitur. Huius vice Nicolaus Papa Sequentias sine Prosas subiecit: & nunquam decantari solent, nisi quum Alleluia canitur.

Neuma quid.

Hac verò aperta fenestra posterioribus temporibus harum Sequentiarum nullus fuit finis & modus. Sequutus est enim Noggerium in eodem Cœnobio circa annos Christi 1046. Hermannus Contractus Comes de Veringen, qui & ipse Sequentias nonnullas composuit, præcipuè illam de Maria: AVE præclara maris stella, in lucem gentium Maria &c. Iacobus Wimpfelingus. Composuit etiam, ut quidam volunt, ALMA Redemptoris mater, &c. O gloriosum lumen. SALVE Regina misericordiæ. REX omnipotens. SIMON Bariona: Iacobus de Voragine: qui tamen in Legenda aurea ad vitam Pelagij Papæ scribit, Petrum Compostellanum Episcopum authorem esse, SALVE Regina: &c. & vixit circa annum Domini 1120. Godescalcus quoque Capellanus Henrici 3. Imp. scripsit plures Sequentias: ex quibus his utuntur Germani, COELI enarrant gloriam Dei. 2. DIXIT Dominus ad Basan. 3. LAVS tibi Christe. 4. DE Maria Magdalene. 5. PSALLITE Regi. 6. De Decollatione Ioannis Baptistæ. 7. EXVLTENT filiæ Sion de virginibus, &c. Cum multis alijs, quas conqueritur Hermanno Contracto adscriptas: & per maximas obtestationes asseverat, supradictas & plerasque alias à se esse compositas; easque dedicauit Henrico 3. Imp. Cuius antiquum exemplar habetur in Clingen, diœcesis Spirensis, teste Vuimpfelingo, qui id cum Capnione se vidisse & legisse affirmat, in libro de authoribus Hymnorum & Sequentiarum. Robertus Franciæ Rex Occidentalis author esse perhibetur illius Sequentiæ, SANCTI Spiritus adsit nobis gratia, &c. Vixit circa annum 980. ut referunt Martinus Polonus: Sigebertus: Platina in vita Gregorij; Vincentius in Spec. hist. & Wimpfelingus. Alij, ut Iacobus de Voragine indicat in vita Pelagij, hanc Sequentiam etiam Hermanno Contracto adscribunt. Albertus M. unam Sequentiam edidit de S. Trinitate, quæ incipit, OMNES gentes plaudite: Vuimpfelingus. Sebastianus autem Frank de mutatione Missæ ex Noggero S. Galli, indicat, Albertum M. omnes fere Sequentias præsertim antiquiores, compositisse, & Ecclesiæ canendas tradidisse.

Sequentiarum antiquitas.

Ex quibus intelligimus, Sequentiarum assumante annos Christi 700. in Ecclesia nullum prorsus fuisse.

Nominis Sequentiarum & Prosæ quæ ratio.

Quæ verò huius nominis Sequentiæ sit ratio, quod Clichtoueus tanquam barbarum repudiat, vultque Prosam potius appellari, non admodum certum est. Durandus ex Isidoro, Prosam dicit esse productam rationem à lege metri resolutam, sic dictam, quòd sit prosusa. Sequentias autem appellari existimat, quòd tanquam appendices quædam sequantur hymnum Alleluia, vice neumatis ipsius. Alij putant, nomen hoc desumptum ex ea Præfatione quæ Euangelicæ lectioni præmitti solet, ad quam hæc actio, nil nisi quædam Parasceue est. Sic enim præfatur, quisquis Euangelicam hanc lectionem recitaturus est, Sequentia sancti Euangelij: cui additur Euangelistæ nomen à quo lectionis illius fragmentum decerptum est. Huiusmodi autem Præfationis materia atque occasio sumpta videtur ex veteri illa sacrarum literarum enarratione, de qua iam aliqua dicemus.

Sequentiarum usus antiquus.

XX. De Euangelio.

Epistolæ pars ad Gradualem & Alleluia cur sedeat.

Hactenus Choro lugente per Gradualis asperitatem, & rursus per Alleluia gaudente, Episcopus vel Sacerdos consedit iuxta altare, ad Numæ disciplinam, qui, Plutarcho authore, præcepit, ut adoraturi sederent: quo symbolo significasse eum volunt, vota certa concipienda esse, & in his, quæ sunt optima, perseuerandum. Plutarchus indicat, hoc fuisse velut augurium, vota rata firmaque fore. Adiungit etiam, quibusdam hanc quietem videri distinctionem actionum, tanquam qui priori actioni finem imposuerint, sedentes apud Deo initium alterius actionis ab ipsidem auspicentur. Alij interpretantur, quòd eos qui sacris

cris operantur, oporteat non obiter oſcitanterque, ac velut aliud agentes, hoc facere, ſed vacuos ac totos rei diuinæ intentos. Quare idem Plutarchus in Problematibus rerum priſcarum indicat, qui Dijs vota feciſſent, in Templis manere, & quietem agere ſolitos, quòd huius vitæ actiones, homines frequenter moleſtijs inuoluant. Vide plura apud Eraſmum in Chiliad. 1. Cent. 1.

Ritus accipiendi codicem Euangelij.

Poſt dictam autem Sequentiam, ſurgens Sacerdos, & ad ſiniſtram partem altaris accedens, ſumit Euangelij codicem & ex eo legit, quum non ſolenniter Miſſam celebrat. Verum quando Epiſcopus vel Sacerdos celebrat cum miniſtris, cuncta ſolennius peraguntur. Tunc enim Diaconus dextra manu Pontificis oſculata, codicem Euangelij ſumit de altari, & Subdiacono ad ferendum tradit. Poſtea benedictionem poſtulat ab Epiſcopo, vel Sacerdote, & eibenedicitur. In aliis contrà Eccleſijs prius benedictionem poſtulat, quàm librum accipiat de altari. Data itaque benedictione prædicti Diaconus per dextram partem Chori, quem præcedit Subdiaconus cum libro Euangelij; & illum præcedit thuribulum cũ incenſo, & ante thurifer arium ceroferarij cum faculis accenſis: ante hos in quibuſdam Eccleſijs Crucis vexillum. Tum Diaconus per unam, Subdiaconus per aliam viam aſcendit in pulpitum. Sunt enim in quibuſdam Eccleſijs duo aſcenſus ad ambonem ſeu pulpitum: unus à ſiniſtris, verſùs orientem: alter à dextris, verſus occidentem. Diaconus ergo in ambone conſiſtens, ſalutat populum, dicens: Dominus vobiſcum. *Populus reſpondet,* Et cum Spiritu tuo. *Statimque Diaconus ſubdit* , Sequentia ſancti Euangelij, &c. *thurificans librum, & ſignans Cruce: in quibuſdam locis etiam oſculatur librum: deinde ſignat ſe in fronte, in ore & pectore. Clerus verò & populus audito titulo Euangelij, ſcilicet* , Sequentia, &c. *vertentes ſe ad altare, dicunt:* Gloria tibi Domine, *& ſimul ſigno Crucis in fronte, ore & pectore ſe muniunt: quod in pectore quidem faciunt, quandiu Euangelium legitur. Poſt hæc recitat fragmentum ex Euangelio , & quidem lingua populo incognita. Innocentius de Miſſæ myſt. lib. 2. cap. 35. 36. & c. Durandus in Rationali lib. 4. cap. 24.*

Populus ſtando audit Euangelium.

Stantes autem , non ſedentes , & quidem incurui , clerus & populus audiunt Euangelium, authore Anaſtaſio Papa, qui Pontificatui præfuit circa annos Chriſti 404. De Conſec. diſt. 1. cap. 68 Liber Pontificalis & Anaſtaſij epiſtola decretalis 1. c. 1. Quidam autem , referente B. Rhenano in Annot. ad Tertulliani lib. de Corona militis, propterea nos ſtare putant dum legitur Euangelium, ut meminerimus id etiam nobis gladio defendendum, cui quibuſdam in locis tum manus, admouetur à Laico. Scribit enim Cromerus lib. 3. apud Polonos ſub Miecislao Duce circa annos Domini 970. morem inoleuiſſe, ut equeſtris ordinis viri in templis, dum Sacerdos Euangelium legat, medios ſtringant gladios, quaſi Euangelij & religionis defenſionem profitentes: Choro autem reſpõdente Gloria tibi Domine, recondant , *diuque in Polonia hunc morem manſiſſe.*

Ritus deponendi codicem Euangelij.

Lecto Euangelio munit ſe Diaconus ſigno Crucis: deinde Euangelium oſculatur. In quibuſdam locis cereipoſt lectum Euangelium extinguuntur. Conſequenter Subdiaconus codicem Euangelij refert ad Epiſcopum vel Sacerdotem , qui thus odorat, & librum oſculatur apertum. Poſtea in aliquibus Eccleſijs liber clauſus oſtenditur illis qui ſunt in Choro. Durandus ibidem.

Nota.

Audis, lector, apud Pontificios Euangelij codicem magna veneratione tractari, maximiſque honoribus affici: audis Euangelij lectionem magna cum religione in templis recitari: audis thure & alijs odoramentis ad eam ſuffumigationes fieri, imò & ſingula eius verba, ſingulos characteres & apices ſacroſanctà haberi: audis ad lectionem eius aſſurgere & ſtare auditores: audis denique alias in hac Euangelij lectione adhiberi ceremonias. Cæterum hæc omnia ne tantilla quidem cum utilitate fiunt populi: ſed is, hunc in modum faſcinatus eius oculis, iſto fumo, & cereorum, lampadumque luce contentus, nulla accenſa Verbi Dei face, nulla eius luce conſpecta, ab hoc ſpectaculo prorſus inanis & illuſus dimittitur.

Ritus huius origo.

Hoc autem inſtitutum alij Teleſphoro Papæ, alij Hieronymo, alij Damaſo adſcribunt. Vnde apparet, ſicut ex alijs fere omnibus, quàm incerta ſint quæ de his ſacris Papiſticis traduntur, maximè verò de horum centonum authoribus. Claruit Teleſphorus circa annos Chr. 135. Damaſus verò & Hieronymus circa annos 370. Ipſe autem Hieronymus teſtatur in Apologia contra Vigilantium, Euangelium in Orientalibus Eccleſijs magno cum honore & religioſa reuerentia, lucernis accenſis, aliiſque ceremonijs adhibitis, publicè recitatum eſſe, ut ſic Euangelicæ doctrinæ authoritas conciliaretur. *Neq; dubium eſt, quin ut pleraq; alia , ritus ille in Romanam, cæteraſque Latinas Eccleſias, alijs quàm plurimis auctus & ornatus ſplendidioribus ceremonijs, tranſierit, ex quo cœpit Euangelium Chriſti in ſacris Chriſtianorum conuentibus frequentiùs, celebriusq; tractari. Quũq; vulgò creditus ſit Hieronymus interpres vulgatæ editionis Noui Teſtamenti, unde ea ſunt excerpta, quæ in Miſſa Papiſtica ex Euangelio recitari ſolent, tradantq; veteres hiſtoriæ, Hieronymi ſacrorum Bibliorum tranſlationem Latinis Eccleſijs commendatam à Damaſo Papa, probabile eſt, quod quidam conjiciunt, inde occaſionem arripuiſſe, qui hoc inuentum & inſtitutum de recitanda in ſacris cœtibus Euangelij lectione, ad Hieronymum retulerunt.*

In libro quoque Nehemiæ 8. cap. legitur, quòd

congregato populo, Esdras scriba attulerit librum legis Mosis, & steterit super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, & aperuerit librum coram omni populo. Leuitæ autem silentium faciebant in populo, ad audiendum legem, benedicentes Deo magno, & omnis populus stans in gradu suo, respondit Amen. Et legerunt in libro Legis distinctè & apertè ut intelligerentur à plebe. Omnis verò populus elevantes manus suas adorauerunt proni in terram.

Diversa ratio legendi Euangelium apud Priores & Papistas

Ex hac igitur consuetudine siue veteris Synagogæ, siue Orientalis Ecclesiæ, mos iste legendi Euangelium in sacris Papisticis irrepsit in Occidentales Ecclesias, sed tamen valde corruptus & depravatus. Nulla enim erat apud eos Euangelij distractio & discerptio, quæ eius corpus deformaret, eiusque sensum discerperet, qualis in Ecclesia Papistica hodie conspicitur. Deinde etsi veteres Episcopi statis diebus annuatim recurrentibus, selectos quosdam Scripturæ locos, qui insigniores interdum, & tempori ac auditorio congruentiores videbantur, populo explicabant, quemadmodum ex eorum scriptis & homilijs conijcere possumus, ut eorum frequentiori tractatione, summa ac præcipua Religionis Christianæ capita fidelibus diligentius inculcarentur: non solebant tamen Papistarum more, frustulatim concisos & truncatos Scripturæ locos in sacris cœtibus recitare, eosque peregrina lingua decantare, nulla explicatione addita: sed integros Scripturæ libros continenter enarrare, idque lingua omnibus nota. Colligitur hoc ex Iustini Apologia 2. in qua inter alia sic scribit: Die Solis vrbanorum & rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumque literæ, quandiu tempus fert, præleguntur. Deinde cessante lectore, Antistes orationem habet exhortatoriam, ad imitationem tam honestarum rerum inuitans. Post hæc consurgimus omnes, & precamur. *Quoties autē ad incœptam lectionem redibant, ab eo loco incipiebant in quo desierant, ac sequentia persequebantur, tantisper dum continuata enarratione, cœptum librum ad finem perducerent. Testes huius sunt homiliæ sanctorum Patrum quæ ad nos peruenerunt, quæ nihil aliud sunt, quàm perpetuæ sacrorum librorum enarrationes ad populum factæ & in homilias distributæ. Ab hac legendarum & explicandarum Scripturarum ratione, quam nos quoque hodie in nostris Ecclesijs in sacris concionibus imitamur, degeneratum est, quum inualuisset barbaries maxima linguarum, bonarumque artium ignorantia, hypocrisis & superstitio, adeoque Ecclesijs præessent indoctiores Episcopi, in hanc sacrarum literarum discerptionem & distractionem, quæ adhuc hodie in Missa Papistica aliquomodo cernitur. Et fuit hoc tolerabile adhuc Gelasij & Gregorij ætate, quando fragmenta illa selectiora ex Euangelistarum & Apostolorum libris, alijsque sacris codicibus decerpta, in templis populo explicabantur ab ipsis Episcopis. Hinc enim sunt illa Gelasij Gregorij & aliorum qui illo tempore claruerunt homiliæ vel sermones: quibus progressu temporis idem accidit, quod paulò antè sacræ Scripturæ contigerat. Cœperūt enim & hæ frustulatim concisæ in Templis, ut cætera Scripturæ fragmenta, recitari, idque ignota auditoribus lingua: unde & Breuiariæ, ab earum abbreuiatione, dictæ existimo. Nam quum Latinis hominibus à Patribus Latinè recitatæ fuissent, posteri, qui hunc morem in Ecclesiam inuexerūt nulla habita temporum, locorum & personarum ratione, haud aliter his usi sunt, quam si cum Latinis hominibus rem etiam habuissent, quemadmodum illi quorum imitatores videri volunt. Quod proinde est, ac si Latinis hominibus Græcè nescientibus, Græcorum Patrum homiliæ ea ipsa lingua fuissent à Gelasio, Gregorio & aliis in sacris cœtibus prælectæ, qua fuerant scriptæ, nullo adhibito interprete. Quum itaque in Ecclesia Romana, quæ Latinam linguam callebat, ut quæ ei vernacula erat, sacra omnia in Latina lingua fierent, inde in alias quoque Ecclesias, in quas illa sibi imperium & potestatem arrogauit, ijs mos irrepsit, & pertinacissimè hucusque retentus est, ut ubique, etiam post illa tempora, quibus Gothica barbaries linguas omnes politiores, honestas disciplinas, & ipsam denique Religionem totam defædauit & proculcauit, sacra omnia Latina lingua fierent. Ex quo factum est, ut nihil hodie præter pauculos hosce mutilatos centones, lingua vulgo incognita scriptos & lectos, reliqui habeant Pontificij ex antiqua veteris Ecclesiæ consuetudine. Recitantur enim frustula quædam ex Euangelistarum historia, quibus interdum etiam alia assui solent frustula homiliarum, inprimis in matutinis Papistarum salutationibus & precibus. Huius instituti quidam authorem faciunt Paulum Diaconum, qui Caroli M. seculo floruit. Funccius in Chronicis suis,* Lectiones, *inquit,* quas Vincentius Postillas vocat, per anni circulum, à Paulo Warnenfrido, iussu Caroli ordinatæ sunt, anno Domini 806. *Et tunc simul visa sunt prodigia aliquot: semel enim Sol obscuratus est: Luna ter in eodem anno: quæ significabant absque dubio, terras Ecclesiæ imminere tenebras. Vt igitur admoneantur auditores unde sit decerptum, quod paulo post ex Euangelio audituri sunt, præfatur Lector, prænonens sequentia ex cuius Euangelistæ libro decerpta sint: aut propterea, quæ iam iam recitaturus est, ea sequuntur quæ ante recitata sunt, quamuis non sint eiusdem nec authoris nec argumenti: aut propterea quòd præcedentem eiusdem authoris lectionem antea propositam consequuntur. Quod verum esset, si consuetudinem retinuissent veteris Ecclesiæ.*

XXI. De Symbolo.

Symbolum cur Euangelio subnectatur.

Euangelio lecto mox cantatur alta voce Symbolum. *Aiunt autem per quàm commodè Symboli recitationem protinus subnecti Euangelica lectioni: eo enim significari volunt fidem ex Euangelij auditu esse, & huius confestim edendam esse confessionem.*

Sacerdos quo ritu Symbolum recipiat.

Sacerdos verò ante medium altaris illud incipit primò, manibus disiunctis, expansis & elevatis, cæterisque præcinit, ac inibi cætera coniunctis manibus absoluit, toto Choro reliquo accinente, si celebrior sit festiuitas. Romano tamen Pontifice solenniter celebrante, Symbolum fidei, non Cantores in Choro, sed Subdiaconi ad altare decantant: & generaliter ipsi ad uniuersa respondent, usque dum Pontifex dicit, Pax Domini sit semper vobiscum. *Innocentius de Missæ myst. lib. 2. cap. 52. & Durandus in Ration. lib. 4. cap. 52.*

Ritus huius auctor.

De hoc autem additamento in Missa quædam est dubitatio apud Pontificios: quidam enim referunt ad Marcum Pontificem, qui Romanæ Ecclesiæ præfuit circa annos Christi 335. paulò pòst Nicenam Synodum: alij Damaso adscribunt, qui præfuit eidem Ecclesiæ circa annum 370. cuius tempore Concilium Constantinopolitanum generale celebratum est. Sed neutri peccasse videntur. Nicena enim Synodus damnauit Arrium, & orthodoxam doctrinam de Deo Patre, eiusque Filio Iesu Christo collegit in certa quadam capita, quæ Marcus Papa suæ Ecclesiæ recitanda commendauit. Constantinopolitana Synodus Macedonium damnauit, qui Spiritus sancti diuinitatem oppugnauit, & sanam doctrinam de Spiritu sancto in summam collegit, quæ & ipsa Damasus Ecclesiæ tradidit: sicque fecit Damasus in ea parte quæ ad Spiritum sanctum pertinet, quod antea Marcum in altera fecisse animadverterat. Platina scribit, Marcum Papam Nicenum symbolum instituisse, in locum symboli Apostolorum. Damasum autem symbolum Constantinopolitanum in locum Niceni cantari iussisse. *Sigebertus & Rupertus lib. de divin. Offic. cap. 21. referunt: sed ut hæc sint accipienda ex præcedentibus intelligi arbitror. Addit Durandus lib. 4. Ration. cap.* 25. Damasum instituisse, ut Symbolum Apostolorum, quod Minus vocatur, tacitè per ferias in singulis Canonicis horis diceretur. *Vualafridus Strabo cap. 22. scribit*, apud Germanos & Gallos, usum symboli ad Missas recitandi, tempore Caroli M. potissimùm inualuisse, occasione Felicis Vrgelitani Episcopi, qui eo tempore hæreseos damnatus fuerat. *Berno quoque testatur*, Romanos usque ad tempora Henrici Imp. 2. Symbolum Apostolicum post Euangelium nunquam cecinisse. ab eodem verò interrogatos cur hoc facerent, respondisse, Romanam Ecclesiam nulla unquam hæreseos labe infectam fuisse: & ideo his magis necessarium esse illud symbolum sæpius cantando iterare, qui hæresi aliqua potuerint maculari. Imperatorem autem priùs non desisse, quàm omnium consensu Benedicto Pontifici persuasisset, ut ad publicam Missam illud decantarent.

Quibus etiam diebus cantari debeat Symbolum non satis inter Papistas conuenit, aliud alijs affirmantibus, quibusnam diebus aut recitari, aut omitti debeat. Quidam volunt hoc fieri debere in solennitatibus duntaxat eorum qui Symbolum compositerunt, & in illis tantùm, de quibus aliqua mentio fit in Symbolo: videlicet, in omnibus diebus Dominicis, in festiuitatibus Domini, nempe in Natali, Epiphania, die Cœnæ, Paschæ, Ascensione, Pentecostes, Transfiguratione, & in festo de Trinitate: similiter in omnibus festiuitatibus beatæ Mariæ, S. Crucis, Angelorum, Apostolorum: in solennitatibus tamen Marci & Lucæ Euangelistarum, quidem dicunt non debere cantari, quòd Apostoli non fuerint. Debet etiam cantari in dedicationibus Ecclesiarum, & in Commemoratione omnium sanctorum: Infra Octauas Natalis Domini, excepta die Innocentum, in qua Cantica lætitiæ subticentur. In Octaua tamen cantatur, propter gloriam resurrectionis, quam Octaua significat. Cantatur etiam infra Octauas Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Mariæ. Vnde licet in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, & festiuitate S. Laurentij Symbolum non cantetur, tamen hoc in Octauis eorum fit: in aliquibus tamen Ecclesijs dicitur Symbolū in festo Ioannis Baptistæ. Quibusdam etiam videtur in festiuitatibus Angelorum non esse Symbolum cantandum, quod Angeli nunquam habuerint fidem, sed speciem: non credentes, sed agnoscentes. Quidam singulis diebus Paschalibus, sicut omnibus diebus Dominicis, Symbolum cantant, à die resurrectionis usque ad festum Ascensionis: atque etiam in solennitate B. Mariæ Magdalenæ, dicentes eam Apostolorum Apostolam, quidam Symbolum cantant, quòd ipsa prima resurrectionis gaudium Apostolis nuntiarit. De quibusdam etiam mentio fit in Symbolo, in quorum commemoratione Symbolum non cantatur, ut passionis & Sepulturæ. Non dicitur quoque quum in professis Missa celebratur ad honorem B. Virginis, vel S. Crucis, vel S. Spiritus: extrà de Celebr. Miss. Consilium: refertur etiam ab Innocentio de Missæ myst. lib. 2. cap. 51. & Durando lib. 4. cap. 25.

XXII. De Offertorio.

Offertorium unde dictum.

Missa Catechumenorum desinit in Offertorio, *in quo secunda eius pars incipit, usque ad consecrationem, quæ à Græcis dicitur* Ἀναφορά, *à Latinis nonnullis* Canon minor. *Antiquitus enim Diaconus perlecto Euangelio clara voce de pulpito admonuit, ut si quis adesset catechumenorum, egrederetur. Hoc etiam pertinet decretum Concilij Carthaginensis 4. quo vetabatur, ne Gentiles, Iudæi aut hæretici, atque etiam incestuosi prohiberentur, sacris interesse & audire Verbum Dei usque ad Missam catechumenorum: dist. 1. cap. Episcopus. de consec. Priusquàm autem Chorus cantet Offertorium, salutatur à Sacerdote, dicente,* Dominus vobiscum, *cui subiungitur canticum, quod* Offertorium *vocant, ab offerendo: non quidem, quòd sacerdotes quicquam populo offerant, sed quòd ipsis à populo offeratur: nam à tali oblatione eximuntur Clerici & Monachi, nisi in funebribus, aut primis novi sacerdotis sacris, & alijs quibusdam celebrioribus festiuitatibus. Huius autem priuilegij Durandus in Ration. hanc affert rationem, lib. 4. cap. de Oblatione: quòd quum sacerdotes de Oblationibus viuere soleant, ac seipsos suaque omnia Deo obtulerint, nihil præterea offerre teneantur. Populus autem varia dona offert dum cantatur offertorium.*

Ritus hic in Ecclesiam irrepsit ex Iudaismo, Ethnicismo, & Apostolicæ Ecclesiæ consuetudine. *Iudæis enim, ut est videre in Leuitico & Deuteronomio, diuinitus mandatum fuit*, ut primitias decimasque agrorum, itemque varia dona & libamina, offerrent, *& sic fidem suam erga Deum, charitatem autem erga proximum testarentur, ne aut cultus diuinus necessarijs rerum inopia interiret, vel Ecclesiæ ministerium vilesceret: aut viduæ, pupilli, aliique pauperes, qui extrema premebantur egestate, necessario victu destituerentur. Hanc ob causam expressa lex extat in Deuter. 16. cap.* Vacuus in conspectu meo ne appareto. *Mos quoque à monte descendenti, populum salutanti ac oranti, occurrit populus & munera obtulit. Et Solomon in dedicatione templi & altaris, innumerabilem multitudinem holocaustorum obtulit, cum magna solennitate.*

Ritus huius origo.

In profanis quoque authoribus animadvertimus, nullam fere gentem adeò fuisse barbaram, quæ in suis sacris varia munera atque libamina non consueuerit offerre: cuiusmodi munera Latinis Offertimenta *ideo dicta fuisse, Festus testatur: quemadmodum Græcis* ἀναφοραὶ, *fuerunt appellatæ à* ἀναφέρειν, *id est, offerendo. unde creberrimum,* ἀναφέρειν θύσιας καὶ θυσίας, *& ἀναφορὰς pro sacrificio. Quinetiam sæpissime sacrificia nuncupata fuerunt à materia, quæ offerebatur, ut* Βυθυσία, *Hecatombe à bobus,* ἀγροθυσία, *ab agnis,* ὀϊσθεία, *à suibus, &c. In Feralibus sacris apud Romanos epulæ sepulchris inferebantur: de quo vide nostrum Librum de Origine Festorum Ethnicorum.*

Apostolicam autem Ecclesiam perseuerâsse inter alia etiam in Communione, *Lucas testatur Act. 2. cap. per quam nihil aliud quàm eleemosynarum contributionem intelligit. Idem testatur cap. 5.* multos Christianorum primorum, sua prædia vendidisse, & eorum pretium, in subsidium pauperum ad pedes Apostolorum deposuisse. *Refert etiam 6. cap. Apostolos* eleemosynarum receptionem & distributionem in Diaconos transtulisse. *Paulus quoque hortatur Corinthios*, ut certum sibi hebdomadæ diem deligant, quo ad sacra frequentiores solebant conuenire, in quem quæ quisque erogare apud se decreuerat ad subleuandam pauperum inopiam, parata haberet. *Ex quibus non obscurè intelligimus, iam tum Apostolorum tempore Christianos ad sacra coactos stipes & cetera munera eleemosynarum usum & pauperum subsidium contribuisse. Durauit hæc consuetudo Tertulliani quoque tempore: sic enim scribit in Apologetico:* Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, & si modò possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert: hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis: ætateque domitis senibus: item naufragis, & si qui in metallis, in insulis, vel in custodijs, duntaxat ex causa Dei fectæ, alumni confessionis suæ sunt. *Eodem pertinet quod Iustinus Apolog. 2. scribit. Quum enim recensuisset, quæ in Christianorum cœtibus fieri consueuerant, hæc subijcit:* Locupletes & cæteri, pro arbitrio quod volunt largiuntur. Collecta apud Antistitem deponitur, & subuenit ipse pupillis, viduis, & morbo aut alia de causa laborantibus, captiuis & peregrinis: breviter omnibus in inopia constitutis curator existit. *Huc etiam pertinent Cypriani verba in Sermone de eleemos. ad diuitem quandam matronam:* Locupletes, *inquit*, & dives, Dominicum te celebrare credis, quæ corbonam omnino non respicis: quæ in Dominicum sine sacrificio venis: quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis. *Vt autem ditiores liberaliter offerrent, moris fuit, catalogum recitare nominum, qui eleemosynas obtulerunt, sub ipsis sacris mysterijs. De quo Innocentius 1. epistola 1. ad Decentium Eugubium sic scribit:* De nominibus recitandis, antequam preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes,

tiones, quorum nomina recitanda sunt, oratione tua commender, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis: ut cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues: quamuis illi incognitum sit nihil. *Ex hac verò eleemosynarum collectione, non solùm ipse eleemosyna, sed tota sacrorum actio, quæ in cœtibus illis fiebat, dicebatur, ut ex Iustini verbis, paulò antè citatis, intelligimus. Et stipes seu eleemosyna quas Paulus 1. Cor. cap. ultimo λογίας vocat, vetus Interpres Collectas nominat.*

Ex his Iudæorum, Ethnicorum & Apostolicæ Ecclesiæ ritib. paulatim consuetudo illa nata est apud Christianos, quæ hodie in Papatu cernitur. Et quòd Iudæos attinet, Durandus li. 4. Ration. c. 30. ingenuè fatetur, hunc morem à Iudæis ad Christianos translatum, *disertis verbis affirmans*, ritum Synagogæ transisse in religionem Ecclesiæ. *Et Gregorius 7. Papa, in Synodo Romana habita anno Domini 1078. c. 13. Canonem edidit, in quo hanc Christianorum consuetudinem non aliunde quàm ex lege Mosis probat:* Omnis, *inquit*, Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quòd Deus per Mosem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus, &c. *Quod ad Ethnicos pertinet, negari non potest quod diximus. Nam à Feralibus Romanorum ortus est mos ille deferendi epulas ad Memorias & sepulchra Martyrum. Sed hanc consuetudinem, ut nimis superstitiosam, correxerunt veteres Episcopi: quorum iussu comportârunt fideles in templa ad altare ea, quib. domi usuri erant: ut sic testarentur, se illa à Deo accepisse, & sibi ab eo fidei beneficio, per eius verbum, preces & gratiarum actionem consecrarentur. Ac putant aliqui, ex hoc ritu, mox natam esse solennem illam consecrationem & benedictionem vinarum, fabarum & aliarum huiusmodi frugum, quas tanquam primitias super altari loco Feralium illarum epularum, consecrari præcepit Eutychianus Papa circa annos Christi 282. si verum est quod in decretali eius epistola legitur: & hanc etiam ob causam Offertorium vinus ad eum, tanquam authorem, à multis refertur. Vnde & B. Rhenanus in suis ad Tertulliani lib. Annotat. de Corona militis scribit*, Opus fuisse olim multa Christianis, ex Ethnicismo conuersis, indulgere, quod senes plerumque ad nostram religionem conuerterentur, ideoque haud facilè adduci potuerint, ut semel receptam consuetudinem abijcerent. *Quæ tamen ratio, si ad Verbi diuini regulam examinetur, valde infirma est. Et quod Gregorius M. lib. 9. cap. 71. præcipit*, Festa Paganorum sensim in Christiana esse commutanda, & quædam ad similitudinem eorum facienda, *ad in alijs quoque ritibus obseruatum est. Sed tamen ne sic quidem vetus illa consuetudo offerendi epulas ad sepulchra in omnibus Ecclesijs abrogari potuit, præsertim in Africanis, ut ex Augustino colligimus, qui libro de Ciuit. Dei 8. cap. vltimo sic scribit:* Quicunque epulas suas eò (*ad sepulchra Martyrum*) deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum talis consuetudo nulla est, tamen quicunque id faciunt, quas quum apposuerint orant, & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt, &c. *Imò in lib. Confessionum 6. testatur*, matrem suam Mediolani quoque pultes, panem & merum ad sanctorum memorias attulisse, ac dedisse Ostiario: sed id Ambrosium fieri noluisse, non solùm quod comessatorios & ebriosis sic præberetur occasio crapulæ indulgendi, sed quòd illa quàm simillima Gentilium parentalibus esse viderentur.

Consuetudo etiam veteris Apostolicæ Ecclesiæ valde progressu temporis adulterari cœpit. Episcopi verò & Romani Pontifices superstitiones & abusus illos, qui sensim irrepebant, non solùm non emendârunt, sed potius auxerunt ac promouerunt, ita ut ritus iste nihil amplius à Iudaismo differat. Permansit quidem ritus offerendi, in Offertorio Missæ, Verùm neque dona amplius offeruntur ut in primitiua Ecclesia, sed pecunia tantùm; neque illæ oblationes ad Cœnam, seu, ut illi vocant, Missam adhibentur, neque pauperibus distribuuntur, sed soli sacrificulorum & Episcoporum voragini seruiunt, licèt opimas prebendas & salaria habeant, ut his collationibus non indigerent. Non iniuriâ ergo conqueritur Durandus lib. 4. Rat. cap. 30. Sacerdotes hac in parte exemplum Mosis non imitari. Sanè, *inquit*, Moses videns, quòd populus multa obtulisset, iussit præconis voce cantari, ne quis ultrà offerret *Exod.* 35. & 36. Nullus tamen Sacerdotum nostri temporis talia facere vius est. *Hæc à Durando verè dicuntur. Experientia enim docet, sacrificulorum loculos & crumenas expleri non posse. Hodieque maior pars tantùm pecuniæ tanta Missas murmurat. Nisi enim spes prædæ affulgeret, mox frigerent omnia altaria, & Missa enaneſceret.*

Vetus ipsius Apostolicæ Ecclesiæ ritus abusibus transfusus.

In hoc autem Offertorio procedunt circa altare tanquam in solenni Pompa, ad offerendas quas quisque attulit, stipes, viri mulieres præcedentibus, & Hypodiaconis oblata excipientibus.

Ritus offerendi.

Hæ verò quinque orationes, quæ inter offerendum, seu inter Offertorium & Secretas recitantur, quales sunt, Suscipe sancte Pater. 1. Offerimus tibi Domine. 3. Veni sanctificator. 4. In spiritu humilitatis. 5. Suscipe sancta Trinitas: *non sunt antiquæ, neque in Romana Ecclesia ante quingentos ab hinc annos legebantur.*

Orationes 5. quæ inter offerendum recitantur.

tur: teste ipsomet Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 17. Et scribit Micrologus cap. 11. tertiam & quintam harum precum, iuxta ordinem Gallicanum recitari, in ordine autem Romano nullas orationes institutas esse inter Offertorium & Secretas. Vnde etiam Walafridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus, imò etiam Innocentius 3. & alij Veteres, non meminerunt illarum orationum, sed transeunt ab Offertorio ad Secretas: Et Berno de Concordia officiorum cap. 1. scribit: Quis Offertorium, & Antiphonam, quæ post communionem dicitur, adiecerit, apertè non legimus. Veraciter igitur credi potest, priores sanctos silentio obtuliſſe & communicaſſe: quod etiam hactenus in sabbatho sancti Paschæ solemnis obseruare. *Nihilominus paulatim ab omnibus Ecclesijs, Romana quoque, receptæ sunt istæ quinque orationes.*

XXIII. De secunda manuum ablutione.

Ritus huius causa.

Finito Offertorio priusquam Sacerdos offerat, manus iterum lauat, quamuis priùs dum vestibus se ornaret, etiam lauisset. Durandus in Rat. lib. 4. cap. 28. Ideo verò iam lauat denuò manus, ne reus fiat corporis & sanguinis Domini: iuxta illud scilicet Pilati, Mundæ sunt manus meæ à sanguine innocentis huius. *Sed manus suas ad hæc sua sacra nihilo puriores afferunt sacrificuli, quàm Pilatus suas ad Christi damnationem. Quemadmodum enim ille manus quidem suas lauit, simul tamen innocentem sanguinem condemnauit: ita sacrificuli quoque lauant etiam manus terque quaterque, simul verò profanant & polluunt horribiliter institutionem Christi: iungunt sese etiam socios his, qui Dei Filium cruci affixerunt, dum eum quotidie in Missa Iudæis & Turcis deridendum propinant, & ipsimet eum conspuunt ac denuò in crucem agunt.*

XXIV. De Pallis & Corporalibus.

Pallarum significatio.

Interim verò dum Sacerdos manus abluit, Diaconus Corporales Pallas *super altare disponit, de quibus suprà satis multa diximus. Vnam Pallam seu Corporale super altare totam extendit & explicat, quæ significat linteamina, quibus inuolutum fuit corpus Christi: alteram plicatam ponit super calicem, & significat sudarium, quod fuit super caput eius separatim inuolutum in unum locum. Innocentius 3. de Missæ myst. lib. 2. cap. 56. Atque ita Christum habet inter duo sudaria & lintea quasi in sepulchro iacentem inuolutum, hoc est, calicem inter duo linteola constitutum.*

Deinde Diaconus, siue Sacerdos, Episcopi minister, manibus interiecto mantili mundo, manus apprehendit Episcopi, quasi surrecturum adiuturus. Hinc ad Aram accedit Episcopus, sed sine mitra & baculo. Nam in Synodo quadam Romana à Zacharia 1. habita anno 742. cap. 13. sancitur, ut nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus celebraturus Missam cum baculo ad altare accedat, aut velato capite ad altare stet. *Postea Hypodiaconus ferens manu sinistra calicem opertum, ut modò dictum est, eum tradit Diacono, ac simul cum patina hostiam. His Diaconus à Subdiacono acceptis, inter utriusque manus indices & pollices, interposito brachiali, quem manipulum vocant, deinde Episcopo patinam cum hostia tradit, idemque calicem una cum Episcopo vel Sacerdote offert. In alijs tamen Ecclesijs alij ritus obseruantur, neque enim una est omnium ratio. Durandus lib. 4. cap. 30.*

Vel cum aqua mixto.

Subdiaconus etiam ampullam seu calicem alterum cum aqua tradit Episcopo vel Sacerdoti: quam ille solus vino commiscet in calice, neque enim id alicui inferiori facere licet: & inter commiscendum benedicitur aqua. Modicum autem aquæ vino miscendum est arbitrio Sacerdotis, sic ut aqua à vino absorbeatur, & vini saporem retineat: extrà de Celeb. Miss. Permitiosus. Et hæc omnia fiunt ex institutione Alexandri 1. de quibus suprà pluribus egimus. Durandus ibidem.

Hostiæ & calicis hæresimæ traditio.

Si desint Diaconi & Subdiaconi, ut solet fieri in communibus Missis, sicut tum est minor apparatus, ita Sacerdos unus sibi instar multorum est, hæc enim omnia solus peragit. Cumque hucusque ventum est, tum demum maxima cum religione sacram hostiam, calicem & patinam contrectant, ac modò attollunt, modò demittunt, crucis imagines calice superstratis linteolis signant, item & super hoc digitis ludunt, & sim punctiunque cruces varias notant. Docet enim Albinus, quem alij Alcuinum vocant, quique clarius circa annos Domini 760. lib. 7. in Ioannis cap. 19. Crucis signationem in Sacramentis adeò necessariam esse, ut sine ea nihil ritè perficiatur. *Sed ubi hoc in Dei Verbo mandatum legitur?*

Addunt præterea ad singulas supradictas gesticulationes precularum humiles susurros, non sine aperta blasphemia, & Christiana religione indignissimo conuitio in sacrificium Christi.

XXV. De secunda Thurificatione.

Ritus huius causa.

Post hæc Sacerdos in modum Crucis superducit & circumducit incensum super sacrificium & altare: postea undique totum incensatur altare: ut eo (sicut ipsi loquuntur) diabolica fraudis malignitas extricetur & effugiat. Durandus autem lib. 4. cap. 31. scribit, Sacerdotem inter thurificandum dicere, Dirigatur Domine Oratio mea, sicut

ſicut incenſum in conſpectu tuo,&c.

Origo. *Huius quoque ſuffimenti inſtitutionem Leoni 4.tribuit Durandus eodem in loco, vbi dicit,* Leonem ſtatuiſſe, incenſum poni ſuper oblatam. *De hoc præterea extat decretum inter Canones Concilij Rothomagenſis, quod ita habet:* In tempore quo legitur Euangelium, finito Euangelio ut ſuper oblationem incenſum in mortem Redemptoris ponatur, decreuimus: *& extat apud Burkardum lib. 3. c. Vt in.*

Manuũ lotio. *Poſt thurificationem manus iterum lauat,licèt bis anteà lauerit,ut ſi fortè interim ullam undecunque maculam contraxiſſet, abluatur hac ablutione,priùs, quàm ad ſacroſanctà in manibus tenenda myſteria accedat. Rectè autem in illos quadrat Gregorij cognomento Theologi dictum,qui in Apologia de fuga ſua ait,* Illotis manibus ac profanis pedibus ſemet rebus ſanctiſſimis ingerunt. *Quid enim lotæ proſunt manus,ſi illotos afferunt animos? Multo religioſius Cicero lib. 2. de Legibus,* Caſtè, *ait,* lex iubet adire Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia pura: nec tollit caſtimoniam corporis: ſed hoc oportet intelligi, quum multùm animus præſtet corpori, obſeruetur que ut caſta corpora adhibeantur, multò eſſe in animis id faciendum magis. Nam illud vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate euaneſcere, nec manibus ullis elui poteſt. *Conueniunt hac cum Verbo Dei, in quo iubemur, lauare manus in innocentia: Pſal. 26. & Iſaias 1.cap.* Lauate, *ait,* mundi eſtote:auferte malum ex animis & cogitationibus veſtris.

XXVI. De inclinatione Sacerdotis, Oſculatione altaris & Oratione.

Thurificatione expleta, Sacerdos dicit, Suſcipe ſancta Trinitas, *&c. Poſtea verò ſe erigens oſculatur altare. Conſequenter Sacramentum incœpturus,orat primùm pro ſe:deinde pro populo. Poſtea conuertens ſe ad populum ſub ſilentio dicit:* Dominus vobiſcum: *& mox voce aliquantulum elevata, monet populum, dicens:* Orate pro me fratres & ſorores, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conſpectum ſuum:Et ego pro vobis. *Monito autem populo, Sacerdos ſtatim revoluitur ad altare, per ſiniſtram partem,& tunc tandem dicit orationem, quam intermiſerat ab Offertorio, quando dixit,* Oremus. *Orat autem voce demiſſa:& ideo oratio hæc à quibuſdam dicitur* Secretella, *ad differentiam* Maioris Secretæ, *quæ mox ſequitur, Durandus lib.4.cap.32.*

Ritus hic notãdus. *Videtur autem hæc conſuetudo deducta à veteri Eccleſia, in qua Miniſter ſacrorum ſe tum potiſſimùm adſtantis populi precibus commendarat,quum iam iam ſacram Cœnam adminiſtraturus eſſet.*

XXVII. De Præfatione.

Oratione Deo commendata per ſecretas orationes, novam Præfationem *Sacerdos de ara medio, auerſus, ſublatis & expanſis manibus dicit, in hunc modum:* Per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Dominus vobiſcum: Et cum Spiritu tuo. Surſum corda: habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro:dignum & iuſtum eſt. Verè dignum & iuſtum eſt,æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus; per Chriſtum Deum noſtrum: per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potoſtates, Cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphin, ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, & ut admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus,Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua: Oſanna in Excelſis: Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

Præfatio unde dicta. *Hæc dicitur* Communis Præfatio, *ſunt enim plures,ut mox indicabitur. Vocatur autem* Præfatio *hæc Oratio, quia præcedit ſacrificium principale,& eſt, quaſi Prologus ac Proœmium ſequentis Canonis, quo ſtudent captare benevolentiam,& præparare vel excitare populum ad illam actionem, in qua propriè ſacrificium conſiſtit.*

Caterum Prafationis huius initium, Per omnia ſecula ſeculorum: *eſt finis antecedentium Orationum cum ſilentio recitatarum:Sed dicitur alta voce,iſta Concluſio,ut populus reſpondere poſſit,* Amen; *& hac voce confirmet ſuperiores orationes,ut ſcribit Micrologus cap.7.*

Deinde incipit ipſa Præfatio. *Dicturus enim Sacerdos rem attentione dignam, Salutat populum,inquiens,* Dominus vobiſcum: *Chorus reſpon.* Et cum Spiritu tuo. *Poſtea Sacerdos eos incitans, ſubiungit:* Surſum corda: *& eleuat manus. Chorus reſp.* Habemus ad Dominum: *Sacerdos pergit,dicens:* Gratias agamus Domino Deo noſtro: *Chorus reſpondet:* Dignum & iuſtum eſt. *Quæ confirmans Sacerdos dicit,* Verè dignum & iuſtum eſt,&c.

Veſtigia præfationis Papiſticæ in veteri ritu. *In his non obſcura veſtigia veteris ritus relicta ſunt. Nam olim antequam Miniſter ſacrorum Cœnæ inſtitutionem, ut ab Euangeliſtis & Apoſtolis tradita eſt, clara voce recitaret, populus præmonebatur, ut animos adhiberet ver-*

huic

huic actioni attentiſſimos. Huc pertinebat formula illa, Surſum corda, *qua admonebatur populus, ne defixis in terrena duntaxat elementa oculis humi inhæreret, ſed ſublatis in cælum animis, Chriſtum in cælis quæreret, qui externis panis & vini ſymbolis repræſentabatur. Eò ſpectabat etiam illa formula*, Gratias agamus Domino Deo noſtro: *qua etiam monebatur populus, quam ob cauſam conveniſſet, & in quem finem ſacroſancta Cœna inſtituta eſſet. Quibus quum plebs aſſenſum præbuiſſet, dicendo*, Dignum & iuſtum eſt, *reſpondebat Sacerdos*, Verè dignum & iuſtum eſt: *Et converſus ad Dominum dicebat*, Nos tibi ſemper & ubique gratias agere debemus, Pater omnipotens, æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. *Ac præparato hunc in modum populo, ſacra Cœnæ verba non muſſitabat, ſed clara & expreſſa voce recitabat, ita ut ab omnibus exaudiri & intelligi poſſent. Subijciebat enim ſuperioribus Sacerdos*: Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias egit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, & dixit, Accipite, &c. *His ſubiungebat*, Orationem Dominicam. *Hæc in Eccleſia recepta fuiſſe Cypriani & Auguſtini ætate, intelligi poteſt ex Cypriani Serm. 6. de Oratione Dominica & ex Auguſtini libro de Bono perſeverantiæ: Ipſemet quoque Bellarminus fatetur lib. 2. de Miſſa cap. 17. initium Præfationis, à verbis*, Dominus vobiſcum, &c. *uſque* Verè dignum & iuſtum eſt, *haberi in antiquiſſimis authoribus Græcis & Latinis: reliqua verba, uſque ad illum verſum*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. *non eſſe eadem in Græcis & Latinis Liturgijs.*

Præfatio in primitiva Eccleſia initium Cœnæ.

In Primitiva igitur Eccleſia Præfatio *fuit initium Cœnæ Dominicæ: illa recitata, & oratione Dominica unà cum Cœnæ inſtitutione, ſtatim adipſius Cœnæ adminiſtrationem & ſymbolorum communicationem deveniebatur. Ergo totus Canon, & quidquid inter Præfationem & Orationem Dominicam interiacet, præter pauca Evangeliſtarum verba, quibus Cœnæ inſtitutio continetur, id omne ab illorum centonum conſarcinatoribus interiectum eſt. Vnde facilè licet colligere quantum additamentorum adiectum ſit veteri Eccleſiæ formulæ & conſuetudini, cuius modò meminimus.*

Præfationis multæ antè poſitæ.

Hanc etiam ſimplicem Præfationem, ſiquidem ita nominare libet, veteris Eccleſiæ, non retinuerunt poſteri, ſed multiplices ac varias compoſuerunt, pro feriarum ratione & diſcrimine. Ex ijs novem tribuuntur Gelaſio 1. quas Romana Eccleſia in ſacro catalogo tantummodo recepit, eaſdemque poſtea Pelagius 2. alijs quoque Eccleſijs obtruſit. Sic enim ad Epiſcopos Germaniæ etiam ſcripſit: Invenimus has novem Præfationes in ſacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro vetuſtas in Romana Eccleſia hactenus ſervavit: Vnam in Albis Paſchalibus: aliam de Aſcenſione Domini: tertiam de Pentecoſte: quartam de Natali Domini: quintam de Apparitione Domini: ſextam de Apoſtolis: ſeptimam de S. Trinitate: octavam de Cruce: nonam de Ieiunio in Quadrageſima tantummodo dicendam. Has Præfationes tenet, & cuſtodit ſancta Rom. Eccleſia: has tenendas vobis mandamus.

De Gelaſio Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 78. de Sanctis refert, quòd inſtituerit Præfationem Miſſæ: item clauſulam illam: Verè dignum & iuſtum eſt, quotidiano uſui. Tenuit autem Romanam ſedem Gelaſius circa annos Chriſti 497. Pelagius ſecundus verò circa annos 580.

His novem Præfationibus Vrbanus 2. Papa in Placentina Synodo circa annos Dom. 1096. decimam addidit, in honorem B. Mariæ, quæ ita ſe habet: Æquum & ſalutare, & te in veneratione beatæ Mariæ ſemper virginis, exultantibus animis collaudare, benedicere & prædicare: quæ & Vnigenitum tuum ſancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Dist. 70. c. Sanctorum.*

XXVII. De Sanctus, Sanctus, &c.

Statim poſt Præfationem, in veteri Eccleſia, clara Diaconi voce inhebantur fideles accedere ad Cœnæ communionem, Sanctos eos vocans, qui tanquam vera Chriſti membra, digni communione habebantur. Patet hoc ex Homil. 61. Chryſoſtomi ad populum Antiochenum, in qua inter alia ſic dicit. Hæc dico, non uno & annuo vos prohibens acceſſu, ſed vos ſemper ad ſancta volens accedere. Propter hoc & Diaconus acclamat tunc, Sanctos vocans, & per hanc vocem, omnium taxans maculas. Sicut enim in grege, ubi multæ quidem ſunt oves ſanæ, multæ verò lepra ſquallidæ, opus eſt has à valentibus arcere: itidem & in Eccleſia, quoniam & hæ quidem oves ſanæ ſunt, hæ verò morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis dividit, paſſim circumiens Sacerdos per illum clamorem nimis horrendum, & omnes vocans ſanctos & trahens. *Et rurſus*: per ſingulos dies Eccleſiam ingrederis, & adhuc hoc ignoras? Tamen ne vel hoc prætendas, propterea ſublimis conſtitutus magna voce, terribili clamore: quaſi quidam præco, manum in altitudinem attollens, ſtans erectus, omnibus apparens, & magnum in illa tremenda quiete exclamás,

hos

hos quidem vocat, hos autem arcet: non hoc manu faciens, sed per linguam quàm per manum efficaciùs, &c.

Veteris Ecclesiæ ritus depravans.

In hujus verò locum progressu temporis quemadmodum etiamnum hodie magna voce concinunt ter repetitum Angelicum hymnum, quo Deum Seraphim celebrant apud Isaiam 6. capite. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus, &c. *Ad cujus concentum in solennioribus festis Organa crepant. Hoc clamore ac boatu illi neminem ad Cœnæ perceptionem, sed fictitium suum Deum ac paulò post Pseudochristum è cœlis devocant, invitant, prosequuntur & excipiunt. Cui & illum addiderunt* Osanna in excelsis, &c. *quo Hierosolymorum populus Christum asino insidentem, & Hierosolyma ingredientem, excepit. Hic enim Christi adventus, quo Pontificii se jactant posse corpus Christi conceptis verbis tanquam magicis carminibus, cœlo deducere, ac corpore præsens terris sistere, quum sit Verbo Dei incognitus, imò apertissimè cum eo, cum tota Christiana religione, & universa fidei natura pugnet, necesse est ut festo ac læto aliquo applausu excipiatur.*

Dum canitur, Sacerdos magna cum religione pectus tundit & cruce se signat. Stant à tergo Diaconus & Subdiaconus, ad designandam discipulorum fugam, dum Christus caperetur, ut ipsi interpretantur.

Ritus hujus auctor.

Hunc autem hymnum Missæ addidisse Sixtum 1. qui Romanæ Ecclesiæ præfuit circa annos Domini 120. testatur Durandus in Ration. lib. 4. c. 34. Nauclerus Generat. 9. Polydorus. Sabellicus Enne. 7. lib. 4. Platina & alii. Mihi verò hujus hymni institutio non usque adeò vetus videtur, sed potius referenda ad tempora Theodosii Imp. junioris circa annos Christi 445. Quum enim tum horrendo & diuturno terræmotu Constantinopolis concuteretur, Theodosius Imp. & Proclus Episcopus cum civibus extra urbem periculi vitandi gratia egressi, ardentes ad Deum pro liberatione preces fuderunt. Quadam ergo die fluctuante terra, atque omni plebe attentiùs vociferante Κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam omnibus videntibus in aërem puer sublatus est: is rursum delapsus, dixit, quòd Litaniis sit hoc inferendum, Sanctus, Sanctus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nostri: *eam ob causam, quòd Angeli coram Deo hoc hymno utantur: Ac posteà Theodosium Imp. toti orbi terrarum præcepisse, ne has voces Ecclesiæ præterirent: ut referunt Paulus Diaconus in Theodosio, Marianus Scotus, Otto Frinsingen. lib. 4. c. 25. Vrspergensis in Chron. hoc edictum Pulcheriæ sorori Theodosii tribuit. Damascenus etiam hymnum hunc sub Proclo compositum esse scribit lib. 3. cap. 10. de Fide orthodoxa. Nicephorus quidem lib. 18. cap. 51. affirmat, jam inde ab Apostolis, etiam ante Theodosii junioris & Proclli tempora, per manus Ecclesiæ traditum esse hunc cantum: sed hoc absque omni authore narrat: tantùm dicit,* Vt mihi videtur: *&,* Vt apparet. *Adhæc ille ipse lib. 14. c. 46. originem* Trisagii, *sic enim vocant hunc hymnum, ad Theodosii tempora refert, & clarè sic dicit:* Exeo tempore Ecclesia Christi acceptum cantum quem Trisagium vocant, non quolibet tantum die usurpavit, sed etiam cujuslibet carminis & laudis Dei initio, ante omnia pleno ore præmisit. *Hæc si vera sunt quæ ab illis narrantur, credendum omnino hunc hymnum hac occasione eo tempore etiam precibus Cœnæ Dominicæ insertum fuisse: nam à nullo Patrum ejus fit mentio, qui ante illa tempora vixerunt: Legitur quidem in Liturgiis Basilii & Chrysostomi, sed quæ non immeritò suspecta sunt: sicut etiam tota illa narratio de Trisagio divinitus revelato. Quæ enim ita eo habentur, ex Isaia, ut diximus, deprompta sunt. Voluerunt absq; dubio quidam etiam ex suo cerebro aliquid adiicere ad communem precum formam, ideoque talem narrationem finxerunt, quò res majoris authoritatis esset. Nam in alijs ejus ætatis scriptoribus hoc miraculum non exstat. At vix est verisimile eos prætermissuros id fuisse, si tale quid verè accidisset.*

Quidquid sit, constat tamen illud circa Theodosii junioris tempora cœpisse hymnum hunc in usu esse & in Cœnæ actione usurpari. Nam in Vasensi Synodo, temporibus Theodosii Imp. & Leonis Papæ habita. cap. 4. aliàs 6. præcipitur, ut in omnibus Missis dicatur. Quumque nonnulli Sacerdotes in Ecclesiis Hispaniæ & Galliciæ hymnum hunc in Missa Dominicorum dierum, & in solennitatibus Martyrum canere negligerent, idcirco decrevit etiam Concilium Toletanum 4. anno 639. celebratum, ca. 13. ut in omnium Missarum solennitate publicè decantetur: qui secus fecerit communione privetur.

Ac de his jam satis. Veniamus nunc ad secretum silentium & Canonem Missæ.

Canon Missæ.

His omnibus peractis, Secretum Silentium *incipit, in quo &* Missæ CANON *legitur, & sacrificium Missaticum peragitur, & secundum aliquos hic incipit Missa: nam cætera omnia tantùm de solennitate ejus sunt.*

Author Canonis.

Referunt autem quendam Scholasticum *nomine, Pontificum Romanorum centones, & ex veteribus Liturgiis hinc inde particulas quasi lacera & disiecta membra quædam, vel rudera collegisse, & in unum corpus coagmentasse, &* Canonem *nominasse. Sic enim Gregorius M. libro 7. epist. 63.* Quidam, *inquit,* nomine Scholasticus precem illam composuit, quæ su-

per Eucharistiam secretò dicitur &c. *Iuxta Gregorium igitur* Canon *hic non est Christi* institutio, *nec Apostolorum* traditio, *sed cuiusdam Scholastici* Cento.

Canon quid continet. Canon unde dicatur.

Continet verò Canon preces, quibus utuntur in sacrificii Missalis celebratione.

Et dicitur Canon, *quòd ex regulis Patrum compositus sit, ut Durandus in Rationali ca. 35. lib. 4. scribit. Vel, quòd regula fixa esse debeat celebrandi Missam: est enim* Canon *regula, seu norma iuxta quam aliquid fieri debet. Aut, quòd regularis & legitima sit mysterii confectio. Vel, quòd sit regularis & legitima ex fidelium oblatis Sacramenta conficiendi ratio: ut Micrologus & Walafridus libro de rebus Ecclesiast. cap. 20. & 22. docent. Dicitur etiam* Actio, *propter profunda mysteria, quæ in eo aguntur. Item*, Sacrificium *à sua parte digniori.* Secreta *etiam, quasi hominibus occulta: putant enim humanam rationem nequaquam mysterium Missæ plenariè capere posse. Vel dicitur* Secreta, *quòd secretò, id est, cum silentio legitur, & afflatur potiùs, quàm annunciatur. Isidorus libro primo de Officiis, vocat* Ordinem precum, *quo oblata Deo sacrificia consecrantur. Græci* Anaphoram sanctam, *vocant, ex sententia Constantinopolitani 7. Concilii.*

Canonis divisio.

Variè autem à variis dividitur. Durandus in Rationali lib. 4. cap. 36. triplicem divisionem enumerat. Sunt enim qui in undecim partes dividant: Prima incipit, Te igitur clementissime. 2. Memento Domine. 3. Communicantes. 4. Hanc igitur. 5. Quam oblationem. 6. Qui pridie. 7. Simili modo. 8. Unde & memores. 9. Supplices te rogamus. 10. Memento. 11. Nobis quoque. *Sunt qui dicant, quòd 12. partes contineat: Prima incipit,* Te igitur. 2. In primis. 3. Memento. 4. Communicantes. 5. Hanc igitur. 6. Qui pridie. 7. Vnde & memores. 8. Supra quæ propitio. 9. Memento. 10. Nobis quoque. 11. Per quem hæc omnia. 12. Oremus, præceptis salutaribus. *Secundùm alios verò sex solùm continet partes: Prima est,* Te igitur. 2. In primis. 3. Communicantes. 4. Hanc igitur. 5. Supplices te rogamus. 6. Oremus præceptis. *Sunt etiam qui dicant, quòd quinque tantùm sint partes, quarum unaquæque concludatur per Christum Dominum nostrum. Alexander Alensis dividit in tres partes subdividendas. Albertus similiter in tres, sed alia ratione. Gabriel Biel in sex etiam principales partes verum Canonem dividit, videlicet ab illo loco,* Te igitur: *usque ad Dominicæ orationis Præfationem, quæ incipit,* Oremus præceptis salutaribus, *hic enim Canon terminatur, secundùm Albertum. In prima petitur benedictio apposìtorum munerum, quæ pro tota Ecclesia offeruntur. In secunda Sanctorum invocatio continetur. In tertia petitur sacrificiorum oblatorum acceptatio. In quarta habetur Consecratio panis & vini. In quinta ponitur consecratorum commemoratio. In sexta refrigerij ac suffragij postulatio subinfertur. Bellarminus quoque in sex partes, seu Orationes dividit: Prima incipit,* Te igitur. *Secunda*, Hanc igitur oblationem. *Tertia*, Quam oblationem. *Quarta*, Vnde & memores Domine. *Quinta*, Memento etiam Domine. *Sexta*, Nobis quoque peccatoribus. *& extenditur usque ad* Per omnia sæcula sæculorum, *ante Orationem Dominicam. Innocentius tertius in tres & decem partes dividit: quem nos etiam majoris perspicuitatis gratia sequemur.*

Celebrantes vertunt Missam ad orientem versi.

Incæpturus verò Sacerdos legere Canonem Missæ se ad Orientem vertit, ex institutione Vigilij Papæ. Sic enim Petrus de Natalibus lib. 6. de Sanctis cap. 12. Constituit, *inquit*, Vigilius Missam in Ecclesia versùs partem Orientalem celebrari, ut in Christi faciem Sacerdos intendat, eò quòd Christus in cruce pendens versùs occidentem aspexit. *Deus autem in Deuterono. prohibuit, ne ad Orientem adorent. Hoc Moses non superstitione aliqua inductus præcepit, sed tantùm cavere voluit, ne Iudei Ethnicorum ritus, ceremonias & superstitiones imitarentur, & sic à vero Dei cultu avocarentur. Nam Trismegistus Mercurius præceperat, uti adorantes medio die se converterent ad Austrum: occiduo ad Occasum: si verò primùm oriretur Sol, in Ortum. Sic ex Græcis in Pindarum commentariis constat, ad Orientem converso corpore Dijs preces fieri solitas atque sacra: heroibus verò ad Occidentem. Ad hunc morem alludit etiam Apulejus libro 2. his verbis,* Tum in Orientem, *inquit*, obversus, vel incrementa Solis augusti tacitus imprecans. *Persarum quoque Magi Solem Orientem adoraruni, & Deos statim diluculo invocarunt, ad Orientem conversi, quòd Deos tum templis & salutationib. interesse arbitrarentur. Numa etiam præcepit, ut Sacerdotes ad Orientem conversi vota facerent. Vnde Vergilius quoque lib. 2. Æneid.*

Illi ad surgentis conversi lumina solis,
Dant fruges manibus salsas.

Et Ovidius lib. 4. Fast.

His Dea placanda est, hac tu conversus ad Ortus
Dic quater: & vino perlue rore manus:

Observata quoque est hac consuetudo in magicis Ethnicorum sacris, ut ex his Luciani verbis in Necyom. intelligitur: Tandem homo me suscipiens, primùm quidem dies novem & viginti, cum Luna simul incipiens, abluit ad Euphratem mane Solem Orientem versùs perducès ac sermonem quèpiam lon-

longum muſitans, quem non admodum exaudiebam. *Et hanc ob cauſam Porphyrius templorum ſtatuas & ingreſſus ut Orientem ſpectarent ſtatuit. Idem etiam præcepit Vitruvius libro quarto de ſacrarum ædium poſitione. Has leges in ſuam quoque Religionem Pontificij tranſtulerunt. Sic enim Durandus in Ration. libr. 1. cap. 1.* Eſt autem, *inquit*, Eccleſia ſic ædificanda, ut caput rectè versùs Orientem inſpiciatur.

Chriſtus autem in Novo Teſtamento nihil tale à nobis requirit: Quin ipſe inter precandum in Cœna inſtitutione, & aliàs ſemper neque ad Orientem, neque ad Occidentem, vel aliam cœli plagam faciem convertiſſe legitur, ſed ſublatis ſimpliciter oculis in cœlum. Et *Walafridus Abbas, qui circa annos Chriſti 840. vixit, in libro de Officiis ac ritibus Eccleſiaſt. capite 4. cùm de Eccleſiarum ſeu Templorum forma diſſeruiſſet, addit*, Veteres non admodum ſollicitos fuiſſe, in quam partem vel templa vel altaria fuiſſent converſa, quòd ubique Deum eſſe ſcirent, ſed recentiores tantùm ad Orientem convertiſſe. *Ac teſtatur Socrates libro quinto capite 21. Antiochiæ Syriæ templum celeberrimum, Occaſum non Orientem ſpectaſſe.*

Solet quoque vel Dei Patris, vel crucifixi Chriſti imago in Miſſalibus & Ritualibus libris depicta proponi, inter Præfationem & Canonem, *quam Sacerdos ſe eadem in fronte obſignans, Canonem aggreſſurus, oſculatur, ut quaſi præſentem videat, ſicut ipſi loquuntur, quem invocat & alloquitur.*

Iunctis etiam manibus, & citò, ſed tamen diſcretè Sacerdos legit Canonem: ne muſcæ venientes auferant ſuavitatem unguenti, ut Beleth ſcribit in Rationali cap. 119. Et in Oxonienſi Synodo anno 1222. habita. cap. 1. ſancitur, ut verba Canonis, præſertim in conſecratione plenè & integrè proferantur.

Canonis Miſſæ Prima Pars.

Sic autem incipit Miſſæ Canon *& ejus prima pars.*

TE igitur clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum (*hæc verba dicendo Sacerdos ſe ante altare inclinat*) ſupplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas ac benedicas (*& hic oſculatur altare*) Hæc dona: Hæc munera: Hæc ſancta ſacrificia illibata: (*quæ murmurans Sacerdos facit tres cruces ſuper hoſtiam & calicem:*) Inprimis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum: unà cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. & Rege noſtro N. & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.

Parris hujus author.

Hanc primam partem, Canoni addidiſſe Geläſium 1. circa annum Domini 496. teſtatur Durandus libro quarto Ration. cap. 36. Funccius lib. 7. Comment. ad ſuam Chronologiam, Baleus in vita ejus: quo hic Cento longiùs produceretur. Caruit enim hoc exordio Canon iſte hunc in modum digeſto ac compoſito, ante Gelaſij tempora.

Nomen Papæ in Canone.

Nomen Papæ addidiſſe Clementem Papam, Durandus negatur, quum Canon eius tempore nondum fuerit compoſitus, nec Cœna ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, ex quorum numero Clemens hic fuit, tam operosè ſed nudè & ſimpliciter, abſque omni verborum copia celebrata fit: neque etiam vel verbulo ejus mentio fiat, vel à Iuſtino, vel aliis Patribus. Paulus 1. Timoth. 2. cap. jubet primùm orationes fieri pro omnibus hominibus, deinde pro Regibus: Papæ, vel Epiſcopi Romani mentionem nullam facit. Progreſſu verò temporis Papæ nomen non ſolùm Canoni inſeruerunt ſed etiam Regibus prætulerunt, non aliam, ut opinor, ob cauſam, quàm ut vel hinc Reges diſcerent colla ſua Papæ pedibus ſubjicere.

In Vaſenſi verò Synodo 2. cap. 6. ſancitur, ut etiam in Gallicanis Eccleſiis nomen Papæ verbis Romæ in omnibus Miſſis recitetur. *Ergo hoc in uſu fuit ante annos 1100. Et Pelagius Papa circa annos Domini 560.* Conſtat, *inquit*, ab univerſo orbe ſeparatos eſſe, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam, ſecundum conſuetùdinem non frequentant. *Hæc ſatis pro imperio, Sed non mirum: nam & primatum Romanæ ſedis, non à Synodis, aut ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto proveniſſe, primus quoque aſſeruit: diſtinct. 22. In nullis Græcis Liturgiis Papæ nomen habetur. In Liturgia verò Chryſoſtomi à Ioanne Tuſco Latinè reddita, invenitur nomen Nicolai Papæ. Vixit autem hic Nicolaus Papa poſt Chryſoſtomum annis 840.*

Canonis Secunda Pars.

MEmento Domine famulorum famularumque tuarum (*quo loco Sacerdos ſpecialiter vivos quos voluerit, memorat*) Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibique reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero.

Hanc & ſequentem orationem Bellarminus non vult eſſe diverſam, ſed partem primæ orationis: & hoc putat colligi poſſe, tum ex concluſione: per eundem Dominum noſtrum, *quæ ponitur in fine harum trium precum: tum etiam, quia illud:* communicantes *non haberet ullum ſenſum, niſi continuaretur cum præcedentibus verbis.*

Hanc autem orationem dum cum murmure legit Sacerdos, ad dormitantis ſe componit habitum: eoque geſtu vult repræſentare, ſeu potius irridere Chriſtum, in cruce animam agentem, & capitis inclinatione ſe verè expirâſſe teſtantem. Sed non video, quo pacto hæc præſenti actioni conveniant, Chriſtum enim jam illis mortuus eſſe repræſentatur hac Sacerdotis dormitatione, quum tamen nondùm verba Cœnæ commemorarint: quæ verus Chriſtus, antequam Spiritum emiſiſſet, pronunciavit.

Canonis Tertia Pars.

COmmunicantes & memoriam venerantes, inprimis glorioſæ ſemperque virginis Mariæ genetricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Taddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogomi, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani. Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio: per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Author hujus 3. partis.

Syricius Papa circa annos Chriſti 390. hanc tertiam partem Canoni addidit, ut teſtantur Antoninus capite 38. Durandus in Ration. libro quarto ad tertiam partem Canonis. Nauclerus Generat. 13. Valerius, Anſelmus Ryd. At fuit aliquandiu hæc tertia pars Canonis initium, antequam Gelaſius ſuum illum ipſe quoque centonem appoſuiſſet. Præceſſit enim Syricius Gelaſium annis centum.

Hæc pars 3. Canonis auctà

Huic autem veteri formulæ, ad verba illa, Et omnium Sanctorum tuorum: *Gregorius 3. circa annum Domini 731. commemorationem Divi cuiuſque inſerit: cuius nomini tum feria, tum ſacra dicata eſſent. Nam hæc verba recitare iuſſit:* Quorum ſolennitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum: *Vt Marianus Scotus, Sigebertus, Sabellicus Enne. 8. li. 8. indicant, ſimul tamen dicunt, uſum hæc verba non recepiſſe. Et Clitoveus ea non in Canonem recipienda eſſe palam fatetur, Elucid. li. in Canonis Expoſitione, utpote quæ ab univerſali Eccleſia nec recepta, nec approbata ſint. Cauſam verò hanc reddit,* quòd eadem, parique ratione alii ſummi Pontifices tentare poſſent aliarum novarum particularum additionem ad Canonem: atque ita tandem Miſſæ Canon excreſceret in immenſum, neque certis unquam metis contineretur. *Si verò hæc ratio locum habere debet adverſus Gregorium 3. eiuſque aſſumentum, quantumvis ſummi Pontificis, pari certè ratione alij quoque Pontifices damnari & reprehendi poſſunt, qui plurimos centones veteris Eccleſiæ formulæ addiderunt.*

Cur in hac parte Maryrum, non etiam Confeſſorum fit mentio.

Quòd autem in hoc Catalogo Sanctorum Martyrum tantùm, non etiam Confeſſorum fit mentio, ejus rei hanc reddunt cauſam Innocentius 3. lib. 3. de Miſſæ myſt. cap. 10. & Durandus lib. 4. cap. 38. Ration. quòd Canon antè editus fuit, quàm Confeſſorum memoriam inſtitutum eſſet in Eccleſia celebrare. *Nam Sancti omnes, quorum nomina in hoc Canone exprimuntur, præceſſerunt Sylveſtrum Papam, exceptis paucißimis, qui paulò poſt Sylveſtrum ſequuti ſunt, ut ijdem referunt. Ex his colligimus,* primò, *Confeſſorum memorias eſſe recentiores, quàm Martyrum:* Secundò, *Canonem Miſſalem, nec ab uno authore, nec uno eodemque tempore conſutum eſſe: quòd etiam Innocentius 3. & Durandus ingenuè fatentur, & ex eo colligunt, quòd ſæpius in eo repetatur Sanctorum commemoratio, cujus etiam formulæ non ſunt eadem per omnia apud omnes, in recitando eorum Catalogo.*

Fit etiam hæc Sanctorum in Miſſa Commemoratio ad imitationem Aaronici ritus, de quo legitur Exod. 30. quòd legalis Sacerdos ſcripta habuerit ὀνόματα nomina duodecim tribuum, ſeu Patrum, ut Durandus eodem loco ſcribit.

Canonis Quarta Pars.

HAnc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine ut placatus accipias, diſque noſtros in tua pace diſponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hujus 4. partis Canonis author.

Verba hæc, Hanc igitur oblationem: *uſque* placatus accipias: *Leo 1. Papa addidit circa annos Domini 440. Gregorius verò 1. tres reliquas petitiones adjunxit: Quarum prima eſt,* Diesque noſtros: *Secunda,* Atque ab æterna. *Tertia,* Et in electorum. *Innocentius tertius de Miſſæ myſt. libro tertio capite undecimo. Durandus ut ſupra. Antoninus titulo duodecimo §. 6. Platina & Balaus in vita*

Gre-

Gregorii. Sabellicus Enne. octava libro quinto. Clithoveus.

Sacerdotis gestus in recitatione hujus partis Canonis.

Sacerdos autem recitans hanc Canonis partem, profundè se inclinat. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 15. dicit. Sacerdotem inter sacrificandum non solùm inclinare caput, totumque corpus & incurvare genua Deo, sed etiam cruci, aut imagini crucifixi, & ipsi etiá altari, idque non semel, sed sæpius; eamque ceremoniam antiquissimam esse ait. *Responsio; capitis inclinationem, corporis incurvationem: & genuflexionem in sacrificiis, atque etiam in Eucharistia antiquissimam esse ceremoniam concedo: honorem autem, qui his corporis gestibus cruci, vel imagini crucifixi, & altari exhibetur, Ethnicum & idololatricum esse affirmo. Nec potest se Iesuita vulgari excusatione iconolatrarum tueri, hunc honorem non fieri signo, sed ei qui isto signo repræsentatur: nam expressè dixit,* Sacerdotem non solùm caput inclinare Deo, sed etiam cruci, &c. *Deinde hæc ipsa excusatio nihil valet: nam ea quoque usi sunt Ethnici ad defendendam suam idololatriam, ut est videre apud Augustinum super Psalm. 113. à quo etiam irridetur & refutatur.* Videntur, *inquit,* sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt: Nec simulachrum nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo. Itaque Apostoli una sententia, pœnam istorum damnationemq; testatur. Qui transmutaverunt, *inquit,* veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Nam priori parte hujus sententiæ simulachra damnavit, posteriori autem interpretationes simulachrorum. Effigies enim à fabro factas appellando nominibus earum rerum, quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium. Res autem ipsas pro Diis habendo & venerando, serviunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Quis autem adorat vel orat intuens simulachrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari, quod desiderat, speret? Contra hunc affectum quo humana & carnalis infirmitas facilè capi potest, cantat Scriptura Dei: Simulachra, inquit, Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Quum ergo Bellarminus dicit inclinationem capitis, incurvationem corporis & genuflexionem non tantùm Deo, sed etiam cruci, vel imagini crucifixi, & ipsi quoque altari fieri debere, nonne hac superstitione Gentilissimum introducere iconolatra videtur? Defendit, certè hac ratione, non oppugnat Paganismum, dum imagines corporales eodem honore quo Deum afficere jubet.

Canonis Quinta Pars.

IN hac quinta parte juxta aliquos tertia pars Missæ incipit, quæ extenditur usque ad communionem, & vocatur ab ipsis Canon major, *Sacerdos enim hic accedit ad Dominici corporis & sanguinis Christi consecrationem, ac dicit:* Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris (*hæc dicens, Sacerdos facit tres cruces communiter super hostiam & calicem:*) ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei nostri Iesu Christi. *Hæc dicens, duas cruces imprimit sigillatim, unam super hostiam, & alteram super calicem. Innocentius tertius de Missæ myst. lib. 3. capite 12. & Durandus in Ration. libro 4. cap. 40.*

Apud Ambrosium hæc verba non extant, Ut nobis fiat corpus & sanguis Christi: *sed eorum loco hæc posita leguntur:* Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: qui pridie quàm pateretur, &c. *libro quarto de Sacram. capite quinto. Quibus docere voluit, rationalis hujus cultus, qui in hoc mysterio peragitur, oblationem, ut in memoriam pro nobis oblati, ita quoque in figura corporis & sanguinis celebrari. Quum enim oblationem, de qua Latinus Canon loquitur, figuram corporis & sanguinis Christi vocat Ambrosius, & hanc adscriptam, rationabilem & acceptabilem in hoc mystico Ecclesiæ sacrificio fieri & haberi petit: non potest hæc oblatio de ipso Filio Dei intelligi.*

Inde ductis leviter digitis super patla, arripit sacram hostiam, & sequentia verba mussitat.

Canonis Sexta Pars.

QUi pridiè quàm pateretur, accepit panem in sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, & benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes. HOC EST ENIM CORPVS MEVM.

Auctor hujus partis.

Hæc verba Canoni adiecisse dicitur Alexander I. Papa circa annos Christi 115. ut testatur Durand. l. 4. c. 41. Antoninus tit. 7. c. 5. Platina in vita Alexandri & Bergomensis l. 8. Quum verò sub Adriano Imp. aquè atque Iustinus, hic Alexander vixerit, mirum valde est, quòd vel horum verborum; vel decreti Alexandrini Iustinus in descriptione ritus Cœnæ Dominicæ

mentionem nullam faciat. Et ſi maximè verum ſit, quod dicunt iſti de Alexandro, nihil tamen inde ſequitur aliud, quàm quòd corruperit verba Evangeliſtarum, apud quos non leguntur iſta: Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem: *ſed humana eſt additio.*

Quæ ſint hæc verba recitentur à Sacerdote.

Sacra autem hæc verba, quaſi aſchmate laborans Sacerdos, & tanquam magna cum anhelitus difficultate, ex imo gutture trahens ſuſpiria: anhelus expirat & efflat: ſimulque hoſtiam cruce conſignat, ut virtute crucis & verborum iſtorum fiat tranſubſtantiatio naturarum: hoc eſt, converſio ſeu mutatio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis humani: ac proinde Benedixit *idem illis eſt in verbis Evangeliſtarum, atque digitis cruces notavit.*

Elevatio hoſtiæ.

Poſt hanc hoſtiæ apotheoſin, Sacerdos ipſam primus pro vero Chriſto ſupplex & venerabundus, mediocriter incurvatus corpore adorat: deinde magna cum reverentia ac veneratione, ſupra caput utraque manu ſtrictis pollicibus & indicibus, ſublatam illam ipſam averſus ſpectandam retrorſum adorandamque, tanquam numen cœlo devocatum ſpectatoribus proponit.

Squillæ pulſus & hoſtiæ adoratio.

Ad elevationem autem Squillæ, ſeu campanula pulſatur, ex inſtitutione Gregorij 9. circa annos Chriſti 1237. *ut populus ſonitu iſto moneatur præſentem jam Deum cum devotione adorare. Interdum ob eandem cauſam in hoc actu omnis generis inſtrumenta muſica, Organa & alia perſonant. Quæ ſcilicet etiam à Chriſto, vel Apoſtolis in Cœna celebratione uſurpata ſunt. Quibus undique perſtrepentibus, & Squillæ præſertim ſonitu ſigno dato, advocatis ſic omnibus ad cultum adorationemque Dei, ſeu hoſtiæ deificatæ, dictu mirum eſt qua ſe religione ad huius Dei panacei adventum ſe comparent, quàm obſtupeſcant omnes, quaſi fulmine aut ſydere aliquo tacti, quanta cum devotione in genua procumbant, & brachia, manuſque diſtendant: miraculi magnitudine ſcilicet & majeſtate perculſi: in quo tamen, præter ſacrificuli geſticulationes, nihil conſpicitur majore dignum admiratione, quàm quod conſpiciebatur ante. Sed hic ſibi vim facere ſpectatores neceſſe eſt, ut ſibi adeſſe id perſuadeant, quod in terris nuſquam eſt, quodque vetus nulla Philoſophia, niſi hæc Papiſtarum nova ſophiſtice, recipere poteſt: ſed nec in ſacris Literis traditum eſt unquam, corpus inveniri humanum, omnibus exutum corporis humani proprietatibus, dimenſionibus, qualitatibus, atque accidentibus omnibus, quæ ipſi propria ſunt, quodque nullam prorſum retineat humani corporis naturam, corpus tamen hominis verè exiſtat. Quod perinde valet, ac ſi dicas, corpus ſine corpore, & (ut ipſi loquuntur) accidentia ſine ſubjecto conſiſtere. Nam panis & vini, quorum ſubſtantiam evaneſcere dicunt, retinentur accidentia. Quod ſane miraculum inauditum effecit, ut pro eo quod Papiſtarum vulgus dicit,* Eamus ad Miſſam: *quidam noſtra ætate dicere cœperint,* Eamus ad communem errorem, *hoc eſt, ad accidentia ſine ſubjecto.*

Adoratam verò hoſtiam in locum ſuum reponit Sacerdos, & à tergo ejus lumina, in quibuſdam etiam locis faces ac tedæ accenduntur.

Ob eandem etiam cauſam, quam ſuprà memoravimus, campanula pulſatur, dum Euchariſtia ad ægrotum defertur. Mula quoque capellam Papæ portans, Squillam fert. Durandus libr. quarto cap. 41.

Fiunt hæc prorſus ad Iudæorum ac Ethnicorum imitationem, ipſo quoque Durando teſte libro quarto capite decimo quarto. Levitæ enim in Veteri Teſtamento tempore ſacrificii tubis clangebant argenteis. Et Ethnicorum Sacerdotes cymbalis ac timpanis utebantur.

Canonis Septima Pars.

SImili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDITVR IN REMISSIONEM PECCATORVM. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Sacerdotis geſtus in hac parte Canonis.

In contrectando calice, dum hæc verba muſitantur, paulò ſunt Sacrificuli operoſiores, quàm in hoſtiæ contrectatione. Nam primùm operum calicem linteolo ambabus Sacerdos apprehendit manibus, interjectaque operoſis geſticulationibus, calicem, modò paululùm ex ara ſenſim attollit, modò demittit, modò cruce conſignat: mox iterum aliquantiſper attollit demiſſius: ac paulò poſt ad muſſitationem verborum iſtorum, Qui pro vobis & multis effunditur, *in ſublime eum elevat, ut ab omnibus conſpici, ſalutari & adorari poſſit. Non tamen elevationis hujus una & eadem omnium eſt conſuetudo. Quæritur enim utrum tectus an retectus calix elevari debeat. In quibuſdam Eccleſiis tectus corporali palla elevatur, in quibuſdam retectus abſque velamine, ut Durandus indicat in Ration. libro quarto capite quadrageſimo ſecundo.*

Elevatio calicis.

Interea quoque miniſtri ſublata Caſula Sacerdotij fimbria & cauda, averſo ſacrificulo, accenſis facibus lumen à tergo præbent. Tum videas cujusque tundi pectora palmis: manus, oculos,

Caſulæ Sacerdotis elevatio.

oculos q. in cœlum attolli: audiæ confusos labiorum strepitus & sibiles anserinos præsertim mulierculorum, omnibus tanquam enthusiasmo in ecstasim arreptis & conversis. Ac denique eodem ritu in aram reponit calicem, quo antea sacram hostiam.

Prima institutio Christi in hac parte depravata.

Porrò in præcedenti sexta & hac septima Canonis parte, Primò, *omittuntur illa Christi verba*, QVOD pro vobis traditur, vel frangitur: *quibus tamen verbis sumentium fides validissimè erigitur & confirmatur, atq. adeò verum Sacramenti usum, qui in fide consistit, obscurant & enervant.*

Secundò, *quatuor commemorantur in his duabus partibus, quæ nullus Evangelistarum habet, proindeq. ex humana præsumptione verbis Christi & Evangelistarum adiecta esse videntur. Primum est*, Elevatis oculis in cœlum ad te Deum omnipotentem Patrem suum. *Secundum vocula* ENIM: Hoc est ENIM corpus meum. *Tertium*, Æterni Testamenti. *Quartum*, Mysterium fidei. *Quis ergo tantæ præsumptionis exstitit, & audaciæ, ut hæc de corde suo tentaverit interponere? Respondet Innocentius tertius libro quarto de Missæ myst. capite quinto.* Hanc verborum formam accepisse ab ipso Christo Apostolos, & ab Apostolis accepisse Ecclesiam. *Ita quidem ille: sed quod tam confidenter affirmat, nulla authoritate probat.*

Canonis Octaua Pars.

VNde & memores nos Domine serui tui, sed & plebs tua sancta, Christi Filij tui Domini Dei nostri, tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis offerimus præclaræ Maiestati tuæ, de tuis donis ac datis: Hostiam puram: Hostiam sanctam: Hostiam immaculatam, panem sanctum uitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.

Sacerdotis gestus in hac parte.

Sacerdos, quum demurmurat hæc verba: Tam beatæ passionis: *manus in modum crucis extendit: ut habitu corporis, manuum Christi extensionem in cruce repræsentet: quod tamen alij faciunt, quando dicunt.* Hanc igitur Oblationem. *Dicens autem*, Nec non ab inferis *illas ad se reducens, parum erigit eas. Et dicens*, Sed & in cœlos gloriosæ: *eas erigit æqualiter usq. ad humeros. Durandus in Ration. lib. quarto cap. 43.*

Ad illa verò verba: Hostiam sanctam: &c. *quinarium crucis signum imprimit super hostiam & calicem: ad memoriam quinque plagarum seu vulnerum Christo in cruce inflictorum: videlicet duorum in manibus, totidem in pedibus, & unius in latere. Innocentio 3. testè lib. 5. de Missæ myst. cap. 1.*

Canonis Nona Pars.

SVpra quæ propitio ac sereno uultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, quod tibi obtulit summus Sacerdos noster Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, *Hæc quatuor postrema verba Leo primus Papa adiecisse dicitur, ut refert Durandus in Rationali libro quarto capite quadragesimo tertio, & Antoninus titulo undecimo capite primo §. quarto.*

Canonis Decima Pars.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ Maiestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Gestus sacrificuli in hac parte.

Sacerdos hæc verba murmurãs, Ex hac altaris participatione: *Osculatur semel altare: quandoque nonnulli ter: Durandus in Rational. libro quarto cap. 44. & Innocentius 3. lib. quinto de Missæ myst. cap. 5. Similiter facit tres cruces: primam & secundam distinctè super oblatam & calicem, dicendo:* Sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem: *tertiam signando seipsum in faciem, cum dicit:* Omni benedictione cœlesti, &c. *propter sudorem corporis Christi crucem imprimit super corpus: & propter guttas sanguinis crucem imprimit super calicem: & quia procidit in faciem Dominus, imprimit sibi crucem in facie Sacerdos. Alij dicunt, per duas cruces priores, designari vincula & flagella, quibus ligatum est corpus & illisus sanguis Christi. Per tertiam verò crucem recoli illud, quòd exspuebant in faciem eius, & palmas in faciem ei dabant, &c. Innocentius & Durandus ut supra.*

Canonis Vndecima Pars.

MEmento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis, ut indulgeas de-

precamur, per eundem Christum Dominum nostrum.

Orationes pro defunctis.

In prima & secunda parte Canonis orant pro viuis, in hac pro mortuis. Instituit hoc Pelagius primus circa annos Domini 555. Et specioris seu illusionibus Satanicis adductus approbavit Gregorius M. decreto publico, quo sic omnis dubitandi hac de re simplicioribus adimeretur occasio. Paulò post Gregorius 3. ad Bonifacium, Germanorum Apostolum, scripsit, author sit suis Germanis, ut pro mortuis suis, verè Christianis, oblationes offerant, atque Sacerdotes eorum mentionem faciant. *Factum circa annos Christi 740. Et in Synodo Bracarensi ca. 34. statuitur*, si qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo sibipsis violentam inferant mortem, ut nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat. *Idem quoq; statuitur ibidem de his etiam, qui propter sua scelera puniuntur.*

Hæc pars Canonis in vetustissimis exemplaribus non habetur.

Refert autem P. Viretus libro quinto capite 48. de adulterata Cœna Domini, quòd in vetustissimis quibusdam Romanis Missalibus manuscriptis, hæc mortuorum commemorationis formula nusquam extet. Ex quo colligi potest eam in Missa aliquando ignotam posteà ei adiectam fuisse. Et probatur ex Augustino, qui dicit, conclusionem Canonis fuisse orationem Dominicam: orationes, *ait*, intelligimus, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia oratione Dominica concludit: *Epist. 59. ad Paulinum. Confirmatur hoc etiam cap. 39. Cabilonensis Syn. 2. iussu Caroli M. convocatæ anno Christi 813. in qua sancitum fuit*, ut in Missarum solennibus pro defunctorum spiritibus, loco competenti oretur. *Quod evidentissimum signum est, in Canone Missatico non semper neq; ubiq; memoriam defunctorum celebratam fuisse. Durandus etiam lib. 4. Rationalis dicit, in hac parte Canonis Coniunctionem* ETIAM, *non rectè sequentia proximè præcedentibus continuare. Dicit igitur, in antiquis codicibus præcedere quandam orationem, qua Sacerdos pro se sic orat*: Memento mei quæso Domine, &c. *& eo tempore ritè annexam fuisse hanc orationem*: Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum: *sed quia præcedens oratio hodie non dicatur, etiam hanc superfluam esse: non secus atq; si omissa hac pro mortuis oratione, statim Sacerdos dicat*: Nobis quoque peccatoribus, &c. *Vt tamen aliquam harmoniam ostendat Durandus, dicit hanc coniunctionem* ETIAM, *respicere aliud Memento quod præcessit, in quo orat Sacerdos pro viuis, ut hic pro mortuis. Coniunctiones autem proximæ, non admodum remota coniungere debent. Primum verò* Memento *est in secunda parte Canonis: secundum in undecima. Deinde, si postremum hoc Memento respicit primum, dicitur ante, non post consecrationem.*

Canonis Duodecima Pars.

NObis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte: per Christum Dominum nostrum.

Gestus Sacerdotis in hac parte.

Cùm ad hac verba ventum est, Nobis quoque peccatoribus. *Sacerdos paululum expressa voce percusso pectore silentium interrumpit: repræsentans contritionem & confessionem latronis, in illo passionis dominicæ articulo increpantis alterum, teste Innocentio 3. de Missæ myst. lib. 5. cap. 12. & Durando in Ration. lib. 4. cap. 46. Et rectè quidem Sacerdos personam latronis agit: nam* qui non intrat per ostium, quod Christus est, fur & latro est: *Ioan. 10. in hoc solùm est differentia, quòd latro in cruce pœnitentiam egit, hic verò in Missa nulla ducitus pœnitudine Christum irridet & subsannat. Alij dicunt, per exaltationem vocis & percussionem pectoris, illud repræsentari, quòd Centurio & qui cum eo erant, visis miraculis, timuerunt valde, & omnis turba, quæ simul aderat, percutientes pectora sua, reuertebantur. Innocentius ibidem.*

Intelligitur quoq; ex hac parte, Canonem post annos demum 306. à Christo nato compositum esse: nam Agnes, cuius hic fit mentio, post hac tempora martyrio coronata est.

Canonis Decima Tertia Pars.

PEr quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, uiuificas, benedicis, & præstas nobis: per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. Per omnia secula seculorum. Amen.

Gestus Sacerdotis in hac parte Canonis.

Hac dicendo, Sacerdos super mensam altaris manus extendit: quia & Christus super aram crucis manus expandit. Innocentius de Missæ myst. lib. 5. cap. 10. At quia Sacerdoti manuum opera ad gesticulandum necessaria est, idcirco ei liberæ ac solutæ, nullis ut Christo clauis

cluùs confixæ, relinquuntur.

Deinde ad verba illa, Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo, &c. *tres facit cruces cum hoſtia ſuper calicem, propter tres cruciatus quos Chriſtus in Paſſione ſuſtinuit. Et rurſus duas in latere calicis, propter aquam & ſanguinem, quæ de latere fluxerunt. Innocentius ibi.*

Sacrificium Miſſæ ſæpius crucis ſignatur.

Sacrificium igitur Miſſaticum ſeptem vicibus cruce ſignatur in Canone. Prima *vice ter, ubi dicit:* Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata: *propter ternam Chriſti traditionem, quæ facta eſt à Deo, à Iuda, & à Iudæo.* Secunda *vice quinquies, ubi dicitur:* Quam oblationem tu Deus digneris facere benedictam, adſcriptam; ratam; ut fiat corpus & ſanguis: *propter quinq; perſonas; venditoris, venditi, & emptorum, videlicet Sacerdotum & Scribarum, & Phariſæorum.* Tertia *vice bis, ubi dicitur:* Accipiens panem, benedixit ac fregit, ſimiliter & hunc præclarum calicem, item tibi gratias agens benedixit: *propter benedictionem panis, qui tranſubſtantiatur in carnem, & vini quod tranſubſtantiatur in ſanguinem.* Quarta *vice quinquies, ubi dicitur:* Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam; panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ: *propter quinq; diuerſas plagas, duas manuum, totidemq; pedum, & unam lateris.* Quinta *vice bis, ubi dicitur:* Sacroſanctum Filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus: *propter vincula, quibus ligatum eſt corpus, & flagella quibus alliſus eſt ſanguis.* Sexta *vice ter, ubi dicitur:* Sanctificas, vìuificas & benedicis: *propter crucifixionem, quæ facta eſt hora tertia linguis Iudæorum, ter damnantium, Crucifige eum.* Septima *vice quinquies, ubi dicitur:* Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti *in unitate Spiritus ſancti. Ter ſuper calicem, propter tres cruciatus, quos Chriſtus ſuſtinuit, paſſionis, propaſſionis, & compaſſionis. Et bis in latere calicis, propter aquam & ſanguinem, quæ de latere Chriſti fluxerunt. Inter has ſeptem vices ſacrificium ſignatur vicibus duabus bis, & duabus vicibus ter, & duabus vicibus quinquies, ſeptima bis & ter, ſimul omnibus quinquies quinque, quæ ſunt ſimul viginti quinque: qui numerus per ſe ductus ſemper in ſeipſum reducitur ſi ducatur in infinitum. Quorſum autem hæc tam curioſa & ſollicita ſupputatio? Vt nimirum arithmeticæ artis præſidio, Miſſæ ſacrificium, quamlibet millies millies repetitum ac multiplicatum, vnicum tamen ac idem ſemper manere probetur: atq; item Panacei Chriſti, quamuis innumerabiles cælo indies deducti oſtententur, ac in ſuis adytis abditi & concluſi deliteſcant, pro unico tamen atq; eodem habeantur: ut eſt videre apud Innocentium lib. 5. cap. 10. & Durandum lib. 4. cap. 46. in explicatione hujus partis Canonis. Quis igitur amplius de hac Pythagorica Theologia dubitare auſit, ab arithmeticis iſtis tam clarè tamque perſpicuè mathematicis demonſtrationibus comprobata & confirmata?*

Hanc autem frequentiſſimam repetitionem Crucis his verbis improbat Thomas, Pontificiorum Deus, qu. 83. art. 5. in argumento 3. Ea, *inquit*, quæ in ſacramentis Eccleſiæ aguntur, non ſunt iteranda. Inconuenienter igitur Sacerdos multoties iterat Cruceſignationes ſuper hoc ſacramentum.

Poſt hæc remouet Sacerdos corporale ab ore calicis: quia velum templi ſciſſum eſt: inde hoſtiam tenet ſuper calice, quem cum hoſtia paululum utraq; manu attollit ſacrificulus, & cum eo, ſi adeſt, Diaconus; demurmurans interea ſacra verba: quia venit Ioſeph Arimatheenſis & Nicodemus, & impetratum à Pilato corpus Ieſu ſepelierunt. Et quia aduoluerunt ſaxum magnum ad oſtium monumenti, Diaconus ſuper os calicis corporale reponit. Ergo corporale in eodem momento, & veli & ſaxi figura eſt. His peractis, Diaconus oſculatur primò menſam altaris: deinde armum Pontificis, aut ſacerdotis dexteram: mox ab eo retrogreditur; mulieres referens à monumento diſcedentes. Innocentius ibi.

Quia verò Ieſus clamans voce magna, tradidit ſpiritum, attollit Sacerdos vocem, dicendo, Per omnia ſecula ſeculorum. *Et ad repræſentandas mulieres flentes, Chorus quaſi lamentando reſpondet,* Amen. *Hinc intelligis, quòd inimicas ſeu hiſtrionicas geſticulationes nobis venditent ſacrificuli, pro vera mortis Chriſti commemoratione, & nobis per eam partæ ſalutis, An non hoc eſt cum ratione inſanire?*

Oblatio & benedictio nouarũ frugum.

Denique in hac parte offeruntur & benedicuntur in ara nouæ fruges, ſpicæ, vuæ, faba, oleum, & ſimilia: quæ conſecrari permiſſa ſunt in Canone, quem vocant Apoſtolorum, ex Eutychiani inſtitutione, de qua ſupra diximus. Burkardus lib. 5. cap. offert. & Durandus lib. 4. Rat. cap. 46.

Tertia Pars Miſſæ.

SEcundum aliquos tertia pars *Miſſæ, quæ dicitur* Poſtulationes, *hic incipit:* Oremus, Præceptis ſalutaribus, &c. *& extenditur uſq; ad* Collectas. *Et quamuis Auguſtinus epiſtola 59. ad Paulinum: itemq; Innocentius 3. aliique recentiores, includant etiam intra Canonem Orationem Dominicam: tamen Gregorius*

M lib.

M.lib.7.epistola 63.Vualafridus c.22.Bellarminus lib.2. de Missa c.27. scribunt, Orationem Dominicam legi post Canonem.

Quinque clausulæ huius partis.

Continet autem pars hæc tertia quinque clausulas, Prima est Præfatio: Oremus, præceptis salutaribus, &c. *Secunda*, Pater noster. *Tertia*, Libera nos quæsumus Domine, *Quarta*, Pax Domini. *Quinta*, Fiat communicatio. *Durandi Rationale lib. 4. cap. 47.*

De Prima Clausula.

ORemus: præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere.

De Secunda.

PAter noster, qui es in cœlis. Sanctificetur Nomen tuum, Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Clausulæ secretæ clausularum in Canone.

Gregorius M. primam hanc & secundam clausulam post Canonem super hostiam alta voce recitari debere censuit: asserens in Registro incongruum esse, ut super Eucharistiam diceretur Oratio, quam Scholasticus composuerat, & illa omitteretur quam Dominus ipse dictauerat. S. Petrus autem in consecratione tantum Orationē Dominica usus est, & paucis quibusdam preculis.

Recitans verò Sacerdos Orationem Dominicam, iterum extendit & sursum eleuat manus. Et in quibusdam Ecclesijs inter recitandum, & dum benedictionem solennem dat, manus eius à Diaconis sustentantur. Durand. Ration. lib.4. cap.47.

Cumq; in nonnullis locis post dictam Orationem Dominicam statim communicassent Sacerdotes, id vetuit fieri Toletana Synodus 4. cap. 17. & præcepit, ut post Orationem illam benedictio in populum sequatur, & tum demum Eucharistia sumatur, hoc ordine & modo, ut Sacerdotes & Leuitæ ante altare communicent in choro, extra chorum populus.

De Tertia.

LIbera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea cum omnibus sanctis; da propitius Pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccatis simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum uiuit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti. Per omnia secula seculorum. Amen.

Secundùm aliquos tertia pars Missæ incipit ad hanc precatiunculam, quæ aliam rursum continet Sanctorum commemorationem, impiamq; eorum invocationem. Nominant autem hanc preculam Emboliſmum, hoc est, ut illi, interpretantur, Superexcrescentiam: *quasi dicas, adiectionem siue additamentum, quod sit velut repetitio quædam præcedentium, & expositio eius, quod in oratione Dominica petitum fuit*, Libera nos à malo: *quod Chorus succinere solet, tanquam* Κομμάτιον, *seu incisum, quo Dominicam precationem, à Sacerdote recitatam, claudit & absoluit, & quasi aditum parat ad hanc preculam. Vel dicitur* Superexcrescentia, *quia in primitiua Ecclesia multo tempore dicta non fuit, ut ingenuè fatetur Durandus in Rationali l.4.c.47.*

Emboliſmus missæ & super excrescentia.

Præterea hæc precatiuncula secretò & sub silentio dicitur, non aliter quàm sacer Canon. Repræsentat autem hoc silentium, ex Pontificiorum sententia, Christi sepulturam, & eiusdem in sepulchro quietis mysterium, & mulierum die sabbatho quiescentium, quæ eum sequutæ fuerant. Innocentius l.5. de Missæ myst.c.29. & Durandus in Rationali l.4.c.47.

Hæc pars cum silentio dicitur, & cur.

Adhæc, finito hoc embolismo in die Cœnæ Domini sacrum oleum & sacrum Chrisma consecratur. Durandus ibi.

Chrismatis consecratio.

De resumptione Patinæ.

Post passionis repræsentationem, ad resurrectionis gaudium peruenturus, ut inquit Innocentius. Subdiaconus igitur, interea dum Chorus illud, Sed libera nos à malo *ad Orationem Dominicam accinit, ad Diaconum accedens, patinam illi tradit linteolis inuolutam, quam Diaconus acceptam & explicatam, spectandam deinde offert, traditq; Sacerdoti, osculando manum illius dexteram, aut dexterum humerum. Sacerdos verò eius circumductione, descripto crucis signo, ac eodem sibi os obsignato, eandem ipse quoque osculatur, atque ipsum denique calicem. His verò ceremonijs, seu verius gesticulationibus scenicis repræsentatur, primùm mulierum accessus ad sepulchrum. Deinde reuoluta à Christi corpore lintea, & Mosis ad regiam Pharaonis ductus, fiscella in qua expositus fuerat aperta & explicata. Mox sequitur saxi monumento impositi per Principes Sacerdotum*

obsi-

obſignatio, cum adhibitis cæſtodibus. His accedunt Chriſti rediuiui occurſus & ſalutationes, quibus quærentes ſe mulieres excepit: & earundem adorationes, & eius pedum oſcula: in cuius rei memoriam Sacerdos pedem calicis oſculatur: & Subdiaconus mappulam, quæ patinæ impoſita fuerat, plicatam, non ſuper pallam altaris, ſed alibi deponit. Innocentius lib.6. de Miſſæ myſt.c.1. & Durandus in Rat.lib.4.c.50. An non ſunt hæc inſana deliria, cum magna in Chriſtum contumelia coniuncta, ac omnium execratione digna?

De fractione Hoſtiæ.

Finita oratione, Libera nos quæſumus *& accepta patina, eandem deinde ſupponit ſacræ hoſtiæ, calicique; amoto detecto operculo, hoſtiam inſuper ad os calicis leuatam, mediam tandem in duo fruſta frangit, dicens*: Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. *Horum autem alterum, quod ſiniſtra manu tenet, aut quod dextra, ut alij volunt: non enim per omnia omnes Eccleſiæ eundem ritum ſequuntur, in patinam reponit, dicendo:* Qui uiuit tecum & regnat: *alterum verò, rurſum in duo alia fruſta per medium frangit: quorum denuò fruſtulorum, quòd in ſiniſtra manu remanſit, coniungit fruſtulo priùs in patinam poſito, dicendo:* In unitate Spiritus ſancti. *Alteram verò particulam in dextra manu remanentem, hoc eſt, tertium fruſtulum, tenet ſuper os calicis, cum duobus digitis, pollice & indice, eamq; paululum cum calice eleuat alta voce dicens*: Per omnia ſecula ſeculorum. *Ea deinde ter in crucis formam circumacta, calicem obſignat, ac denique demurmuratis preculis, ad hanc rem pertinentibus, conuerſus ad populum, pacemq; ei precatus, dicendo*, Pax Domini ſit ſemper uobiſcum: *tertiam illam partem alia ſimul ſacra verba demurmurans, in calicem immergit, & cum uino permiſcet, dicens:* Fiat coniunctio (uel commixtio) & conſecratio corporis & ſanguinis, &c. *& continuò calix cum palla corporali operitur. Durandus in Rationali lib.4.c.51.*

Non tamen omnes uno eodemq; tempore fractæ hoſtiæ fruſtulum in calicem immittunt. Ab aliquibus hoc fit, quum dicunt, Pax Domini: *ab aliquibus*: dicto etiam prius, Agnus Dei: *ab aliquibus, quum dicunt*, Da nobis pacem. *Durandus ibidem.*

Benedictio ſacerdotalis.

Et quamuis hoc loco ſolennis Epiſcopalis benedictio detur, quum alta voce dicitur: Pax Domini *nihilominus quidam in fine Miſſæ iterum ſolenniter benedicunt. In Miſſa verò pro defunctis Pontifex ſolenniter non benedicit. Dum autem Epiſcopus ſe ad populum ſolenniter benedicendum conuertit, populus reuerenter genu flectit. Quidam aſſerunt, hoc officium non eſſe de ſeptem Officijs Miſſæ, quòd has benedictiones Romana non inuenerit Eccleſia: unde neq; utitur eis ideoque non hic, ſed in fine Miſſæ benedicit. Durandus ibi.*

De Agnus Dei.

Poſtea inclinatus Sacerdos mediocriter, poſtis ſuper ara manibus, ter repetit precatiunculam compoſitam, partim ex Ioannis uaticinio, de Chriſto Seruatore, quod detorquent ad ſuam hoſtiam: partim ex ſuis ipſorum additamentis. Clamat enim Sacerdos ad ſuperiora ter, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, *Quæ impia non eſſent, ſi ad Chriſtum Dominum tantùm referrentur, & ſi nullas ſuperſtitioſas preculas, pro mortuorum ſalute, admiſciſſent. Nam in Miſſa pro defunctis hîc tantùm dicitur*, Agnus Dei, *cum*: Dona eis requiem ſempiternam. *Durandi Rationale lib.4.c.52.*

In tertia quoq; repetitione in communibus Miſſis ad Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *pro* Miſerere nobis, *additur*, Da nobis pacem. *Hoc additum aiunt priſcæ & ueteri formulæ, quæ etiamnum retinetur in Lateranenſi Eccleſia Romæ, & in ſchola Cantorum, in quibus nulla fit Pacis mentio.*

Auctor huius uiui.

Illius autem ueteris formulæ Sergius 1. Papa author fuiſſe dicitur: ſunt tamen qui hoc ad Sergium 2. referant, Os porci *ante Papatum nominatum: cui poſteri illud aſſumentum addiderunt. Canitur autem à Choro, ad deſignandam poteſtatem remittendorum peccatorum à Chriſto Apoſtolis traditam. Author verò Expoſitionis Ordinis Romani teſtatur, propter officium confractionis Domini, conſtitutum eſſe à Papa Sergio, ut Agnus Dei decantaretur, dum ipſum corpus Dominicum ex fidelium oblationibus ab Epiſcopis, Presbyteris, uel Diaconis confringeretur.*

Poſt Agnus Dei, *ſequentes Orationes à Sacerdote demurmurantur.* Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ. Eamque ſecundùm uoluntatem tuam pacificare & coadunare digneris, Qui uiuis & regnas cum Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.

Habete uinculum pacis, & charitatis, ut apti ſitis ſacroſanctis myſterijs Chriſti. Domine Ieſu Chriſte Fili Dei uiui, qui ex uoluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum uiuificaſti,

Libera

Libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & universis malis. Et fac me tuis semper obedire mandatis: & à te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus sancti vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Perceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod indignus sumere propono, non mihi proveniat in iudicium & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur anima mea.

Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

Quid tribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

Hæ Orationes non extant in antiquis Missalibus, neque etiam in Ordine Romano, ut Micrologus testatur cap. 18. *sed eas devotio religiosorum quorundam invexit, seu potius superstitio.*

De Osculo Pacis.

Sacerdos facta commistione, & finita oratione, accipit in quibusdam Ecclesijs ab Eucharistia Pacem: *hoc est, vel ab ipso corpore Domini, vel à calice, vel ab altari: mox præbet osculum Diacono. Diaconus verò dat* Pacem *alijs, & alij inter se. Diaconus autem* Pacem *à Sacerdote accipiens, reverenter se inclinat, & pectus osculatur eius, ac Planetam extendit. Innocentius lib.6.c.5. & Durandus in Rationali lib.4.c.53.*

Episcopus solenniter celebrans, iuxta quarundam Ecclesiarum morem, ter osculatur, primò ministrum, deinde diaconum, tertiò Sacerdotem. Osculatur etiam Episcopus hiscodicem: ibidem. In Missa tamen pro defunctis, atque etiam inter Monachos Pacis *osculum non datur: ibidem. Et rectè: Mortui enim pace non egent ab hominibus oblata, quum illa iam abunde perfruantur, si vera fide ex hac vita emigrarunt. Quum autem Monachi mundo habeantur mortui, eandem cum istis sequuntur hac in parte rationem.*

Institutisse hoc dicitur Innocentius 1. *Papa circa annum Christi* 410. *ut est videre apud Innocentium tertium libro sexto, capite quinto, de Missæ myst. Antoninum tit.* 9. *c.*12. *Platinam in vita Sixti, Vrspergensem, Balaum & alios. Sed is, siquidem eius sit Decretalis epistola in qua hoc legitur, non tam ritum hunc institutisse, quàm reformasse videtur. Sunt alij qui dicunt, Innocentium* 1. *Osculum pacis sacerdotibus tantùm dari mandasse: & Leonem* 2. *Papam, ut & laicis quoq; daretur constituisse. Sed neque hoc ex verbis eius colligi potest, quæ sic habent*: Pacem asseris ante confecta mysteria quosdam populis impertiri, vel sibi inter se Sacerdotes tradere: quum post omnia Pax sit necessariò indicenda: per quam constet populum ad omnia, quæ in mysterijs aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur. *De Consec. dist.* 2. *c. Pacem igitur. Voluit igitur Innocentius* Pacis *osculum dandum non ante consecrationem in Eucharistia, sed post eam, idq; tam inter sacerdotes, quàm laicos, ad testandum consensum: quod postea Leo* 2. *neglectum vel restituit, vel confirmavit.* Author huius ritus.

Retentus est autem hic Ritus ex Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ consuetudine, qua Christiani, ut satis constat, mutuis osculis mutuam charitatem, animorumq; in eadem religione consensum, contestati sunt. Hinc dicitur osculum sanctum, 1. *Corinth.*16. *&* 13. 1. *Thessal.*5. Osculum charitatis, 1. *Petri* 5. *quia eius fuit symbolum. Hic mos diu in Ecclesia primitivæ duravit, atq; inde etiam factum est, ut tempore Cœnæ Dominicæ, præsentes sibi osculamutuæ dederint. Quod enim in actione profitebantur, id hac actione confirmare volebant, consensum scilicet & charitatem: de quo vide Tertullianum in Apologetico, & Iustinum Apologia* 2. *ubi elegantissimus de hoc osculo extat locus. Inter cætera inquit*: ἀλλήλους φιλήματι ἀσπάζόμεθα, παυσάμενοι γὰρ εὐχῶν. *Augustinus quoq; in libello de Anima c.* 6. *idem testatur: quo in loco Osculi usum legitimum, his verbis eleganter exprimit.* Corporale, *inquit*, osculum impressione labiorum, certis & honestis horis conoeditur, ut in reconciliatione, in pacis contestatione, communione Cœnæ, amoris professione, ut inter sponsum & sponsam, cùm advena & hospes susçipitur, & in catholicæ unionis signo. *Ambrosius in cap. ultimum* 2. *epist. ad Corinth.* Sunt, *ait*, quædam oscula spiritualia, non carnalia, in quibus testimonium synceræ & puræ charitatis apparet, non autem affectus libidinosi indicium est: *Hic autem*

autem mos se invicem osculandi in sacra Synaxi, postea mutatus est in osculationem circumgestatæ imaguncule, crucis, aut aliquarum reliquiarum, quam Pontificale nominant. Sed & mysterium ejus antiquissimum in aliud mutatum legitur. Nam progressu temporis dixerunt, hac ceremonia Pacis, illam salutationem repræsentari, qua Christus statim post resurrectionem, Apostolos salutavit, & Spiritum sanctum quem eos afflando eis impertiit. Durandus ut supra.

Quarta Pars Missæ.

De Communione Sacerdotis.

His omnibus ritè peractis, Sacerdos arrepta hostia ex Patina, ter percusso, magno cum gemitu, pectore, & demurmuratis verbis iis, quæ Missæ addidisse religiosos quosdam, paulo antè memoravimus, eam, prius tamen in crucis modum circumductam, comedit ac deglutit. Et in quibusdam Ecclesiis Sacerdos utranque particulam hostiæ comedit: in aliquibus verò ipse unam tantùm sumit, & alteram super Patinam dividit in duas partes, easque Diacono & Subdiacono comedendas porrigit. Durandus in Ration. lib. 4. cap. 54.

Deinde calicem, iisdem ferè ceremoniis, arripit ambabus manibus, propter majorem securitatem & reverentiam, eumque exhaurit totum, sed tribus vicibus. In majoribus tamen festis, si Diaconus adsit, ille de altari tollit calicem & porrigit Sacerdoti. Sic enim legitur in libro de Septem Ordinibus Ecclesiæ, Hieronymo quidem, sed falsò, inscripto, cap. 5. Sacerdotibus, propter præsumptionem, non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à Diacono. Durandus ibidem.

Pontifex quando communicat alium in communicando morem ac ritum sequitur. Nam, ut refert Innocentius 3. de Missa myst. cap. 7. & 9. non in ara communicat, in qua Hostiam fregit, nec statim post fractionem Hostiæ particulam dimittit in calicem: sed eam post trinum crucis signaculum in Patinam reponit, & posit osculum pacis sedem suam conscendens, ibique consistens, universis cernentibus: partem majorem oblatæ de Patina, quam ei Subdiaconus repræsentat: ipsamque videntibus, dividens, unamque particulam sumens, & aliam mittit in calicem, quem tenet coram ipso Subdiaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo. Deinde particulâ unam cum osculo tradit Diacono, aliam, sine osculo, Subdiacono, quem ad altare ministrans ei calicē osculatur Diaconus. Et tum Subdiaconus particulam dimissam in calicem sumit cum sanguine. Quamvis autem hæc ideo fieri nugantur, ut significetur, quòd Christus legitur apud Emauntem coram discipulis panem fregisse, non autem comedisse: postea verò Hierosolymis coram duodecim Apostolis comedisse, non autem fregisse: Innocentius 3. tamen dicto loco fatetur, se historicam hujus rei causam, non allegoricam audiuisse, sed quam putet potius silentio supprimendam, quàm evulgandam. Fortè aliquid turpe ac pudendum fuit, quod non expediisset evulgare, ne quid derogaretur majestati & sanctitati Romanorum Pontificum. Idem Innocentius & Durandus lib. 4. cap. 54. hoc ipsum præterea fieri dicunt, ut in perceptione corporis & sanguinis Christi nulla possit fallacia subornari, sed in utroque perceptionis veritas evidenter appareat. Nam quum plurimi Romani Pontifices magicis artibus dediti fuerint, forsan hac manifesta communione præcavere voluerunt, ne qua fraus aut magicæ artes in hoc sacrosancto ac tremendo mysterio admitteretur. Vel, quod verosimilius est, hæc se voluerunt cautione ab omni veneni suspicione & periculo liberare, ne ipsis idem contingeret, quod aliis nonnullis Pontificibus & Imperatoribus, qui vel sacra hostia, vel calice veneno infectis, extincti sunt. In funebribus tamen sacris Papa, & in die Parasceves in altari communicat.

Pontificis Rom. cum fratribus in communicando.

In hoc verò Pontificis & Sacerdotis communicandi ritu, illud observandum simul, quòd Clerici tantùm communicant in Missarum celebratione, miser interea populus per totius anni circulum, excepto Paschate, communione privatur, & saltem spectatione pascitur & potatur. Ne tamen penitus plebem jejunam & vacuam dimitterent, Panem sacrum, quem benedictum appellant, diebus Dominicis ei distribuunt aliquibus in locis. In quibusdam etiam Ecclesiis, pro pane Sal apponitur, quem egredientes spectatores digitis contactum lingant. Qui ritus ex veteris Ecclesiæ consuetudine relictus videtur, qua vel omnes, non tam Clerici, quàm Laici, communicare consueverant, quotiescunque Cœna celebraretur: vel saltem Diaconis, Subdiaconis, & reliquis clericis Cœna exhibebatur, si populus deerat, qui sacra mysteria sumere negligeret: quod olim sæpè factum fuisse, supra indicavimus, & hunc seu contemptum, seu negligentiam, Patres frequenter suis auditoribus exprobrant. Nam quia illorum adhuc ætate: inter omnes, quicunque aderant, cuiuscunque essent ordinis homines, Eucharistia distribuebatur: si fortè hæc à plebe negligeretur, quod sæpe usu venire solebat, clericis tamen præsentibus dabatur. Et hujus communicationis imaginem aliquam referre videtur hic Pontificius communicandi ritus.

De panis & jalia in usum plebis ea ne vice consecratis & distributis.

Interim verò dum Sacerdos, vel alius quis Missam celebrat, Panem edit ac vinum bibit, hæc verba pronuntiat cum murmure.

Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

Corpus tuum Domine, quod ſumpſi, & ſanguis, quem potavi adhæreat viſceribus meis: & præſtaut in me non remaneat ſcelerum macula, quem ſancta & pura refecerunt ſacramenta.

Quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum, Amen.

Placeat tibi Sancta Trinitas hoc obſequium ſervitutis meæ: & præſta, ut ſacrificium, quod oculis tuæ Majeſtatis ego indignus obtuli, ſit tibi acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, ſit te miſerante propitiabile. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Diligenter autem cavere oportet Sacerdotes, & reliquos communicantes, ne ſacra Hoſtia, quum ſumitur, inſtar aliorum ciborum, dentibus mandatur, atteratur & comminuatur: ſed primoribus dentibus molliter premenda & retinenda eſt, donec paulatim lingua macerata ac velut liquefacta, in ſalivam reſoluta degluti poſſit, ne qua ejus particula forte dentibus inhæreat, quæ poſtea ſereando expui poſſit: ut Durandus eodem libro & capite indicat. Obliti autem videntur Berengarianæ Palinodiæ, cujus formulam Nicolaus Papa, unà cum 114. Epiſcopis, in Synodo Romæ congregatis, ei præſcripſerunt: ſcilicet, panem & vinum; quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem D. N. Ieſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolùm Sacramentum, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.

De Ablutione Manuum poſt Euchariſtiæ ſumptionem.

Exhauſto calice, miniſter promptiſſimè calici vinum aliud, vel, ut ſit in aliquibus Eccleſijs, aquam infundit, qua primores digiti, quibus contrectavit myſteria, & calix, dentesque & os abluuntur, ne quid forte in his Carnis corporis Chriſti inhæreat, & ſanguinis ejus. Hæc autem ablutio, quam iſti perfuſionem *vocant, iterum Pilati ablutionem repreſentat, qua translato in Iudeos Chriſti mortis crimine, ſe ab ejus culpa liberare voluit, ut Durandus indicat in Ration. lib. 4. cap. 55. Sed hîc non injuria quæri poſſet, in quem ſacrificuli ſuam culpam transferant, qua Chriſtum quotidie in ſuo Miſſæ ſacrificio conſpuunt, illudunt, flagris cadunt, crucifigunt & necant?*

Beleth in ſuo Rationali cap. 119. refert, ſtatutum eſſe in quibuſdam Eccleſijs, & ubique terrarum ſic debere fieri, ut in Paſchatis die panis & vinum in Eccleſia habeatur, & quum homines communicaverint, detur ſtatim unicuique panis buxea (buccea) priuſquam recedant, & paululum vini; ne forte quippiam de Sacramento in ore remanſerit, quod expuendo facile emitti queat. Ac ibidem indicat, hanc conſuetudinem ſumpſiſſe originem ex inſtitutione Benedicti, qui ob eandem cauſam inſtituerit, ut illi, qui alijs fratribus debeant in prandio poſt communionem miniſtrare, aliquid prius comedant: quod prandium mixtum *appellarunt. Hinc etiam in libro Synodali Nemenſenſis Eccleſiæ ſic legitur:* Præcipimus, ut ſacerdotes vinum purum habeant paratum in Eccleſia, quòd ſtatim tribuant populo illud, poſtquam receperunt corpus Chriſti, prohibendo communicantibus, ne à præſentia ipſorum ſacerdotum recedant, donec de vino aliquantulùm biberint, & diligenter abluant ora ſua.

Poſtremò etiam hoc ablutionis vino exhauſto, duabus jam vicibus, calix reſupinandus eſt, quo vacuus eſſe monſtretur, & ſic deſignetur Chriſtus è ſepulchro egreſſus, cujus ſepulchri jam calix ſignum eſt, utque verè dici poſſit, Surrexit, non eſt hîc. *Vbi igitur? in ventre Sacrificuli: non quidem verus Chriſtus, ille enim ſedet ad dexteram Patris: ſed idolum Miſſaticum.*

De Poſtcommunione.

Poſt hæc ſequitur Antiphona, quam Poſtcommunionem *vocant. Rationem hujus nominis hanc reddit Durandus in Rationali libro quarto, capite quinquageſimoſexto, quòd poſt communicationem, ſive in ſignum, quòd Commũicatio expleta ſit, canatur. In primitiva namque Eccleſia omnes fideles, qualibet die corpore & ſanguine Chriſti communicabant, & ſtatim poſt communicationem cantus iſte fiebat, ut populus oſtenderetur gratias & laudes agere de Chriſti corpore & ſanguine ſuſceptis. Sequenti autem tempore ſtatutum eſt, ut ter anno communionem populus, & Sacerdos quotidie pro omnibus ſacramentaliter ſumat. Hæc omnia Durandus. Quæ verba, ſicut etiam voces ipſæ* Communionis & Poſtcommunionis, *veteris ritus & inſtituti adulterati & depravati nos admonent.* In primitiva, *inquit Durandus*, Eccleſia, omnes fideles quotidie communicabant, hodie ſolus Sacerdos pro omnibus. *Vides, quantum Pontificij à primitivæ Eccleſiæ ritu & conſuetudine vel hac ſaltem in parte receſſerint? Et tamen Vetuſtatem ſubinde crepant, & ſuas leges, ritus, inſtituta, conſuetudines, cultumque ſuum adeò totum Antiquitatis authoritate commendant. Deinde, olim omnes*

omnes communicabant, unde & sumptio Eucharistiæ nomen Communionis *accepit: hæc verò hodie nulla potest esse communio. si Sacerdos solus sumat corpus & sanguinem, nisi illis idem sit proprium & commune, privatum & publicum. Impropriè igitur hac Antiphona hodie* Postcommunio *appellatur, quæ nullam, nisi in Paschate, sequitur Communionem, sed privatam sacrificuli sumptionem.*

Tradit autem Innocentius 3. lib. 6. de Missæ myst. cap. 10. hanc antiphonam significare gaudium, quod Apostoli de resurrectione Christi conceperunt: atque eandem ob causam communiter ab omnibus decantari solet, quo ejusdem gaudii communitas designetur.

Author huius ceremoniæ.

Quis verò hunc centonem Missæ adiecerit, ignorari fatetur Durandus, loco supra citato. Bernno in libro de Concordia Officiorum cap. 1. ait: Quis Offertorium, & Antiphonam, quæ post Communionem dicitur, adiecerit, apertè non legitur. Veraciter itaque credi potest, priores Sanctos silentio obtulisse & communicasse: quod etiam hactenus in Sabbato sancto Paschæ solemus observare.

De Oratione Novissima: &, De Ite, Missa est.

Peracta communione, & decantata Antiphona, Sacerdos osculatur altare, & conversus ad populum, eundem salutat. Deinde redit ad exterum cornu altaris, & elevatis manibus, ultimam Orationem, quæ propriè Postcommunio *vocatur, recitat: in qua rogat & gratias agit de sacramenti perceptione, dicens Collectas pro numero Secretelarum: Orat enim pro his, qui ad hanc Eucharistiæ communionem accesserunt. Durandus in Rationali libro quarto cap. 57. Licèt autem hæc quoque ad privatam Missam hodie detorqueantur, eique applicentur, sunt tamen reliquiæ publicæ totius populi communionis, quæ in primitiva Ecclesia in usu fuit.*

Sacerdos autem populum ad hanc Orationem exhortari volens, stans ante medium altaris, dicit, Dominus vobiscum, *&,* Oremus. *Deinde transiens ad dextrum cornu altaris, ibi recitat Orationem: indeque ad aræ medium reversus, concludit Orationem, dicens:* Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium, &c. *In Sabbato autem quatuor temporum mensis Septemb. dicitur Oratio illa:* Perficiant in nobis quæsumus Domine tua sacramenta quæ continent, ut quæ nunc in spe gerimus, rerum veritate capiamus. *Orationc finita, iterum populum salutat, dicens:* Dominus vobiscum. *Deinde Diaconus alta voce missionem spectatoribus nuntiat, non tamen uno semper modo. Nam si funebria sacra sunt, dimissionis formula hæc est:* Requiescant *(mortui)* in Pace. *Ubi rursus obliti sunt mysteriorum suorum. Nam aliàs dicunt, neque pacis symbolum offerri, neque ullam pacis mentionem fieri in Missarum pro defunctis celebratione, quòd mortui liberi sint ab omnibus perturbationibus, & propterea pacis imprecatione non indigeant. Nunc verò pacem illis precantur. In aliis autem sacris, alia professis diebus utuntur ferè formula, quàm festis, nisi sint nefasti dies. Nam in professis diebus, & quando lætitiæ cantica non dicuntur, Missa hac formula terminatur,* Benedicamus Domino, &c. *In festis autem solennioribus dicitur,* Ite, missa est. *Hujus varietatis hanc reddunt causam, quòd in primitiva Ecclesia, quum in diebus profestis, aut feriis vilioribus populus ad sacra non conveniret, qui ab iis dimitteretur, ea clauderentur de more, per,* Benedicamus Domino. *In celebrioribus autem festivitatibus, quando magnus erat populi concursus, ut intelligerent spectatores, quando sibi esset exeundum, admonebantur illa formula,* Ite, missa est. *Ad quæ clerus & populus gratulando respondent,* Deo gratias. *Hæc quidem Durandus & alii. Quàm autem verisimile sit, quòd nugantur de primitiva Ecclesia variis illis formulis in festis ac professis diebus, similiterque in funebribus & aliis sacris, ex iis intelligi potest, quæ suprà de priscis ritibus publicis sacris, & publica omnium communione diximus.*

Ritus hîc unde.

Non mulùm autem differt hæc è sacris Papisticis dimissio, à veterum Romanorum ritu, à quibus eam mutuati esse videntur. Nam, ut apud Plutarchum videre licet, re divina & ceremoniis peractis, Sacerdos, Ilicet, *alta voce clamabat: ac si diceret, iis jam abire licet, qui sacris interfuerunt.*

De Benedictione Novissima.

Posthæc, Sacerdos osculatur denuò mensam altaris, vel si Pontifex adest, aut Episcopus, eius humerum dextrum osculatur. In Ecclesia Romana autem tres humerum Pontificis osculantur: Primicerius in principio: Diaconus in medio: & Sacerdos in fine Missæ. Postrèmò fausta populo precatur Sacerdos, si adsit, eique, jam jam abituro, benedicit: sed non nisi prius imperata & accepta hujus rei potestate & venia ab Episcopo aut Pontifice. Nam Sacerdotes vel Presbyteri benedicere non possunt, nisi id jubeantur aut permittantur facere ab Episcopo, si adsit. Plebi quoque ante hanc benedictionem exire non licuit. De his enim sic sancitur in Agathensi Synodo cap. 44. Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licebit, *Et in Synodo Aurelianensi 1. cap. 28.* Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non antè

discedat, quàm Missæ solennitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. *Nam plurimi acceptis sacris symbolis, protinus è templis se domum recipiebant, non expectata extrema gratiarum actione, pro acceptis beneficiis, quorum Cœna sacramentum & pignus est, neque solenni benedictione. Hujusmodi profanos homines & contemptores Sacramentorum diligenter officii sui admonuerunt quum Patres, tum Concilia veteris Ecclesiæ, & seriò eos admonuerunt, ne participata sacra communione è sacro cœtu discederent, antequam essent communibus votis & unanimi consensu ab omnibus actæ gratiæ, ut verè esset Eucharistia quod dicitur, nempe gratiarum actio.*

Ritus hu jus origo.

Ritum autem hunc benedicendi populum ex Veteri Testamento desumptum indicat Albertus M. cap. 1. in Lucam, ubi dicit: Præcipitur Sacerdotibus, quòd benedicant populo, Numer. sexto capite. Et ideò inolevit, quòd in fine hostiæ Missæ, quum dicitur: Ite, Missa est, Sacerdos benedicit populo.

Vltimò, osculata iterum ara, Sacrarium, quod etiam Vestiarium nominant, ingreditur, & vestes sacras deponit: aut extensis cortinis, ara circumpositis, se à spectatorum conspectu subducit, quo nubes designatur, quæ Christum ascendentem in cœlum subduxit ab oculis discipulorum.

CAPVT IV.

Iudicium de hac Liturgia Missæ & quòd ea non videatur esse Gregoriana.

HAnc *Missæ formam, de qua hactenus egimus, non sine causa ab initio præcedentis capitis pro Gregoriana* haberi *à plerisque diximus: nam meo quidem iudicio falluntur illi, ut Missalium antiquissima exemplaria testantur, quorum titulus est*: LIBER Sacramentorum Gregorii: *Ea enim plurimùm non solùm à Missalibus hodiernis, sed etiam à præmissa Liturgiæ Pontificiæ forma hodierna, tum prolixitate, tum ordine ipso differunt. In illis enim statim initio Canon est, & simul tota Agenda de aliis Sacramentis, suis quibusdam locis sparsa concluditur. Adhæc, non adsunt ibi Sequentia, ut vocant, quæ postea Hermannus Contractus, aut, Alberto M. teste, Nothgerus S. Galli, non Abbas, ut Albertus habet, sed monachus, composuit. Non adest item tanta Missarum varietas, & multiplicitas pro singulis festis, necessitatibus, itemq; pro mortuis, &c. ut hodie in usitatis Missalibus habetur. Non inuenitur ibi Canon minor, quod observatu dignissimum est. Non adest Musica, non leges, seu rubricæ & tituli in Canone de ratione ceremoniarum: cujus generis sunt ablutiones manuum, capitis compositio, aquæ lustralis conspersio, inclinationes Sacerdotis aliquoties repetitæ, manuum & brachiorum extensiones, & eorundem in formam crucis compositio, osculum altaris, & similes propè infinitæ gesticulationes. Denique, nec ea adsunt, quæ post Dominicam Orationem appenduntur. Quin etiam in Gregorianis Missalibus, in ipso Canone reperiuntur quædam ei, qui in hodiernis Missalibus legitur, addita, quædam adempta: ac inter alia prolixa quædam Oratio, in qua Sacerdos pro se orat, quæ in omnibus vetustioribus Gregorianis Missalibus invenitur: sed in recentioribus omnibus desideratur. Ea verò de verbo ad verbum sic habet:* Memento mei quæso Domine & miserare, licèt hæc indignè tibi, sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare nomen tuum dignus sum: sed quoniam in honore, laude, & memoria gloriosissimi dilecti Filii tui Domini Dei nostri Iesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur, per eundem Christum Dominum nostrum.

Exstat apud nos Tiguri in Bibliotheca Abbatiæ vetustissimus Liber sacrorum, in quo aureis literis, & vetustissima, elegantissimaque pictura, mox ab initio hæc verba leguntur: In nomine Domini incipit liber Sacramentorum de Circulo anni, expositus à S. Gregorio Papa Romano, editus ac scriptus ex authentico libro Bibliothecæ cubiculi, qualiter MISSA ROMANA *celebratur. Deinde ordine certo describitur, qualis fuerit tum Missa Romana: nam hæc verba subjunguntur superioribus.* Hoc est, inprimis Introitus, qualis fuerit statutis temporibus, seu diebus festis. Deinde Kyrieeleison. Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit tantùm die Dominico, à Presbyteris autem minimè dicitur nisi solo in Pascha. Quodam verò Letania agitur, neque Gloria in excelsis Deo neque Alleluia canitur. Postmodum dicitur oratio. Deinde sequitur Apostolus. Item Graduale seu Alleluia. Postmodum legitur Evangelium. Deinde Offertorium, & orant super oblata. Deinde dicit excelsa voce, per omnia secula seculorum. Responsio, Amen. Dominus vobiscum. Respon. Et cum Spiritu tuo. Sursum corda. Respon. Habemus ad Dominum, Gratias agamus Domino Deo nostro. Respon. Dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus per Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant

adorant dominationes, tremunt potestates, Cœli cælorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces, &c. Sequitur enim Canticum, Sanctus, Sanctus, & Canon ille cujus initium est, Te igitur Clementissime. *Variat tamen hic noster in quibusdam à vulgari, qui hodie in usu est. Nam ut memoriam mortuorum planè non habet, ita ad Canticum Agnus Dei finitur.*

Anno 1559. *edidit Flaccius Illyricus Missæ Latinæ formulam antiquissimam, bona fide ex vetusto & authentico Missali descriptam, adversam tamen non solùm à Gregoriana, sed etiam ab hodierna Romana Missa. Et ut hoc intelligat Lector, ejus Rubricas tantùm adscribam.* Antequam Sacerdos ad Missarum celebrationem accedat, flexis genibus coram altare cantet septem Psalmos pœnitentiales, cum Litania. Qua finita, dicat: Dominus vobiscum. Oremus: Omnipotens, mitissime Deus respice propitius preces meas, &c. Postea surgens induat se vestimentis sacerdotalibus, & lavet manus, dicendo, Lavabo inter Innocentes, &c. Interim autem dum paratur Episcopus circumstantes clerici cantent hos Psalmos. Quàm dilecta tabernacula. Inclina Domine aurem tuam, &c. Inde sequitur confessio singularis. His omnibus ritè peractis, dicat Orationes, ad incensum benedicendum, & ad osculandum Evangelium. Cumque egreditur Episcopus de Sacramentario, dicat: Deduc me Domine in via tua, &c. Interim cum processione egrediens ad gradus, hunc Psalmum per se, cum deducentibus eum, cantet: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Coram altare autem stans cum processione proferens Confessionem, der indulgentiam ministris. Data indulgentia adnectat aliquot Orationes, donec versus cantentur ad Introitum, & Kyrie eleeson, & deinde carmen Angelorum: Quo finito Missalem Orationem dicat Sacerdos. Deinde Lectio recitetur, & inter Lectionem & Evangelium, id est, tempore Gradalis, & Alleluiæ, ac Sequentiæ Episcopus orationes dicat, pro se & subditis. Tunc Sacerdos incipiat symbolum. Deinde lavet manus. Quamdiu autem Offertorium & Versus canuntur, ipse aliquot Orationes dicat. Cumque ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, aliquot orationes, humillimè ante altare se accusans, dicat. Tunc convertat se ad suscipiendas oblationes, & fundat Orationes pro semet ipso, & cuncto populo Christiano: pro Rege & Antistite: pro Ecclesia Catholica: pro salute vivorum: &c. Tunc imponat oblatam altari, & dicat: Sanctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi corpus fiat: qui tecum vivit, &c. Deinde Diaconus à Subdiacono accipiat vinum, & orando misceat cum aqua in calice. Posito calice super altare, Sacerdos dicat: Oblatum tibi Domine calicem sanctifica, ut nobis unigeniti tui Domini nostri Iesu Christi sanguis fiat, qui vivit tecum, &c. Tunc benedicat utrosque elevata manu. Postea accipiens thus à Diacono ponat in thuribulum, & thuribulum super panem & calicem circumducat: inde circumeat altare cum incenso. Rediens ad altare dicat: Orate pro me fratres & sorores, ut meum & vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum: & respondeatur ei à singulis. Postea incipiat Secreta: & præfatione dicta, quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus decantant, ipse cursim orationem dicat: qua finita, antequam Sacramenta incipiantur, iterum sese Deo commendet. Deinde cum summa reverentia incipiat, Te igitur clementissime Deus, &c. Et ministri stantes in gradibus suis, cantent Psalmos usque dum, Te igitur, finiatur. Explera Secreta, & Oratione Dominica, cùm dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, misceatur corpus Dominico sanguini. Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque det. Postcommunio fiat à Clero & populo cum precibus. Postquam Diaconus dixit, Ite, Missa est, Sacerdos accedat ad altare, & osculetur illud. Expletis omnibus, Episcopus de altari ad Sacrarium rediens cum Diaconis, cantet hymnum trium puerorum.

Rabanus *etiam de Missa Romana per totum ferè Occidentem suo seculo recepta sic scribit lib.* 2. *Institut. cap.* 33. Cum benedictione & gratiarum actione primùm Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta dedicavit & Apostolis tradidit, quod exinde Apostoli imitati fecerunt & successores suos facere docuerunt. Sed enim in initio mos iste cantandi non erat qui nunc in Ecclesia ante sacrificium celebratur: sed tamen Epistolæ Pauli recitabantur & Sanctum Evangelium. Verùm quia de Sacrificii celebratione verba facere incœpimus: secundùm quam convenientiam omnis ordo ille institutus sit prosequamur. Primùm autem in celebratione Missæ ad Introitum sacerdotis ad altare antiphona cantatur à clero, ut audiatur sonitus quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, sicut in Veteri Testamento per tintinabulorum sonitum ingressus innotuit Pontificis. Bene ergo in ingressu sacerdotis concrepantibus choris auditur

Rabanus Liturgista.

modulatio divinæ laudis, ut dominicæ celebrationis mysteria ministrorum piè præcedat consonantia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat dignæ laudis sacrificium. Namq; chorus est multitudo in sacris collecta. Post introitum autem sacerdotis ad altare letaniæ aguntur à Clero, ut generalis Oratio præveniat specialem sacerdotis. Subsequitur autem Oratio sacerdotis, & pacifica primùm salutatione populum salutans pacis responsum ab illo accipit, ut vera concordia & charitas, pura devotio faciliùs postulata impetret ab eo qui corda aspicit & interna diiudicat. Tum Lector legit lectionem Canonicam, ut animus auditorum per hanc instructus ad cætera attentior assurgat. Post hanc ergo Cantor dicit Responsorium, ut ad compunctionem provocet & leves animos audientium faciat. Responsorium ergo inde dicitur, quòd alio desinente alter id respondeat. Responsorium istud quidam Gradale vocant, eò quòd juxta gradus pulpiti cantatur. Post Responsorium cantatur Alleluia, scilicet ut ad cœlestia mente populum sublevet & ad divinam contemplationem erigat. Deinde à Diacono cum summa authoritate in auribus populi recitatur Evangelium, ut ipsius ibidem audiatur doctrina ad quem fervet intentio tota, ipsiusque virtus intelligatur per Evangelium, cujus tum corporis sacrosanctum celebratur mysterium. Per hoc oblationes offeruntur à populo, & Offertorium cantatur à Clero, quod ex ipsa causa vocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum, immittitúrque super altare corporalis pallium, quod significat linteum quo corpus Salvatoris involvebatur, quod ex lino puro textum esse debet, & non ex serico vel purpura, neque ex panno tincto, sicut à Sylvestro Papa institutum invenimus. Ponuntur quoque tunc vasa sancta quod calix est, & patena super altare, quæ quodámodo dominici sepulchri typum habent. Quia sicut tunc corpus Christi aromatibus unctum in sepulchro novo per piorum officium condebatur, ita modò in Ecclesia corpus mysticum illius cum unguentis sacræ orationis conditum in sacris vasis ad percipiendum fidelibus per Sacerdotem officium administratur. Postea cantatur Missa à Sacerdote, qui postquam locutus est ad populum de elevatione cordis ad Dominum, exhortatur eos ad gratias agendas Domino, & laudibus os implens rogat ut ipse omnipotens Deus Pater cui deserviunt cœlestes potestates, sua gratia illorum vocibus jubeat humanas associare confessiones: quam deprecationem mox sequitur laus ex angelicis, & humanis cantibus confecta, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zabaoth, &c. Dehinc jam consecratio corporis & sanguinis Domini fit, & deprecatio valida ad Deum, inter quæ & dominica oratio decantatur. Postquam enim ad communicandum & ad percipiendum corpus perventum fuerit, pacis osculum sibi invicem tradunt, cantantes Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis, ut pacifici Sacramentum percipientes in filiorum Dei numero (delictis omnibus remissis) mereantur copulari. Post communionem ergo & post ejusdem nominis canticum data benedictione à Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Missæ officium esse peractum, dans licentiam abeundi. *Hæc ad verbum Rabanus.*

Quod si primitivæ Ecclesiæ ritum cum hoc conferas, de quo Rabanus testatur, quòd eum omnes penè Occidentales Ecclesiæ in divinorum mysteriorum celebratione à Romana Ecclesia acceperint, mox intelliges, plurimùm inter utrumque esse discriminis. Rursus, si quis Missandi ritum, quem in præcedenti capite descripsimus, quique pro Gregoriano & Romano habetur, hodieque in usu est, cum illo qui Rabani seculo, circa annos Domini 800. *in Occidente ex Romana Ecclesia receptus erat, contulerit, inveniet & hic inæqualitatem.*

Quod autem ad Liturgiæ hujus ceremonias attinet, ut præsaque per se non reijcimus, concedimus enim, in ceremonijs humanis libertatem Christianam esse debere, ut nec in parte cultus Dei censeantur, modò ad eásdem non alligentur omnes omnium temporum populorum & locorum Ecclesiæ. Pauca tantùm obiter hic monenda duco. Primò, *multitudinem ceremoniarum humanarum semper Ecclesiæ periculosam, & inutilem fuisse. Facillimè enim in superstitiones abeunt, & homines in mandatis hominum servandis occupati, obliviscuntur, & negligunt mandata Dei, & Doctrinam vitæ æternæ.* Secundò, *Christum, in Ecclesia Novi Testamenti non voluisse* Καινοζηλίαν *indicam, id est, cumulari ceremonias, præsertim ad imitationem Veteris Testamenti compositas: ideoq; paucissimas, & simplicissimas ceremonias in Novo Testamento instituit.* Tertiò, *reverentiam, quæ sacramento debetur, ac toti ministerio, fidem item, invocationem, & gratitudinem erga Deum non excitari multitudine aut splendore, & pompa ceremoniarum, sed intellectu doctrinæ, & usus veri, ac legitimi sacramentorum, & ritibus, quàm proximè ad institutionem Christi accedentibus.* Quartò, *Nec modestiam,*

ſtiam, & pietatem diſcipulorum Chriſti decere, hominum quantumvis ſplendida inventa præferre ſimplicitati Chriſti, & Apoſtolorum, in ſacramentorum adminiſtratione, quaſi melius, quàm illi, quis quam ſciat, quid decorum, quid graue, quid cultibus Novi Teſtamenti, quid alendæ pietati conveniens ſit: nec ſponſæ Chriſti decoras eſſe habitus aureos, gemmeos, & purpureos meretricis Babylonicæ. Quintò, *quæ per ſe ſunt adiaphora propter circumſtantias locorum, temporum, perſonarum, ſæpe fieri per accidens facta, aut omiſſa neceſſaria: vel cùm abierunt in ſuperſtitiones, & abuſus, vel cùm ſcandalo ſunt infirmis, & veritatis illuſtrationem impediunt. Magnum enim inter Dei, & hominum peccata diſcrimen eſt. Quæ Deus inſtituit, ut Sacramentorum ritus, neceſſe eſt retineri, abolitis corruptelis & abuſibus, ſi quando obrepſerunt: quæ autem homines conſtituerunt, & non habent aliquam tamſam neceſſariam, propter quam non facile mutari poſſint, unà cum abuſibus tollenda ſunt, ne deinceps ſint erroris, aut abuſus occaſio, & inſtrumenta: præſertim quando aliis modis æquè bene, aut melius, ac tutiùs, commodum illud Eccleſiæ conſequi poteſt, cujus gratia primum inſtituta fuerunt. Sic Ezechias æneum ſerpentem confregit poſtquam ſuperſtitionis materia factus fuerat, licèt à Majoribus bono conſilio obſervatus erat.* Sextò, *multæ in hac Liturgia ſunt ceremoniæ, quæ vel per ſe, vel per accidens non adiaphoræ, vel mediæ, vel vitioſæ, & abolendæ ſunt. Hujus generis ſunt, ornatus faſtuoſus, & Aaronicus, calicum, patinarum, & ſimilium rerum ſuperſtitio; ſacrificorum unctio, raſura &c. Statuæ, lychni diurni, geſticulationes hiſtrionicæ, decantatio verborum Cænæ, vultu, & ore ad panem & vinum converſo, cantharis apertis, & ſi vinum deficiat, nova earum in cantharum ſuſurratio, panis elevatio, & ad eum converſis populi animis & oculis, adoratio, nolarum tinnitus ad verba,* Hoc eſt corpus, Hic eſt ſanguis meus: *organorum & cantorum ſtrepitus, prophano quàm ſacro convivio longè melius conveniens, & horum ſimilia: quæ quomodo in tanta Evangelij luce pro adiaphoris haberi poſſint non videmus: ſunt enim partim inepta, partim ſuperſtitionis ſpeciem habentia, partim periculoſa incommoda, & pietati perniciosa. Talia verò quæ ſunt, nemo vel mediocriter in Chriſtiana Religione verſatus dicere poteſt, conceſſum, & liberum eſſe Eccleſiæ Chriſti, ea vel inſtituere, vel ab aliis inſtituta retinere, nedum defendere, & ſpecioſis argumentis ac fucis pingere.*

CAPVT V.

De Origine Latinæ Linguæ in Miſſa & Sacris omnibus.

Vide Casaubonum Exercitationes ad Baronij Annales pag. 121. & ſeq. Item, Morinum de Miſſa lib. 2. c. 8 pag. 285.

Non ſolùm Canon, ſed etiam ſalutationes, preces, hymni, gratiarum actiones, & cætera in Miſſa, non ampliùs lingua vernacula in hac Claſſe, ut in præcedentibus, lecta, ſed lingua peregrina & ignota deinceps legi & peragi cæperunt: ſed contra exemplum Chriſti, Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ, ut ex ſuperioribus liquet. Oſtendemus igitur paucis hoc capite, quomodo uſus Latinæ linguæ in omnes Eccleſias introductus fuerit.

Quum à Gothis & Longobardis tota Italia maximis cladibus affecta, & Latina lingua corrupta eſſet, factum eſt, ut in ipſa quoq; Italia Cæna Dominica multis in locis non ampliùs in pura Latina, ſed corrupta & depravata illa celebrari cæperit, adeoq; officium Miſſæ, ut hodie vocant, à Scholaſtico Latinè compoſitum, repudiatum & neglectum fuerit. Huic malo ut occurreret Vitalianus Papa, decrevit, ut omnia Eccleſiaſtica & divina Officia Latinè fierent in templis. *Quia verò hoc adhuc tempore Pontifices Romani nullum imperium in alias Eccleſias habuerunt, ideo à Vitaliano hoc nullis alijs Eccleſijs, quàm Romanæ urbi & ſedi ſubiectis, mandatum fuit: idque anno Domini 666. qui numerus eſt beſtiæ à Ioanne in Apocal. decimo tertio capite notatus.* Et ne quis poſſet emere, *inquit*, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt: Et numerus eius ſexcenta ſexaginta ſex. *Fieri autem poteſt, quòd Vitalianus bono conſilio hoc decreverit, quòd ſperabat, hoc pacto Latinæ linguæ iacturam reparari poſſe. Sed longè aliter accidit.*

In hanc enim occaſionem intentus hoſtis humani generis, omnem lapidem movit, ut in alias quoque Eccleſias Latina ſacra introduceret, quo minus inde ad plebem utilitatis & fructus rediret. Quomodo autem rem aggreſſus ſit ac tandem obtinuerit breviter exponam. Anno Domini 681. iuxta Sigebertum & Panuinium, celebrata eſt Conſtantinopolitana 6. Synodus, qua durante, Ioannes Portuenſis Agathonis Rom. Pontificis Legatus, Conſtantinopoli coram Imperatore, Patriarcha & plebe, primus omnium in Eccleſia Græca Latinam Miſſam in Sophiæ templo celebravit: omnibus qui aderant approbantibus, verum eſſe ac ſanctum illum ſacrificandi morem: & qui aliter ſentiant, à recto & honeſto diſcedere.

Ita quidem Platina in Agathonis vita. Non autem crediderim, Synodum illam hoc tam temerario præiudicio Christum, Apostolos, primitivam Ecclesiam, ac seipsos etiam condemnasse. Et in hac sententia eò magis confirmor, quòd in Græca Ecclesia, adhuc hodie sacra publica Græcè celebrantur, non Latinè. Pontificis Romani legatum Constantinopoli Missam Latinam celebrasse, non nego. Episcopi enim in Synodo illic congregati, utpote viri eruditione præstantes, Latinam linguam bene intellexerunt. Aut qui Latinam Missam approbassent, si linguam illam non intellexissent? Linguis, *inquit Paulus*, loqui nevetueritis: 1. *Corinth.* 14. *Concedo etiam Synodum ritum & cæremonias Missæ Latinæ approbasse: Sed Episcopos illos in suas Ecclesias Latinam Missam recepisse, & non idem facientes, à recto & honesto discedere; decreuisse, id verò pernego.*

Latinæ Missæ humanum inventum.

Quod si maximè concedamus hæc vera esse omnia, tamen nihil inde sequetur aliud, quàm Ecclesiam Latina Missa per annos septingentos à Christo nato, in tanta doctissimorum, eruditissimorumq; virorum multitudine, caruisse, nihilq; inde Rempublicam Christianam detrimenti accepisse: & proinde Latinam Missam inventum humanum esse, nec à Christo institutam, receptamq; ab Apostolis, ut Sidonius, alijq; ex Pontificijs impudentissimè mentiuntur.

Iisdem temporibus Romani Pontifices Primatum in Ecclesia, non obscurè, sed palam & manifestè affectantes, ut eum facilius assequi & obtinere possent, non solum in Italicis, sed etiam in reliquarum nationum per universum orbem Christianum Ecclesijs, visum est illis per se, & per Magistratum Politicum, Missam suam omnibus nationibus obtrudere, non in Romana forma tantùm, sed etiam in lingua Romana, seu Latina: eodem prorsus consilio, quo Ieroboam erectis vitulis in Dan & Bethel novum suum Imperium stabilire, & in eo populum Israeliticum in officio continere voluit: 1. Reg. 12. Et quemadmodum veteres Romani, unà cum Imperio, linguam quoque Romanam dilatarunt.

Ambrosianum Officium abrogatum.

Nam Adrianus I. *Papa circa annum Domini 790. habito Concilio Roma, Ambrosianum Officium penitus abrogavit, decrevitque* Gregorianum Officium, *hoc est, Missam Papisticam*, debere omnino ab omnibus observari per totam Ecclesiam. *Qua de re Iacobus de Voragine in Legenda 46. de Gregorio hæc scribit:* Eo tempore, *inquit*, ut in vita S. Eugenij legitur, dum adhuc Ambrosianum Officium magis quàm Gregorianum ab Ecclesiis servaretur, Romanus Pontifex nomine Adrianus Concilium convocavit, ubi statutum est, ut Gregorianum Officium deberet universaliter observari. Proficiscens autem B. Eugenius Episcopus ad Concilium, invenit Concilium ante triduum solutum: sua tamen prudentia Papam induxit, quod omnes Prælatos, qui Concilio interfuerant, & iam per tres dieras recesserant, revocavit. Concilio igitur convocato, omnium Patrum hæc sententia una fuit, ut Missale Ambrosianum & Gregorianum, super altare B. Petri Apostoli ponerent, & fores Ecclesiæ optimè clauderentur, ac plurimorum Episcoporum sigillis diligentissimè munirentur, ipsique tota nocte orationi insisterent, ut Dominus per signum aliquod revelaret, quodnam horum ab Ecclesiis magis servari vellet. Sicque per omnia, ut ordinaverat, facientes, manè ianuas Ecclesiæ aperuerunt, & utrumque Missale super altare apertum invenerunt: vel ut alij asserunt, Missale Gregorianum penitus dissolutum, & huc illucque dispersum invenerunt: Ambrosianum autem solummodo apertum, super altare in eodem loco, in quo posuerant, reperrunt. Quo signo divinitus sunt edocti, ut Gregorianum Officium deberet per mundum totum dispergi: Ambrosianum autem tantùm in sua Ecclesia observari. Sicque sancti Patres, ut divinitus edocti fuerant, statuerunt, & sic usque hodie observatur.

Ex frivola causa Latina Missa inducta.

Hic vides ex quàm frivola causa Missa Latina in omnes, vel saltem plerasq; Ecclesias ab Adriano introducta sit. Primum enim non certo constat rem ita gestam esse verè de duobus Missalibus illis, ut Iacobus de Voragine narrat. Habet enim author ille in illo suo opere multa falsissima, quòd ne ipsi quidem Pontificij negare possunt: & est hæc præsens narratio mendacio multò quàm veritati similior: præsertim quum apud nullum probatum authorem reperiatur. Deinde illi ipsi negatores in ea narranda non consentiunt: alij enim dicunt, utrunq; Missale inventum super altare apertum: alij vero, Ambrosianum solummodo, & Gregorianum dissolutum, atq; hinc inde dispersum. Tertiò, si maximè certa esset historia, tamen interpretatio, vel significatio incertissima est: an nimirum significarit, Missam Gregorij debere per totum mundum dispergi, Ambrosij autem in Mediolanēsi tātùm Ecclesia observari. Nam quum Missale Gregorianum penitus dissoluti, & hinc inde dispersum fuerit inventum, Ambrosianum verò illesum & apertum super altare permanserit: inditio potius est, Missam Romanā abijcendam, Ambrosij verò, aliorumq; sanctorum Patrū qui ante Papatum vixerunt, retinendam usq; ad extremum Domini adventum. Nam quæ dispergūntur, tanquam abominatio abijciuntur. De contumaci populo Israelitico Moses dicit Deut.

Dent. 28. Diſperget te Deus tuus in omnes gentes. *Iob.* 21. Impij ſicut favilla ſunt, quam turbo diſpergit. *Pſalm.* 88. Diſperſiſti inimicos tuos: *& Pſalm.* 91. Diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Plurimùm autem omnium hunc conatum Pontificium Rom. adiuvit & promovit Carolus M. Imp. circa annos Chriſti 800. *Nam non ſolùm publicis edictis mandavit, ut decreta Romani Pontificis, inter quæ Gregorianum officium & Miſſa Latina non poſtremum locum obtinet, per omne Imperium Romanum obſervaretur: ſed ipſemet etiam per diverſas diſcurrens provincias, minis & ſupplicijs omnes clericos ad hoc ipſum cogebat, & libros Ambroſianos ubiq; comburebat, multosq; clericos rebelles incarcerabat, ut Iacobus de Voragine dicto loco ſcribit. Certatim igitur ubiq; Romana & Latina lingua ab omnibus Eccleſijs in Miſſa recepta fuit. Vnde Crodegangus Metenſis Epiſcopus Miſſam Romæ ad Confeſſionem Petri coram Papa celebravit: ſcilicet, ut probaretur, an rectè illos ritus didiciſſet. Author in vita eius cap.* 11. *Et Ediſwaldus Anglorum Rex in Epiſtola ad Bonifacium*: Sicut, *inquit*, veſtra benignitas de Miſſarum ſolennitatibus, Deo inſtigante, dictavit, ita quoque noſtra mediocritas devota mente implere conatur.

Quòd verò Carolus Imp. omnes Provincias ſub Papiſtica & Latinæ Miſſæ iugum vi ac ferro coëgit, id adulandi & teſtificandæ gratitudinis ſuæ cauſa fecit: quòd Zacharias & Leo Pontifices Patrem eius Pipinum, ad Regni Galliæ faſtigium evexiſſent: ac præſertim quòd Adrianus Papa Inveſtituræ ius, *hoc eſt, privilegium & poteſtatem eligendi Papam, & omnes reliquos Epiſcopos, Carolo confirmaſſet, teſte Gratiano Diſt.* 63. *c. Adrianus.*

Ex quibus intelligitur Miſſam Papiſticam & Latinam, qualis hodie eſt, partim dolis & artibus Pontificum Rom. partim autem vi & authoritate Caroli Imp. cum translatione Imperij, translatam eſſe in Germaniam & alias Carolo ſubiectas Provincias.

Non ſolùm autem Satanam movit ad Latinæ Miſſæ uſum invehendum in Eccleſiam, ut Pontificibus Rom. Primatum ſuum ſtabiliret in orbe Chriſtiano, ſed illud maximè, ut per ignotam & peregrinam linguam, prædicationem Evangelij & agnitionem veritatis vel impediret ſaltem, vel prorſus exſtingueret. Facilè quidem patitur, ut in omnibus linguis de morte Chriſti prædicetur: hoc autem ferre nequit, ut auditores ad agnitionem Chriſti & efficaciæ paſſionis eius perducantur. Perinde autem eſt, ſi quis in Eccleſia loquatur ignota lingua, ac ſi prorſus nihil loquatur. 1. *Cor.* 14. *Itaq; ut fructum Evangelij Satan apud ſimplicem plebeculam impediat, omnem remoram injicit, ne vernacula & nota, ſed peregrina & ignota lingua pleraq; in Eccleſia peragantur.*

CAPVT VI.

Non Omnes Eccleſias ab initio huic Liturgiæ & Canoni Romanæ Eccleſiæ adſtrictas ſeu alligatas fuiſſe, & quando id primùm cœpeperit fieri.

IN primitiva Eccleſia, nulla conceptis verbis præſcripta fuit certa quædam forma Liturgiæ, cui omnes Eccleſiæ alligatæ eſſent: ſed liberum fuit uti quacunque forma, modò analoga eſſet fidei, & pro ratione temporum, locorum, aliarumque circumſtantiarum ad ædificationem faceret.

Fuerunt enim ante & circa Gregorij M. tempora multæ Liturgiarum formulæ, & quidem diverſæ. Hieroſolymitana, quam Iacobi Apoſtoli nomine venditarunt: Conſtantinopolitana, quam Chryſoſtomo tribuunt: Baſilij in Oriente uſitata. Très ergo fuerunt Græcæ Liturgiæ præter Dionyſianam. Apud Latinos fuit ea, quæ Clementi adſcribitur: Gregoriana: Ambroſiana: Gallica, & Hiſpanica, quæ Iſidoro vulgò tribuitur. Quin & in ipſa Hiſpania Miſſarum quadam diverſitas fuit. Nam in Synodo Toletana quarta poſt mortem Gregorij M. celebrata anno Chriſti 639. *ſancitur*, ut ſit deinceps unica tantùm Miſſarum, aliorumque Officiorum forma, ne ſint portò illa varietate ſimplicioribus ſcandalo. *Verba Canonis hæc ſunt*: Placuit omnibus Sacerdotibus, ut nihil uſtra diverſum aut diſſonum in Eccleſiaſticis Sacramentis agamus, ne illa noſtra diverſitas apud ignotos, ſeu carnales ſchiſmaticis errorem videatur oſtendere, & multis extet ſcandalum varietas Eccleſiarum. Vnus ergo ordo orandi atque Pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliciam conſervetur: unus modus in Miſſarum ſolennitatibus: unus in veſpertinis Officijs: nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia una fide continemur & regno. *Hæc verò ipſa forma in Toletana Synodo conſtituta, nondum fuit Romana, ſicut ex Caroli Calvi epiſtola apparet, quam paulò infrà citabimus: nam eo adhuc regnante Toletana forma à Romana variavit.*

Liturgiæ multæ ac variæ circa Gregorij Mam. tem.

Etſi verò octo diverſas Liturgiarum formas enumeravimus: neceſſariò tamen plures fuerunt. Epiſcopi enim & Doctores in unaquaq; Provincia ſuo arbitrio ceremonias & cantum ordinarunt. Vnde Auguſtini tempore

in

in Concilio Africano cap. 70. & Milevitano ca. 12. de precibus ſeu orationibus in Miſſa uſurpandis decernitur, ut priùs cum prudentioribus conferantur : nec aliæ dicantur, quàm quæ à prudentioribus tractatæ, vel in Synodo comprobatæ ſint, ne fortè aliquid contra fidem ſit compoſitum. *Exſtat etiam Canon in Synodo Venetica, & alijs veteſtioribus*, ut in unaquaque provincia ſit una quædam rituum forma: unde conijcimus, olim non tantùm provincias inter ſeſe in formulis Liturgiarum variaſſe, ſed & ſingularum provinciarum Eccleſias.

Huc etiam pertinet, quòd ne Gregorius M. quidem, licet Pontifex Romanus fuerit, aliquem ad ſuum Canonem adſtrinxit, & formulam ſuæ Miſſæ, quam legibus quibuſdam adaptavit, & eam propemodum conſarcinavit, nemini obtruſit : ſed apertè confeſſus eſt, varias eſſe Eccleſiarum in peragendis ſacris myſterijs conſuetudines, & in cujuſq; arbitrio ſitum, quam ſequatur quisque. Nam Epiſtolarum lib. 8. epiſt. 7. exponit Ioanni Syracuſanorum Epiſcopo quomodo Eccleſiæ ſuæ aptarit Miſſam : interim ingenuè & apertè fatetur, ſe liberas obſervationes relinquere omnibus Epiſcopis & Eccleſijs. Inter alia verò ſic dicit : Veteres ritus reparavimus, aut novos & utiles conſtituimus, in quibus tamen alios non improbamus mutari. *Cumq; Auguſtinus Cantuarienſis in Anglia Epiſcopus interrogaret:* Cùm una ſit fides, cur ſint Eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & aliter conſuetudo Miſſarum in Romana Eccleſia, atque aliter in Galliarum Eccleſiis teneretur : *Reſpondit Gregorius his verbis* : Novit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritum, quàm valde amabilem te habeat. Sed mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicitè eligas in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc ad fidem nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis quæ pia, quæ Religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculo collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone. *Hæc Gregorius. Vnde miranda illa Miſſalium, etiam poſt Gregorium, compoſitorum varietas invenitur.*

Teſtatur hanc libertatem & varietatem rituum ac conſuetudinum Miſſas celebrandi etiam Carolus Caluus Imp. in quadam Epiſtola ad Ravennatem Eccleſiam, ſic inquiens, Nam & uſque ad tempora abavi noſtri Pipini Gallicanæ Eccleſiæ aliter quàm Romana, vel Mediolanenſis Eccleſia divina officia celebrabant, ſicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes ſecundùm morem ipſius Eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrabant. Celebrata ſunt etiam coram nobis ſacra Miſſarum Officia, more Hieroſolymitano, authore Iacobo Apoſtolo : & more Conſtantinopolitano, authore Baſilio. Sed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione, &c.

Ritus Miſſæ quamdiu libet

Fuit igitur ritus formularum Miſſæ varius, adeoq; liber in orbe Chriſtiano, quoad, ut Pius 2. Papa dixit, unaquæque Chriſtiana Provincia ſibi vixit, parvumque reſpectum ad Rom. Eccleſiam habuit. *Creſcente autem Rom. Pontificis authoritate ac regno, cæpit quoque eius Miſſa, aliæq; ceremoniæ omnibus Eccleſijs obtrudi. Factum hoc ſub Pipino Rege in Galliæ regno. Chronicon enim de Regibus Francorum in an. Dom. 756. hæc habet* : Ex Romana Eccleſia Pipinus primus Eccleſiaſticos Romanorum ritus & cantuum ceremonias in Franciam accepit atque intulit, idque negotium Ægydio fratri (*quem alij Remigium vocant*) Rothomagenſium Epiſcopo datam. Quum enim Zacharias Papa, abdicato legitimo Rege Chilperico, in eius locum intruſiſſet & inaugurāſſet Pipinum aulæ Magiſtrum, ut hoc beneficium recompenſaret omnes regni ſui Eccleſias in ritibus, ceremonijs ac divinis Officijs, Romanæ conformes fecit.

Sequuti ſunt Pipinum Carolus M. & huius Filius Ludovicus, quorum potentia & imperium latiſſimè patuit. Et Carolus quidem ſubingarat totum propè Occidentem. Aderant illi frequentes Epiſcopi, Abbates, alijq; ex Clero conſiliarij, qui ſubinde inſuſurrarunt illi, ad incolumitatem & tranquillitatem regni pertinere religionis & rituum conformitatem & paritatem : Romanæ autem Eccleſiæ ritum in Miſſæ celebratione eſſe omnium abſoluti ſſimum, perfectiſſimumq; His ille annuens, quod Occidentis Imperator à Leone tertio Papa creatus, declaratuq; fuerat, alijs quoq; Provincijs Romanas ceremonias obtruſit. Vnde in eodem Chronico Francorum an. Chriſti 805. hæc legnntur : Saxones perpetuò rebellantes, perpetuoque victi, coacti Romanam religionem acceperunt.

Iam antea quoq; magna pars Germaniæ, à Bonifacio Anglo ſub iugum Antichriſti & Rom. Eccleſiæ redacta fuerat, nimirum Franconia, Noricum, Bavaria, Thuringia, Haſſia, Saxoniæ pars aliqua, Dacia, Sclavonia & Friſia : has Provincias omnes Rom. Miſſa, alijsq;

Ceremonijs hic Pseudo-apostolus deformauit: Quum enim à Gregorio 2. Papa in has regiones missus esset, iniunctum ei fuit à Papa, ut ex Apostolicæ sedis doctrina has gentes informaret, & in eadem fide permanere constitueret: *ut est videre in Gregorij 2. ad Bonifacium hunc Epistola.*

In Anglia verò ad annum usque 666. qui est numerus Bestiæ Apocalypsis decimo tertio, Romanam Missam non habuerunt: sed tempore illo cantum Latinum cum Organis à Vitaliano Pontifice susceperunt, Missamque deinde Latinam celebrare, proindeque Gregorianum Canonem murmurare cœperunt: ut Balæus indicat Centuria decima quarta capite vigesimo primo in Appendice.

Et quamvis peculiarem suum ritum Hispani usque ad tempora Gregorij 7. Papæ constantissimè retinuissent: tamen quia post damnatum Berengarium, & iam publicatam fidei, quam ei Romanum Concilium præscripsit formulam, Pontifices Romani hanc ab omnibus in Occidente pro Catholica recipi præstare voluerunt, eodem prorsus consilio & dominandi libidine, qua olim Diocletianus ab Ægyptijs Romani Calendarij usum & approbationem violenter extorsit: tandem ab Alphonso sexto Constantiæ, Reginæ Galliciæ impulsu, vi coacti fuerunt Hispani, ut relicto patrio ritu, Romanæ Ecclesiæ ritum & Canonem acciperent. Id enim ni fieret, intelligebant, nec sine causa metuebant Romani Pontifices fidem illam, quæ Berengario tenenda, præscripta esset, cum usitato Hispanicæ Ecclesiæ Missæ ritu, ut is ab Isidoro traditus erat, consistere non posse. Sed, ut testantur historiæ, non sine multis lachrymis huius ritum reliquerunt, & Romanum acceperunt. Vide historiam Alphonsi, & Roderij Toletani historiam: meminit etiam Cassander in Præfatione ad Liturgica.

Non tamen forma illa Romana ubiq; in ipsa Hispania recepta fuit: nam adhuc Toleti Liturgia Isidori servatur, quam Morarabam *vocant. In Oriente etiam, Septentrione & Africa variæ formæ usque in hodiernum diem retinentur, & Romanam Missam, aut eam ceremoniarum formam, quæ in Romana Ecclesia observatur, nunquam recipere voluerunt. Plurimæ gentes Græcam, seu Constantinopolitanam sequuntur, ut præter Græcos, Syri, Macedones, Mesi, Bulgari, Walachi, Russi & Moschovitæ: aliæ alias. Ac referunt, non multos ante annos, Hierosolymis, ubi omnes ferè gentes proprios Sacerdotes habuerunt, qui suis eò venientibus ministrarent, admodum varia & multa Missarum genera usurpata fuisse, dum unaquæque gens suo ritu sacra sua peregerit.*

Ex quibus omnibus apparet, varias olim Missarum formas non tantùm apud Græcos, sed & apud Latinos in diversis locis fuisse, eamq; rem liberam iudicatam, vel augendi scilicet, vel minuendi, vel etiam mutandi preces in Missa: non ut hodie, quum ad Romanam formam ita se adstrictos Sacerdotes putant, ut si quid ibi, vel etiam casu neglexerint, piaculum ingens se commisisse vereantur.

Imò Berno Augiensis Abbas circa annos Domini 1010. *in libro de Concordia Officiorum indicat, sua quoque ætate libros Missales Gallicos & vetustos Germanicos, à Missalibus Romanis discrepasse.*

CAPVT VII.

In hac adhuc Classe, Præcipuos Doctores Sanam ac veram doctrinam Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ de sacra Domini Cœna retinuisse.

VEram doctrinam *de sacratissima Cœna Dominica Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ suprà multis exposuimus. Eam præcipui huius Classis Doctores constanter retinuerunt, & Ecclesijs fideliter tradiderunt.*

De publica fidelium communione rectè docuisse GREGORIVM *M. ex precatione illa intelligitur, quæ habetur in libro eius Sacramentario, quæque eandem tum temporis Latinæ & Græcæ Ecclesiæ, de memorialis sacrificij ritu, sententiam fuisse testatur. Verba hæc sunt:* Deus noster, Deus salvos faciendi, Tu nos doce gratias agere tibi dignas pro beneficijs tuis, quæ fecisti & facis nobiscum; Tu Deus noster, qui suscipis dona ista, munda nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, & doce perficere sanctificationem in timore tuo, ut in testimonio mundo conscientiæ nostræ suscipientes participationem Sacramentorum tuorum, muniamur sancto corpore & sanguine Christi tui, & accipientes ea dignè, habeamus Christum habitantem in cordibus nostris, & efficiamur templum Spiritus sancti: Etiam Deus noster nominem nostrum reum facias terribilium tuorum istorum & supercœlestium mysteriorum, neque anima & corpore infirmum, ex eo, quòd indignè suscipiamus, sed da nobis usque ad ultimam nostram expirationem dignè suscipere spem sanctificationis tuæ; in viaticum vitæ æternæ, in defensionem acceptabilem ante terribile tribunal Christi tui, quatenus cum omnibus Sanctis tuis,

Gregorij M. de Cœna doctrina.

tuis, qui tibi à seculo placuerunt & nos efficiamur participes æternorum donorum, quæ præparasti diligentibus te Domine.

Quid etiam de hodierna Missarum profanatione iudicarit Gregorius, in qua nulla est publica communio, sed privata tantum Sacerdotis, ex his eius verbis, ut citantur à Cassandro, intelligi potest. Propter hoc dicitur Missa, *ait*, quoniam mittendi sunt foràs per Diaconum, qui non participant sacrificio, vel communione sancta. Proinde cùm Christus sit Dei iustitia, Ecclesia autem iustitiæ norma, utpote super Christum fundata: Verum enimverò iustitia dicitur, qua cuique sua tribuuntur: Cùm hoc, inquam, ita sit, quomodo Missa erit, nisi quod suum est, ei permissum fuerit? Scilicet, ut Diaconus faciat exire, quos non oportet sacris mysterijs interesse. *Item:* Omne quod pro re aliqua agitur, tamdiu imperfectum esse probatur, quamdiu deest illi hoc, propter quod agitur: sed Missa pro eo dicitur, quod qui divinis Sacramentis interesse non debent exire iubentur: *(idem est aut exire, quod mitti:)* Igitur nisi ad vocem Diaconi, more Maiorum, non communicantes exire præcipiantur, Officium, quod usitato nomine Missa dicitur, rite non perficitur. *Ex quibus intelligimus, sine publica communione nullam iuxta Gregorium, legitimam Missam celebrari posse. In Papatu autem omnes Missæ sine publica communione celebrantur. Ergo.*

Cumque Gregorius meritò pluris faciat Orationem Dominicam, quàm Scholastici Canonis compilationem, quis putet, creditum tunc à Gregorio & tota Ecclesia fuisse, per hanc Scholastici Canonis recitationem super oblationem, ipsam in corpus & sanguinem Christi transubstantiari, quam in sacrificium Deo offerri, & ut grata, acceptaque habeatur, precibus apud eum oporteat obtineri. Nam si ad ipsam solummodo Orationem Dominicam Apostolorum temporibus hostia consecrari, vel, ut hodie loquuntur, Missa celebrari solebat, ut idem Gregorius testatur, profectò aquè per orationem Dominicam, ac per Canonem postmodùm à Scholastico confutum, eiusmodi sacrificium & oblationem in Missa fieri, omnes sani fateri cogentur.

De Consec. Dist. 2. cap. 73. hæc ex Gregorio citantur verba: Tanta est Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique sit panis corporis Christi, & unus sit calix sanguinis eius. Calix enim, quem Sacerdos catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apostolis tradidit: quia sicut divinitas, Verbi Dei una est, quæ totum implet mundum: ita, licèt multis locis, & innumerabilibus diebus illud consecretur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum corpus Christi, & unus sanguis cum illo, quod sumpsit in utero virginis, & quod dedit Apostolis. Divinitas enim Verbi replet illud, quod ubique est, & coniungit, & facit, ut sicut ipsa una est, ita coniungatur corpori Christi, & unum corpus eius sit in veritate. *Hæc Gregorij M. verba prorsus non consentiunt cum Transubstantiationis dogmate, quo corpus Christi in locum sublata panis substantiæ succedere, implereque eum fingitur: quum, secundùm Gregorium, Divinitatis plenitudo & virtus, quæ replet panem, faciat ipsum in corpus Christi transire, atque sic unum corpus Christi esse.*

Paulus Diaconus in vita Gregorij hæc verba ipsum ad mulierem quandam loquutum esse scribit: Præscius conditor nostræ infirmitatis, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper virginis operante Spiritu sancto fabricavit, panem & vinum aqua mistum, MANENTE PROPRIA SPECIE, in carnem & sanguinem suum convertit.

Rectè etiam censuit, utranque speciem omnibus fidelibus dari debere. Sic enim scribit in Psalm. Pœnitentiales: Precioso sanguinis effusione genus humanum redemit, & sacro-sanctum viuifici corporis & sanguinis sui mysterium membris suis tribuit, cuius perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur & potatur, abluitur & sanctificatur.

Hoc ipsum quoq; intelligitur ex ISIDORO *Hispalensi Episcopo & Gregorij M. discipulo, quique claruit circa annum Dom. 625. Nam in lib. de Offic. inquit:* Omnes invicem dignè Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur. *Omnes igitur utraque parte Cœnæ hoc tempore usi sunt, non tantùm Sacerdotes, sed etiam laici. Et lib. 6. Etymol. ca. 18. nominat Cœnam,* corpus & sanguinem Christi: *unde manifestum est, quod de altera specie laicis subtracta, nihil adhuc Doctoribus Ecclesiæ constiterit. Ibid. quoque dicit,* Spiritum sanctum mysticè Sacramenta viuificare. *Isidori doctrina*

Idem Isidorus in sua Liturgia, quæ exstat in lib. de Eccesiast. Offic. inter alia orat, ut oblatio, quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum S. corpori & sanguini Christi conformetur. *Quid autem per illud,* Corpori & sanguini Christi conformetur, *intelligat, alibi hac analogica explicat ratione:* Panis, *inquit,* & vinum ideo corpori & sanguini Domini comparantur, quia sicut visibilis

huius

huius panis vinique substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem : ita Verbum Dei, qui est panis viuus, participatione sui, fidelium mentes recreat.

Idem docet, Mysterium in Sacramentis inde sic dictum, quia reconditam & secretam habeat dispensationem, qua sub tegumento rerum corporalium virtus divina secretiùs salutem Sacramentorum operetur: Voluisse enim Dominum, ut res invisibilis per congruens & visibile impenderetur elementum : Quæ enim in mysterijs carnaliter fiant, spiritualiter proficere : ut in Baptismo visibilis actus est, quòd in aqua mergimur, sed spiritualis effectus, quòd à peccatis mundamur.

Idem lib primo de Diuinis Offic. c. 18. de sacrificio Ecclesiæ agens, mysterijq; rationem explicans, secundum quam hæc verba Augustini, In honorem tanti Sacramenti, ieiunum os Christiani priùs Dominicum corpus, quàm cæteros cibos intrare, *intelligenda sint, sic scribit :* Panis enim quem frangimus, corpus Christi est: qui dicit: Ego sum panis vivus: Vinum autem sanguis eius est : Et hoc est, quod scriptum est : Ego sum vitis vera. *Vult ergo Isidorus, sic panem & vinum corpus & sanguinem Christi esse, ut Christus vicissim ei panis vinus, & vitis vera, nimirum per enallagen, qua, ut Theodoretus explicat, rerum nomina cum symbolis, & è contrà symbola cum rerum nominibus mystico sensu permutantur: & corpori quidem nomen symboli tribuitur, symbolo verò nomen corporis.*

Huc pertinent etiam sequentia Isidori verba, quæ apertissimè docent, mystico sensu ab eo dici, de vero & naturali pane & vino, quod sint corpus & sanguis Christi : Panis, *inquit*, quia confirmat corpus, ideo corpus Christi nuncupatur : Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem duo (*id est panis, qui corpus confirmat: & vinum, quod sanguinem in carne operatur*) sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in Sacramentum divini corporis transeunt. *Dicit Isidorus, duo hæc visibilia, panem & vinum, per sanctificationem Spiritus sancti, transire, seu fieri, & mutari in Sacramentum corporis & sanguinis Domini : Non autem dicit, invisibile corpus transire in locum substantiæ panis, & sub specie eius realiter contineri, & in sacrificium offerri.*

Denique transubstantiationis blasphemum dogma Isidoro incognitum fuisse, hæc eius verba libro sexto Etymol. c. 18. non obscurè testantur: Sacrificium dictum est, quia sacrum factum, quia mystica prece consecratur, in memoriam Dominicæ passionis : unde hoc (*quod ita videlicet consecratur*) eo iubente, corpus Christi & sanguinem dicimus, quod dum fit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei, cuius panis & calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt. *Iuxta Isidorum igitur, visibilia, per Spiritum sanctum sanctificata, mystice in Sacramentum corporis & sanguinis Christi transeunt, sicut lib. de Ecclesiast. Officijs capite tricesimo primo docet*, de visibilibus ad invisibilia, & corporalibus ad spiritualia Sacramenta transire oportere.

¶ BEDA *venerabilis nuncupatus, qui circa annos Christi 715. floruit, rectè etiam de sacrosancta Cœna sensit & docuit. Nam in Marcum libro 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 14. dicit*, Christum carnis & sanguinis sui discipulis tradidisse mysteria celebranda. *Rursus in Marcum lib. quarto cap. 14. & Lucam lib. 6. cap. 22.* Finitis, *inquit*, Paschæ veteris solennijs, quę in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transiit ad novum, quòd in suæ redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, ut videlicet pro carne agni, ac sanguine, sui corporis sanguinisque Sacramentum substitueret, ipsum se esse monstraret, cui iurávit Dominus & non pœnitebit eum. *Non ergo credidit Beda, ipsum sub pane realiter existens corpus, passionis suæ, quæ in sacrificio offertur, figuram seu typum & representationem esse. Eaq; fuit consentiens Cypriani. Cyrilli, aliorumq; primitivæ Ecclesiæ Patrum sententia, ut Christum de pane & calice dixisse intelligant:* Hoc facite in mei cõmemorationem.

Beda de cœna dñi. Ebrina.

Vide de hoc loco Bedæ Oecolampadij lib. 1. ingam fol. 142. B.

In Psal. 3. scribit, Christum Iudam, à sacratissima Cœna, in qua figuram sacrosancti corporis sanguinisq; sui discipulis tradiderit, non excluisse. *In Psal. 21.* Mundi contemptores & pauperes spiritu, edent quidem temporaliter, si ad Sacramenta referatur: & saturabuntur æterniter, quia intelligent in pane & vino visibiliter sibi proposito invisibile, scilicet corpus verum, & sanguinem verum Domini, quæ verus cibus & verus potus sunt, quo non venter distenditur, sed mens saginatur. *Hoc illud ipsum est quod Hieronymus dicit:* Tu es esca animæ non corporis : impinguans mentem, non ventrem. *Et Augustinus in Psalm. 103. & tract. 25. in Ioan.* Non ventris, sed mentis est cibus: intùs esuri, intùs siti. Qui manducat intùs & in corde, viuet in æternum: non qui manducat foris, & premit dente. *Ipsam igitur corporis Christi, sub transubstantiati panis specie, veritatem corporali sua manducatione, vetus esse refectionem, hoc adhuc tempore non creditu fuit. In Ps. 33. Eucharistiã vocat,*

ſacrificium panis & vini. Chriſtus, *inquit*, legalia Sacramẽta, ſecundùm ordinem Aaron priùs inſtituta, convertit in ſacrificium panis & vini, ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui primus ea obtulit. *Idem etiam ex Auguſtino citat*, Credentes per Baptiſmum fieri corporis & ſanguinis Chriſti participes, licèt qui baptizantur ad alterius Sacramenti, nempe Euchariſtiæ perceptionem non pervenerint.

Citantur quoque ejuſdem Bedæ ſuper illud, Ioannes vidit Ieſum ad ſe venientem, &c. *Ioan. 1. c. hæc verba:* Hic quotidie tollit peccata mundi, & abluit nos à delictis, cùm recordatio paſſionis ſuæ ſuper altare iterum immolatur, cùm panis & vini creatura in carnis & ſanguinis Chriſti Sacramentum, ineffabili Spiritus ſanctificatione, transfertur, & ita illius corpus & ſanguis, non infidelium manibus, cum ſuorum interitu, effundatur & necetur, ſed fidelium ore ad ſalutem recipitur. *Ex his verbis Bedæ intelligimus, recordationem paſſionis Dominicæ illud eſſe ſacrificium, quod ſuper altare offertur. Dicit etiam*, Illud offerri in panis & vini creatura: *ergo in hoc ſacrificio manet ſubſtantia panis & vini: & eatenus in horum elementorum creatura offertur, quatenus hæc in carnis & ſanguinis Chriſti Sacramentum transfertur, indeque corpus & ſanguis myſticè vocatur, & à fidelibus in ſacra communione percipitur. Quod autem dicit*, creaturam panis & vini, in carnis & ſanguinis Chriſti Sacramentum transire: *vel* transferri, *non vult dicere, per mutationẽ ſubſtantiæ panis & vini id fieri. ſed manente horum elementorum ſubſtantia & natura, ut Theodoretus & Gelaſius ſuprà apertiſſimè teſtantur. Sed & ipſe Beda hanc ſuam eſſe ſententiam manifeſtè declarat, ijs verbis quæ eodem loco continuè ſequuntur*: Cujus, *inquit*, figuram & imaginem Paſcha in lege appoſitè declaravit, quod poſtea, (quum ſemel populum ab Ægyptiaca ſervitute liberaſſet,) quotannis per illius immolationem, eundem populum ſanctificare ſolebat, donec is, cui hujuſmodi hoſtia teſtimonium daret, veniret, & pro nobis Patri ad ſacrificium, & bonum odoratum offerretur, MYSTERIVM paſſionis ſuæ, antiquato jam agno, ad creaturam panis & vini retulerit, cùm factus ſit Sacerdos, ſecundùm ordinem Meſchiſedech. *Quæ ut ſint intelligenda, Beda adhuc uberiùs explicat iis verbis quæ in Luc. cap. 22. paulo antè citavimus, Iuxta Bedam igitur, Myſterium Dominicæ paſſionis, quod eſt novum noſtræ redemptionis memoriale Paſcha in locum veteris, ad panis & vini creaturam, quæ myſticè in corpus & ſanguinem Chriſti transfertur, ſecundùm ordinem Melchiſedech, Chriſti inſtitutione, translatum eſt. Et diligenter obſervet lector, quòd non dicit Beda, pro carne & ſanguine agni Paſchalis Veteris Teſtamenti, ipſam realem carnem & ſanguinem Chriſti ſubſtitutum eſſe, ut per corporalis præſentiæ ſub ſpeciebus modum, in ſacrificium novi Paſchatis offeratur: ſed Sacramentum tantùm, in panis & vini figura, id eſt, ut paſſionis Chriſti myſterium, adeoque veri illius & unici ſacrificij figura ſit.*

De Conſecr. Diſt. ſecunda capite vigeſimo octavo ex Pœnitentiali Bedæ hæc verba citantur: Si quis per ebrietatem & voracitatem Euchariſtiam evomuerit, quadraginta diebus pœniteat ſi laïcus eſt, ſi clerici, vel monachi, vel diaconi & Presbyteri 70. diebus pœniteant: Epiſcopi 90. Si pro infirmitatis cauſa evomuerint, ſeptem diebus pœniteant. *Hinc intelligimus, Bedam nomen Euchariſtiæ ad ſignum retuliſſe, nec credidiſſe corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ſigna tantùm per vomitum ejici: non ergo credidit ſub ſignis latere, ſeu contineri verũ & reale corpus Domini.*

DAMASCENVS *qui circa annos Domini 740. claruit. libr. 3. cap. ſeptimo de orthodoxa fide ſcribit*, Propter ſalvas & inconfuſas in unione proprietates, non eſſe incircumſcriptæ Divinitati æquale ubique corpus. *Item*, Prorſus impoſſibile eſſe, contrarias ſubſtantiales differentias, ſicut eſt, viſibile & inviſibile, palpabile & impalpabile, circumſcriptum & incircumſcriptum eſſe, ſimul in corpore & Chriſti humana natura cœxiſtere. *Hæc verba, de corporis Chriſti in aſſumpta natura proprietatibus, conſubſtantiali nobiſcum veritate, ex orthodoxæ fidei principijs petita, cum corporali, per tranſubſtantiationem, præſentia, non conſentiunt: ideoque nihil de panis in corpus Chriſti tranſmutatione ſenſit, de qua ibid. ſcribit, quòd cum perpetuo illo & immutabili duarum differentium naturarum, proprietatum, & actionum diſcrimine pugnet: præſertim cùm hanc ipſam tranſmutationem ſic intelligere ſe aperiè teſtetur, per quam corporis natura non auferatur, nec tranſeat in Spiritum. Poſito igitur illo principio, quòd impoſſibile ſit, contrarias proprietates ſimul in Chriſti corpore cœxiſtere poſſe, ſequitur inde irrefutabiliter etiam, quòd impoſſibilis ſit ejus in cœlo ſimul, & ſub tranſubſtantiati panis ſpecie, corporalis præſentia.* Damaſceni de Cœna dominica.

Libro quarto capite decimo quarto Carbonem vidit Iſaias. Carbo autem ſimplex non eſt, ſed unitus igni: ſic panis communionis, non eſt panis ſimplex, ſed unitus Divinitati. Et corpus unitum Divinitati non una ac eadem illi natura eſt: ſed una corporis, unitæ Divinitatis altera. Quare amborum ſimul, non una natura eſt ſed duæ. Senſus Damaſceni ver-

verborum eſt, Sacramentum conſtare ex elemento panis, & inviſibili Divinitate unita: ſeu infuſa ut ait Cyprianus. Et ſicut carbo, quem vidit Iſaias non fuit carbo ſimplex, ſed unitus igni: Ita panis communionis non eſt panis ſimplex, ſed unitus Divinitati. Et ſicut corpus unitum Divinitati, non una ac eadem illi natura eſt, ſed una corporis, unitæ Divinitatis altera: ita Sacramentum ex duabus conſtat naturis, nimirum, elemento panis, & divina eſſentia.

Ibidem collatione à Baptiſmo facta, Sicut aqua, *inquit*, Baptiſmi lavacrum regenerationis: ita quoque panis & vinum corpus & ſanguis Chriſti, divinitatis & gratiæ conjunctione fiunt. *Rurſus ibidem*: Quæris, quomodo panis fiat corpus Chriſti? Ego tibi reſpondeo: Spiritus Sanctus hæc operatur ſuper omnem ſermonem & intelligentiam. Panis autem & vinum aſſumuntur, propter humanam infirmitatem, quæ non conſueta averſatur. Aſſueto igitur condeſcenſu uſus, per conſueta naturæ, facit ea, quæ ſunt ſuper naturam. Quemadmodum enim in Baptiſmate, quia mos & conſuetudo eſt hominibus, aqua lavari & oleo ungi, conjunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus ſancti, & fecit illud lavacrum regenerationis: Ad eundem in modum, quia mos eſt hominibus, panem manducare, & vinum cum aqua bibere, conjunxit his ipſis divinitatem, & fecit hæc corpus & ſanguinem, ut per aſſueta, & quæ ſecundum naturam ſunt, in iis, quæ ſunt ſuper naturam, collocemur. *Hæc Damaſceni verba nullo modo ad tranſubſtantiationẽ accommodari poſſunt. Si enim: cum panis corpus, & vinum ſanguis ſit, per divinitatis cum his conjunctionem, per ea, quæ ſecundùm naturam ſunt, qualis eſt ſumptio panis & vini, collocamur in iis, quæ ſupra naturam ſunt, id eſt, ſupernaturalis gratiæ, in communione corporis & ſanguinis, participes efficimur, nullus omnino, in hoc fiendi corpus & ſanguis Chriſti modo, tranſubſtantiationi locus eſſe poteſt. Neque enim quod panis & vinum eſſe deſinunt, & ſub ſpeciebus eorum corpus & ſanguis Chriſti fieri, atque ſuccedere per tranſubſtantiationem dicuntur, eſt hoc, quod in myſteriis ſecundùm naturam fit, ſed naturæ prorſus eſt contrarium: neque etiam eſt illud, in quo ſuper naturam collocamur. Nam quæ ſupra naturam ſunt, ſpiritualia ſunt, ſecundùm Damaſcenum libr. 4. cap. 10. & 14. & ſecundæ hominis nativitati accommodata dona, quæ operante in myſteriis Spiritu ſancto contingunt, & non poteſt capere, niſi ſola fides.*

In fine ca. 14 fatetur, myſteria dici quoque poſſe antitypa futurorum, non, quòd non verè ſint corpus & ſanguis Ieſu Chriſti, ſed quia in ſeculo per illa participamus Chriſti divinitate, in illo autem intellectu per ſolam viſionem. *Et ſic vult dicere: Myſticam illam corporis & ſanguinis Chriſti in hac vita participationem, figuram & exemplar illius eſſe, quæ in altera vita intellectualiter ipſa viſione fiet. Quemadmodum autem oraliter Chriſti corpore & ſanguine in æterna vita non fruemur, ſic etiam in hoc ſeculo in iſtis futurorum antitypis myſteriis, veri corporis Chriſti participatione, divinitate ejus non fruimur: ſed talis eſt hæc corporis & ſanguinis Chriſti in præſenti ſeculo participatio, qualis in æterna gloria, abſque corporalium ſymbolorum myſterio, ſimplici intelligentia mentis, & contemplatione futura erit. Ex quibus intelligimus corporalem illam, ſub tranſubſtantiati panis ſpecie, corporis* CHRISTI *præſentiam, non eſſe, nec verè dici poſſe ἀνάτυπον illius in æterna vita participationis, quum inter hæc nulla ſit correſpondens analogia, qualis antitypis figuris, ad ipſam rei veritatem, cujus ſunt antitypa, ſemper ineſſe ſolet.*

Anno Chriſti 788. celebrata eſt NICENA *2. Synodus, in qua defenſus ab Epiſcopis fuit imaginum cultus, inter cætera quoque exemplis ab Arca fœderis, Myſterio crucis & Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti. Et ſic argumentati ſunt quidam Epiſcoporum, ut ex libro Caroli M. contra Synodum conſcripto intelligitur:* Sicut corpus Dominicum & ſanguis à fructibus terræ ad inſigne myſterium tráſit: Ita & imagines, artificum induſtria compaginatæ, ad earum perſonarum, in quarum ſimilitudinem compaginantur, tranſeunt veneretionem. *In hoc argumento, à comparatis deſumpto, quod ad ſimilitudinem rerum, ad quas ſit collatio, eodem loco habentur Arca fœderis, Myſterium crucis, & Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Non igitur tunc creditum fuit in Græca Eccleſia, Sacramentum corporis Chriſti eſſe ipſum reale & tranſubſtantiatum corpus. Non enim eadem Imaginum cum Arca fœderis, & Myſterio crucis, quæ cum tranſubſtantiato illo reali corpore comparatio fieri potuiſſet: nam in iſta comparatione maxima differentia eſt inter Arcam fœderis, Myſterium crucis, & reale Chriſti corpus. Intelligitur hoc apertiſſimè ex iſtis verbis, quibus Imaginum Patroni, corpus & ſanguinem Domini à fructu terræ, ad inſigne myſterium tranſire dicunt. Nam corporis & ſanguinis Chriſti eſſentia, nec ex fructibus terræ fieri, nec in myſterium tranſire, dici rectè poteſt. Sequitur ergo figurato locutionis genere Dominicum corpus ab iis vocari quod ex fructibus terræ in myſterium & Sacramentum ipſius tranſit. Conſtitit autem argumenti iſtius Græcorum, pro defendendo Imaginum cultu, ratio in eo, quod propter ſimilitudinem, ut*

Nicæni Synodi 2 defenſio de cana

Sacramentum corporis Christi, sic etiam Imagines rerum, quas repræsentant, nomina accipiant: ideoq; ut in externo & visibili Sacramento res internæ honorantur, sic etiam in Imaginibus illas ipsas personas, in quarum similitudinem factæ sunt, honorari.

Francofurtensis Synodi de Cœna doctrina.

Si Francofurtensis Synodus, contra hanc Nicenam celebrata, sensisset Græcos reale corpus Christi in pane Cœnæ statuere, facilè hûc nodum argumenti istius solvisset: nimirum ridiculum argumentandi rationem esse, in qua, cum ipsa veri corporis existentia in Sacramento, conferatur simplex tantùm rei absentis imago: Non igitur sequi, Ecclesia habet corpus & sanguinem Christi, in quo substantiali præsentia colitur & adoratur: Ergo etiam coli & adorari debet in imagine. At hoc expeditissimo solutionis genere usi non sunt, sed Orientalium argumentum refutarunt rationibus à differentia in Sacramentum corporis & sanguinis Domini, & Imagines petitis. Primò, *ab institutione & mandato Christi.* Secundò, *à modo Sacramenti per consecrationem & invocationem Spiritus sancti, in Dominicæ passionis commemorationem celebrandi.* Tertiò, *à sacrificii Eucharistici cultus ratione, qui Angelorum manibus ad cœleste Dei altare deferendus petitur.* Quartò, *à spirituali usu, & efficacia Sacramenti, in participanda carnis & sanguinis Christi veritate.* Quintò, *ab offensione, quam incurrunt, qui indignè hoc Sacramento utuntur. Ab his differentiis docent Occidentales, Imagines nullo modo in usu & cultu earum huic tanto mysterio comparandas esse. Ex quibus omnibus evidentissimè colligitur, transsubstantiationis doctrinam, hoc adhuc tempore, in Orientali & Occidentali Ecclesia prorsus incognitam fuisse.*

NOTA

Fractio trina Oblatæ insticia erroris transsubstantiationis.

Præterea ex fractione trina Oblatæ instituta à Sergio Papa probari etiam potest, eo adhuc tempore in Ecclesia Romana creditum non fuisse, quòd ratio mysterij requirat; ut ipsum corpus Christi reali præsentia sub externis symbolis lateat, sicuti hodie docetur in ea. Is enim Triforme statuit esse corpus Domini, ex eo, quòd Oblata in tres partes confringitur: ac dicit, Prior pars in calicem missa, corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat. Altera pars comesta, adhuc ambulans super terram. Ultima pars in altari usque ad Missæ finem remanens, corpus in sepulcro. *De Consec. Dist. 2. cap. 22. Iuxta Sergium Pontificem igitur, tres istæ confractæ Oblatæ partes sunt triforme, seu tripliciter intellectum corpus Christi non per corporalem triplicis modi existentiam, sed in repræsentante & significante mysterio. Nam ut per priorem partem, quæ in calicem mittitur monstrari, non autem realiter contineri dicit corpus Domini, quod resurrexit, sic eadem quoque est mysterij in aliis duabus particulis ratio.*

Alcuini de Trina de Cœna.

ALCVINVS, *qui etiam* Albinus *dicitur, Caroli M. præceptor, & magnus, doctissimusque totius Galliæ magister, sicut ab Amalario Trevirensi vocatur lib. 4. cap. 58. ministerium oblationis, quod in Canone Missæ agit Sacerdos, his verbis explicat:* Preces & oblationes, quas fideles Deo omnipotenti offerre desiderant, per ministerium & orationem Sacerdotis ad Deum transmittunt: unde & à plerisque dicitur Missa. *Quòd si, juxta Alcuinum, Missa est ministerium & oratio Sacerdotis, quæ fidelium preces & oblationes, quas illi offerre desiderant, transmittuntur, non obscurè intelligitur, quibus in rebus sacrificij istius cultus, qui incruenta mentis & Spiritus hostia ab aliis vocatur, consistat, & ut olim ex purioris, adhuc Ecclesiæ Romanæ traditione ac ritu celebratus sit. Vide infrà cap. 8. plura de Alcuini doctrina de Cœna Dominica.*

Caroli M. sententia de Cœna.

CAROLVM *M. quoque Imp. transubstantiationis dogma ignorasse, & verum sensum verborum Christi, quem supra ex Patribus orthodoxis exposuimus, retinuisse, apertissimè colligitur ex ejus epistola ad Alcuinum præceptorem suum, quæ exstat in libro de divinis Officiis ubi inter alia sic scribit:* Cœnando cum discipulis suis Christus panem fregit, & calicem pariter dedit eis IN FIGVRAM corporis & sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit Sacramentum.

Christiani Druthmari doctrina de Cœna.

CHRISTIANVS Druthmarus *fuit Bedæ discipulus, & floruit circa annos Domini* 800. *Is in cap. 26. Matth. ad hæc verba*; Deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum: *hæc scripsit:* Dedit discipulis suis Sacramentum corporis sui in remissionem peccatorum, & in conservationem charitatis: ut memores illius facti, semper hoc IN FIGVRAM facerent, quod proeis acturus erat, & hujus charitatis non obliviscerentur. Hoc est corpus meum: id est, in Sacramento.

Item ad illa verba; Et accipiens calicem, &c. Quia, *inquit*, inter omnes vitæ alimonias, cibus panis, & vinum, valent ad confortandam & recreandam nostram fragilitatem: rectè hæc duo in mysterium sui Sacramenti confirmare placuit. Vinum namque & lætificat & sanguinem auget, & idcirco non inconvenienter sanguis Christi per hoc figuratur: quia quicquid nobis ab ipso venit lætificat lætitia vera, & auget omne bonum nostrum. Sicut denique si aliquis peregre proficiscens dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquit, eo tenore ut omni die hæc agant, ut illius non obliviscantur: ita Dominus præcepit nos agere, transferens spiritualiter corpus in panem, vinum

vinum in sanguinem, ut per hæc duo (*panem videlicet & vinum*) memoremus, quæ fecit pro nobis de corpore & sanguine suo, & non simus ingrati tam amantissimæ charitatis.

Amalarii doctrina de Cœna. Vide Pissp. 741.

AMALARIVS *Monachus Luxovien sis cœnobij, & postea Archiepiscopus Trevirensis creatus, quique circa annos Christi* 800. *claruit, in Præfatione libri de Ecclesiast. Offic. ad Ludovicum Pium Imp. inter alia sic scribit:* Quæ *inquit*, in celebratione Missæ agûtur in Sacramento Dominicæ passionis aguntur, ut ipse præcepit, dicens: Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Idcirco Presbyter immolans panem & vinum, & aquam in Sacramento, vice carnis Christi & sanguinis ejus. Sacramenta debent habere similitudinem aliquam earum rerum quarum Sacramenta sunt: Quapropter similis sit Sacerdos Christo, sicut panis & liquor similia sunt corporis Christi.* Sic est immolatio Sacerdotis in altari quodam modo, ut Christi, in cruce. *Et alibi*: Quod vice Christi immolatur, Sacerdos Deo Patri commendat. *Propter hanc similitudinem, quam habent Sacramenta cum rebus, ac plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt, idem Amalarius libro* 1. *de Ecclesiast. Offic. cap.* 24. *ex Augustino sic scribit:* Sacramentum corporis & sanguinis Christi, secundùm quemdam modum sunt corpus & sanguis Christi. *Rursus:* Sacramenta ad hoc valent, ut nos perducant ad ipsas res, quarum sunt Sacramenta. *Si igitur, juxta Amalarium, ea quæ in celebratione Missæ aguntur, in Sacramẽto Dominicæ passione aguntur: ipsum autẽ reale corpus Christi, ejusque sanguis non sit sua ipsius passionis Sacramentum: sequitur inde, neque etiam ipsam Missæ celebrationem, in corporali præsentia, ipsius veri corporis & sanguinis Christi, quasi hoc modo in theatrum, producti, credidisse peragi Amalarium: Sed ut in Sacramentis mystica similitudo est, non autem realis existentia rerum in signis, quarum sunt sacramenta, sic etiam in corpus & sanguinem Christi consecrato pane & vino, similitudinem esse corporis & sanguinis, Domini, sensisse Amalarium. Deinde, secundùm Amalarium, in mystica immolatione panis & vini, propter sacrum & rationalem memoriæ cultum, inesse similitudo immolationis corporis & sanguinis Christi, & per consequens non realis immolatio corporis & sanguinis ejus. Postremò, in his verbis Amalarii est & illud diligenter observandum, quòd dicit, Panem & vinum in sacramento vice carnis & sanguinis Christi esse: Ergo manet substantia panis & vini, nec sunt, juxta Amalarium, externa illa symbola ipsummet reale corpus & sanguis, sed tantum vice corporis & sanguinis Christi.*

Idem Amalarius lib. 4. *de Eccles. offic. cap.* 40. *sic scribit:* Manifestum est, Missam celebrari præcipuè in recordationem passionis Domini nostri Iesu Christi: in cujus commemoratione agatur, ex ipsis verbis, quæ in Canone leguntur, manifestè liquet. *Cùm igitur memoriale sit hoc sacrificium, quod in Eucharistia peragitur, & nomen ejus rei habet, cujus in se continet memoriam & recordationem, & in quo memoria pro sacrificio offertur: idcirco etiam in iis rebus peragitur & celebratur, in quibus hæc, quæ offertur, memoria à Christo his verbis instituta est:* Hoc facite in mei commemorationem. *Nam hæc verba de tota actione externi Ritus Cœnæ Domini loquuntur, & ad ea, quæ Christus accipere: frangere, edere & bibere justit, referuntur: tanquam in his peragenda & celebranda esset commemoratio, corporis Christi in mortem traditi, & sanguinis eius in remissionem peccatorum effusi.*

Rabani doctrina de cœna. Vide Orthodoxa Confessio fol. 58. & Pissæum p. 741.

RABANVS Maurus, *sive* Magnentius. *Abbas Fuldensis circa annos Christi* 825. *& Archiepiscopus Moguntinus creatus circiter annum eiusdem* 836. *constantem universalis Ecclesiæ de Eucharistia doctrinam fideliter tradidit, adeoq; longè aliter de ea suos Clericos instituit, quàm hodie Pontificii faciant. Nam de institut. Cleric. lib.* 1. *cap.* 31. *ad quæstionem respondens:* Cur Dominus corporis & sanguinis sui mysteria, in iis rebus tradere voluerit, quæ comedi & consumi possunt? Maluit, *inquit*, Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, ut per visibile opus, invisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecùs nutrit corpus & vegetat, ita etiam Verbum Dei intus animam nutrit & roborat. Ait ergo ipsa Veritas: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: verè scilicet & caro Christi est cibus, quia verè pascit, & ad vitam æternam hominem nutrit: & sanguis ejus verè est potus; quia animam, justitiam esurientem & sitientem in æternum veraciter satiat. Temporalem quidem vitam sine isto cibo & potu habere possunt homines, æternam omnino nõ possunt. Quia iste cibus & potus æternam societatem corporis & membrorum suorum significat. Qui manducat, inquit, meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quapropter necesse habemus sumere corpus & sanguinẽ ejus, ut in ipso maneamus, & ejus corporis membra fiamus. *Et post ex Augustino Tract.* 26. *in Ioan.* Mensa Domini, *inquit*, quibusdam cedit ad vitam, quibusdã ad exitium. Quicunq; enim eius particeps fuerit, idẽ Christo capiti mẽbrum associatum erit in regno cœlorum. Quia aliud est sacramentum, aliud virtus sacramẽti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute sacramẽti interior homo satiatur. Sacramentũ enim

enim in alimentum corporis redigitur, virtute autem ſacramenti æternæ vitæ dignitas adipiſcitur. In ſacramento fideles communicantes pactum ſocietatis, & pacis ineunt: in virtute verò ſacramenti omnia membra capiti ſuo conjuncta & coadunata, in æterna charitate gaudebunt. Sicut ergo illud in nos convertitur, cùm id manducamus & bibimus, ſic & nos in corpus Chriſti convertimur, dum obedientes & piè vivimus. *Ibidem*: Sacramentum extrinſecum recipitur ore corporis: corpus autem Chriſti in interiorem hominem recipitur, Spirituali fidei ore.

Rurſus lib. 1. cap. 31. Miſſa, *inquit*, eſt legatio inter Deum & hominem, cuius officio fungitur Sacerdos, cùm populi vota per preces & ſupplicationes ad Deum offert, & bene hoc tempore ſacrificii fit quando illius paſſionis memoria celebratur, Chriſti videlicet, Mediatoris, Dei & hominum, qui ſemetipſum obtulit Deo Patri, pro nobis. Hunc autem ſacrificii morem primùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit, quando commendavit Apoſtolis ſuis corpus & ſanguinem ſuum, priuſquàm traderetur, ſicut legitur in Evangelio. *Et pòſt*: Cum benedictione enim, & gratiarum actione primùm Dominus corporis & ſanguinis ſui ſacramentum dedicavit & Apoſtolis tradidit, quod exinde Apoſtoli imitati fuêre, & ſucceſſores ſuos facere docuerunt. Sacrificium autem dictum eſt, quaſi ſacrum factum quod prece myſtica conſecratur in memoriam Dominicæ paſſionis: Unde hoc, eo jubente, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, quod dum fit ex fructibus terræ, ſanctificatur, & fit ſacramentum, operante inviſibiliter Spiritu Dei, cujus panis & calicis ſacramentum Græci Euchariſtiam dicunt, quod Latinè bona gratia dicitur. *Ex Rabani igitur ſententia, Miſſa eſt orationis & gratiarum actionis, per Sacerdotem, ex populi vote, facta, non realis corporis Chriſti, ſub ſpecie panis, oblatio. Et Sacrificium eidem nihil aliud, quàm Dominicæ Cœnæ actio vel communio eſt, in qua paſſionis Chriſti, ſeipſum Patri pro nobis offerentis, recordatio celebratur. Hujus autem ſacrificij ſacrum illud factum, unde Sacrificium dictum eſſe vult Rabanus, hoc eſſe dicit, quod ex fructibus terræ prece myſtica ſanctificatum, fit ſacramentum, & ex Chriſti mandato, corpus & ſanguis ejus nominatur. Quibus verbis, ex Auguſtino deſumptis, myſticam corporis & ſanguinis appellationem, quæ fructibus terræ tribuitur in Cœna, in ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conſecrati, deſignare, & per hoc docere voluit, ſacrificium illud, hoc eſt, memoriam & recordationem ſacrificij Chriſti in panis & vini ſymbolis myſtica celebratione peragi.*

Idem Rabanus verum & naturale corpus Chriſti, à ſacramentali & myſtico corpore, in quo ſacrificii memoria fit & repræſentatur, ſic diſcernit lib. 1. de Inſtitut. Cler. cap. 32. Ponuntur, *inquit*, nunc quoque vaſa ſancta (ut ſunt patena & calix) ſuper altare, quæ quodammodo Dominici ſepulchri typum habent: Quia ſicut tunc corpus Chriſti aromatibus unctum, in ſepulchro novo per piorum officium condebatur: hoc modo in Eccleſia myſticum illud corpus, cum unguentis ſacræ orationis conditum, in ſacris vaſis, ad percipiendum fidelibus, per Sacerdotis officium adminiſtratur.

Idem, Sacramentum in alimentum corporis redigi aſſeverat: virtute autem ſacramenti æternæ vitæ acquiri dignitatem prædicat. *At verò accidentia panis alimentum corpori humano ſuppeditare non poſſunt: ergo veram elementorum panis & vini ſubſtantiam in ſacramento manere ſenſit Rabanus. Sed inquiunt Ieſuitæ, ſigna ſacramentalia ſpecierum, quæ ſacramenta etiam vocentur, quæque ſenſus noſtri corporis percipiant & deguſtent, manere. Reſpondeo, Rabanum, non quid ſigna illa in guſtu efficiant, ſed quid operentur in carne, docere, ut ex alimento carni ſubminiſtrato veram panis & vini ſubſtantiam manere profiteatur.*

Propter hæc & ſimilia, Thomas Waldenſius *Anglus circa annos Chriſti* 1414. *hunc Rabanum, magni in tota Germania nominis, hæreſeos condemnavit, ut qui hæc contra Romanæ Eccleſiæ fidem ſcripſiſſet. Sed cogitare debuiſſet Romanæ beſtiæ mancipium, quòd non modò Rabanum, ſed ſimul quoque omnes primitivæ Eccleſiæ Doctores, condemnarit: Ideoque potiùs recentem illam, quæ nunc eſt Romanam Eccleſiam, quàm totam retro vetuſtam, in Rabano, erroris & hæreſis, condemnare debuiſſe.* Nota.

HAYMO *ex Angloſaxonum genere & populo oriundus, non frater, ſed conſanguineus Bedæ, juxta Baleum, diſcipulus in Anglia Albini, ſeu Alcuini, & conſiſcipulus Rabani, & contubernalis ejus in Fuldenſi Cœnobio: Abbas Hirſfeldenſis, & poſtea Halberſtadenſis Epiſcopus, circa annum Chriſti* 840. *juxta Chronicon Quedelburgenſe, deſignatus, quemque in homiliis ſuis paſſim conſitat in hoc argumento Auguſtinum & Bedam ſecutum fuiſſe, in* 1. *Corinth.* 10. *&* 11. *cap. & homil. feria* 4. *poſt Pentecoſt. ſcribit*, Sicut panem & vinum, quæ quotidie Sacerdotes in Eccleſia conſecrant, per ſanctificationis gratiam, qua Divinitatis plenitudo & virtus iſta replet, in corpus & ſanguinem Chriſti tranſire, atque ſic unum cum aſſumta Haymonis de Cœna doctrina. *Vide Plat. ſum p.* 741.

ſumta carne corpus eſſe: ità quoque dum panis ille à fidelibus in ſacra communione frangitur & comeditur, Chriſtum per hoc immolari. *Cùm verò panis Cænæ non ſit eſſentiâ idem cum vero Chriſti corpore, ſed myſticè ſolùm, quatenus videlicet ſpirituali ratione in illud tranſit, unum cum eo, propterea etiam Chriſtus in hac myſtica ſacræ communionis oblatione, non in vero corpore, ſed in pane iſto, qui myſticum eius corpus eſt, immolatur.* Sicut enim, *ait*, ille panis in corpus Chriſti tranſit: ita omnes in Eccleſia, qui dignè comedunt illud, unum corpus Chriſti ſunt, & tamen illa caro, quam aſſumſit, & iſte panis, omniſque Eccleſia non faciunt tria corpora, ſed unum corpus. *Per quæ ſatis patet, quòd qualis eſt huius unitatis, quò ad corpus Chriſti, ratio, inter carnem aſſumtam & fidelium Eccleſiam, myſtica videlicet, qua, teſte Cypriano, non corporali, ſed ſpirituali tranſitione cum Chriſto uniti, unum cum eo corpus ſumus: talis eſt etiam hæc unitatis ratio panis Euchariſtiæ, ad ipſum corpus, in quod myſtica relatione ſeu mutatione,* (*ſicut hoc Gelaſius, Heſychius, Beda, Druthmarus, Bertramus & Paſchaſius explicant*) *non autem per hypoſtaſis identitatem tranſit ſeu transfertur corpus Chriſti. De quo ſic poſtea:* Panis, quem Chriſtus tradidit diſcipulis, omnibus prædeſtinatis ad vitam æternam, & quem quotidie conſecrant Sacerdotes in Eccleſia, cum virtute Diuinitatis, quæ illum replet panem, verum Chriſti corpus eſt, nec ſunt duo corpora, illa caro quam aſſumſit, & iſte panis, ſed unum faciunt corpus Chriſti. *Hæc igitur verba Haymonis*: Illa caro, quam aſſumſit: & iſte panis, quem replet Diuinitas Verbi: omniſque fidelium Eccleſia: *quum manifeſtam ſubiecti & hypoſtaſis diuerſitatem indicent, non niſi de myſtica eiuſdem corporis unitate, qua propter Eccleſiæ & Diuinitatis unitatem, unus ubique eſt panis corporis Chriſti, intelligi poteſt. Vnde Paulo pòſt*: Sicut illud corpus, *ait*, quod in cruce depoſuit Chriſtus, pro noſtra ſalute & redemtione eſt immolatum: Ita quotidie ad noſtram ſalutem & redemtionem iſte panis Deo offertur: qui licèt videatur panis, corpus eſt Chriſti. *Quæ quomodo ſint accipienda, in ſequentibus ex Hieronymo eleganter explicat:* Relinquens Dominus hoc ſacramentum ſaluti ferum omnibus fidelibus, ut illud infigeret cordibus & memoriæ ipſorum, more cuiuſcunque hominis egit, qui appropinquans morti, aliquod munus precioſum dimittit alicui amico, dicens: Habe hoc cum omni diligentia penès te, in memoriam mei, ut quotieſcunque accedimus ad conſecrandum, & percipiendum ſacramentum, quod nobis Dominus paſſurus, in memoriam muneris æterni ſui dimiſit tenendum, cum timore & compunctione cordis, omnique reuerentia accedere, recolentes, quanto amore dilexit nos, qui pro nobis ſeipſum obtulit, ut nos redimeret, *His verbis, idem quod Baſilius, docere voluit, Chriſtum nobis paſſionis ſuæ ὑπομνήματα & ἀπόνυτα reliquiſſe.*

Summa Latini Canonis

Porrò quæ in Canone Latino agerentur Pauli verbis docet in cap. 2. ad Timoth. Beatus, *inquit*, Apoſtolus dirigens hæc verba Timotheo, in illo tradidit omnibus Epiſcopis, Presbyteris, omnique Eccleſiæ formam, quomodo debeant Miſſarum ſolennia celebrare, & pro omnibus hominibus orare: quam formam vel exemplum omnis Eccleſia retinet. Nam obſecrationes ſunt, quicquid præcedit in Miſſarum ſolennijs uſque ad illum locum, ubi incipit conſecrare myſteria corporis & ſanguinis Domini; inquiens: Te igitur clementiſſime Pater petimus, &c. Orationes ſunt, quas fundit Sacerdos in conſecratione Euchariſtiæ, uſque ad fractionem corporis Domini, videlicet, quando particulam quandam Sacerdos in calicem proijcit. Poſtulationes ſunt benedictiones Epiſcopales, quas dicit Epiſcopus ſuper populum invocans nomen Dei ſuper illum. Gratiarum actiones ſunt laudes, quas communicato populo refert Sacerdos Deo Patri, qui dignatus eſt myſteria corporis & ſanguinis Filij ſui dare eis ad ſalutem & redemtionem.

Haymonis igitur ætate adhuc Miſſa publica fidelium communio erat: Canon etiam, non tranſubſtantiatio panis & vini in reale corpus & ſanguinem Chriſti, eiusque ſubſtantialis in ſacrificium oblatio erat, ſed tantùm oratio, qua corporis & ſanguinis ſacramenta à Sacerdote conficiebantur, pro quorum participatione à plebe facta, gratia Deo Omnipotenti agebantur.

T 4 CAPVT

CAPVT VIII.

Quòd Canon Latinus quoque cum Primitiuæ Eccleſiæ ritu & doctrina, in quam is primò conceptus, & ad quam tunc temporis accommodatus fuit, in pleriſque planè & in ſolidum conueniat : pro ſtabiliendaautem Miſſa priuata & Tranſubſtantiationis dogmate nihil prorſus faciat.

VT oculis cerni ab omnibus & agnoſci ſine ulla hæſitatione poſſit, primitiuæ Eccleſiæ ritus, eiuſdemque veram & ſanam doctrinam de ſacra Domini Cœna in hac tertia quoq; Claſſe, hoc eſt, ab anno Domini 600. uſq; ad annum ferè 1000. in pleriſq; capitibus retentam fuiſſe, in argumentum firmiſſimæ probationis Latinæ Miſſæ Canonem, eiusq; præcipua capita breuiter examinabimus, & ad oculum demonſtrabimus, quòd is ad hos ritus & doctrinam ab initio conceptus ſeu compoſitus, atq; etiam accommodatus fuerit : iſtum namq; unum verum & genuinum verborum illius Canonis ſenſum eſſe, omnes concedent, qui cum eo ritu & doctrina, in quam primò conceptus eſt, conſentire intelligi poteſt.

Cœnam igitur ſeu Miſſam, hoc tempore quo Canon compoſitus fuit, non fuiſſe priuatam, ſed publicam actionem, nec ſacrificium, in quo corpus & ſanguis Chriſti, per corporalem ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam, Deo oblatum fuerit, ex omnibus & ſingulis Canonis partibus cognoſci poteſt, ut ordine explicabimus.

Canonis Prima Pars.

Canon reiectus ſuper reale corpus Chriſti, ſed ſuper elemt. ſanct. De his Oblationibus & offerendi ritu vide Vadiani Aphoriſmos pag. 198. & ſeq.

PRimæ partis precatio, ut etiam nonnullæ ſequentes, non conceptæ fuerunt antiquitùs & Canoni inſertæ, ut dicerentur ſuper ſacrificium verum veri corporis & ſanguinis Chriſti, eo nimirum ſenſu quo hodie in Papatu recitantur, ſed ſuper dona & eleemoſynas, quæ ad menſam in Templis poſitam à fidelibus offerebantur. Nam in publica Cœnæ Dominicæ celebratione populus oblationes ad altare faciebat in primitiua Eccleſia, ex quibus ſacræ Euchariſtiæ communio, & Agape, erga pauperes conficiebatur. Eas autem, ex quibus Euchariſtia celebrabatur, tantùm panem & vinum eſſe operebat, ut ex Iulij primi Papæ decreto intelligitur : quod ſupra l. 2. c. 2. habetur : id legatur ibi, quia hunc veteris Eccleſiæ morem in offerendo ante oculos ponit. Vult enim Iulius, ut ſicut Chriſtus in inſtitutione & commendatione Eccleſiaſtici ſacrificij, non aliud quàm panem & vinum diſcipulis ſuis dedit, in quibus corpus & ſanguinem ſuum commendauit : ita quoque hoc exemplo Chriſti aliud præter panem & vinum à populo in ſacrificium non licere offerri.

Hanc oblationem Diaconi à populo accipiebant, & ſuper altare conſecrandam diſponebant. Vnde ſic Rabanus Maurus de Inſtitut. Cleric. l. 1. c. 7. & 8. Oblationes, ait, in templo Dei à fidelibus ſuſcipiunt Diaconi & Subdiaconi, & altaribus ſuperimponunt: Sacerdos oblata ſanctificat: ipſi ſanctificata diſpenſant.

De huius ſacræ oblationis ritu ſic ſcribit Ignatius epiſt. 7. Sine Epiſcopo baptizare non liceat, neque omnino ſacras offerre oblationes, epulaſque pefagere. Meminit etiam eius Iuſtinus Apologia 2. Tertullianus in Apologetico c. 29. Irenæus lib. 4. contra Hæreſes c. 32. & 34. Cyprianus Serm. 1. de Eleemoſyna : & epiſtola ad Clerum & plebem de Victore, eos Chriſtianos, qui eleemoſynas ſuas in ſportulis afferebant ad Eccleſiam, Sportulantes fratres vocat. Et Auguſtinus de pijs quibuſdam mulieribus, quæ à Barbaris captiuæ abducte fuerant, ſic ſcribit epiſtola 122. ad Victorianum : Sic ſunt illæ in terra captiuitatis ſuæ, quomodo erant illi in ea terra, ubi nec ſacrificare more ſuo Domino poterant : ſicut nec iſtæ poſſunt vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo. In Concilio Matiſconenſi 2. anno Domini 587. habito, ſancitur c. 4. ſicut etiam in decretis Fabiani Papæ legitur, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini ſingulis ſingulas oblationes offerentibus. Et Carolus M. l. 6. Conſtitutionum c. 182. decreuit quoque ut populi oblationes Sacerdotibus in Eccleſia offerant, & die Dominica communicent. In Concilio Moguntino ſub eodem Carolo habito ſancitur c. 44. ut populus iugiter admoneatur, oblationem & pacem in Eccleſia facere. In Nonnetenſi Synodo circa annum Domini 900. celebrata, vetatur, ne oblationes ad altare offerant, neque communionem percipiant, ſed ex Eccleſia eijciantur, qui inimicitias & lites inter ſe fouere deprehenſi fuerint : non enim tales poſſe munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius reconcilientur. Homicidæ autem voluntarij, poſt 14. iniunctæ pœnitentiæ annum demum ad plenam communionem, cum oblatione, recipiuntur. Inuoluntarij verò homicidæ poſt biennij ſuſpenſionem, in communione orationis offerre, non tamen communicare

nicare permittuntur.

Ab his fidelium oblationibus dicit Alcuinus Caroli M. præceptor, Sacrificium à Sacerdote offerri, quod Deo offerendum fideles obtulerunt. Preces enim & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre desiderant per ministerium & orationem Sacerdotis transmittunt. Vnde & Missam à plerisque dici ait.

Hunc usitatum in Ecclesia offerendi morem Ambrosius opponit priuatæ Corinthiorum Cœnæ, & ait: Iubet nos inuicem expectare Paulus, ut multorum oblatio simul celebretur, & omnibus ministretur.

De oblationibus populi panis & vinum distribuebatur in Cœna.

Quod verò sic oblatum erat, de eo populo postea in sacra Synaxi distribuebatur. Vnde Augustinus epist. 59. & lib. 2. Retract. c. 11. docet, Memorialis sacrificij celebrationem, in sacrosancta Christianorum oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi, hoc est, cùm populo quod oblatum est, distribuitur, consistere. *Et Clemens Romanus epist. 2.* Tanta in altari holocausta offerri debere iubet, quanta populo ad communionem sufficiant: quòd si remanserint in crastinum reseruari vetat. *Et de solenni hac oblationis in Eucharistia ritu & ad mysticum sacrificium apparatu idem Clemens sic scribit l. 8. c. 7. 12. & 19. Constitut. Apost.* Postquam Diaconus dixit. Ite Catechumeni in Pace. *Item*, Ite Energumeni. *Item*, Discedite pœnitentes: Nullus ex prohibitis accedat: Tunc postea dicit: Attendamus. Et Episcopus saluret Ecclesiam, & dicat: Pax Dei cum omnibus vobis. Et populus respondeat, Et in Spiritu tuo. Et Diaconus dicat: Salutate vos in osculo sancto: & salutent Clerici Episcopum: & viri laici, laicos: & mulieres salutent mulieres. Nullus exeat, neúe porta aperiatur, etiamsi fidelis fuerit, tempore oblationis. Ne quis contra aliquem: ne quis in hypocrisi: si quid autem habes contra fratrem, nec orationes tuæ exaudientur, neque Eucharistiæ tuæ recipientur, propter subiectam iracundiam. Erecti ad Dominum cum timore & tremore manentes, sinamus offerri, quibus peractis, Diaconi offerant dona Episcopo ad altare. *Hoc, Canon vulgò Apostolicus 4.* sanctam oblationem celebrare *vocat. Et Cyrillus ad Calosyrium*, Donum, siue oblationem in sanctis orthodoxorum Ecclesijs mysticè celebrare, *dicit. Hinc Cyprianus sic scripsit in libro de Eleemosyna, de recepta consuetudine huius sacrificij, quod in sacra synaxi à fidelibus fiebat:* Locuples & diues Dominicum celebrare te credis, & in Dominicum sine sacrificio venis, & partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis.

De hoc offerendi ritu scribit quoque Origenes contra Celsum libro octauo. Nos conditori rerum morem gerentes, pro eius in nos collatis beneficijs, ubi & gratias diximus, oblatis panibus vescimur, qui utique ex oratione & precibus sanctius quoddam corpus efficiuntur, quod sanctiores nos reddit, qui mente integriore hoc ipso utuntur. *Et apud Socratem in Tripart. hist. lib. 9. c. 38. hac verba leguntur*, Oblatione facta communicare. *Et Cornelius Episcopus Rom. in epistola quæ extat apud Eusebium li. 6. capite quadragesimo tertio, his phrasibus utitur:* Oblata dispensare, & cuique partem distribuere. *Item*, De benedictione & collectis sumere. *De quo etiam sic scripsit Clemens Roman. lib. 8. capite vicesimo Constitutionum Apostolicarum.* Accedat omnis populus ordine cum pudore & reuerentia, & Episcopus det oblationem, dicens: Corpus Christi: & sumens dicat, Amen. *Quæ certè longè aliam oblationem designant, quàm ea sit, quæ hodie in transubstantiati panis oblatione Missæ Pontificiæ peragitur.*

In Liturgia quoq; Chrysostomi de hac Ecclesiastica fidelium oblatione hæc leguntur: Post completum sanctum symbolum, dicit Diaconus cum voce: Stemus honestè: stemus cum timore: attendamus sanctam oblationem cum pace offerre. Cui Chorus respondet: offerimus non solùm cum pace, sed etiam ipsam pacem, loco muneris & laudis sacrificij.

In Ordine Romano huius oblationis talis fit mentio, ut à Cassandro citatur in Liturgicis fol. 51. & 53. Interim cantores canrant Offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, id est, Panem & vinum, & offerunt cum fauonibus (hoc est, cum velo & sindone) primùm masculi, deinde fœminæ. *Et post:* Tunc accipiens Archidiaconus per Subdiaconos oblatas hinc inde porrigentes, ponit tantas super altare, quantæ possint populo sufficere. *Et in Expositione Ordinis Romani, ut ab eodem citatur fol. 65.* Secundùm Ordinem sanctorum Patrum, & secundùm ipsius Canonis textum, debet omnis populus, intrans ad officium Missæ, panem & vinum offerre. *Eodemque authore, ex oblationibus fidelium corpus Domini conficrandum est.*

Et ex Ambrosio intelligitur in Prologo Exposit. in Psal. 98. recenter baptizatos, non nisi octauo demum die ad huiusmodi oblationes faciendas, admissos fuisse. Licèt, *inquit*, in Baptismate statim plena sit purgatio: tamen quia ablutionis istius, sacrificijque rationem baptizatus debet cognoscere, non offert

offert sacrificium, nisi octauum ingrediatur diem, ut informatus agnitione Sacramentorum cœlestium, & non quasi rudis hostiæ, sed quasi rationis capax, tunc demum suum munus altaribus sacris offerat, quum cœperit esse instructior, ne offerentis insciti contaminet oblationis mysterium. *Vbi obiter obseruandum, huiusmodi oblationem fidelium etiam* Sacrificium *nominatam fuisse.*

Oblationes fidelium vocantur in Canone Sacrificia Deo grata, &c.

Talia munera & dona Sacrificia Deo grata & precepta vocantur in hac prima parte Canonis, iuxta sacræ Scripturæ morem: Sic enim Philippensibus pro misso subsidio indigentiæ suæ Paulus gratias agit: Expletus sum, *ait*, postquam accepi ab Epaphrodito, quæ à vobis missa fuerunt, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam, gratamque Deo. *Philip. 4. cap.*

Super oblationibus fidelium variæ preces recitatæ in Canone.

Super hac oblatione olim variæ Orationes & preces pro acceptatione ipsius dici, in ipsque vota fidelium, non tam cum eleemosynis ad Agapas, quàm cum oblationibus hostiarum ad memorialia sacrificij celebrationem destinatis, commendari Deo solebant. Huc pertinent preces non solùm huius primæ, sed etiam sequentium partium Canonis, in quibus petitur, ut hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia Deus accepta habeat & benedicat: *Item*, Vt hanc oblationem placatus accipiat, & in omnibus benedictam, *adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere dignetur, &c.*

In Missali quoque Romano hæ preces leguntur: Suscipe Domine preces populi tui, cum oblationibus hostiarum, ut Paschalibus initiata mysterijs, ad æternitatis nostræ medelam, te operante, nobis proficiant, nosque tua mysteria celebrantes, ab omnibus periculis defende. *Item:* Dignare preces & hostias dicatæ tibi plebis accipere. *Item*, Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, præsentis vitæ nos conuersatione sanctificent, & ad gaudia æterna perducant. *Item:* Munera, quæsumus, oblata Domine sanctifica, & corda nostra Spiritus sancti illustratione emunda. *Item:* Propitius, quæsumus, Domine, hæc dona sanctifica, & hostiæ spiritualis oblatione suscepta, nosmet ipsos tibi perfice munus æternum. *Item:* Munus, quod tibi Domine seruitutis nostræ offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum. *Item*: Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes, benignus assume, ut & nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. *Item:* Accipe, quæsumus, Domine munus oblatum, & dignanter operare, ut quod mysterijs agimus, pijs effectibus celebremus. *Item:* Domine Deus noster, qui in his potiùs creaturis, quas ad fragilitatis nostræ subsidium condidisti, tribue, quæsumus, ut & vitæ nobis præsentis auxilium, & æternitatis efficiant sacramentum. *Item:* Suscipe, quæsumus, Domine, munera populorum tuorum propitius, ut confessione tui nominis, & baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. *Item*: Tibi Domine sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem fieri remedia nostra præstares. *Et secreta Oratio quintæ Dominicæ post Pentecosten sic habet:* Propitiare Domine supplicationibus nostris: & has oblationes famulorum & famularum tuarum benignus assume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui cunctis proficiat ad salutem. *Similes sunt Secretæ Dominicæ sextæ & septimæ. Hæc autem preces & similes super oblationes seu dona & munera fidelis populi recitatæ, testatur luculentissimè Gregorius in Registro lib. 8. epistola 7. ubi dicit*, Canonem à quodam Scholastico compositum esse, ut super oblationem diceretur. *Et Honorius Presbyter Augustodunensis lib. 1. de Gemma animæ c. 29.* Fertur, *inquit*, quòd olim Sacerdotes è singulis domibus & familijs farinam accipiebant, quod adhuc Græci seruant, & inde Dominicum panem faciebant, quoniam pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuerunt. *Et pro his in Canone dicebatur*, Omnium circumstantium, qui tibi hoc sacrificium laudis offerunt, &c.

Qualis oblatio in quam concepta sunt preces Canonis.

Ex quibus manifestissimè patet, qualis hæc fuerit oblatio, in quam concepta sunt, & super qua dici solebant Canonis Latini, & veteris Ordinis Romani preces: nimirum, super oblationibus fidelis populi, quæ constabant ex pane & vino ad communionem præcipuè: non ad sacrificium reale corporis & sanguinis Christi. Progressu verò temporis collapsa & abrogata illa Oblationum consuetudine, preces & Orationes istæ nihilominus retentæ, & ad Missaticum sacrificium detortæ & accommodatæ sunt: ita tamen, ut earum nullus hodie verus sensus esse possit, quum in Missa hodierna nihil reliquum de eo sit, quod sic olim coram Deo & Ecclesia, in rationalis cultus celebratione, agendi & orandi causam dedit.

Porrò Græca Ecclesia, sine solenni huius oblationis ritu sacrificium celebrari non posse, adeò sensit, ut tempore Quadragesimæ, quo, panem

nem offerre, niſi ſabbatho & Dominicis diebus, non licebat, iuxta ſynodi Laodicenæ conſtitucionem, nullum abſq; hac fidelium oblatione ſacrificium, quod fieret, ſed tantùm, ut habet Canon 32. Concilij Conſtantinopolitani 6. ad Trullum, ſacrum præſanctificatorum miniſterium *eſſe diceretur. Quod Balſamon ſic explicat:* Statuerunt, *inquit, Patres*, ſacrificium tota Quadrageſima, præterquàm ſabbatho, & die Dominica, & die Annunciationis non fieri. Præſanctificatorum autem miniſterium, incruentum ſacrificium non dicimus, ſed oblationem priùs oblati & perfecti ſacrificij, ſacriq; myſterij. *Ex his verbis Balſamonis intelligitur, aliud eſſe miniſterium præſanctificatorum, quo quæ iam ante oblata & ſanctificata, atq; ad diſtribuendum reſeruata eſſent, inter communicantes diſtribui ſolebant: aliud verò incruentum ſacrificium, quod in ſolenni oblationis ritu conſiſtebat & perficiebatur: à quo etiam* Incruentum oblationis ſacrificium *in 28. eiuſdem Concilij Canone vocatur, quia tam ſacrificij, quàm incruenti ſacrificij, ab hac oblatione, qua incruenta res ſacro memoriæ ritu offerantur, appellationem haberet.*

Oblationis iſtius ritus non ſolùm Caroli M. tempore, ſed etiam poſt in uſu fuit, nec aliter verba & preces Canonis Miſſæ, quam de hac oblatione fidelis populi eo adhuc tempore intelligebantur. Alcuinus enim l. de diuinis Officijs fol. 82. de hoc ad Canonem Miſſæ ſcribens, inter alia, Suſcipit, *inquit*, Sacerdos à populo oblata, ut ipſe, qui eſt mediator inter Deum & populum preces eorum & vota Domino offerat. *Et Amalarius l. 3. de Eccleſiaſt. Officijs c. 19.* Oblatione, *ait*, ſuſcepta, Sacerdos redit ad altare, ut in eo diſponat, ſiue ipſe, ſiue Diaconus, oblationes coram Domino, quas illi immolaturus eſt in ſequentibus Miſſæ. *Walafridus Strabo quoq; in lib. de rebus Eccleſ. c. 22.* Sciendum eſt, *inquit*, quoſdam inordinatè offerre, qui attendentes numerum oblationum potiùs, quàm virtutem ſacramentorum, ſæpè in illis tranſeuntes offerunt Miſſis, ad quas perſiſtere nolunt.

Senſus verborum Canonis, Petimus uti accepta habeas ac benedicas, hæc dona, hanc munera.

Hæc verba primæ partis Canonis, Petimus uti accepta habeas ac benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata: inprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta: *ſunt intelligenda de oblationibus fidelium ad altare, hoc eſt, de nudo pane & vino, quæ ſancta & illibata ſacrificia dicuntur, non ſecundùm ſe, ſed quia ad ſanctum uſum deſtinata ſunt, & ſanctum corpus & immaculatum ſanguinem Chriſti ſignificant, ut Micrologus c. 14. teſtatur: tunc verò hæc acceptatio, quæ petitur à Sacerdote, non reſpicit ipſum Filium Dei, quaſi in ſacrificium Patri oblatum, ſed ipſa dona & munera à fideli populo oblata, & poſtulatur, ut in hac etiam Euchariſtici ritus celebratione ea grata & accepta habeat. Sic intellexit hæc quoque Amalarius Treuirenſis lib. 3. cap. 23. de Eccleſiaſt. offic. ubi dicit*, Sacerdotem his verbis, Hæc dona, hæc munera, &c. hoſtiam in altari compoſitam, per ſecretam ſuam orationem facere tranſire ad nomen hoſtiæ, ſiue muneris & doni, vel ſacrificij & oblationis. Hæc autem dona & munera, *ait*, quæ Deo offeruntur, & in quibus ſacrificium illud laudis perficitur, ſunt panis & vinum, quæ ſancta & illibata ſacrificia dicuntur, quoniam in uno corpore Chriſti hæc ſacramenta continentur. Sed quoniam potius requirit Deus ſacrificium cordis, quàm hoc, quod extrinſecus miniſtratur, in corde Sacerdotis volumus interpretari dona, & munera, & ſacrificia illibata. Vnde Auguſtinus dicit lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. Dona eius in nobis, nos quoque ipſos vouemus & reddimus ei: beneficiorum eius ſolennibus feſtis & diebus ſtatutis, dicimus ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio, ei ſacramus hoſtiam humilitatis & laudis, in ara cordis feruidam charitate. Iuxta eundem Auguſtinum, Si quis Dona Deo offerre vult, ſeipſum offerat: Si quis munera, ſæpius memoretur beneficiorum eius: Si quis ſacrificia illibata, humilitatem, laudemq; & charitatem offerat. Eodem lib. cap. 5. ſcribit: Sacrificium ergo viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, hoc eſt, ſacrum ſignum eſt. *Hæc omnia Amalarius, ad dicta verba Canonis ex Auguſtini ſententia ſcribit.*

Amalarius ut intelligendus ſit hæc verba Canonis.

Ex quibus intelligimus hæc dona & munera, & ſacrificia illibata, quorum Canon meminit, & quibus ſacrificium Euchariſticum perficitur, non eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panem & vinum. Deinde, ſi potiùs requirit Deus ſacrificium cordis, quàm hoc, quod extrinſecus miniſtratur, ſequitur rurſus, ſacrificium illud externum non eſſe oblationem Filij Dei: quod etiam inde colligitur, quòd externum hoc ſacrificium, ſanctum & illibatum vocatur, & ut acceptum habeatur, rogatur, non propter corporis & ſanguinis Chriſti realem oblationem, ſed propter internum cordis ſacrificium. Ideoq; Amalarij adhuc tempore hæc verba Canonis non eo ſenſu, ut hodie, intellecta ſunt.

Rationes, quibus vera ſit noſtra explicatio ſolaque verborum Canonis.

Hunc autem veteris Eccleſiæ ſenſum verum & genuinum eſſe, his quoq; rationibus probo. Prima, *quòd hæc verba ante conſecrationem dicuntur: contendunt autem Pontificij, ante conſecrationem non adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. De oblationi-*

tionibus igitur fidelium hæc verba Canonis tantùm sunt interpretanda : sin minùs, Pontificiorum tamen sacrificuli nil nisi merum seu nudum panem & vinum pro Ecclesia offerunt, non ipsum corpus Christi. Hoc quia vident & metuunt Pontificij, hac astutè quidem excogitata argutia, & interpretatione verè præpostera eludere conantur. Ita enim verba Canonis : Hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia illibata, quæ tibi offerimus, &c. *quoniam ante consecrationem dicuntur, non de ipsa oblatione panis & vini, qualis tunc est, cum à fidelibus ad altare offertur, sed qualis propediem sub speciebus ipsorum, per realem corporis & sanguinis Christi præsentiam, futura est, & à Sacerdote offeretur, intelligenda esse fingunt. Sed hoc perperam interpretationis modo, Canonis verba non loquuntur de rebus, quæ tunc sunt verè, cùm dicuntur : sed quæ mox erunt & future sunt. Talis autem lusus non decet Sacerdotes in tam sacrosancto mysterio. Deinde repugnat huic argutiæ demonstrativa particula* Hæc, *ter geminata, quæ docet, offerri illa dona, quæ ad oculorum sensum ostenduntur.*

Respondet etiam alio modo Bellarminus, nimirum, rectè dici panem offerri pro Ecclesia, non quod ista oblatio sit sacrificium propitiatorium propriè, sed quia fit dedicatio rei, ex qua faciendum est sacrificium propitiatorium. Quare, *inquit*, cùm dicimus, nos offerre panem pro Ecclesia, sensus est: Nos offerre Deo panem consecrandum, & ex quo per consecrationem verum sacrificium Deo sit immolandum pro Ecclesia. *Respondeo, manet nihilominus illud, quod diximus, firmum & ratum, sacrificulos nudum panem & vinum pro Ecclesia in Missa offerre, antequàm consecratio facta est. Hunc autem morem loquendi defendere conatur Iesuita ex Veteri Testamento. Nam Leuitici 4. 5. 6. c. & aliis in locis,* iubentur, *inquit*, singuli quiq; de populo offerre agnum, vel aliquid eiusmodi in sacrificium pro peccato: & tamen non quilibet de populo sacrificabat, id enim erat solius Sacerdotis munus, sed dicebantur illi offerre sacrificium pro peccato, quia offerebant materiam, ex qua sacrificium pro peccato offerendum erat. *Respondeo, pro paribus hic sumit Iesuita, quæ sunt imparia. Hæc enim species oblationis, de qua Moses loquitur, non conuenit Sacerdotibus, sed Laicis. Ideo rectè pro Ecclesia panis offertur propter dedicationem materiæ : non autem hæc à solo Sacerdote, sed etiam à Laicis fieri potest. Quoniam verò hæc verba Canonis à solo Sacerdote dicuntur, per modum intercessionis & supplicationis, non potest hic dedicatio & præparatio materiæ intelligi, quia dedicatio seu præparatio intercessionem præcedit. Præterea, quod hoc loco concedit Iesuita, panem simplicem pro Ecclesia rectè dici offerri, ob spem futuræ Transubstantiationis seu mutationis, id apertissimè negat l. 1. de Missa c. 27.* & hoc affirmare absurdissimum esse dicit, quòd non foret præstantius sacrificium Noui Testamenti, illis oblationibus & sacrificijs, quæ fiebant in Veteri. *Est etiam magna impietas dicere, Se panem nudum pro Ecclesia offerre : qua non nisi morte & sanguine Filij Dei redimi & sanctificari potuit. Paulus enim Act. 20. inquit: Spiritus sanctus vos constituit ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio suo sanguine acquisiuit. Et Ephes. 5. ait :* Christus semetipsum exposuit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret: postquam eam purgasset lauacro aquæ per Verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & inculpata.

Secunda ratio *est quòd absurdissimum foret, Deum à sacrificulo, vilissimo homine, rogari per Christum, ut Christum Filium suum oblatum, acceptum & gratum habeat & ut hunc oblatum benedicat, per quem solum alij omnes Deo accepti sunt & placent, ipsomet dicente,* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. *Et Rom. 9. c.* Qui est super omnia benedictus in secula. *Ad hoc verò respondet Gabriel Biel Lect. 33. in Canonem :* Sacrificium, *inquit*, hoc petitur acceptari, non quantum est ex parte sacrificij in se, quia illud Deo displicere non potest: Hic enim sacrificatur Filius Dei, de quo paterna vox ait: Hic est Filius meus dilectus, &c. sed petitur acceptari, quantum est ex parte ministrorum Ecclesiæ, quia quandoq; acceptum non est, cùm indignè hoc sacrificium tractant & offerunt. *Et Lect. 55.* Deprecatio, qua petitur sacrificium acceptari, ad offerentes pertinet. Oratur enim, ut acceptum habeatur, quantum ad offerentem. Ipsum autem sacrificium acceptum est ex se, & propter se, ex opere operato. *Sed hæc non conueniunt cum ijs, quæ apud Iustinum, Irenæum, Clementem, Augustinum & alios leguntur. Et in Secreta Ordinis Romani Sacerdos orat ut ipse Christus sacrificium nostrum, quod in sui commemorationem facere iussit, Patri suo reddat acceptum. Similiter in Græcis Liturgijs pro ipsis oblatis & sanctificatis donis oratur, ut ad sanctum, supercœleste & intellectuale altare Dei, in odorem Spiritualis suauitatis suscipiantur.*

Canonis Secunda Pars.

Hæc pars Canonis de oblationibus fidelium intelligenda.

HAnc etiam Orationem de oblatione fidelium, non de ipso corpore & sanguine Christi, quæ paulò post per transubstantiationem panis & vini, in locum & sub speciebus eorum succedunt,

succeſſura hodie finguntur à Pontificijs, intelligendum & accipiendam ſicque olim conceptam & intellectam eſſe, ex toto eius contextu colligi poteſt. Vt enim rectè illam interpretatur Alcuinus fol. 86. tota fidelium Eccleſia offert illud ſacrificium laudis, quia de omni multitudine circumſtantium dicitur, Qui tibi offerunt. *Quod enim propriè adimpletur miniſterio Sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorum: Sacrificium verò laudis dicitur, quia in laudem ipſius offertur. Non enim noſtra illi damus, ſed ſua reddimus.*

Conſentit etiam Expoſitor Romani Ordinis. Is enim, ut citatur à Caſſandro in Liturgicis fol. 65. Secundùm, *inquit*, ordinem ſanctorum Patrum, & ſecundùm Canonis textum, debet omnis populus, intrans ad officium Miſſæ, & panem & vinum offerre, ut dignè & iuſtè dicat Sacerdos: HOC quod præſtò eſt obtuliſſe ſacrificium PRO ſe ſuiſque omnibus: Quoniam ſola Sacerdotis Oratio reſtis tantummodo eſt fidei, & deuotionis propriæ, non eorum qui minimè offerunt. *Hæc ille. Ergo ab hac oblatione fidelium, commendatur in hac oratione Deo omnium circumſtantium, qui hoc ſacrificium laudis offerunt, fides & deuotio. Idem Expoſitor fol.* 66. *indigniſſime fert, in myſtico panis & vini ſacrificio non amplius offerri donaria populi.* Manifeſtum eſt enim, *inquit*, non oportere aliquos in Eccleſiam conuenientes, offerendi miniſterium prætermittere, cùm præcipuè eorum memoria agatur in Canone, quorum fides per hoc maximè cognita dicitur & nota deuotio, quia ſacrificium laudis obtulerunt, pro ſe ſuiſque omnibus. *Item*: Pro quibus iſta dicuntur, quæ in omnibus Sacramentorum libris habentur & recitantur, pro ijs, qui iuxta præceptum Domini immolant Deo ſacrificium laudis, priùs foràs miſſis per vocem Diaconi iuxta Eccleſiaſticam inſtitutionem, omnibus quorum fides & deuotio non probatur, ſacrificando & communicando ſacramenta. *In his verbis obſeruandum etiam, quòd author iſte, hoc ſacrificium vocat* myſticum panis & vini ſacrificium: *item* laudis ſacrificium: *ergo nullum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium agnouit, quale Pontificij hodie in Miſſa ſua ſtatuunt.*

Sic etiam hanc Canonis Orationem intellexit Walafridus Strabo *lib. de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 22. Sciendum eſt, *inquit*, quoſdam inordinatè offerre, qui attendentes numerum oblationum potiùs, quàm virtutem ſacramentorum, ſæpè in his tranſeunter offerunt Miſſis, ad quas perſiſtere nolunt. Rationabiliùs ſiquidem eſt, ibi offerre, ubi voles perſiſtere. Vt qui munus Domino obtuliſti, offeras pariter pro eodem munere ſuſcipiendo poſtulationem deuotam. Non enim fruſtra in Canone, ſeu actione, qua conficitur ſacroſanctum corporis & ſanguinis Dominici myſterium, dicitur: Qui tibi offerunt: non dicitur, Qui tibi obtulerunt: ut intelligamus eos perſiſtere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perueniant, ad quod oblata ſunt: id eſt, donec ad corporis & ſanguinis Chriſti myſterium & communionem fuerint perducta.

Huc pertinet quoque, quòd in veteri Eccleſia Sacerdos dona & munera, quæ populus obtulerat ad menſam vel altare, attollens, ut conſpici poſſent ab omnibus, hanc addebat orationem, ut in Baſilij Liturgia Græca legitur. Recordare Domine eorum, qui tibi hæc munera attulerũt, & pro quibus, & per quos, & propter quos iſta attulerunt. Memento Domine eorum, qui in ſancta tua Eccleſia frugiferi ſunt, & bona opera faciunt, & eorum qui recordantur pauperum: retribue eis opulenta & cœleſtia dona: dona eis cœleſtia pro terrenis, æterna pro temporalibus, incorruptibilia pro corruptibilibus. *Ex quibus hæc Latini Cænonis Oratio deſumpta videtur.*

Comprobant ea quæ diximus hæc quoque verba: Tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum; pro ſpe ſalutis, &c. *quæ non eo ſenſu olim in Canone recitata fuerunt, quo hodie in Papatu dicuntur. Nam, ut ex ipſis verbis manifeſtum eſt, de ſpirituali ſacrificio laudis & gratiarum actionis dicta fuerunt in veteri Eccleſia, quo hæc dona & munera offerebant pro redemptione animarum: hoc eſt, quo gratitudinem ſuam aliquo modo declarabant pro redemptione animarum, facta ſcilicet in Cruce per Chriſtum. Sic etiam Iuſtinus dicit*, Chriſtianos in ſacrificio panis & poculi Euchariſtiæ; quod in memoriam paſſionis ſuæ tradidit Chriſtus, gratias agere; tum pro mundo, propter hominem creato cum omnibus creaturis, tum etiam pro redemptione, qua liberati ſumus à peccatis. *Et Euſebius*: Sacrificamus, *ait*, memoriam magni illius ſacrificij; in traditis ab ipſo myſterijs, & gratias agimus Deo pro ſalute noſtra. *Vnde & in Synodo* 7. Oblationem populo, ad remiſſionem peccatorum diſtribui dicitur. *Vt præpoſitio* PRO *accipiatur hic pro* Cauſa, *ſiue* Propter, *in qua ſignificatione ſæpe apud authores uſurpatur. Pontificij verò, abolito iſto oblationum ritu, hæc verba ad hiſtrionicum Sacerdotis ſacrificium detorquent hodie; quod aiunt fieri pro redemptione animarum, non quæ in cruce facta ſit, ſed quæ per Miſſaticum hoc ſacrificium*

sit impetranda, promerenda & consequenda.

III. *In hac parte Canonis nomina offerentium recitata.*

Solebant etiam in primitiua Ecclesia, eorum, qui oblationes feciſſent nomina à Sacerdote, vel Diacono, inter mysteria in hac parte Canonis recitari, & una cum ipsorum oblationibus Deo commendari: quod ex vulgo Iacobi Liturgia profectum esse, testantur hæc illius verba: Prætereà meminisse digneris eorum, qui tibi hasce oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum altare tuum, & pro quibus unusquisque obtulit, vel in mente habet, & eorum quos nuper tibi recensui. *Posteà legesanxisse ab aliquibus dicitur Innocentius 1. circa annos Domini 415. catalogum nominum, qui eleemosynas obtulerunt, post preces, quibus ille Deo commendantur, recitari debere sub ipsis mysterijs. Nam ante Innocentij tempora mos fuit recitandi nomina eorum qui munera obtulerunt; sed ante preces id à quibusdam Sacerdotibus factum: Innocentius autem decreuit, ut post preces sub ipsis mysterijs hoc fiat. Hoc Cyprianus* nomen eorum, qui ad Communionem accedunt, offerre *dicit in epist. de Laplis. Et Hieronymus in Ezech. cap. 18. ait*, Publicè Diaconus in Ecclesia offerentium nomina recitat. *De quo Alcuinus etiam, Caroli M. præceptor, in expositione Latini Canonis, ad hæc verba:* Memento Domine, &c. *sic scribit:* Illud ab Antiquis obseruatum est, ut ibi offerentium nomina recitarentur. Priùs ergo oblationes Deo sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina sunt dicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ præmittuntur. *Hodie retinetur quidem hæc Canonis Oratio, verùm in sensu corrupto & deprauato: non enim offerentium nomina recitantur in ea, quum ritus iste iam pridem sit abolitus, sed quorumcunque viuorum voluerit Sacerdos.*

IV. *In hac parte Canonis fideles vota sua reddebant Deo.*

In hac denique parte Canonis veteris Ecclesiæ fideles vota sua reddebant Deo, ut habent verba Canonis: hoc est, vouebant & sanctè promittebant se uni & soli Christo veræ fide adhærere, & beneficium redemtionis eius in cruce præstitum publicè & solenniter celebrare velle.

Canonis Tertia Pars.

I. HVius partis Canonis verborum primorum sensus vix dari potest. *Quidam, ut Alcuinus, Amalarius & alij, referunt illud* Communicantes, *ad communionem cum Sanctis, ut sit sensus: Offerimus hoc sacrificium communicantes memorijs Sanctorum, & eosdem Sanctos venerantes: Intellexerunt hi communionem per societatem & coniunctionem in corpore Christi mystico. Micrologus cap. 12. & Hugo Victorinus lib. 2. de Officijs cap. 29. volunt illud*, Communicantes, *referri ad offerentes inter se, non cum Sanctis, ut sit sensus: Offerimus communicantes, id est, inter nos uniti, & coniuncti, ut decet membra eiusdem corporis: & præterea memoriam Sanctorum venerantes. Alij sic intellexerunt, Communicantes, id est, participantes fidei Sanctorum, seu in catholica communione manentes, in qua tantùm acceptum & gratum est hoc Ecclesiæ sacrificium, iuxta illud Augustini* 181. In una catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. *Est autem omnino credibile, hæc ex deprauatione verborum Pauli Rom. 12. qualis apud Optatum exstat, occasionem habuisse. Nam pro eo quod Paulus scribit*, Necessitatibus Sanctorum communicantes, *apud Afros legebatur*, Memoriæ Sanctorum communicantes. *Ex hac deprauata lectione Donatistis obycit Optatus, quòd ipsorum Episcopus Macrobius, quem Romæ ex parte suâ habere dicebant, Memorijs Sanctorum Apostolorum non communicaret, id est, non ingrederetur in Basilicas eorum, ut illic offerret ubi Sanctorum Memoriæ essent. Accedit, quòd hæc verba ad Canonem adiecta sunt à Syricio Romano Episcopo, qui circa Optati tempora vixit. Est igitur verisimile, hæc contra Donatistas, ab omni catholicæ communione alienos, apposita fuisse.*

II. *Vnde verò natum sit, quòd nomina defunctorum in hac parte Canonis recitantur ad Missam, præterea Sanctorum intercessio & patrocinia implorantur, postulaturque, ut in omnibus, in quibus diuinæ protectionis auxilio indigemus, Deus illud nobis concedat propter intercessionem & merita Sanctorum, cap. 8. libri 1. prolixè indicauimus.*

Canonis Quarta Pars.

HÆc etiam verba de fidelium oblatis intelligenda esse, ex ijs constat, quæ supra ex Ordine Romano adducta sunt. Scribit etiam Gregorius M. hanc Orationem Canoni insertam fuisse, ut diceretur super oblationem populi, atque Deo in sacrificium laudis & memoriæ cultum oblatio commendaretur & consecraretur per Sacerdotem. *In Ordine Romano quum celebraretur officium in die Cœnæ Domini, sic dici hæc verba Canonis solebant.* Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster Iesus Christus tradidit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus Domine ut placatus accipias, &c.

Canonis Quinta Pars.

PEr oblationē hic nulla intelligitur actio, sed donum seu munus panis & vini à fidelibus oblatum: unde etiam quæ offertur oblatio, cunctæ

Dei

Dei familiæ esse dicitur. Petit igitur Sacerdos in hac parte Canonis, ut hæc oblatio, seu donum hoc panis & vini à fideli populo oblatum, sic benedictum, ratum, rationabile, acceptabileque redd atur, verbo nimirum creatoris, & virtute vel operatione Spiritus sancti, ut fiat Iesu Christi corpus & sanguis: *hoc est, sacramentum corporis & sanguinis Christi, non per transsubstantiationem, sed per Dei ordinationem: ut quod prius erat nudus & vulgaris panis, Dei ordinatione, de oblatione hac communicantibus, fiat corpus & sanguis Christi, hoc est. sacramentum corporis & sanguinis Christi: nisi enim hoc ipsis sic fieret, corporis & sanguinis Christi in sacrificio, ad remissionem peccatorum, non forent participes. Sic enim Augustinus de Consecrat. dist. 2. Verum. & Ambrosius lib. 4. cap. 5 de Sacramentis: ubi non extant hæc verba*, ut nobis fiat corpus & sanguis Christi: *sed loco eorum posita leguntur illa*, Fac nobis oblationem hanc adscriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis Domini nostri Iesu Christi: Qui pridie quàm pateretur, &c. *quibus insinuare voluit, rationalis illius cultus oblationem, ut in memoriam pro nobis oblati, ita quoque in figura corporis & sanguinis Christi celebrari. Iuo Carnutensis etiam hæc verba Canonis sic interpretatur: Post, inquit, illa verba communia, spiritualiter exponit Sacerdos, quid petat scilicet, ut illæ corporeæ materiæ fiant nobis corpus & sanguis Christi: Hæc oratio terrestrem materiam & corruptibilem, cœlesti & incorruptibili corpori postulat incorporari. Quæ transsubstantiationis figmento conuenire nullo modo possunt.*

Deinde, ista verba, Vt nobis corpus & sanguis Christi fiat, *offerentes & communicantes respiciunt, quasi non alio fine rogetur Deus, ut benedictam, adscriptam, rationabilem & acceptabilem oblationem eorum facere dignetur, nisi ut* IPSIS *corpus & sanguis fiat. Hoc ut sit intelligendum, Paschasius rectè explicat:* Ecce, *inquit*, quid fides instituit: ecce, quid Christus indulsit, ut nobis fiat corpus & sanguis, quatenus per hoc nos in corpus Christi quotidie transferamur, qui ex ipsius immolatione corpus eius, & sanguinem percipimus. *Hæc Paschasius in lib. de corpore & sanguine Christi, cap. 32. Confirmatur hac interpretatio Secreta illa Missa qua orat Sacerdos*, ut benedictio Domini larga descendat, quæ & munera fidelium reddat accepta, ipsisque sacramentum redemptionis efficiat.

Hoc igitur modo corpus & sanguis Christi tantùm fidelibus fit, à quibus in fide, applicata ipsis immolatione Christi, percipitur, quatenus per hoc membra eius effecti in corpus ipsius transferuntur. Hoc enim, ut sic fiat, fides instituit, & Christus fidei indulsit, ut Paschasius loquitur. Non igitur his verbis petitur, ut corpus & sanguis Christi, per transsubstantiationem panis & vini, sub speciebus ipsorum facta corporali oris manducatione, promiscuè à pijs & impijs sumantur. Quemadmodum enim non omnibus semper adscripta, rata & acceptabilis fit oblatio, sed ut hanc ita faciat Deus, ab eo ardenter est expetendum: sic non omnibus semper revera fit corpus & sanguis Christi, in testimonium & confirmationem adscriptæ & acceptabilis factæ oblationis. Vnde etiam in Ambrosiana Missa, ut legitur apud Pancellum in Liturgicis, sic orat Sacerdos: Suscipe clementissime Pater panem hunc sanctum, ut nobis fiat unigeniti tui corpus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Et in eiusdem generis Secreta:* Munera tibi Domine oblata sanctifica, ut tui nobis unigeniti corpus & sanguis fiant. *Quomodo autem per gratiam fieri petatur, ut divina mysteriorum sanctificatione & virtute cœlesti cibo & potu reficiamur, hæc alterius Secretæ verba indicant*: Ecclesiæ tuæ, Domine, munera sanctifica, & concede nobis, ut per hæc veneranda mysteria pane cœlesti reficiamur. *Hoc verò quomodo ad preces Ecclesiæ fiat, & fidelibus contingat, ista Oratio declarat, quæ olim post communionem dici solebat:* Præsta nobis quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut quæ visibilibus mysterijs sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu.

Sic verò iam olim quoque hæc Canonis verba ab Alcuino, ex communi Ecclesiæ istius temporis sententia, intellecta & explicata fuerunt. Ita namque ad hæc Canonis verba, quibus Dominici corporis mysterium consecratur, scribit in lib. de Divinis Offic. Oratur Deus, ut oblationem suis altaribus impositam, & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem Spiritus sancti ita perfectam Eucharistiam faciat, ut in omnibus sit benedicta, adscripta, id est, in numero placitorum sibi recepta sit & rata, id est, immobili firmitate perpetua. Sit quoque rationabilis, ut quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, benedictionis potentia efficiantur corpus & sanguis Filij Dei: ut per hunc cibum & potum impleatur in nobis, quod ipse promisit: Sicut me misit viuus Pater, & ego viuo propter Patrem: Ita qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hoc corpus, & hic sanguis non in spicis, sed in Sacramentis colligitur, & consecratione mysticus fit, nobis non nascitur. Et ille quidem panis, & illud vinum per se irrationabile est: sed orat Sacerdos, ut ille rationabiliter tractatus, & ab omnipotente Deo consecratus, rationabilis fiat, transeundo in corpus Filij eius,

nobis, id est, ad salutem nostram. *Hæc verò Alcuini interpretatio, quantum à Pontificia Transubstantiatione distet, ex sequentibus eiusdem verbis intelligi potest*: Quòd autem ait: Sumite ex hoc omnes, commendatio est unitatis, ut per hoc mysterium Christo participantes, unum simus in illo, sicut Apostolus ait: unus panis, unum corpus multi sumus. Tanta est autem Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique sit panis corporis Christi, & unus calix sanguinis eius: Accepit, inquit, hunc præclarum calicem: ideo dicit, Hunc accepit, quòd calix, quem Sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apostolis tradidit. Quia sicut Divinitas Verbi una est, quæ totum implet mundum: ita licèt multis locis, & innumerabilibus diebus illud corpus consecretur, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum corpus Christi, & unus sanguis cum eo, quod sumpsit in utero virginis, & quod dedit Apostolis. Divinitas enim Verbi replet illud, quod ubique est, & coniungit, ac facit, ut sicut ipsa una est, ita coniungatur corpori Christi, & unum corpus fiat in veritate.

Hunc sensum verborum istorum Canonis sequutus est etiam Amalarius Alcuini discipulus, circa annos Christi 820. Quam oblationem, *inquit*, quæ sic oblata est, ut ista, id est, ea devotione in omnibus, hoc est, tota cogitatione, tota vita, toto intellectu benedicam, sicut hæc benedicta est (quia vas ipse est qui benedicit) Sacerdote benedicente, ut acceptam habeas & benedicas: adscriptam tibi, ut hæc de qua dictum est: quæsumus Domine, ut placatus accipias: ratam, id est, fidelem, sicut hæc quæ tibi porrecta est per Christum Dominum nostrum: Tu Deus, quæsumus Domine, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, quatenus hæc nobis fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi. *Quæ sic posita ex verbis Dominicæ Cœnæ interpretatur*, In illo pane, *inquit*, commendauit Christus corpus suum, & in calice sanguinem suum. *Et mox*: Hic credimus, *ait*, naturam simplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Christi. *Hæc verò ut sint intelligenda ex supra citatis Alcuini verbis liquet*. Rationalem naturam accipiunt panis & vinum, ex destinatione rationalis memoriæ cultus, in quo mysticæ res fiunt, & animo atque mente, non secundùm simplicem ipsorum naturam, sed summa ratione, utpote rationalem mysterij naturam habentia, tractantur: *Ab his aliena non sunt, quæ idem author in Præfatione libri sui scribit*: Vbi Sacerdos, *inquit*, componit oblatam in altari, facit eam transire per Secretam orationem ad nomen hostiæ, siue muneris, siue doni vel sacrificij, seu oblationis. *Talis est igitur hæc simplicis naturæ panis & vini in rem rationalem versio, qualis erat apud Hesychium & Paschasium, rei sensibilis, in rem intelligibilem translatio. Hoc etiam sensu dicit Clemens lib. 2. cap. 29.* Sacerdotes assistere ad altare Domini Dei nostri, eique adducere rationales & incruentas hostias per Christum Pontificem. *Ab Ambrosio in Proleg. Psal.* 98. Rationalis hostia dicitur, quæ non est rudis, sed ex cœlestium Sacramentorum institutione rationis capax.

Huc quoque referenda sunt, quæ Hildebertus, Cenomanensis Episcopus, in suo carmine de Missæ mysterio sic scribit:

Orat, ut hic idem benedicat, quas dedit, escas:
Orat, ut adscriptas atque ratas faciat:
Orat, ut hoc altaris opus ratione geratur:
Sitque quod acceptet, quod probet ipse Deus:
Dum rogat ut Dominus, quæ condidit, hæc benedicat:
Vt novet in melius, promoveatq; rogat:
Dum rogat adscribi, quòd eam sibi præroget escam,
Atque dicat propriam, sanctificãdo rogat:
Dum rogat esse ratã ne frustrà speret in illa:
Sed sit, quæ profit, sint vota rata, rogat:
Dum rogat hanc ratione geri, quæ munera rectè
Offert, ut rectè dividat, ipse rogat.
Istius ergo dapis benedictio gratia maior,
Vberior fructus, perpetuusque vigor.
Hoc sanè totum verbis confertur in istis,
Quę subdit sacrifex, non sua, sed Domini.

Hæc postrema idem valent, ac si diceret: Quæ in præcedentibus verbis Canonis à Sacerdote petuntur, ea per sequentia Dominicæ institutionis verba conferuntur: in quibus quomodo oblatio corpus & sanguis Christi intelligatur, sic postea explicat:

Si qua fides Patribus, quos vita beata perennat,
Esca fit hæc animæ, quæ modò carnis erat.
His verbis utrunq; novas acquirere vires,
Maioresque suis, scripta probata docent.

In hac explicatione verborum istorum Canonis nihil prorsus est, quòd Pontificiæ Transubstantiationi conveniat, eique patrocinari possit.

Lanfrancus quoque, licèt Berengarij adversarius, & primus Transubstantiationis propugnator fuerit, animadvertit tamen, hæc verba Canonis de Transubstantiatione intelligi non posse. Docet igitur de dignè tantùm sumentibus accipienda esse: Nam illis, *inquit*, omnibus modis

dis vera Christi caro ac sanguis existit, qui dignè percipiunt, qui percipiendo indulgentiam peccatorum consequuntur. Vnde in Canone Missæ Sacerdos dicit: ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui: nobis, inquam, id est, credentibus, & misericordia tua dignè sumentibus: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. *Quum igitur hoc modo, sine & effectu, corpus & sanguis Christi omnibus verè credentibus spirituali communicatione fiat, certè ex istis verbis Canonis nulla corporalis per Transubstantiationem præsentia & manducatio stabiliri & probari potest, quemadmodum nec ex alijs eiusdem Canonis verbis.*

Guitmundus autem Lanfrancum, præceptorem suum, non sequutus, hæc verba Canonis primus Transubstantiationi accommodavit, contra Impanatores, vel Consubstantiatores scribens lib. 3. contra Berengarium. Hos, *inquit*, impanatores suos ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens & benedicens, ait: Hoc est corpus meum: Non ait, In hoc latet corpus meum: Nec dixit, In hoc vino est sanguis meus: Sed dixit, Hic est sanguis meus. Vnde & Ecclesia Dei à se hos separat, cùm in ipso Canone Missæ ex Apostolica traditione orat: Quam oblationem tu Deus in omnib. quæsumus benedictam, adscriptam, &c. Non hîc oratur ut in ea corpus & sanguis lateat, aut in eam corpus & sanguis adveniat, sed ut ipsa oblatio corpus & sanguis fiat. *Quòd si vera est hæc verborum Canonis explicatio, de oblatione in corpus & sanguinem Christi per transubstantiationem mutata & conversa, sequetur eandem oblationem corpus & sanguinem Christi omnibus indifferenter, non solum credentibus & dignè sumentibus, sicut rectè Lanfrancus docuit, fieri oportere. Hoc verò posteriores Scholastici Bonaventura, Scotus & Biel non concedunt, nimirum, ut ipsa oblatio corpus & sanguis Christi per transubstantiationem facta dicatur, ut ab initio huius partis Canonis demonstratum est.*

Canonis Sexta & Septima Pars.

IN veteri Ecclesia ad verba institutionis, adhibita Oratione Dominica, facta est consecratio, vel sanctificatio panis & vini: hoc est, panis & vinum ab usu profano, in quo prius erant, in mysticum & sacramentalem consecrabantur & destinabantur, ut essent Sacramenta, vel sacra signa, & tanquam certissima pignora corporis in mortem traditi, & sanguinis effusi in remissionem peccatorum, atque adeò sigilla gratiæ & remissionis peccatorum. Atque ob hanc consecrationem, vel sanctificationem ambæ hæ partes in Canonem insertæ fuerunt. Nostram hanc sententiam confirmat, quòd verba Christi, quibus ex fidelis populi oblationibus olim Sacramenta conficerari in publicum communionis usum solebant, Mysterium fidei *in septimâ parte Canonis esse dicuntur*: Hic est enim (*habet Canon*) Calix sanguinis mei, Novi & æterni Testamenti, MYSTERIVM FIDEI, &c. *Ergo nulla per hoc corporalis præsentia, eiusque in sacrificium oblatio tradita intelligitur.* Mysteria enim, *ut Chrysostomus probè monuit Homil. 46. in Ioannem*, non simplicirer, ut res dicuntur, intelligenda, sed interioribus oculis, *hoc est, spiritualiter* sunt considerandæ: ac proinde carnale esse, *ait*, dubitare quomodo possit nobis Christus carnem suam ad manducandum dare, quod mysticè & spiritualiter sit intelligendum. Indeque esse dictum mysterium, quoniam id quod credimus, non intuemur: sed quòd aliud credimus, & aliud videmus: & hanc esse mysteriorum naturam ac rationem: *Homil. 7. cap. 2. ad Corinth. 2.*

Et Alcuinus hæc verba Canonis, Mysterium fidei, *explicans ex Augustino, sic scribit:* Mysterium fidei est, quia credere debemus, quòd ibi salus nostra consistit. *Item:* Mysterium est, quòd aliud videtur, & aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Sed cùm mysterium sit, unde corpus & sanguis Christi dicitur? Consulens omnipotens Deus infirmitati nostræ, qui non habemus in usu comedere carnem crudam, & bibere sanguinem, facit, ut in pristina forma remaneant illa duo munera, & est in veritate corpus & sanguis, sicut ipse dixit. *Hoc autem quomodo, non de corporali aliqua præsentia, sed ipsa mysteriorum virtute & potentia intelligi velit, ex sequentibus apparet, cùm hæc ex Augustino recenset*: Illius ergo panis & calicis oblatio, mortis Christi est commemoratio, quæ non tam verbis, quàm mysterijs peragitur, per quæ nostris mentibus mors illa preciosa altiùs commendatur. Propterea autem iturus ad passionem Christus, & per resurrectionis atque ascensionis gloriam discessurus è mundo, hoc Sacramentum ultimum discipulis tradidit, ut memoria tantæ charitatis arctiùs eorum mentibus infigeretur. *Ad hanc verò mortis Christi & charitatis eiusdem memoriam, in oblatione panis & calicis, non requiritur corporalis in symbolis præsentia Christi: Sic autem mysterium, in veritate corpus & sanguinem Christi esse, vult Alcuinus intelligi, sicut in ipso verè exhibetur & percipitur, cuius est*

mysterium: quod posteà sic fieri, explicat: Precamur ut det nobis carnem & sanguinem suum ad sumendum, ut per illud, quod visibiliter sumimus, illud, quod non videmus, in nobis suscipere possimus, id est, Deum omnipotentem, juxta quod ipse dixit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, ipse in me, & ego in eo: *quæ deinde latiùs ex Augustini sententia repetit lib. 3. in Ioannem.*

Canonis Octava Pars.

Verba huius partis desumpta sunt ex Græca Liturgia Basilij, in qua sic orat Sacerdos: Memores itaque salutaris huius mandati, & omnium quæ pro nobis facta sunt, passionis, viuificæ crucis, triduanæ sepulturæ, ex mortuis resurrectionis & in cœlum ascensionis, sessionis ad dexteram Patris, secundi & glorioſi rursus adventus, TVA DE TVIS offerimus tibi Domine, per omnia & in omnibus. *In Liturgia verò Iacobi iisdem propè verbis sic orat Sacerdos:* Memores igitur & nos peccatores passionum viuificarum, crucis, mortis, sepulchri, resurrectionis, ascensionis in cœlos, & sessionis ad dexteram Dei Patris, & secundi glorioſi adventus, offerimus tibi Domine hoc sacrificium verendum & incruentum, orantes ne secundùm peccata nostra nobiscum agas, &c. *Hoc sacrificium posteà vocat* DONA PROPOSITA ET OBLATA, *& petit,* ut super ijs dimittatur Spiritus sanctus. *Ex divini mandati ergo recordatione,* Hoc facite in mei commemorationem, *Sacerdos & suo & adstantium fidelium nomine dicit,* offerimus præclaræ Maiestati tuæ, de donis & datis tuis, hostiam puram, &c. *Hac verò hostia de donis & datis Dei, quæ in commemoratiuum sacrificium offertur, id est, in quo commemoratio, annuntiatio & memoria peragitur veri sacrificij, hoc est, mortis Christi, per naturæ veritatem panis est & vinum, quæ à fideli populo ad altare est oblata, & de qua in suprà citatis verbis Basilij & Iacobi Liturgiæ oratur, ut per descensum, seu adventum Spiritus sancti super ea, rata & grata habeatur & efficiatur religiosè communicantibus corpus & sanguis Christi: nec est ipsemet Filius Dei, in vero corpore & sanguine suo, sub speciebus panis & vini contentus & in sacrificium oblatus, ut ex Liturgiarum omnium consensu intelligi potest. Ergo sic Filius Dei, in memoriale sacrificium suæ ipsius passionis in Missa, non offertur. Cùm enim sacrificium hoc Ecclesia veri & unici sacrificij Christi sit memoria, in ijs etiam rebus sacrificium hoc necesse est fieri, in quibus memoriæ istius celebratio à Christo instituta est, nempe in pane & vino, quæ sunt dona illa & data Dei, de quibus Liturgia loquuntur. Vnde & Paulus ait,* Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate.

Hoc etiam pertinet Iuonis Carnutensis horum verborum explicatio, quæ Pontificiæ Missæ accommodari nullo modo potest, licèt Berengarij insensissimus hostis fuerit. Sic enim de Officijs divinis scribit: Vnde & memores Domine nos servi tui, passionis Filij tui, resurrectionis & ascensionis, offerimus Maiestati tuæ, id est, oblatam commemoramus, PER HÆC DONA TVA VISIBILIA, hostiam puram, &c. *Quòd si in memoriali hoc sacrificio offertur hostia immaculata, pura & sancta, eaque memoria, commemoratio & annunciatio, quam gratam & acceptam esse Deo postulat Sacerdos, per visibilia Dei dona fit, non igitur offertur in suijpsius memoriam & commemorationem ipsemet Filius Dei.*

Et diu ante Iuonem Alcuinus Caroli M. præceptor, ad verba hæc Canonis ita scribit in libro de Officijs divinis: Quid dignius, *inquit*, & salubrius fieri potest, quàm ut hæc mysteria frequentando, memor sit Ecclesia beatæ passionis, quæ totius mundi peccata deleuit? Et quia non solùm mortuus est pro nobis, propter delicta nostra, sed etiam resurrexit, propter iustificationem nostram, ac sic mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, memores sumus resurrectionis eius, per quam spoliauit infernum, & quando assumptus est in cœlum, & viam nobis ascendendi patefecit, simus memores etiam gloriosæ ascensionis. Ideo enim pretium redemptionis nostræ Sacramento Dominici corporis & sanguinis celebramus, ut semper illud feliciter meditemur, quod ait Apostolus: Emti enim estis magno pretio. Memores igitur horum, tam Sacerdos, quàm plebs fidelis offert præclaræ & præcellenti, & gloriosæ Maiestati Dei, NON DE SVO SED DE EIVS DONIS AC DATIS, verè hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam; quæ trina repetitio tanti mysterij est laudatio. Quam verò hostiam offert Ecclesia, nónne quam à Deo accepit, id est, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ? In hoc pane vita æterna est, sicut ipse panis viuus de seipso ait: Ego sum panis viuus, qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et quòd iste panis sit corporis sui exponit: Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita, & calix salutis perpetuæ, quia sanguis ille effusus est pro multis in remissionem peccatorum.

Amalarius quoque, eodem modo ista Latini Canonis verba sine transubstantiatione, & corporali

porali præſentia expoſuit. In Sacramento, *inquit*, panis & vini, nec non etiam in memoria mea paſſio Chriſti eſt in promptu. Dixit ipſe: Hoc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, id eſt, quotieſcunque hunc panem & calicem benedixeritis, recordamini meæ nativitatis ſecundùm humanitatem, paſſionis & reſurrectionis. Quare ſubdit Sacerdos voce ſua & plebis: Vnde & memores nos Domini ſerui tui, & plebs tua ſancta Chriſti Filij tui, tam beatæ paſſionis, &c.

Ex qua interpretatione intelligitur, Alcuinum, Amalarium & alios nullam panis & vini tranſubſtantiationem in corpus & ſanguinem Chriſti agnoviſſe, neque ſub ſpeciebus eorum corpus & ſanguinem Chriſti verum in ſacrificium Deo offerri voluiſſe atque intellexiſſe. Aut quæ cauſa fuiſſet, quòd Alcuinus ſacrificium & hoſtiam de donis & datis Dei, quæ etiamnum per Chriſtum creantur, ſanctificantur, benedicuntur, ſeu ut ipſemet poſtea explicat, ex ſimplici creatura res ſacræ & myſteria vitæ fiunt, appellaſſet?

Ea quoque quæ Cedrenus in Annalibus ſuis fol.307. de ſacra Domini menſa, per Iuſtinianum Imp. reſtituta & erecta ſcribit, perſpicuo & evidenti teſtimonio confirmant, verba illa Canonis, offerimus præclaræ Maieſtati tuæ, DE TVIS DONIS AC DATIS, *non fuiſſe tunc, quando Canon compoſitus fuit, de ipſomet corpore Chriſti, ſed de pane & vino intellecta. Cum enim Conſtantinopoli Trulla maximi templi continuis concidiſſet terræmotibus, Iuſtinianus Imp. ex ædificata rurſus Trulla, aliam ſacram menſam, ex auro, argento, pretioſiſque lapidibus, lignis, metallis & variis rebus alijs, ex toto mundo collectis, interque ſe permixtis, fieri fecit, cum hac in orbem inſcriptione:* Tua ex tuis offerimus tibi Domine ſerui tui, Chriſte, Iuſtinianus & Theodora, ea tu propitius accipe Fili Dei, Verbum, qui noſtri cauſa carnem aſſumpſiſti. *Hæc ſacræ menſæ inſcriptio, nihil aliud quàm oblationem, ſupra iſtam menſam factam, ex proprijs Dei creaturis, donis ac datis intelligit.*

Nec omittendum, quòd hæc veteris Eccleſiæ ſententia confirmatur etiam ex Clementis Rom. Liturgia, quæ exſtat lib. 8. Apoſt. Conſtit. in qua cap.17. & 19. ſic orat Sacerdos: Memores igitur paſſionis eius & mortis, nec non ex mortuis reſurrectionis, atque in cœlos aſcenſionis, & futuri eius ſecundi adventus, in quo veniet cum gloria & virtute iudicare viuos & mortuos, & reddere unicuique ſecundùm opera ſua: offerimus tibi Regi & Deo, ſecundùm ipſius ordinationem, panem hunc & calicem hunc: gratias tibi agentes, eo quòd nos dignos feciſti in conſpectu tuo, & fungi ſacerdotio tibi: Rogamuſque te, ut benignè aſpicere digneris ſuper hæc dona propoſita, in conſpectu tuo, tu qui nullo indiges Deus, & complaceas tibi in ipſis, in honorem Chriſti tui, &c. *Hîc dona ſeu munera, panem videlicet & vinum, quæ in Latino Canone* De donis & datis Dei *vocantur, propter myſticam eorum ſignificationem paſſionis & beneficiorum Chriſti, petit Sacerdos accepta fieri & grata haberi à Deo, in honorem Chriſti. Non ſunt igitur hæc dona & munera in hoc ſacrificio oblata ipſemet Filius Dei eſſentialiter, ut ſomniant Pontificij. Quæ etiam cauſa eſt, quòd idem Clemens lib.5 cap.16. & 17. item lib. 7. cap. 26. & 27. Eccleſiaſt. Conſtitut. hæc dona ſeu munera in ſacrificio oblata, ἀντίτυπα corporis & ſanguinis Chriſti vocat.*

Confirmant hæc etiam illa verba, quæ ſequuntur paulo poſt illa Baſilij, quæ ſupra ab initio huius octauæ partis citauimus: Offerimus tibi rationabile ac incruentum, hoc obſequium, & proponentes antitypa ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, ſuppliciter precamur, ut facias venire Spiritum S. tuum ſuper nos, & propoſita hæc munera, atque benedicere & ſanctificare, & oſtendere panem quidem iſtum pretioſum corpus Domini Salvatoris Chriſti, & quod eſt in calice ſanguinem ipſius qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum pro mundi vita. *Nam his verbis quæ poſt conſecrationem recitantur, Baſilius, & cum eo vetus Eccleſia teſtatur ac fatetur, propoſita munera, panem nimirum & vinum, non tranſubſtantiari, aut conſubſtantiari per conſecrationem, ſed Antitypa corporis & ſanguinis Chriſti in memoriam paſſionis & beneficiorum ipſius offerri.*

Canonis Nona Pars.

QVæ fuerit in veteri Eccleſia horum verborum vera ac genuina ſententia ex Ambroſij libro quarto de Sacram. cap. 6. intelligi poteſt, ſic enim ibi inter alia ſcribit: Quantum ſit Sacramentum cognoſce: vide quid dicat: Quotieſcunque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum veniat. Et Sacerdos dicit: Ergo memores glorioſiſſimæ eius paſſionis & ab inferis reſurrectionis, & in cœlum aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatam hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem vitæ æternæ: Et petimus, & precamur, ut hanc oblationem ſuſcipias in ſublime altare tuum, per manus Angelorum tuorum: ſicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & qui tibi obtulit ſummus Sacer-

dos Melchisedech: Ergo quotiescúnq; accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunq; accipimus, mortem Domini annuntiamus, & si mortem annũtiamus, remissionem peccatorum annũtiamus: Si, quotiescunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorum fundit ur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. *Et paulò post*: Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris Spiritu. *Hîc dicit Sacerdos, se offerre ut immaculatam, rationabilem & incruentam hostiam; eamque vocat panem sanctum, & calicem vitæ æternæ, propter mysterium redemptionis nostræ, quod in eo peragitur. Rogat etiam Sacerdos, hanc oblationem à Deo suscipi in sublime altare suum, hoc est, in cœlis coram æterno Patre gratam & acceptam haberi, sicut munera & sacrificia Abel, Abrahæ & Melchisedech: Quæ verba istam apud Latini Canonis interpretes tam malè intellectam sacrificiorum collationem explicant, & quid sibi velint hæc in sequenti decima Canonis parte adeò obscura verba: lube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum, &c. satis ostendunt.*

Huc etiam pertinet Alcuini interpretatio, qui super hæc verba Canonis, supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, &c. *ita scribit:* Non, *inquit*, quòd vultus Dei aliquando mutetur, sed tunc super nos serenat ac illuminat vultum suum, quando declarat super nos misericordiam suam: Oratur itaque Deus, ut placabilis sereno vultu, id est, declarata pietatis suæ præsentia, respiciat Ecclesiæ munera; & accepta, id est, beneplacita habeat, sicut munera iusti pueri sui Abel, cuius fides & iustitia, & oblationis acceptio, & in Lege commendatur, & in Evangelio, & in Epistolis Apostolorum. *Qualis autem sit horum sacrificiorum comparatio seu collatio, ex ijs intelligi potest, quæ idem Alcuinus postea ad hæc verba Canonis scribit:* per quem hæc omnia bona semper creas, &c. Per Christum, *inquit*, Deus Pater hæc omnia non solùm in exordio creavit, condendo, sed etiam semper creat, propagando & reparando, bona: quia omnia à Deo creata valde bona. Creata & suis conspectibus oblata, sanctificat, ut quæ erant SIMPLEX CREATVRA, FIANT SACRA: viuificat, ut sint mysteria vitæ: Benedicitque omni benedictione cœlesti, & gratia accumulat: præstat nobis per eundem secum sanctificantem, qui nobis de corpore & sanguine suo dedit salubrem refectionem, per ipsum, tanquam verum Mediatorem Dei & hominum.

Amalarius quoque ad ista verba huius nonæ partis Canonis in fine Præfat. libro tertio de Ecclesiast. Officijs cap. 25. sic scribit: Quoniam à nobis peccatoribus vult Deus offerri sibi sua ipsa dona, obnixè precandum est, ut dignetur super ea respicere. Vnde subditur: Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, &c. Rogat Deum Patrem Sacerdos, ut sicut illo tempore respicere dignatus est super munera Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, nec non & Melchisedech: ita super præsentia dona, quæ initium acceperunt ab immolatione Christi, Deum precatur ut suscipiantur.

Sacrificium autem Abelis ideo divinitùs fuit acceptatum, quia ignis de cœlo descendens, hostias ipsius incendit, & absumpsit: quo ipso testari voluit Deus, se gratas & acceptas illas habere. Inde verò nata omnino videtur Liturgica illa precatio, qua Deus rogatur, ut super sacrificium hoc Ecclesiæ propitio & sereno vultu respicere dignetur, & accepta habeat, sicut accepta habere dignatus sit munera Abelis: & sensus fuerit ab initio, Spiritus sancti missione & descensu, quasi igni illo cœlesti, sacrificium hoc sanctificari & acceptum fieri debere. Nam descensus ille ignis de cœlo super munera Abelis, erat, ut Cyrillus lib. 10. contra Iulianum interpretatur, typus & imago Spiritus sancti, qui nunc invisibiliter missus descendit, & Spirituales Ecclesiæ victimas acceptat. Nam quia nunc figura, *ait*, pervenit ad veritatem, nos pro igne sensibili Spiritum accipientes rationabile implemus ministerium. *Hinc in Liturgia Chrysostomi hæc verba Canonis his verbis exponuntur:* Facias nos invenire gratiam in conspectu tuo, ut fiat acceptum sacrificium nostrum, & inhabitet Spiritus gratiæ tuæ optimus super apposita munera ista, & super omnem populum tuum. *Et lib. 3. de Sacerdotio Chrysostomus sic scribit:* En astat Pontifex non ignem gestans, sed Spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit, non quòd flamma cœlitùs delapsa, sacra apposita absumat, sed quòd gratia in sacrificium influens per illud ipsum omnium animos inflammet & puriores reddat argento igni excocto, purgatoque. *Hæc certè sine blasphemia de reali sacrificio ipsiusmet Filij Dei intelligi non possunt. Quis enim dicere ausit, ad Sacerdotis preces in Christum Dei gratiam influere? quum placuerit Patri, ut in eo omnis plenitudo inhabitaret: Coloss. 1.*

Huc pertinet etiam vetustioris Missæ oratio, qua olim, antequam Romana Missa omnibus Ecclesijs obtrusa esset, in publica communionis Liturgia utebantur: Memores sumus æterne Deus, Patet omnipotens, gloriosissimæ passionis Filij tui, resurrectionis etiam eius, & ascensionis in cœlum. Petimus ergo Maiestatem tuam, ut ascendant preces humiliratis

humilitatis noſtræ, unà cum incenſo iſto, in conſpectum tuæ clementiæ, & deſcendat ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem plenitudo Divinitatis. Deſcendat etiam, Domine, illa Spiritus ſancti incomprehenſibilis, invisibilisque Maieſtas, ſicut quondam in Patrum hoſtias deſcendebat. *In hac oratione rogatur Deus, ut ſuper hunc panem & calicem deſcendat plenitudo Divinitatis, & Spiritus ſancti incomprehenſibilis Maieſtas ſicut olim in Patriarcharum hoſtias deſcenderit: hinc verò firmiſtimè colligitur, hunc panem & calicem non eſſe corpus & ſanguinem Chriſti in ſacrificium realiter oblatum, ſed tantùm Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti: alioquin non careret blaſphemia illa oratio, qua petitur, ut Divinitatis plenitudo, & incomprehenſibilis Spiritus ſancti Maieſtas, in ipſum Chriſtum, quaſi in ſacrificio oblatum, ſicut in hoſtias Patrum deſcendat.*

Berno quoque, Abbas Augienſis, hæc verba Canonis à legalibus ſacrificijs, ad corporis & ſanguinis Chriſti myſterium accommodata eſſe oſtendit: Sicut, *inquit*, in holocauſtis arietum rogamus, ut ſic fiat hoc ſacrificium in conſpectu Domini, ut ſibi placeat: ita etiam hæc verba, quæ ad legalia ſacrificia pertinent, nunc in MYSTERIVM corporis Chriſti & ſanguinis ſunt mutata. *Vixit circa annos Chriſti* 1014.

Quò referenda etiam eſt Secreta illa, quæ in Miſſali Romano exſtat, & ſic habet: Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius ſacrificij perfectione ſanxiſti: accipe ſacrificium à devotis tuis famulis, & pari benedictione, ſicut munera Abel, ſanctifica, ut quod ſinguli obtulerunt ad Maieſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem, &c. *Hæc precatio, quæ manifeſtè de fidelium publica oblatione loquitur, oſtendit, in verbis Canonis omnino eandem eſſe rationem, qua olim in veteri, hodie autem in Novo Teſtamento ſacrificium, ut gratum & acceptum ſit Deo, petitur. Falſum eſt igitur quòd Biel de hac ſacrificiorum collatione ad Canonis verba pervertenda, ita ſcribit Lect.* 55. Hoc ſacrificium acceptum eſt ex ſe, & propter ſe, ex opere operato: Illa autem ſacrificia ex fide, & devotione offerentium. *In eodem Miſſali Romano hæc etiam Secreta exſtat:* Sacrificia, Domine, conſpectibus tuis oblata, ignis ille divinus aſſumat, qui diſcipulorum Chriſti tui per Spiritum ſanctum corda ſuccendit, &c. *Et alia:* Benedictio tua, Domine, larga deſcendat, quæ & munera noſtra, deprecantibus ſanctis tibi reddat accepta, & nobis Sacramentum redemptionis efficiat. *In alia quadam Secreta ſic legitur:* Oblatio Eccleſiæ tuæ fiat habitatio Spiritus ſancti: quæ certè neque de ſublata per tranſſubſtantiationem panis ſubſtantia, neque de Chriſti corpore in locum ſublati panis realiter ſuccedente, intelligi rectè poſſunt. *Sicut igitur deſcenſus ille Spiritus ſancti, pro ſanctificatione & acceptatione ſacrificij, non petitur ſuper inviſibili ſub ſpecie panis & vini in ſacrificium oblato corpore & ſanguine Chriſti: ita quoque in his verbis Latini Canonis non petitur, ut hæc eadem in ſacrificium oblata à Deo acceptentur.*

Canonis Decima Pars.

NON *hic ſenſus fuit in veteri Eccleſia verborum huius partis Canonis quem Scholaſtici poſtea ex ſuis cerebris finxerunt, ut in ſequentibus planiſſimum faciam. Nam in Græco Canone, ex quo hæc, ſicut alia multa in Latinum ſunt tranſlata, ſic legitur:* Παρακάλοῦμέν σε ἱκέτευοντες καὶ δεόμενοι, ἵνα ἐπιφοιτήσας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα, &c. *Manifeſtè hic non de corpore Chriſti, ſed de precib. & gratiarum actione, figurata loquendi forma loquitur Can. Græcus. Et ſic Irenæus lib. 4. cap. 14. de oblatione munerum, quibus fideles miſerentur pauperum, & de precibus eorundem loquens,* Eſt ergo, *inquit*, altare in cœlis. Illuc preces noſtræ, & oblationes noſtræ diriguntur. *Et miniſterium Angelorum in perferendis precibus in cœlos deſcribitur Thob. 12. & Apocal. 5. cap. Nec dubium eſt huc reſpicere etiam verba Liturgiæ Clementis, ex qua poſtea in Baſilij Liturgiam ſunt relata, quæ lib. 8. cap. 17. 19. exſtant, ubi ſic orat Sacerdos:* Etiam oramus pro dono oblato, ut Deus ſuſcipiat illud, intercedente Chriſto ipſius, ad cœleſte altare ſuum, in odorem ſuavitatis. Hoc autem donum, *ait lib. 6.* quod Deo offertur, eſt oratio cuiuſque, & Euchariſtia. *Ex quibus haud difficulter intelligitur, Orationes fidelium illa eſſe, quæ, ut ad cœleſte altare in conſpectu divinæ Maieſtatis perferantur, atque intercedente vero & cœleſti Sacerdote Chriſto, in odorem ſuavitatis ſuſciantur, rogat terrenus Sacerdos.*

Non igitur aliò reſpexerunt Veteres ab initio compoſiti Latini Canonis, iſtis verbis, Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, &c. *niſi ut precibus impetrarent, grata, rataque haberi in cœlis apud Deum (ubi perpetuum illud propitiationis ſacrificium exequitur Chriſtus, quo ſurſum mentes attollebantur) quæ in terris ab Eccleſia ex ipſius inſtitutione peragerentur.*

Hunc Latini Canonis ſenſum fuiſſe; confirmant etiam ea, quæ in libro Caroli M. contrà Concilium Nicenum 2. de Imaginibus cap. 27. in hac verba leguntur: Ad horum, *videlicet corporis & ſanguinis Chriſti*, ſacramentorum conſecrationem, Sacerdos infulatus circumſtantis

ſtantis populi deprecationes ſuis precibus miſcens, cum interno rugitu memoriam facit Dominicæ paſſionis, & ab inferis reſurrectionis, nec non & in cœlos glorioſiſſimæ aſcenſionis, & hæc perferri per manus Angeli in ſublime altare Dei, & in conſpectum divinæ Maieſtatis depoſcit. *Hæc verò de precibus & ſacrificijs fidelis populi, memoriam redemptionis ſuæ per Chriſtum agentis, intelligi debere, alibi lib. 4. cap. 3. his verbis declarat:* In Eccleſia, *inquit*, à fidelibus populis undique conveniuntur, & eorum ſupplicationes, Deo miſerante, exaudiuntur, & noſtræ ſalutis myſteria celebrantur, & Deo ſacrificium laudis offertur, ubi ad perferenda Deo ſacrificia à fidelibus populis per manus Sacerdotum illata, angelicus fit concurſus. *Sacrificium igitur laudis, in myſteriorum ſalutis celebratione oblatum, illud eſt, quod per manus Angeli in divinæ Maieſtatis conſpectum perferri rogatur.*

Paſchaſij quoque interpretatio horum verborum Canonis, lube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, in ſublime altare, &c. *luculento teſtimonio eſſe poteſt, longè alium eius tempore fuiſſe eorum ſenſum, quam hodie in Papatu ſit. Nam in libro de corpore & ſanguine Domini cap. 17. ſic ſcribit:* Non dubium eſt, *inquit*, quin iudicium excipiet cum luda, qui in conſcientia damnatus, auſus eſt, ſine pœnitentia & correptionis venia, ſancta myſteria temerare: Nec præſentiam igitur divinæ Maieſtatis veritus, dum cogitat nihil amplius, quàm quæ videntur; nec intelligit miſer, quòd nunquam caro Chriſti, niſi de manu ipſius, & ſublimi ara, ubi Chriſtus Pontifex futurorum bonorum pro omnibus aſſiſtit, iure accipitur. Vnde Sacerdos, cùm hæc incipit immolare, inter cæteia, lube, inquit, perferri per manus Angeli tui, in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Maieſtatis tuæ. Num cogitas, ô homo, illud aliunde accipere, quàm de altari, ubi ſublimis tranſpoſitum conſecratur? Sed fortaſſis ad hæc cæca cogitatio dicet: & quomodo in cœlum ante aſpectum divinæ Maieſtatis tam ſubitò offertur, cùm hic aut panis aut caro licèt dicatur, in manu Sacerdotis viſibiliter ſemper teneatur? Hoc quippe fœlix eſt homo, quod Sacramentum vel MYSTERIVM vocatur: Si enim viſibile fieret, nullum in eo Myſterium eſſet, nulla fides, nulla vis ſpiritualis, nulla alia res, quàm quæ oculis & guſtui ſubiaceret. Nunc autem longè aliter virtus divina interiùs operatur, quia per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Habet enim fides hoc præmium meritorum, ut quidquid per fidem tibi ſapuerit, hoc interiùs totum præbeat, ſicut ſcriptum eſt Sapient. 16. Dediſti eis, Domine, panem de cœlo, habentem omne delectamentum & omnem ſaporem. Alioquin niſi per fidem & intelligentiam quid præter panem & vinum guſtantibus ſapit? Et ideo populus ille carnalis, manna faſtidivit: quia ipibi non niſi carnalia quæſivit. Cæterum quibus omne delectamentum præbuit, eandem de cœlo eſcam, quam nunc percipimus, ſpiritualem: & typica illa perceptio in ore ſapuit, *Et poſt:* Vnde homo diſce aliud guſtare, quàm quod ore carnis ſentitur, aliud videre, quàm quod oculis carneis monſtratur. Diſce, quia Deus Spiritus illocaliter ubique eſt: Intellige, quia Spiritualia hæc, ſicut nec localiter, ſic utique nec carnaliter ante conſpectum divinæ Maieſtatis in ſublime feruntur. Cogita, ſi quippiam corporeum poteſt eſſe ſublimius, cùm ſubſtantia panis & vini, in Chriſti carnem & ſanguinem efficaciter Interiùs commutatur: ita ut deinceps poſt conſecrationem iam vera Chriſti caro & ſanguis veraciter creditur, & non aliud, quàm Chriſtus panis de cœlo, à credentibus æſtimetur. Putáſne aliud eſſe altare, ubi Chriſtus Pontifex aſſiſtit, quàm corpus ſuum, per quod, & in quo Deo Patri vota fidelium, & fides credentium efferuntur? Quòd iam non aliunde carnem & ſanguinem, quàm de ipſo Chriſto corpore ſumere reputabis.

Hæc porrò verba huius partis Canonis, Quotquot ex hac altaris participatione Sacroſanctum Filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, &c. *Satis magno documento ſunt, in veteri Eccleſia, Cænam Domini, quam Pontificij Miſſam vocant, nihil aliud fuiſſe quàm communionem, ſeu totius populi in Eccleſia congregati Cænam: id quod non ſolùm veterum Patrum ſcripta teſtantur etiam, ſed ius Canonicum quoque apertè fatetur, ut eſt videre de Conſecratione capite Omnis fidelis. & ca. Epiſcopus Deo ſacrificans: & cap. Peracta conſecratione. Ac primùm quidem fervente adhuc populi devotione ac zelo, quæ tyrannorum perſequutionibus mirificè augebatur, populus quotidie: poſtea remittente ardore, Dominicis tantùm diebus, & feſtis maioribus ad Cænam Dominicam celebrandam conveniebat: clericis tamen & religioſis adhuc quotidie officia ſacra frequentantibus. Hodie verò ſic in Papatu celebratur Miſſa, ut vix veſtigium aliquod veteris huius ritus videas. Solus enim ſacrificulus edit ac bibit, reliquis ſpectantibus. Cùm etiam quotidiana illa clericorum & religioſorum communio frequentari quoque deſiiſſet: Sacerdotes*

Cœna Domini vpud Veteres cum maiuſc. fuit.

terdotes nihilominus pro more veteri aras instruebant, & quamvis non communicarent, preces tamen, & lectiones, & cæteros ritus ad Cœnam Dominicam pertinentes peragebant, & choragus sacrificulus solus commnnicare cepit. Cur autem dicit, Quotquot sumpserimus? *aut si recte dicit*, Quotquot sumpserimus, *& sic fieri debet, quemadmodum olim factum est; cur ipse solus sumit, cæteris saltem spectantibus? Ad hæc quorsum obsecro votum illud, quo sibi tota Ecclesia fidelium optat*, Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij Dei corpus & sanguinem sumpserint, omni benedictione cœlesti & gratia repleantur, *si nemo sacri altaris, hoc est, corporis & sanguinis Christi sit particeps unicum sacrificulum, qui ne clericos sibi adstantes quidem ad hanc participationem admittere dignatur?*

Canonis Decima Tertia Pars.

In horum verborum sensu totius Canonis vera intelligentia consistit.

IN horum verborum, per quem omnia Domine semper BONA CREAS, SANCTIFICAS, VIVIFICAS, BENEDICIS ET PRÆSTAS NOBIS, &c. *genuino & vero sensu, omnium superiorum consistit vera intelligentia, quibus nimirum in rebus mysticum memorativum Ecclesiæ sacrificium, iuxta hanc Canonis orationem peragatur. Ex his enim verbis intelligi potest, quænam sint illa* DONA & DATA, *pro quibus rogatur Deus parte octava Canonis, ut ea accepta habeat, sicut accepta habere dignatus est munera Abelis, &c. Illa enim verba*, HÆC OMNIA BONA, *ut ex ordine Romano intelligitur, super oblationibus fidelium dicuntur, & ad præcedentia, in quibus oblatorum à fidelibus donorum mentio fit, quæque pro sancto & illibato sacrificio, itemque pro hostia pura & immaculata à Sacerdote Deo commendantur, sunt relativa, nec aliter, quàm de oblatis, nimirum pane & vino recte intelligi possunt. Id verò ut melius intelligatur, ostendemus primò, unde hæc verba Canonis desumpta videantur: deinde, quo sensu in veteri Ecclesia eadem accepta & intellecta fuerint. Desumpta autem videntur ex Iacobi Liturgia, cuius verba de calice sic habent*: Similiter, postquam cœnavit, accipiens calicem, permiscens aqua & vino, & aspiciens in cœlum, & ostendens tibi Deo, & Patri gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, &c. *quæ ipsidem penè verbis in Basilij Liturgia de pane dicuntur. Quemadmodum igitur ex hac verborum Christi recitatione, qualis in Iacobi & Basilij Liturgia habetur, crediderunt Veteres Christum creatas à se & Deo Patre creaturas, panem videlicet & vinum sanctificasse, benedixisse & Spiritu sancto implevisse, discipulisque suis distribuisse? Ita quoque in Latino Canone suprà dictis verbis orat Sacerdos, quod quæ iam olim in primæ Cœnæ institutione sic à Christo facta fuerunt, etiam hodie semper fiant, hoc est, dona & data illa per ipsum creari, benedici & Spiritu sancto sanctificari & vivificari, nobisque distribui. Non alia igitur sunt ista dona, quæ Christus sic semper creat, benedicit sanctificat & vivificat, quàm panis & vinum, à fidelibus in sacrificio oblata, & à Sacerdote in Sacramentum corporis & sanguinis Christi consecrata. Et sicut illa dona, quæ in Cœna nobis Christus distribuit, semper adhuc per ipsum creari & sanctificari dicuntur: ita quoque perveritatem naturæ sunt & manent creatura: quod etiam Ambrosius libro quarto capite tertio de Sacram. his verbis testatur*: Venisti ad altare: vidisti Sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam: tamen creatura solennem & notam: huiusmodi autem creatura non sunt species panis & vini absque sua substantia, neque in locum substantiæ succedens reale corpus Christi, sub speciebus istis latitans.

CAPVT IX.

De Inclinatione Sanæ Doctrinæ de Cœna Dominica huius Classis.

Isidorus confirmavit Missam pro defunctis.

ETSI verò præcipui huius tertij Classis Doctores veram doctrinam de Cœna Domini retinuerint, & Transsubstantiationis, ac Consubstantiationis dogma his adhuc temporibus prorsus incognitum fuerit, tamen Inclinationes in quibusdam capitibus sanæ doctrinæ in præcedenti Classe factæ, in hac vel auctæ sunt, vel aliæ de novo accesserunt.

Sic enim Isidorus de Missa pro defunctis in libro de Officijs scribit: Sacrificium pro defunctis ab Apostolis primò traditum est, quia dimittuntur defunctis peccata per sacrificium & eleemosynam: nisi de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Et S. Augustinus dixit: Defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium relevari, quum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt: si tamen ille defunctus, dum vixit, meritum præparauit: nam non omnibus prosunt sacrificia. Et si non sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum

uorum consolationes sunt: aut ut plena sit remissio, aut certè ut tolerabilior sit ipsa damnatio. *Hæc Isidorus. Quæ autem hæc est ratio consequentiæ, quâ Isidorus utitur? Quia dimittuntur defunctis peccata per sacrificium & eleemosynam, ideo sacrificium pro defunctis ab Apostolis primò traditum est.*

Damascenus. *Damascenus similiter negatur in Serm. de defunctis*, Apostolos, Patres, & universam catholicam Ecclesiam, defunctorum mentionem facere in sacrificio illo incruento.

Ioannes Eleemosynarius. De Ioanne Eleemosynario *traditur, quòd præceperit*, impigrè fieri oblationes & sacrificia pro defunctis, ea namque mortuis ad redemptionem animæ prodesse *ut Metaphrastes, & Vincentius lib. 22. cap. 110. referunt.*

Theasius. *Theasius Patriarcha Constantinopolitanus ab Ignatio in eius vita dicitur*, distribuisse fidelibus Eucharistiam ad debitorum animæ solutionem.

Carolus M. Carolus M. *lib. 2. cap. 31. de cultu Imag.* Nos, *inquit*, nostris per Missarum solennia quietem exposcimus.

Lullus. *Lullus primò Fuldensis Monachus, postea Moguntinus Episcopus factus, in epistola ad Denehardum, Eanbertum, Vmbestum, &c. sic etiam scribit:* Missimus vobis nomina Domini Romani Episcopi, pro quo unusquisque vestrûm triginta Missas cantet, & Psalmos, & iciunium iuxta consuetudinem nostram, similiter pro duobus Laicis nomine Megefrich & Raban, decem Missas unusquisque vestrûm cantet.

Missæ pro defunctis quando Germania obtinuit. *Cumque hactenus, ad annos nimirum Christi 740. usque, in celebratione Cœnæ neque vivorum, neque mortuorum Germanica Ecclesia mentionem fecissent, Gregorius tertius Bonifacio Germanorum Apostolo ea de re quærenti, rescribit*, Christianos pro suis mortuis posse offerre, ac Sacerdotes mortuorum mentionem facere iubet, *ut est videre in Epistola eius quæ habetur apud Nauclerum Generat. 35. Hoc verò mandatum Romani Episcopi sedulò est exequutus Bonifacius: Nam in Epistola ad Halderium Abbatem inter alia sic scribit*: Vt pro dormientium fratrum animabus, qui nobiscum laborabant in Domino, adiuvamina & Missarum solennia celebrare faciatis, precamur.

Missæ pro defunctis quid commendarit. *Promoverunt hunc errorem plurimùm* primò, *Miracula. Nam si verum est quod Gregorius M. in expositione Evangeliorum Homil. 7. narrat, Mulier quædam, cuius nomen dissimulat, marito in captivitatem abducto peregrè, existimans eum mortem obiisse, certis diebus curabat pro eo Missam offerri. Quoties autem sacrificulus missificabat, toties ei vincula, quibus erat constrictus, laxabantur. Sic de Thuma presbytero Beda scribit, quòd in monasterio Tumiacestir, pro fratre suo, quem in bello interfectum putarat, sæpius Missas celebrarit pro absolutione animæ eius: sicque factum ut is in bello à nemine vinci posset. Hac rei novitate permoti alij similiter pro illis qui de hoc sæculo migrarant, oblationis sacræ victimas obtulerunt, putantes sacrificium Missæ ad redemptionem animæ & corporis valere: lib. 4. Hist. Eccles. cap. 22.*

Secundò; *promoverunt hunc errorem superstitiis, tum etiam authoritas Romanorum Pontificum & Bonifacij Germanorum Apostoli, hanc impiam Cœnæ profanationem Germanicis Ecclesijs suadentium & præscribentium. Nam eam passim à superstitiosis hominibus receptam, magnoque studio suasu Bonifacij propagatam, ex multorum ad eum literis apparet. Sic enim Torchelmus ad Bonifacium scribit:* Omnia quæ à parvitate nostra petere dignatus es, libentissimè suscipimus: hoc est, quòd in sacris Missarum celebritatibus, & in quotidianis precibus tuæ sanctitatis memoria celebratur. *Et Ædisuvaldus Rex Anglorum in Epistola ad Bonifacium*: Sicut vestra benignitas de Missarum solennitatibus Deo instigante dictavit, ita quoque nostra mediocritas devota mente implere conetur, memoriaque nominis vestri in sempenis monasteriorum nostrorum synaxis perpetua lege censeri debet. *Sic Bugga abbatissa in Epistola ad Bonifacium inquit*: Vt sanctarum Missarum oblationes offerre digneris pro anima mei propinqui, qui mihi præ cæteris charus erat, peto. *Et Sigbaldus in Epistola ad eundem*: Notum sit tibi, quòd ex eo tempore nomen tuum habuissem adscriptum, cùm Missarum solennia celebrarem, simul cum nominibus Episcoporum nostrorum: & modò non cessо, quamdiu subsistam: & si supervixero, tibi cum nomine Patris nostri Erenuualdi Episcopi, tuum adscribam nomen. *Et Chutbertus in Epistola ad Lullum*: Mutuæ pro nobis, nostrisque & hic viuentibus, & huic obedientibus interpellationes, Missarumque remedia ad viuentem Dominum, & Iudicem omnium suppliciter aguntur. *Et Synodus Cabillonensis cap. 33. mandat, ut in omnibus Missarum solennitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti, Dominus deprecetur. Ratio frivola additur:* Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro cuiuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solennibus fundantur.

Missæ pro tempestatib. in hac Classe primò coepervnt celebrare.

COEPERVNT *etiam in hac Classe primò pro tempestatibus Missas celebrare. Sic enim Lullus in prædicta Epistola*: Illas Missas, *inquit*, quæ

quæ pro tempestatibus fieri solent, celebrare vos Presbyteri recordamini.

Pro valetudine aegrotantium.

Pro valetudine quoque agrotantium Missas celebrare instituerunt in hac Classe. Nam pro Lullo monachos Psalmos decantasse, & Sacerdotes quinas Missas celebrasse, ut pristinam sanitatem reciperet, in Epistola Vuigberti ad eundem indicatur.

Pro bellatoribus.

Cæperunt etiam Missas pro bellatoribus facere, ut patet ex decreto Caroli: Qui apud suas Ecclesias remanent, pro nobis & cuncto exercitu nostro Missas, Letanias, oblationes & eleemosynas faciant.

Ob has autem & alias plures novitates contra Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ exemplum & consuetudinem, in plerasque Ecclesias introductas: plurimi, finita concione sacra & expositione Scripturæ, exisse leguntur, quod nollent esse spectatores idolomaniæ, quæ in Missarum pompa, & toto externo cultu perpetrabatur. Sic enim Beda de suis Anglis scribit lib. 3. Anglicæ Historiæ cap. 26. Potentes seculi nunquam ad Ecclesiam, nisi orandi & audiendi verbi causa veniebant. Rex ipse quum opportunitas exegisset, cum quinque aut sex ministris veniebat, & expleta concione rursus discedebat. *De Theodoro Ravennate scribit Nauclerus, quòd ipsum aliquando Missam inchoantem, omnis populus & clerus destituerit. Similiter passim in aliis quoque locis factum: hinc tot ubique obiurgationes & exhortationes in concionibus inveniuntur, quæ hunc zelum damnant & improbant. Cæsarius aliquoties hanc ipsam ob causam in suos auditores invehitur: Homil. 1. Et Ioannes Eleemosynarius, quum videret aliquando omnes abire, ipse relicto sacrificio simul exiit. Hinc videmus multis in locis idolomaniam hanc in sacrificio Missæ hoc adhuc tempore pluribus displicuisse.*

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De Ritibus & Ceremoniis, earumq; inclinatione in Cœna, ab Anno Domini 850.

UM *Ritus & ceremoniæ Romanæ Ecclesiæ, quas libro secundo & tertio seorsim recensuimus, astu, fraude ac dolis Romanorum Pontificum in omnes Occidentis, ac etiam magna ex parte in Orientis Ecclesias exundarint, ut proximo libro demonstratum est, non amplius tali opus fuerit separatione: de quo Lectorem monendum duximus, ne oblivione quadam interruptum à nobis ordinem arbitretur.*

Missa à quo celebrari debeat.

Nicolaus 1. *Papa circa annum Domini* 865. *decrevit*, Vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem sciat concubinam indubitanter habere. *dist.* 32. *Hanc legem confirmavit Alexander* 2. *in Concilio Mantuano anno Christi* 1064. *celebrato. Idem tamen Nicolaus ad consulta Bulgarorum cap.* 71. *concedit*, sacramenta accipere à sacerdote in adulterio comprehenso. 15. *quæst.* 8. *Sic etiam Lucius* 3. *circa annos Domini* 1182. *sancivit*, à Clericis & Presbyteris concubinariis & fornicariis, divina mysteria audienda, & Ecclesiastica Sacramenta percipienda esse: *lib.* 3. *tit.* 2. *ca.* 7. *Hoc autem privilegium in legitimo conjugio honeste viventibus denegavit Gregorius* 7. *in Synodo, ut Sigebertus refert anno* 1074. *idque Anshelmus epistola* 8. *probat. De quo Nauclerus Gener.* 40. *sic scribit*: De Lucio Hermannus refert, eum constituisse, ut Missa concubinarii possit audiri, & ab eodem Sacramenta Ecclesiastica recipi, quandiu à suo Episcopo toleraretur. Gravissimè autem peccat, & Sacerdos celebrans, vel sacramenta porrigens, & Episcopus eum tolerans. *Hæc ille. Alexander* 3. *quoq;* Presbyterum ebriosum, non præmissa dotmitione, Missam celebrantem, suo officio privandum censuit: *lib.* 5. *Decretal. tit.* 1. *cap.* 12. *Si consisterit. Et Clemens* 3. *decrevit*, Missam ab eo celebrari non debere, qui genitalia excidit, vel per alios exscindi curavit, *ut Herm. Gigas refert.*

Quibus communicandum.

Communicasse autem nonnullos in hac Classe quotidie, Bertramus indicat in Præfatione ad Carolum: Sacramenta, *inquit*, corporis & sanguinis Christi celebrantur ob memoriam Dominicæ passionis, non solùm per omnes Paschæ solennitates, singulis annis, verùm singulis in anno diebus. *Referi idem Rabanus lib.* 4. *cap.* 10. *de Sermonis proprietate. In Francorum verò Ecclesiis communicarunt singulis diebus Dominicis, ut Canon* 21. *Concilii Aquisgranensis testatur, qui sic habet*: Sub Ludovico sanè communicatio corporis Domini omni die Dominico debuit celebrari: ideoque necesse est, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo, ne fortè qui longè est à sacramentis quibus est redemptus, longè fit à salute, quam fuerat consecuturus. *Rabanus*

Rabanus etiam de Serm. propriet. lib. 4. cap.10. Quotidie, *inquit*, Euchariſtiæ communionem percipere,nec vitupero,nec laudo:omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor. *Eadem ſcribit lib. 1. cap.31. de Cleric.Inſtitut. Et Regino lib.1.de Eccleſiaſt.diſciplina cap.193.Idem Regino de Eccleſiaſt.diſciplina lib.1.cap.95. ſcribit*, Si non frequentiùs, ſaltem ter intra unius anni ſpacium Laicos communicare debere,videlicet in Paſchate, Natali Domini & Pentecoſte, juxta Turonenſis Synodi decretum.

Qui cum communicare debrãt

*Omnes verò communicare oportebat,tam Laicos,quàm Clericos.Sic enim Regino lib.1.de Eccleſ.diſciplina cap.*193.Fideles,qui diebus Dominicis poſt lectum Evangelium diſcedunt, & communionem percipere negligunt, communione privandi ſunt. *Quo etiam pertinet,quòd eodem lib. c.* 191. *ex Nannetenſi Synodo indicat*, in multorum præſentia Miſſas celebrandas eſſe. Cui enim dicetur, Dominus vobiſcum:aut, Surſum corda, oremus, &c. cùm nemo adſit, qui reſpondeat? *Walafridus Strabus li. de rebus Eccleſiaſt. cap.* 22. Per totam,*inquit*, Miſſam pro eis quàm maximè,& quaſi nominatim oratur, qui ibi offerunt & communicant. *Ordo Romanus*: celebrata Miſſa, communicantibus omnibus det Pontifex orationem ad complendam. *Et Ivo Carnutenſis Epiſcopus in allegorica Miſſæ expoſitione, de Convenientia veteris & novi Sacerdotij,inter alia hæc ſcribit:* Hinc communicat Sacerdos,& miniſtri, & certis ſedibus fideles Chriſti. *Ex quibus obiter quoque intelligitur,non ubique ad altare ſeu menſam Dominicæ acceſſiſſe, ſed certis ſuis ſedibus communicaſſe fideles,Bernhardus in Serm.de Cœna ait*,De die in diem ex collatæ poteſtatis officio, conſeceratum Domini corpus & ſanguinem à ſacerdotibus exhiberi aliis. *Petrus Cantor cap.* 24.Sumere, *inquit*, Euchariſtiam omnium eſt Chriſtianorum. *Rupertus lib. 6. cap. 6. in Ioan.* Quantumvis, *ait*, fidelis, & catholicæ profeſſionis homo ſit, ſi manducare & bibere recuſet de hoc cibo potuque viſibili, eo ipſo quòd illi non neceſſarium eſſe præſumit, à ſocietate membrorum Chriſti, quod eſt Eccleſia,ſe præcidit, neque rectè credit in eum: cujus in hoc cibo potuque ab ipſo tam diligenter commendato, derogat authoritati. *Micrologus cap.*19. Orationes, quæ poſt communionem in Miſſa dicuntur, pro iis,qui jam communicaverunt,dicuntur.Ergo & ante ipſas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foveri deſiderant. *Et paulò poſt*: Non poteſt propriè dici communio,niſi plures de eodem ſacrificio communicent. *Anſhelmus in 1. Corinth. 11. cap.* Cœna, *inquit*, Dominica communis debet eſſe omnibus Chriſtianis,ſicut Chriſtus cum ſuis diſcipulis communiter cœnavit.

Cœna integra dabatur.

Neque mutilatam, ſed integram Cœnam tam Laicis quàm Clericis hoc adhuc tempore diſtribuerunt. Refert enim Regino lib. 2. Romanum Pontificem in manus accepiſſe corpus & ſanguinem Domini,& Lothario Imp.tradidiſſe. *Hoc etiam intelligitur ex verſiculis illis, quos Remigius Archiepiſcopus Remenſis à ſe compoſitos in circuitu poſuit ejus calicis, quem fieri juſſit.*

Hauriat hinc populus,vitam de ſanguine ſacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Chriſtus,
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

*Rabanus etiam lib.*1.*cap.* 29. *de Cleric. Inſt.* Omnes baptizatos corpore & ſanguine Dominico confirmare jubet. *Haymo lib.*1.*cap.*2. *Apocal.* In Eccleſia, *inquit*, fideles quotidie comedunt corpus Chriſti,& ſanguinem eius bibunt. *Paſchaſius cap.* 9. *de corp. & ſanguine Domini*:Licèt,*inquit*, ab omnibus Chriſti caro & ſanguis, quotidie comedatur, ipſe tamen agnus vivus & integer permanet. *Cap.* 11. Virtute Chriſti quotidie paſcimur & potamur ſanguine.*Et ca.*15.*ſic illud Chriſti exponit:* Bibite ex hoc omnes:id eſt, *inquit*, tam Miniſtri,quàm reliqui credentes.*Ad hæc verba reſpondet Bellarminus primò*,corruptum eſſe locum,& pro illa voce Bibite,debere eſſe, Edite. *Sed corruptum Ieſuita cerebrum videtur: non enim Chriſtus dixit, Edite,ſed, Bibite ex hoc omnes.Secundò ait*,verba hæc,nullo modo illam explicationem admittere; Bibite omnes, tam Miniſtri, quàm reliqui credentes. Nullos enim fuiſſe tunc Miniſtros à reliquis credentibus diſtinctos in menſa Domini. *Reſpondeo,Paſchaſium ſua interpretatione docere velle, non ut verba hæc accipienda fuerint in prima Sacramenti inſtitutione, ſed ut hodie intelligenda ſint, quum Euchariſtia celebratur. Theophylactus etiam in* 1.*Corinth.*11.*c.ſic ſcribit*, Tremendus hic calix cunctis,pari conditione eſt traditus. *Hunc locum Ieſuita ita eludit, ut dicat per* cunctos, *intelligi* Sacerdotes. *Sed hoc contra Theophylacti mentem dicit, & ſuam ipſius conſcientiã.Quæ enim ſententia Theophylacti fuerit,ex Enarrat.in ca.*19.*Ioannis intelligitur,ubi ſic ait:* Cùm accedis ad calicem communionis ſanguinis Chriſti, ita affectus ſis, quaſi ex ipſo latere bibas. *Hæc verba non poſſunt intelligi de Sacerdotibus, ſed de Laicis accedentibus.Neq; ait*,Sanguinis:*hoc enim Ieſuita ad communionem ſanguinis ſub pane detorquere poſſet, ſed*, Calicis. *Lanfrancus*, Quorum *inquit*,

inquit, alterum dum frangitur, & in populi salutem dividitur, alterum verò effusum de calice, ab ore fidelium sumitur, mors eius in cruce, & sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Caro ergo & sanguis, quibus ad impetrandâ pro peccatis nostris Dei misericordiam quotidie alimur, Christi corpus & sanguis vocantur: &c. *Radulphus lib.* 14. *ca.* 4. *in Leviticum*, Populus, *ait*, sacratum Christi corpus assumit, bibit & beatum sanguinem ipsius haustum. *Anshelmus, qui claruit circa annos Christi* 1080. *in* 1. *Corinth.* 10. *ca.* Omnes, *inquit*, qui de uno pane, & de uno calice Domini sumimus, unum corpus efficimur. *Et in* 1. *Corinth.* 11. *cap.* Cœna Dominica, *inquit*, communis debet esse omnibus Christianis, sicut Christus cum suis discipulis communiter cœnavit. *Lambertus scribit*, Gotfrido Lotharingorum duci venenatum calicem porrigere voluisse quendam diaconum, *circa annum Domini* 1054. *Andronicus Imp. Constantinopolitanus & panem accepit, & ad calicem precioſi ac vivifici sanguinis bibendum accedit: ut Annales Niceæ testantur. Micrologus cap.* 19. Orationes, *inquit*, quæ post communionem in Missa dicuntur, pro iis, qui iam communicaverunt, dicuntur. Ergo & ante ipsas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foveri desiderant. *Et paulò post*: Non potest propriè dici Communio, nisi plures de eodem sacrificio communicent. *Bernhardus Serm.* 3. *in Ramis palmarum dicit*, Alimoniam corporis & sanguinis Domini in prima Cœna exhibitam, ac deinceps frequentari mandatam. *Ad hunc locum apertissimum respondet Bellarminus ita*: Sub specie panis integra est alimonia corporis & sanguinis Domini: quare Dominus istam alimoniam frequentari jussit: non autem præcepit, an sub una, vel sub utraque specie id fieri deberet. *Sed hoc nihil ad rem. Bernhardus enim dicit, Alimoniam corporis & sanguinis Domini in prima Cœna exhibitam. Quomodo? Sub speciêne panis tantùm? Minimè verò: sed sub utraque: Vult igitur Bernhardus dicere, contra quàm testuita nugatur, hanc corporis & sanguinis alimoniam sub utraque etiam specie deinceps frequentari Dominum mandasse. Gratianus in suo Decreto plus quàm decies meminit*, Christum discipulis suis utramque speciem instituisse, eamque in usu Catholicæ Ecclesiæ ad suam usque ætatem permansisse. *Et ne semel quidem unius speciei panis, aut interdicti calicis meminit. Ex Lombardo quoque in* 4. *Dist.* 11. *colligitur, eo adhuc tempore in duabus speciebus Eucharistiam celebratam, & ablationem calicis in usu nondum fuisse. Et lib.* 4. *dist.* 12. *sic concludit*: Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut animæ & carnis susceptio in Christo, & utriusque liberatio in nobis significetur. *Et Thomas Aquinas*, Corpus, *ait*, exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ. *Ac Glossator*, Nec, *inquit*, superfluè sumitur sub utraque specie: nam species panis ad carnem, & species vini ad animam refertur.

Vinum aqua mixtum.

Vinum etiam ex longa consuetudine aqua miscuerunt. Anshelmus Havelburgensis anno Domini 1138. *à Lothario Imp. Constantinopolim missus, in Synodo à Calojoanne convocata, his argumentis probare nititur, vinum aqua dilui esse consecrandum. Primò*, Est consuetudo in Palæstina communis vino aquam infundere. Ergo & Christus vinum aqua mixtum consecravit. *Secundò*, Scriptura non negat, aquam non fuisse immixtam. *Tertiò*, Ex latere Christi profluxit aqua & sanguis: *Ergo baculus stat in angulo. Ex quibus obiter intelligimus hunc ritum in Constantinopolitana Ecclesia non habuisse locum, ut vinum aqua misceretur in Eucharistia.*

Panis intinctus non distribuendus.

Hildebertus Episcopus Cenomanensis, in quadam epistola reprehendit consuetudinem, ubi intinctus panis distribuebatur: & docet, utramque partem seorsim dandam esse, juxta Christi institutionem.

Panis & calix elevatus.

Panem autem & calicem consecratum sublevabant, ut conspici à populo possent, sicut ex Rabano intelligitur de Cleric. Instit. lib. 1. *cap.* 34.

Qui à communione pro bibiti.

Arcebant etiam, ut in prioribus Classibus, à communione, nondum baptizatos, vel excommunicatos, vel facinorosos, vel nondum plenè instituros in religione Christiana, vel qui nondum plenè satisfecissent Ecclesiasticæ disciplinæ. Imò etiam à sacra Cœna suspensos fuisse, qui Orationem Dominicam & Symbolum recitare nesciverint, Regino indicat lib. 1. *de disciplina Eccles. In Nannetensi Synodo sancitum fuit, ut in Dominicis & festis diebus Presbyteri, antequàm Missas celebrent, plebem interrogent, an alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire? Similiter interroget, an qui discordantes adsint? & hi simul omnes de Ecclesia ejici jubentur.*

Jejuni communicabant.

Jejuni quoque communicabant. Ita enim Rabanus lib. de Eucharistia cap. 48. Sic, *inquit*, per Apostolos placuit Spiritui sancto, ut in honore tanti mysterii primitùs corpus Christi & sanguis sobriè acciperetur, quàm cæteri cibi. Et ideo per omnem Ecclesiam Christi mos iste satis decenter ac providè inolevit. Neque observandum, sicut Apocryphorum monumenta decernunt, donec digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur: sed satis inuigilandum, ut antea

quisque semper paret,& post acceptam gratiam nullus indignum se reddat : Spiritualiter enim hæc accipienda, non carnaliter. *Idem docet Haymo super Evangelia Dominicalia. Anshelmus in* 1. *Corinth.* 11. *cap.* Sacra, *inquit*, Eucharistia à jejunis est accipienda, quamvis Apostoli primò non jejunè eam perceperint. Placuit enim Spiritui sancto,ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque quia post cibos dedit illud Dominus,propterea pransi vel cœnati fratres ad illud percipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos nunc Apostolus arguit : etenim dat mensis suis hoc miscere. Namque Saluator,quo vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem,ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum,à quibus ad passionem mox digressurus erat:& ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesiam disposituras erat, servaret hunc locum. *Et Algerus lib.* 2. *cap.* 1. *de Euchar.* Ecclesia ob reverentiam Sacramenti decernit,ut jejuno corpore,dum sobrietas viget, homo priùs reficiatur. *Eadem habet Rupertus Tuitiensis Abbas lib.* 10. *de Offic. divinis, cap.* 19.

Pueris in reliquis quidem Cœnæ datur.

Cumque presbyteri quidam,post Cœnæ consecrationem & communionem, pueris, vel aliis quibusuis astantibus,reliquias darent,id Canon 19. *Turonensis Synodi vetuit.*

Intelligitur tamen ex Anshelmo, quòd etiam infantibus ejus tempore Eucharistia data sit. Nam in 2.*Corinth.* 5. *cap. sic scribit:* Paruuli,si in ista parva ætate moriuntur, judicantur secundùm propria gesta corporis : & quando carnem Christi manducaverunt ; vel non manducaverunt, quando ejus sanguinem biberunt,vel non biberunt. *Et paruulos baptizatos, & manus impositione ac Chrismate connutritos, Eucharistiæ ministeriis admittendos, docet Meginhardus de Fide.*

Leo 4. *Papa decrevit*, Ne quis ex laicis in Presbyterio stet,aut sedeat,aut ingrediatur, dum in eo sacra Missarum solennia celebrantur. *Sigebertus.*

Missæ urbem lustravicæperunt.

Novum etiam est, quòd idem Leo, Missa, aqua benedicta, circuitione & similibus ceremoniis, Leopolim urbem recens extructam lustravit & consecravit, ut esset propugnaculum contra Saracenos : ut refert liber Pontificalis in ejus vita.

Missa.

Novum quoque est,quòd Benedictus 9. *circa annos Domini* 1035. *præcepit*, ut omnes Equites Polonici in festis solennibus inter Missæ celebrationem, fasciam lineam candidam instar stolæ, qua sacerdotes & diaconi inter sacra utuntur , de collo suspensam gerant, *Cromero teste lib.* 4.

Corporalia Dominica ad incendia extinguenda non usurpanda.

In Salegunstadiensi Synodo anno Domini 1023. *celebrata,cap.* 6. *sic scribitur:* Conquestum est etiam in Concilio sancto de quibusdam Presbyteris stultissimis , ut quando incendium vident,Corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proiiciant:ideoque decretum est, sub anathematis interdictione, ne ulteriùs fiat.

Cumq; Laici quidam & præsertim matronæ in more haberent , ut per singulos dies audirent Evangelium, In principio erat Verbum: & Missas peculiares de S. Trinitate,aut de S. Michaele : hoc in eadem Synodo quoque prohibetur & sancitur, Ne id ulteriùs fiat,nisi suo tempore , & nisi aliquis audire velit pro reverentia S. Trinitatis,non pro aliqua divinatione: & si voluerit ut sibi Missæ cantentur , de eodem die audiant Missas.

Missa ad contestandam innocentiam , & fancienda fœdera usurpari cœpit.

Cœperunt quoq; hoc tempore Eucharistiam ad probandam & contestandam innocentiam de objecto crimine dare & sumere:quod antea περιοδευτων,vel candetis ferri gestatione factum legimus. Ac primò quidè in hunc usum data narratur Lothario Imperatori Ludovici filio ; cum, Romæ se excusatum cum magno comitatu profectum,summus Pontifex invitat ad missam Christi , acceptoq; in manus corpore & sanguine Domini,ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis à prohibito atq; interdicto tibi à Nicolao adulterii scelere,& hoc fixa mente statutum habes , ut nunquam diebus vitæ tuæ, Waldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ misceatis nefario concubitu, fiducialiter accede:& sacramentum salutis æternæ, tibi ad remissionē peccatorum profuturum percipe.Si autem tua conscientia te accusat , & lethali vulnere sauciatū proclamat,aut iterū redire mente disponis in mœchiæ voluptatē, nequaquā sumere præsumas:ne fortè ad judicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium præparavit divina providentia. *Accessit igitur Imperator & Eucharistiæ sumpsit:paulo post autem Placentiæ mortuus est , ut Sigebertus refert anno Christi* 870. *Sic Andronicus Imp. Constantinop. accepto pane, cùm jam ad calicem bibendum accederet, manibus extentis , & vultu ad tristitiam composito , per veneranda mysteria infrequentissimo astantium cœtu iurat , se non alia de causa imperium accepisse , nisi ut Alexium Imperatorem & consobrinum juvaret , ejusque stabi-*

stabiliret potentiam, ut Annales Nicetæ Choniatæ referunt.

Ad imitationem Lotharii factì, paulo pòst Episcopi, Presbyteri & Monachi Eucharistiam ad innocentiæ contestationem & purgationem objecti criminis sumere etiam cæperunt. Et confirmatum, mandatumque hoc est in Wormatiensi Synodo anno 868. celebrata. In ejus enim Canone 15. sic sancitur: Sæpe contigit, ut in Monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committant, ignorentur. Idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipse Abbas præceperit, præsentibus fratribus: & sic in ultima Missæ celebratione, pro expurgatione sua corpus & sanguinem D. N. Iesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant. *Eadem Synodus Ca.* 10. *Episcopos aut Presbyteros de cæde, aut adulterio, aut furto, aut alio maleficio accusatos, jubet sese eodem modo purgare. Causa secunda quæstione quinta.*

Iuxta hanc constitutionem Fridericus Moguntinus Archiepiscopus, vulgi suspitione, qua conspirationis in Imperatorem Ottonem 1. *reus agebatur, corporis & sanguinis Domini perceptione in Ecclesia se liberat, circa annum Christi* 948. *licèt doli, fraudes, perfidia & machinæ ejus in Imperatorem notissimæ essent, ut Reginonis Continuator indicat.*

Fiebat hoc ab ipsis persuasione religionis, qua sceleris conscium pœnæ metu longè ab esu illo sacrosancto arcere credebatur: Sed quid non audent perfrictæ frontes? aut cui facilè fidendum est, testanti innocentiam, post Iudæ buccellam de manu Domini receptam?

Dabatur autem vulgò his, qui Eucharistiam ad purgationem sumebant, in hac verba communio, Corpus Domini nostri Iesu Christi tibi sit ad probationem: *Cum aliis ritè sumentibus diceretur,* Corpus Domini proficiat tibi in vitam æternam.

Reprobatur hic ritus.

Qui verò sic sumunt Eucharistiam, ea scelerate abutuntur, & ejus usu suam, non Domini gloriam aucupantur, seipsos quærentes non Dominum, ac suæ vitæ famæ, non mortis Christi memores. Deinde qui hoc faciunt, se Deo devovent, & conceptis verbis sibi exitium imprecantur, si ejus sint criminis rei, cuius à se suspicionem depellere cupiunt. Et non solùm symbolis sacris, sed Christi etiam nomine turpissimè & contumeliosissimè abutuntur, ipsumque Christi corpus profanant. An idcirco Christus in mortem traditus est, aut sui memoriam in Sacramento Cœnæ refricari voluit, ut esset sumentibus exitio, aut testis ejus quam unusquisque ad ipsum affert innocentiæ aut impietatis, atque ut quotiescunque volent homines, id miraculo declaret? Ergo si quis non est insons, & purus ejus criminis cujus suspicione laborat, pro insonte tamen & innocente habebitur, si Deus manifesto supplicio in eum non protinus animadvertat? Hoc verò pacto Christus erit impiis, impietatis & scelerum experimentum. Valuit quidem ad adulterarum probationem & pudicarum conjugum lex Israelitis in hunc finem à Deo data, ut sic mederetur maritorum Zelotypiæ, & pudicitiam tueretur castarum mulierum. Sed hanc vim habuit non ex hominum decreto & beneplacito, sed ex Dei instituto: Cœna autem non ideo instituta est. Hoc ergo ritu usus ejus & finis nefariè perveritur.

Ritus hic damnatus.

Rectè igitur hic manifestus error damnatur toto Titulo Extr. Purgatione vulgari lib. 5. *& à Thoma Aquinate parte* 3. *quæst.* 80. *art.* 6. *ad* 3. *ubi etiam ostendit hoc Concilium ob Canonem hunc reprobatum esse.*

Eucharistiæ vis sanandi tribuitur.

S. Bernhardus quoq; Hostiæ extra usum vim sanandi attribuit. Nam quendam non procul à Monasterio Clarevallensi veneficiis ab uxore adultera gravissimè excruciatum, ad altare duci jussit, & capiti ejus superposuit Hostiam, ut hoc modo panis illum liberet: sicut & factum est efficaci illusione Satanæ: Si vera sunt quæ author vitæ ejus scribit lib. 1. *cap.* 11.

Eucharistiæ sumtione fœdera confirmata.

Fœdera etiam & pacta Regum ac Principum Eucharistiæ interventu in hac classe firmata primò legimus. Sic enim Paschalis 2. *cùm in celebratione Missæ traderet Henrico Imp.* 5. *Eucharistiam,* Domine Imperator, *inquit,* hoc corpus Domini natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem pacis inter me & te: *idque factum anno* 1111. *Id. April. ni Sigebertus refert. Sed ea quàm rata & diuturna plerunque fuerint hæc ipsa pax inter Henricum Imp. & Paschalem Papam, satis testatur.*

Ritus hic unde.

Ritus autem hic ab Ethnicis in Christianam Religionem translatus videtur. Solebant enim Veteres fœdera panis & vini symbolis confirmare & inire. Sic enim Cœlius lib. 15. *cap.* 15. *Lect. Ant.* Panis, *inquit*, prægustatus ritu Macedonico sanctissimum erat coëuntium pignus. *Et Erasmus in explicatione symboli Pythagorici,* Panem ne frangito; Admonet, *ait,* non dirimendam esse amicitiam: propterea quòd antiquitùs amicitia pane conciliabatur. *Vide etiam formam ferienda fœderis apud Græcos ex Homeri* 3. *Iliados rhapsodia apud Gyraldum Syntag.* 7. *de Diis gentium. Sæpe enim veteres Christiani de Gentilium ceremoniis quadam in sua sacra transtulerunt: & contrà multi res inprimis sacras profanis moribus accommodarunt.*

Certamen inter Græcam & Latinam Ecclesiam de fermentato & azymo pane exortum.

CVm abrogato fermentato pane, azymum magis magisque defenderet Romana Ecclesia, eum quoque, tanquam à Christo & Apostolis usurpatum, Romani Pontifices, pro sua tyrannide, Orientalibus Ecclesiis obtrudere conati sunt, quæ hucusque tamen sine cujusquam offensione ab eo abstinuerant. Gravis igitur ea de re dissensio inter Græcos & Latinos exorta est circa annos Christi 1054. juxta Sigebertum. Ægerrimè enim ferebat Michael Constantinopolitanus Episcopus & Leo Archidiaconus, se & omnes unà Orientis Ecclesias damnari, quòd fermentatis panibus in Cœna uterentur. Sua autem hypotheseos hæc erant fundamenta, ut ex epistola ad Ioannem Tramensem Episcopum apparet. 1. Quia azyma comedere Iudæis Moses instituit : Nostrum verò Pascha Christus est. 2. Quia Christus in Cœna inquit, se Novum Testamentum constituere : Ergo vetus ille ritus omnino cessare debet. 3. Quia Græcus textus usurpat vocabulum ἀπροσφόρον. Ἀπροσφόρον autem, inquit, Michael, idem est quod elevatus & sursum portatus à fermento & sale, seu calorem & elevationem habens : azyma autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris. 4. Quia azyma passionis & tribulationis sunt symbola : nostrum verò Pascha gaudium & lætitia est totum, & extollit nos humo propter gaudium ad cœlum, sicut fermentum propter proprium calorem panem extollit. 5. Christus inquit, vos estis sal terræ. *Item*, Simile est regnum cœlorum fermento, quo fermentatur totum : azyma autem nec salem nec fermentum habent. 6. Translato sacerdotio, & legis translatio facta est. Ergo azyma Iudæis sunt permittenda, Christianis verò non sunt usurpanda. 7. Christus accipiens panem, inquit, Accipite, &c. hoc facite in mei commemorationem : Azyma autem neque commemorationem Domini, neque annunciationem mortis ejus habent, quia ad ritus Mosaicos pertinent.

Rationes pro fermentato pane in Cœna.

Huic sententiæ Leo 9. Papa acerrimè, vereque Pontificali crista sese opponit prolixo scripto, in quo azymum, ut necessarium, in Eucharistiæ distributione defendit. Et primò quidem longo exordio docet, unitatem Ecclesiæ scindere gravissimum peccatum esse. Deinde ad probandam suam sententiam, ejusmodi rationes affert, quæ probant tantùm, Ecclesiam Romanam non posse errare: Constantinopolitanam contrà sæpè & in multis errasse : ergo in hoc etiam articulo non Romanam, sed Constantinopolitanam Ecclesiam errare. Egregia sanè argumentatio. In alia porrò epistola, multa obiicit Michaeli crimina Leo 9. quæ in ipsum rectius retorqueri potuissent: & ex eo tandem concludit, Ipsum non rectè sentire: hortatur igitur eum, ut Ecclesiæ Romanæ consentiat : id ni faciat, excommunicationis fulmen ei minatur.

Rationes contra fermentatum panem.

Cæterum Humbertus candidæ Sylvæ, impulsu Pontificis Rom. suscepit epistolæ Michaelis refutationem. Etsi autem ille quoque à scopo subinde aberret, tamen plus rerum habet, quàm Leonis invectiva. Nam 1. negat se azymis more Iudæorum uti, qui (*ut in Exod. Levit. Deut. videtur*) primo mense, 14. die & sequentibus septem azyma comedant. Se verò semper in Cœna azymis uti, absque mactatione agni & aliis ritibus. 2. Ab Etymologia panis, inquit, argumentum est ineptum. Nam panis vocabulum indifferenter pro azymo & fermentato accipitur in sacris literis : idque citra necessitatem copiosè probat. 3. Fuit azymus panis quo Christus in Cœna usus est. Quia tempore Paschatis ubi non fas erat fermentatum panem retinere, Cœnam observavit. Secundò, quia Christus inquit : Non veni soluere legem, sed implere. Tertiò, quia Christus ait, quis vestrum arguet me de peccato ? Quartò, quia Iudæi non accusant eum, quòd fermento usus sit : non intermissuri coram Pilato si hoc peccatum admisisset. Quintò, textus clarè dicit, Erat dies azymorum. 4. Fermentum est vitium, quia sit ex fecibus ceruisiæ, & in malam partem sumitur : Cavete à fermento Pharisæorum : *Item*, Expurgate vetus fermentum. 5. Hierosolymitana Ecclesia quoque utitur azymis in Cœna. 6. Non probari potest Christum azymo male dixisse. 7. Vetus Testamentum est fundamentum Novi : quia in hoc impleta sunt, quæ in illo prædicta fuerunt. Christus est finis legis consummans, non consumens : efficiens, non annihilans : complens non evacuans. *Hæc prolixè exponit.*

Rationes contra azymum panem.

Partes autem Michaelis Nicetas monachus monasterii studiorum Constantinopoli scripto est tutatus, his rationibus. 1. Qui azymis participant, sub umbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt. 2. Christus iubet nos in luce ambulare, ergo tenebræ legis facessant. 3. Azymus non est panis neque compositus, neque per seipsum perfectus : *Item*, in azymis nulla est viva virtus. 4. Nova creatura sumus in Christo : vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova. 5. Paulus dicit, Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. 6. Paulus

apud

apud Corinthios non instituit azyma: *Item*, Sæpius vocat panem non azyma. 7. Non erant tunc azyma, cùm mysteria Noui Testamenti traderet Apostolis: quia 13. luna Paschæ comedit. 8. Septem solis diebus præcepit Deus azymis uti: & non per totum annum. *Hæc & alia similia cùm non satis commodè Romani possent refutare, ad dirum excommunicationis fulmen, sacram suam anchoram, confugiunt.*

Non sic autem ut Leo Papa, sensit Gregorius 1. *Romanus Episcopus, qui in Registro indicans, Ecclesiam Romanam azymis panibus uti, aliàs verò fermentatis, has minimè damnat ut hæreticas, sed simpliciter utriusque partis rationes recenset, quibus pro defensione sua consuetudinis utantur.*

De hoc quoq; certamine Græcorum & Latinorum, Algerus monachus Corbeiensis, in lectione Scripturæ & Patrum magnâ studio versatus, Trithemio teste, quiq; eodem tempore claruit, ita scribit in lib. de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia: Vtrum ex azymo, an ex fermentato pane corpus Christi confici debeat, inter Latinos & Græcos magna concertatio est, in tantum, ut illi istos Azymitas, isti illos Fermentarios, quasi cuiuslibet hæresis notent vocabulo: quum tamen, ut in multis bonis Catholicis videtur, non sit contra fidem Christianam, seu azymum seu fermentatum sactificetur: cùm quia utrunq; panis est, & sicut utrunq; vitam transitoriam, sic corpus Christi dat æternam: tum quia etiam, quamuis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia Cœna in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat, pangm tamen fermentatum non prohibuit. Quamuis enim in veteri lege præceptum est, azymum panem in Pascha comedi, ut per eum figuraretur Christus syncerus & mundus: & nos etiam qui manducaturi eramus corpus eius, similiter moneremur purgari ab omni fermento malitiæ & nequitiæ: figura tamen tali in pane illo non indigemus, de quo carnem Christi conficimus: quia de figura veteri ad veritatem transuimus, azymam & puram carnem Christi in quocunq; pane consecrato sumimus.

Aliud certamen propter azyma.

Rursus anno 1138. *alia disputatio de eadem re exorta est inter Anselmum Hauelburgensem à Lothario Constantinopolim missum, & Nechitem Nicomediensem Archiepiscopum: in qua Nechites fermentatum panem non esse damnandum in Cœna probauit: Primùm, quia Meltiades & alij Papæ statuta de fermentato offerendo sanxerunt: deinde Latini à Græcis olim hac in re non discordabant: sed indifferenter vel azymo, vel fermentato in mysterio altaris utebantur. Item Apostoli videntur indifferenter nunc azymo, nunc fermentato, prout habere potuerunt usi esse. Et tandem concludit Nechites, se habere pro adiaphoro, minimeq; repudiaturum azymum si in loco esset, ubi fermentatum habere non posset. Contrà Anselmus celebrationem in azymis necessariam esse contendit, & aliter sentientes hæreseos accusauit. Petrus autem Cluniacensis lib. 5. epist. 16. de eodem sic scribit*: Testes sumus & nos temporis nostri, qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus: cum Græca Ecclesia, ac maxima Orientis pars, ac barbaræ, sed Christianæ gentes sacrificare de fermentato dicantur. Cùm hoc ita sit, nec antiqui, nec moderni, propter tam celebres & famosas usuum dissonantias, à charitate mutua desciuerunt: quia nihil quod fidem vel charitatem læderet, in his omnibus inuenerunt.

Græca verò Ecclesiæ panem vulgarem & fermentatum, licet à Romana hoc nomine sine causa excommunicata, constanter retinuerunt, adeò, ut etiam auxilia contra Turcam petita, & à Papa Eugenio, in Concilio Florentino, anno Christi 1439. *sub hac conditione promissa, ut abdicato panis fermentatiusu, azymum introduceremt, accipere noluerint.*

Vide Platinam de origine Missæ. & Sacrami. lib. 14. cap. 16

De Communione per quadraginta dies ad Sacerdotium promotorum.

Planè mirabilia, nouiq; in Gallicana Ecclesia consuetudo fuit Fulberti, Episcopi Carnuteusis, Adelmanni ac Berengarij præceptoris, ætate, circa annos Christi 1000. *de qua ad Pinardum scribit, quòd ad Sacerdotium promoti, plebemq; in Christiana religione eruidenda ordinatis, ab Episcopo consecrata hostia, seu panis sanctificatus dari solitus sit, & ex eo per quadraginta continuos dies à seipsis communicarint, singulis inde diebus parua quadam portiuncula sumpta, quam hostiam seu panem, in pergameno, vel sudario, vel simili aliqua re, ad hunc usum parata, inuolutum asseruarint. Hanc autem quadragesimalem communionem istius panis sanctificati, ita semel ab Episcopo dati, dicit Fulbertus in memoriam Christi fieri, qui resuscitato & glorificato corporis specie quadraginta diebus Apostolis suis, quos in Mundum emissurus erat, apparuit, eosque hac desideratæ visionis specie, tanquam panis cœlestis suauitate, & satietate refecit.* Quem cibum cœlestem, *inquit*, & quam angelicam suauitatem, non per typicas, aut umbratiles figuras, sed per indubitatam unionis veritatem, repræsentat ille Dominicus cibus, quem per quadraginta dies sumendum, tanquam salutis viaticum

ticum Pontifex nouis Ecclesiæ cultoribus distribuit, quos suæ pastoralis curæ vicarios adiutores, ad erudiendam plebem sibi commissam, constituit: ut, dum istum (panem sanctificatum, vel Dominicum cibum) præ oculis habentes degustant, illum mente pertractent, qui de cruce, morte triumphata, ad Patrem ascendit, dumque à seipsis consecratum corpus percipiunt, illum fidei gustum experiantur, per quem Christus quotidie nobis moritur, & resurgit, & per quem usque ad consummationem seculi nobiscum se manere pollicetur.

De Cannis seu Fistulis, quibus vinum in sacra Cœna è calice in hac Classe bibere cœperunt.

NOn possum studiosos antiquitatis Christianæ celare, plebem sanguinem Dominicum, de magnis poculis seu calicibus exhibitum, argenteis cannis seu fistulis ad hoc fabrefactis, haurire & bibere solitam fuisse. Hoc periti viri ordinis Benedictini, ex volumine, cui titulus Liber signorum *clarè demonstrarunt: ex quibus est Paulus Volzius, Abbas Hugoniani Cœnobij, quod lingua vernacula* Raugeshofen *appellatur, qui hoc ipsum B. Rhenano indicauit, ut Hedio parte 3. hist. Ecclesiast. lib. 4. cap. 22. refert, & ipsemet Rhenanus in suis ad lib. Tertulliani de Corona militis Annotationibus testatur: ubi etiam ex Conradi Pellicani relatione indicat, in primis Carthusianorum statutis prohiberi,* ne quidquam argenteorum vasorum possideant, præter calicem argenteum & fistulam, seu canalem, ex quibus Laici sanguinem haurire possint. *Meminit quoque libelli de veteribus Ecclesiæ Moguntinensis thesauris ante annos 500. conscripti, in quo inter aureos calices ingentis ponderis adnotatos, cruces aureas, grues argenteas, odorem impositorum in cauo ventre thymiamatum per collum & rostra mira arte exhalantes, iuxta aram maximam, vestes sacras intextas auro rigentes, gemmas incomparabiles, & reliqua* Κειμήλια *ac donaria Archiepiscopalis Templi, fistulæ etiam recensentur argenteæ sex, in hunc hauriendi sanguinis usum deputatæ. Ac etiamnum hodie Romanus Pontifex quoties sacrificat, aureo calamo sanguinem Dominicum cum Diacono & Subdiacono è calice sugit.*

Cauere hac ceremonia voluerunt Transubstantiatores, ne bibendo simpliciter ex calice, vel effunderetur aliquid de sanguine ab imperita plebe, vel guttæ aliquæ barbæ adhærerent: (nam eo adhuc tempore utraq; species Laicis dabatur:) non interim soliciti de eo, in purane, an in impura corda reciperetur.

De Coloribus Vestimentorum secundùm proprietates temporum à Romana Ecclesia in Missa usurpatis.

In hac porrò Classe quatuor coloribus, albo, rubeo, nigro & viridi, secundùm proprietates dierum, sacras vestes Romana Ecclesia in Missæ celebratione distinguere cœpit. De quo sic scribit Innocentius de Missæ myst. lib. 1. cap. 65. Episcopus albis induitur vestimentis in festiuitatibus Confessorum & Virginum. Rubeis utendum in solennitatibus Apostolorum & Martyrum, propter sanguinem Passionis. Licèt autem in Apostolorum Petri & Pauli martyrio rubeis sit utendum: in Conuersione tamen & Cathedra utendum est albis. Sicut licèt in natiuitate Iohannis sit albis utendum: in Decollatione tamen ipsius utendum est rubeis. In Commemoratione omnium sanctorum quidam rubeis utuntur indumentis, alij verò, ut Curia Romana, candidis. Nigris utendum in die afflictionis & abstinentiæ pro peccatis & defunctis. Ab Aduentu videlicet usque ad Natalis vigiliam, & à Septuagesima usque ad Sabbatum Paschæ. In Innocentum autem die, quidam nigris, alij verò rubeis utendum esse contendunt. Hodie utimur violaceis, sicut in Lætare Hierusalem, &c. propter lætitiam, quam aurea rosa significat. Romanus Pontifex portat mitram aurifrigio insignitam, sed propter abstinentiam nigris, imò violaceis utitur indumentis. Restat quòd diebus ferialibus & communibus, viridibus sit indumentis utendum. Quia viridis color medius est inter albedinem & nigredinem & ruborem. Ad hos quatuor cæteri referuntur. Ad rubeum colorem coccineus, ad nigrum violaceus, ad viridem croceus. His indumentis ornatus Episcopus, ad altare procedit.

CAPVT II.

De vera Doctrina Cœnæ in hac Quarta etiam Classe retenta: eiusdemq; inclinatione: & prima certaminis Sacramentarij Origine.

GEnuinus ac verus sensus verborum Christi, HOC *est corpus meum: &c. itemq; sanc*

sana doctrina de Cœna Dominica quam in prioribus Classibus hucusq; exposuimus, integra, pura & incorrupta in vera Christi Ecclesia ultra octingentos à nato in carne Christo permansit annos. Post hæc verò tempora inclinatio illa fatalis fieri cœpit, quæ à Prophetis & Apostolis prædicta est: non tamen uno eodemq; momento, sed sensim lux illa sanæ & veræ doctrinæ obscurari cœpit, donec prorsus extingueretur, & mundus in densiores quàm cimmerias tenebras detruderetur. Hoc autem quando, & qua occasione attentatum primò fuerit, ordine deinceps & quàm possumus breuissimè exponam.

I. Occasio & origo erroris de Tvansubstantiatione.

NOTVM *est ex historica precedentium Classium narratione, quibus Ritibus vera Ecclesia sacrosanctam Domini Cœnam in congressibus publicis celebrarit, distributione nimirum panis fracti & poculi consecrati. Inter alia quoq; fiebat commemoratio sacrificij Christi, quo ille in cruce occisus, & in sancta sanctorum ingressus placato Patre, consummauit sanctos. In hujus sacrificij & meritorum eo acquisitorum memoriam perpetuam docebatur populus, hanc Cœnam institutam esse, non ut theatricum spectaculum commonefactionis & celebrationis solius causa: sed ut ritus & actio sacra, qua Filius Dei verè præsens & efficax in distributione panis & vini virtute & operatione Spiritus sancti, distribuat electis & fidelibus corpus & sanguinem suum tanquam sigillum ac pignus certissimum promissæ gratiæ, omnium suorum beneficiorum & perpetuæ suæ præsentiæ in nobis, nostræq; vicissim coniunctionis cum ipso. Fiebat & applicatio conceptis ac solennibus verbis, in distributione sumentibus singulis, quibus adiungebantur gratiarum actiones & preces communes: illæ pro toto opere & beneficio redemtionis, collectionis, gubernationis, & conservationis Ecclesiæ: hæ pro ipsa Ecclesia & pro singulis eius membris, quæ communia vota Ecclesiæ expetebant: & dirigebantur ad Deum Patrem per Filium Mediatorem, ratione & consideratione ritus præsentis, addita commemoratione sacrificij atq; omnium meritorum Christi: sic, ut Filius inuocaretur, ac sisteretur Patri, tanquam intercessor & Sacerdos summus ac perpetuus ad dexteram Patris in cœlo, quo conuertebantur ac dirigebantur corda Sacerdotis voce, Sursum corda: & significabatur: Christum semel ingressum in sancta sanctorum, semper in conspectu Patris interpellare pro nobis, & intercessione sua applicare nobis fructum sui sacrificij, offerre preces inuocantium. Progressu verò temporis, in hoc ritu ex compellatione ista Christi, qua Patri sistebatur, ut Mediator, peruasit opinio in animos hominum superstitiosorum, nec accurate Verbo Dei & primitiuæ Ecclesiæ doctrinæ attendentium, ut crederent panis adesse Christum, & coram communicare semetipsum corpore suo, & applicare merita sua, intercessione, & opere Sacerdotis, cœptum: est symbolis externis, seu Numinibus quibusdam inhærere: sicut omni tempore non Ethnici solùm, sed Christianorum etiam maxima pars oblita verbi & promissionum, vertit signa in res ipsas & Numina. Sic Persæ finxerunt ignem esse Numen, quia audierant, igne de cœlo lapso incensas esse victimas. Sed & Israelita alligarunt Deum ad vitulos aureos, & ad æneum serpentem: ad quæ concursus & adoratio facta est, tanquam ad Numen aliquod. Eadem prorsus ratione, cùm ex consuetudine publicarum precum in ritu Cœnæ Dominicæ facta esset per preces applicatio meritorum Christi, & quædam quasi oblatio Mediatoris ad Patrem, cum obtestatione petente, per & propter ipsum exaudiri, atque impleri preces, Cœna illa in longè alium usum, quàm oportuit, translata est.*

II.

DEINDE *confirmarunt hanc superstitiosorum hominum sententiam plurimùm*, Phrases hyperbolicæ *primitiuæ Ecclesiæ Patrum, quibus maiestatem & venerationem quandam huic Sacramento conciliare voluerunt, & homines docere, non nuda & inania signa in Cœna proponi. Sic enim Cyprianus in Serm. de Cœna Domini:* Panis iste, *inquit*, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus; omnipotentiâ Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas apparebat & latebat Diuinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia. *Ambrosius de Myst. init.* scribit: Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? *Lib. 4. de Sacram. c. 5.* Ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus, & sanguinem: nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

Chrysostomus Homil. 60. ad populum & Homil. 83. in Matth. Credamus, *inquit*, ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicitur. Superet & sensũ, & rationem nostram sermo, quæso, ipsius; quod in omnibus rebus, sed præcipuè in mysterijs faciamus, non illa, quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes: nam verbis illius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit: Hoc

est

est corpus meum; nulla dubitatione teneamur, sed credamus, &c. *Item*: ô, quot modò dicunt, vellem formam, & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calciamenta videre: ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. *Ibidem dicit Chrysostomus*, nullum unquam pastorem pauisse oues carne & sanguine suo, ut Christus facit: & multas matres dedisse filios aliis nutriendos, at Christum carne sua nos alere. *Homil. 24. in 1. Corinth. dicit*, Magos hoc ipsum corpus adorasse in præsepi: nos autem aliquid amplius habere, quàm habuerint Magi: nam illi habuerunt in præsepi, nos in altari: illi in vlnis mulieris, nos in manibus Sacerdotis. *Ibidem dicit*, Amantes consueuisse personis amantibus donare vestes, pecunias, & alia id genus: at carnem suam non posse dare. Christum autem rationem inuenisse per hoc mirabile Sacramentum, quo se nobis verè donaret habendum. *Lib. 3. de Sacerdotio*: ô miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur ac se ipse tradit volentibus illum excipere, & amplecti. *Item homil. 2. ad populum Antiochenum, in fine*: Helias melotem discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens suam carnem dimisit: sed Helias quidem exutus Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. *Homil. 60. ad populum Antiochenum*: Cogita quali sis insignitus honore, qua mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neq; liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur. *Et Homil. 61.* Huic & supernæ potestates assistunt, quoniam & illæ nobis manifestiùs proposito rum virtutem speculantur, & inaccessibiles admirantur splendores. *Et hom. 3. in epist. ad Ephes.* Et tu ad salutarem hanc hostiam accessurus, quam Angeli ipsi cum tremore suspiciunt. *Et li. 6. de Sacerdot.* Per id tempus, *inquit*, & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum uniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò, & commemorantem quendam audiui, cùm diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo fuisse; ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: deniq; sic capite inclinatorum, ut si qui milites præsente Rege stantes videat. *Homil. 21. in Acta*: Quid dicis? hostia in manibus est, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei: cum tanto horrore astant omnes.

Augustinus in Psal. 33. Conc. 1. Hoc, *inquit*, quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundùm literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait; Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis. *In Serm. ad Neophytos*: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere.

Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioannem c. 13. explicans illud: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Firmam, *inquit*, fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud, Quomodo? aut cogitemus, aut proferamus.

Leo Papa Serm. 6. de Ieiunio septimi mensis: Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis, Amen respondetur, à quibus contrà id, quod accipitur, disputatur.

Eusebius Emissenus in Serm. de Corpore Domini inquit: Ad cognoscendum, & percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa re roboret potentia consecrantis. *Item*: Inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis verbo suo secreta potestate commutat. *Item*: Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis, & vini, post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? Immo iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia, & inuisibilia voluntatis imperio suscitare.

Omnium verò maximè Ioannis Damasceni, qui paulò ante hæc tempora, nimirum circa annos Christi 740. claruit, incommodæ Phrases, & hyperbolicæ loquutiones homines superstitiosos in sententia de corporali Christi in Cœna præsentia confirmarunt. Nam lib. 4. de Orthodoxa

doxa fide c.14. sic scribit: Non est figura panis, & vinum corporis & sanguinis Christi, sed ipsum corpus deificatum, ipso dicente: Hoc est corpus meum, non figura corporis, sed corpus, sicut hoc antè ipsis Iudæis dixit: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem ipsius, non habebitis vitàm æternam. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, *Item*, Si quæras quomodo panis fiat corpus Christi, & vinum sanguis Christi. Ego tibi respondeo: Spiritus sanctus accedit, & facit hæc, quæ rationem cogitationemque superant diuina mysteria, corpus Christi. *Item*: Non descendit ex cœlo corpus Christi, sursum assumptum, sed ipse panis & vinum supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Dei.

Sic etiam paulò post Damascenum, Carolus M. lib. 4. de Imaginibus c.14. scribit: Non sanguinis & corporis Dominici mysterium imago iam nunc dicendum est, sed veritas: non vmbra, sed corpus: non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præfigurabatur. Christus Rex iustus, Rex pacis, non pecudum victimas, sed sui nobis corporis & sanguinis sacramentum contulit. Nec ait: Hæc est imago corporis & sanguinis mei: sed, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: & Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur.

Theophylactus paulò durius ipso Damasceno locutus est: quodiam Ægyptiacæ tenebræ præ foribus essent. Panem enim figuram & antitypon corporis Christi esse negat, & insuper panem in corpus Christi conuerti dicit. Nam in c. 26. Matth. Ipsum, *inquit*, corpus Domini, est panis qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit Christus, Hoc est figura: sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, sed caro est.

Et si verò multæ firmissimæq; sunt rationes, quas li. 5. adducemus, ipsq; probabimus, Patres, atq; ipsum etiam Damascenum & Theophylactum, hæc non de Pontificia transsubstantiatione, seu de sublata & annihilata, vel desinente panis & vini substantia, inq; eorum locum realiter substituta corporis & sanguinis Christi successione intelligere; sed de mystica & spirituali transmutatione, seu arcana salutis humanæ dispensatione, in communicatione rerum cum signis, quæ est ipsa gratia & virtus Sacramenti, ex vero & destinato suo fine, in recto ipsius usu. Nihilominus Patres, inprimis autem Damascenus, his suis hyperbolicis phrasibus occasionem satis magnam dederunt imperitis & superstitiosis post annos Christi 800. hominibus, qui vera mysteriorum cognitione & doctrina imbuti non fuerunt, dum hæc ita crasse & carnaliter intelligerent, ut Pontificiæ transsubstantiationis idolum inde tandem fabricarent & effingerent.

PRÆTEREA *aderant iam tempora fatalis illius mutationis, qua imperium Occidentis, fracta nunc penitus & iacente Græcorum potentia, translatum ab his in Francos fuit. Quemadmodum igitur in horrendis illis Gothorum, Wandalorum, Hunnorum ac aliarum gentium barbararum in Europam irruptionibus, vera religio, pietas & eruditio maximam iacturam in Occidentalibus Ecclesijs fecit, & nominatim in sæuissimis illis tempestatibus Cœna Domini in sacrificium quoddam pro defunctis & mortuis conversa fuit, ut sub finem Classis tertiæ pluribus indicatum à nobis est: Sic etiam nemini dubium esse debet, quin hoc quoque tempore, ab infusis & commixtis nouis, peregrinis & superstitiosis gentibus, magis quàm antehac nunquam, sana, pura & vera doctrina corrumpi, ac superstitione polui & contaminari cœperit.*

DENIQVE, *appropinquare iam cœpit finis periodi mille annorum illorum, de quibus Ioannes in Apocalypsi 20. c. scribit*, quòd tunc Dràconem vel Satanam solvi rursus, & omne genus superstitionum, idololatriæ, errorum & abominationum in mundum introduci oporteat.

Carnalis præsentia Christi non illicò approbata.

Non tamen sententia hæc nova & antiquitati incognita, ab omnibus illico approbata & recepta, sed iantàm ab initio in quæstionem proposita fuit, & de ea disputari cœptum est. Nondum enim exoleverat doctrina primitiua Ecclesiæ Patrum, ac præsertim Augustini, quam post mortem eius, quasi per manus traditam, ad hæc usq; tempora à præcipuis Ecclesiarum Doctoribus fidelissimè custoditam, traditam & confirmatam fuisse, in secunda & tertia Classe satis prolixè & evidenter à nobis demonstratum esse arbitror.

Certaminis Sacramentarij initium.

Concertationis initium fuit in Gallia post Caroli Magni ætatem, sub Carolo cognomento Calvo, Galliarum Rege, Magni Caroli nepote, circa annos Domini 850. nonnullis corporalem Christi in Cœna præsentiam repudiantibus, alijs verò eam nunc primò, ijs de causis, quas diximus, approbantibus. His altercationibus permotus Carolus Rex, BERTRAMI Presbyteri & Monachi iudicium de hac re postulavit. Habebatur is à Rege & omnibus bonis magno in pretio, propter summam eruditionem & vitæ sanctimoniam. Due autem à Rege proponebantur Bertramo quæstiones. Sic enim ipsemet scribit in Præfatione libri quem ad Regis

Bertramus quis. Vide Dei. nanum de S. Eucharistia f. 486.

Regis postulatum composuit: Iubes, glorioſe Rex, ut quid de ſanguinis & corporis Chriſti myſterio ſentiam, veſtræ Magnificentiæ ſignificem. Dum enim quidam fidelium corporis ſanguiniſq; Chriſti, quod in Eccleſia quotidie celebratur, dicant, quòd nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis nuda manifeſtatione peragatur: quidam verò teſtentur, quòd hæc ſub myſterij figura contineantur, & aliud ſit, quod corporeis oculis appareat, aliud autem quod fides aſpiciat, non parva diverſitas inter eos eſſe dignoſcitur.

Ad Regis igitur mandatum librum de corpore & ſanguine Domini eruditum conſcripſit: in cuius exordio rurſus ad Regem ſic ſcribit: Quod in Eccleſia ore fidelium ſumitur corpus & ſanguis Chriſti, quærit veſtræ Magnitudinis excellentia, in myſterio-ne fiat, an in veritate? id eſt, utrum aliquid ſecreti contineat quod oculis fidei ſolummodo pateat, an ſine cuiuſcunque velatione myſterij hoc aſpectus intueatur corporis exteriùs, quod mentis viſus aſpiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifeſtationis luce clareſcat? & utrum ipſum corpus ſit, quod de Maria natum eſt & paſſum, mortuum & ſepultum, quodq; reſurgens & cœlos aſcendens, ad dextram Patris conſideat?

Bertrami Reſponſio ad Primam Quæſtionem: *An quod in Eccleſia fidelium ore ſumitur corpus & ſanguis Chriſti, in myſterio ſeu figura fiat, an in veritate?*

HArum duarum quæſtionum primam inſpiciamus: & ne dubietatis ambage detineamur, definiamus quid ſit figura, quid veritas, ut certum aliquid contuentes noverimus quo rationis iter contendere debeamus. Figura eſt obumbratio quædam, quibuſdam velaminibus quod intendit oſtendens, verbi gratia, Verbum volentes dicere, panem nuncupamus. Sicut in Oratione Dominica, panem quotidianum dari nobis expoſtulamus: vel cùm Chriſtus in Evangelio loquitur dicens: Ego, ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: vel cùm ſeipſum vitem, diſcipulos autem palmites appellat. Ego ſum (dicens) vitis vera, vos autem palmites. Hæc enim omnia aliud dicunt, aliud innuunt. Veritas verò, eſt rei manifeſtæ demonſtratio, nullis umbrarum imaginibus obvelatæ, ſed puris & apertis (utque planiùs eloquamur) naturalibus ſignificationibus inſinuatæ, utpote cùm dicitur Chriſtus natus de virgine, paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus. Nihil enim hîc figuris obvelantibus adumbratur, verùm rei veritas naturalium ſignificationibus verborum oſtenditur: neque aliud hîc licet intelligi quàm dicitur. At in ſuperioribus non item. Nam ſubſtantialiter nec panis Chriſtus, nec vitis Chriſtus, nec palmites Apoſtoli. Quapropter hîc figura, ſuperiùs verò veritas in narratione monſtratur, id eſt, nuda & aperta ſignificatio. Nunc redeamus ad illa quorum cauſa dicta ſunt iſta, videlicet corpus & ſanguinem Chriſti. Si enim nulla ſub figura myſterium illud peragitur, iam myſterium non rite vocitatur, quemadmodum myſterium dici non poteſt, in quo nihil eſt abditum, nihil à corporalibus ſenſibus remotum, nihil aliquo velamine contectum. At ille panis qui per Sacerdotis miniſterium Chriſti corpus efficitur, aliud exteriùs humanis ſenſibus oſtendit, & aliud interiùs fidelium mentibus clamat. Exteriùs quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur: aſt interiùs longè aliud, multoque pretioſiùs, multoque excellentiùs intimatur, quia cœleſte, quia divinum, id eſt, Chriſti corpus oſtenditur, quod non ſenſibus carnis ſed animi fidelis contuitu vel aſpicitur, vel accipitur, vel comeditur. Vinum quoque quod ſacerdotali conſecratione Chriſti ſanguinis efficitur Sacramentum, aliud ſuperficietenus oſtendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in ſuperficie, quàm ſubſtantia vini conſpicitur? Guſta, vinum ſapit: Odora, vinum redolet: Inſpice, vini color intuetur. At interiùs ſi conſideres, iam non liquor vini, ſed liquor ſanguinis Chriſti credentium mentibus & ſapit dum guſtatur, & agnoſcitur dum conſpicitur, & probatur dum odoratur. Hæc ita eſſe, dum nemo poteſt abnegare, claret: quia panis ille vinumque figuratè Chriſti corpus & ſanguis exiſtit. Non enim ſecundùm quod videtur, vel carnis ſpecies nullo pane cognoſcitur, vel in illo vino cruoris nuda monſtratur, cùm tamen poſt myſticam conſecrationem nec panis iam dicitur nec vinum, ſed Chriſti corpus & ſanguis. Nam ſi ſecundùm quoſdam figuratè nihil hîc accipiatur, ſed totum in veritate conſpiciatur, nihil hîc fides operatur: quemadmodum nihil ſpirituale geritur, ſed quicquid illud eſt, totum ſecundùm corpus accipitur. Et cùm fides ſecundùm Apoſtolum ſit rerum argumentum non apparentium, id eſt, non earum, quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſubſtantiarum, nihil hîc ſecundùm fidem accipiemus: quemadmodum quicquid exiſtit ſecundùm corporis

poris sensus dijudicamus. Et nihil absurdius, quàm panem carnem accipere, & vinum sanguinem dicere. Nec jam mysterium erit, in quo nihil secreti, nihil abditi continebitur. Omnis enim permutatio, aut ex eo, quod non est, in id, quod est, efficitur: aut ex eo, quod est, in id, quod non est: aut ex eo, quod est, in id, quod est. In isto autem Sacramento si tantùm veritas in simplicitate cõsideretur, & nõ aliud credatur, quàm quod aspicitur, nulla permutatio facta cognoscitur. Nam nec ex eo, quod non erat, transivit in aliquid quod sit, quomodo fit transitus in reb. nascentibus. Siquidem non erat priùs, sed ut sint, ex non esse ad id quod est, esse transitum fecerunt. Hic verò panis & vinum priùs fuere, quàm transitum in Sacramentum corporis & sanguinis Christi fecerunt. Sed nec ille transitus, qui fit ex eo, quod est esse ad id, quod est non esse, qui transitus in rebus per defectum occasum patientibus exiit. Quicquid enim interit priùs subsistendo fuit, nec interitum pati potest, quod nunquam fuit. Hic quoq; non iste transitus factus esse cognoscitur: quoniam secundùm veritatem species creaturæ quæ fuerat antè permansisse cognoscitur. Item illa permutatio quæ fit ex eo quod est, in eo quod est, quæ perspicitur in rebus qualitatis varietatem patientibus: verbi gratia, Quando quod nigrum fuerat in album demutatur, nec hic facta esse cognoscitur. Nihil enim hic vel tactu, vel colore, vel sapore permutatum esse deprehenditur. Si ergo nihil hîc est permutatum, non est aliud quàm antè fuit. Est autem aliud, quemadmodum panis corpus, & vinum sanguis Christi facta sunt. Sic enim ipse dicit: Accipite & comedite; hoc est corpus meum. Similiter & de calice loquens, dicit: Accipite & bibite, hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro vobis fundetur. Quærendum ergo est ab eis, qui nihil hîc figuratè volunt accipere, sed totum in veritatis simplicitate consistere, secundùm quod demutatio facta sit, ut iam non sint quod antè fuerunt, videlicet panis atq; vinum, sed sint corpus atque sanguis Christi? Secundùm speciem namque creaturæ formamq; rerum visibilium, utrumq; hoc, id est, panis & vinum, nihil habent in se permutatum. Et si nihil permutationis pertulerunt, nihil aliud exsistunt, quàm quod priùs fuere. Cernit Sublimitas vestra Princeps glorioſe, quo aliter sentientium intellectus evadat: negant, quod affirmare creduntur, & quod credunt destruere comprobantur. Corpus etenim sanguinemque Christi fideliter confitentur, & cùm hoc faciunt, non hoc iam esse quod priùs fuere proculdubio protestantur: & si aliud sunt quàm fuere mutationem accepere. Cùm hoc negari non possit, dicant, secundùm quid permutata sunt. Corpus liter namq; nihil in eis cernitur esse permutatum. Fatebuntur igitur necesse est aut mutata esse secundùm aliud quàm secundùm corpus, ac per hoc non hoc esse quod in veritate videntur, sed aliud quod non esse secundùm existentiam propriam cernuntur. Aut si hoc profiteri noluerint, compellentur negare corpus esse sanguinemque Christi; quod nefas est non solùm dicere, verùm etiam cogitare. At quia confitentur & corpus & sanguinem Christi esse, nec hoc esse potuisse nisi facta in melius commutatione: neq; ista cõmutatio corporaliter, sed spiritualiter facta sit necesse est; ut iam figuratè facta esse dicatur, qui sub velamẽto corporei panis, corporeiq; vini spiritualẽ corp. Christi spiritualisq; sanguis exsistit: non quòd duarum sint existentiæ rerum inter se diversarum corporis videlicet & spiritus, verùm una eademque res secundùm aliud species panis & vini consistit; secundùm aliud autem corpus & sanguis Christi. Secundùm namq; quod utrumq; corporaliter contingitur, species sunt creaturæ corporeæ; secundùm potentiam verò quod spiritualiter factæ sunt, mysteria sunt corporis & sanguinis Christi. Consideremus fontem sacri baptismatis, qui fons vitæ non immeritò nuncupatur: quia descendentes in se melioris vitæ novitate reformat, & de peccato mortuis viventes iustitiæ donat. Nam secundùm quod aquæ conspicitur esse elementum istam potentiam obtinet? Attamen nisi sanctificationis virtutem obtineret, labem vitiorum nequaquam diluere posset; & nisi vigorem vitæ contineret, nullo modo mortuis præstare vitam valeret: mortuis autem non carne, sed anima. In eo tamen fonte si consideretur solummodo quod corporeus aspicit sensus, elementum fluidum conspicitur corruptioni subiectum, nec nisi corpora lavandi potentiam obtinere. Sed accessit sancti Spiritus per Sacerdotis consecrationem virtus, & efficax facta est non solùm corpora, verùm etiam animas diluere, & spirituales sordes spirituali potentia dimovere. Ecce in uno eodemq; elemento duo videmus sibi inesse resistentia, id est, corruptioni subiacens incorruptionem præstare, & vitam non habens vitam contribuere. Cognoscitur ergo in isto fonte & inesse, quod corporeos sensus attingat, & idcirco mutabile atque corruptibile: & rursus inesse quod fides sola conspiciat, & ideo nec corrumpi posse, nec vitæ discrimen

Quid est confubstantiationem aperti ssimè negare & hoc non esse

crimen accipere. Si requiras quod ſuperficietenus lavat, elementum eſt, ſi verò perpendas quod interiùs purgat, virtus vitalis eſt, virtus ſanctificationis, virtus immortalitatis. Igitur in proprietate humor corruptibilis; in myſterio verò virtus ſanabilis. Sic itaque Chriſti corpus & ſanguis ſuperficietenus conſiderata creatura eſt mutabilitati corruptelæque ſubjecta. Si myſterii verò perpendis virtutem, vita eſt participantibus ſe tribuens immortalitatem. Non ergo ſunt idem quod cernuntur, & quod creduntur. Secundùm enim quod cernuntur corpus paſcunt corruptibile, ipſa corruptibilia. Secundùm verò quod creduntur, animas paſcunt in æternum victuras, ipſa immortalia. Apoſtolus quoque ſcribens Corinthiis, ait: Neſcitis quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt? bibebant autem de ſpirituali cõſequenti eos Petra. Petra autem erat Chriſtus. Animadvertimus & mare baptiſmi ſpeciem prætuliſſe & nubem. Patresque prioris Teſtamenti in eis, id eſt, in nube, ſive mari baptizatos eſſe. Num vel mare ſecundùm quod elementum videbatur baptiſmi potuit habere virtutem? vel nubes juxta quod denſioris craſſitudinem aëris oſtendebat, populum ſanctificare quiverit? Nec tamen Apoſtolum in Chriſto locutum audemus dicere, quòd non verè dixerit, Patres noſtros in nube & mari baptizatos eſſe. Et quamvis baptiſmus ille formam baptiſmatis Chriſti, quod hodie geritur in Eccleſia prætulerit, baptiſmum tamen exſtitiſſe, & in eo Patres noſtros baptizatos fuiſſe, nullus negare ſanus audebit, niſi verbis Apoſtoli contradicere veſanus præſumpſerit. Igitur & mare & nubes, non ſecundùm hoc quod corpus extiterant ſanctificationis munditiam præbuere, verùm ſecundùm quod inviſibiliter ſancti Spiritus ſanctificationem continebant. Erat namque in eis & viſibilis forma quæ corporeis ſenſibus appareret, non in imagine ſed in veritate: & interiùs ſpiritualis potentia refulgebat, quæ non carnis oculis, ſed mentis luminibus appareret. Similiter manna populo de cœlo datum & aqua profluens de Petra corporales extiterant, & corporaliter populum vel paſcebant vel potabant, attamen Apoſtolus vel illud manna vel illam aquam, ſpiritualem eſcam & ſpiritualem potum appellat. Cur hoc? quoniam inerat corporeis illis ſubſtantiis ſpiritualis Verbi poteſtas, quæ mentes potiùs quàm corpora credentium paſceret atque potaret. Et cùm cibus vel potus illé futuri corporis Chriſti ſanguinisque myſterium quod celebrat Eccleſia præmonſtraret, eandem tamen eſcam ſpiritualem manducaſſe, & eundem potum ſpiritualem bibiſſe Patres noſtros ſanctus Apoſtolus aſſeverat. Quæris fortaſſe quam eandem? nimirum ipſam quam hodie populus credentium in Eccleſia manducat & bibit. Non enim licet diverſa intelligi: quoniam vnus idéq; Chriſtus eſt qui & populum in deſerto, in nube, & in mari baptizatum ſua carne pavit: ſuo ſanguine tunc potavit, & in Eccleſia nunc credentium populum ſui corporis pane, ſui ſanguinis unda paſcit ac potat. Quod volens Apoſtolus intimare cùm dixiſſet, Patres noſtros eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, eundemque potum ſpiritualem bibiſſe, conſequenter adiecit: Bibebant autem de ſpirituali conſequenti eos Petra. Petra autem erat Chriſtus. Ut intelligeremus in deſerto Chriſtum in ſpirituali Petra conſtitiſſe, & ſui ſanguinis undam populo præbuiſſe, qui poſtea corpus de virgine ſumptum, & pro ſalute credentium in cruce ſuſpenſum noſtris ſeculis exhibuit, & ex eo ſanguinis undam effudit, quo non ſolùm redimeremur, verùm etiam potaremur. Mirum certè, quoniam incomprehenſibile & inæſtimabile nondum hominem aſſumpſerat, nondum pro ſalute mundi mortem deguſtaverat, nondum ſanguine ſuo nos redemerat. Et jam noſtri Patres in deſerto per eſcam ſpiritualem potumque inviſibilem eius corpus manducabant, & ejus ſanguinem bibebant, velut teſtis exiſtit Apoſtolus clamans: Eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, eundem potum ſpiritualem bibiſſe Patres noſtros. Non iſtic ratio qua fieri potuerit diſquirenda, ſed fides quid factum ſit adhibenda. Ipſe namq; qui nunc in Eccleſia omnipotenti virtute panem & vinum in ſui corporis carnem & proprii cruoris undam ſpiritualiter convertit, ipſe tunc quoque manna de cœlo datum corpus ſuum, & aquam de petra profuſam proprium ſanguinem inviſibiliter operatus eſt. Quod intelligens David in Spiritu ſancto proteſtatus eſt: Panem, inquiens, Angelorum manducavit homo. Ridiculum namq; eſt opinari, quòd manna corporeum Patribus datum cœleſtem paſcat exercitum, aut tali veſcantur edulio, qui divini Verbi ſaginatur epulis. Oſtédit certè Pſalmiſta vel magis Spiritus ſanctus loquens in Pſalmiſta vel quid Patres noſtri in illo manna cœleſti percepernt, vel quid fideles in myſterio corporis Chriſti credere debeant. In utroque

6. Cor. 10.

Pſal. 77.

Chriſtus

Christus certè innuitur, qui & credentium animas pascit, & Angelorum cibus existit. Vtrumque hoc in corporeo gustu nec corporali sagina, sed spiritualis Verbi virtute. Et Evangelista narrante cognovimus, quòd Dominus Iesus Christus priusquam pateretur, accepto pane gratias egit, & dedit discipulis suis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Videmus nondum passum esse Christum, etiam tamen sui corporis & sanguinis mysterium operatum fuisse. Non enim putamus ullum fidelium dubitare panem illum fuisse Christi corpus effectum, quod discipulis donans dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Sed neque calicem dubitare sanguinem Christi continere, de quo idem ait: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Sicut ergo paulò antequam pateretur, panis substantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus quod passurum erat: & in suum sanguinem qui pòst fundendus extabat: sic etiam in deserto manna & aquam de petra in suam carnem & sanguinem convertere prævaluit, quamvis longè pòst & caro illius in cruce pro nobis pendenda, & sanguis eius in ablutionem nostram fundendus superabat. Hic etiam considerare debemus, quemadmodum sit accipiendum quod ipse dicit: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Non enim dicit quòd caro ipsius quæ pependit in cruce, particulatim concidenda foret, & à discipulis manducanda: vel sanguis ipsius quem fusurus erat pro mundi redemptione, discipulis dandus esset in potum. Hoc enim scelus esset si secundùm quod infideles tunc acceperunt à discipulis suis, vel sanguis ejus biberetur, vel caro comederetur. Propter quod in consequentibus ait discipulis, non infideliter, sed fideliter verba Christi suscipientibus: nec tamen adhuc quomodo illa verba forent intelligenda penetrantibus: Hoc vos scandalizat (inquiens) Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs: tanquam diceret: Non ergo carnem meam vel sanguinem meum vobis corporaliter comedendum, vel bibendum per partes distributum distribuendum putetis, cùm post resurrectionem visuri sitis me cœlos ascensurum cum integri corporis sive sanguinis mei plenitudine. Tunc intelligetis, quòd non sicut infideles arbitrantur, carnem meam à credentibus comedendam, sed verè per mysterium, panem & vinum in corporis & sanguinis mei conversam substantiam à credentibus sumendam. Et consequenter: Spiritus est (inquit) qui vivificat, caro non prodest quicquam. Carnem dicit quicquam non prodesse illo modo, sicut infideles intelligebant, alioquin vitam præbet, sicut à fidelibus per mysterium sumitur. Et hoc quate ipse manifestat, cùm dicit: Spiritus est qui vivificat. In hoc itaque mysterio corporis & sanguinis, spiritualis est operatio, quæ vitam præstat, sine cujus operatione mysteria illa nihil prosunt. Quoniam corpus quidem pascere possunt, sed animam pascere non possunt. Hic iam suboritur quæstio, quam plurimi proponentes loquuntur non in figura, sed in veritate ista fieri. Quod dicentes, Sanctorum scriptis Patrum contraïre comprobantur. Sanctus Augustinus Doctor Ecclesiæ præcipuus in libro de Doctr. Christ. 3. ca. 6. taliter scribit: Nisi manducaveritis, inquit Salvator, carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergò est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Cernimus quòd Doctor iste mysteria corporis & sanguinis Christi, sub figura dicit à fidelibus celebrari: nam carnem illius, sanguinemque ejus sumere carnaliter, non religionis dicit esse, sed facinoris. De quibus fuerant illi, qui in Evangelio dicta Domini non spiritualiter, sed carnaliter intelligentes recesserunt ab eo, & jam cum illo non ibant. Item in Epistola ad Bonifacium Episcopum scribens inter reliqua sic ait: Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha propiaquante dicamus: crastinam vel perédinam Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus: hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexerit, tot anni trásierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundùm illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus; ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed iam olim factum sit. Nónne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in Sacramento nó solùm per omnes Paschæ solénitates, sed omni die populis immolatur. Hæc utique métitur qui interrogatus, eum respónderit immolari. Si enim Sacramenta quandá similitudinem rerum

7. Ioan. 6.

Hæc per-petua vo-catio Ec-clesiæ sen-tentia fuit, quæ ipsam sa-crificij & immo-lationis memoriã & repræ-sentatio-nem, cui sacrificiũ nomen, tropico lo-cutionis fonte, at-tribu-runt Pa-tres inpa-nis & vi-ni symbo-lis fieri intellexe-runt.

rerum earum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac ipsa similitudine plerunque iam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Cernimus quòd S. Augustinus aliud dicit Sacramenta, & aliud res, quarum sunt Sacramenta, Corpus autem in quo passus est Christus, & sanguis ejus de latere qui fluxit, res sunt. Horum verò rerum mysteria dicit esse Sacramenta corporis & sanguinis Christi, quæ celebrantur ob memoriâ dominicæ passionis, non solum per omnes Paschæ solennitates singulis annis, verùm singulis in anno diebus. Et cùm unum sit corpus dominicum in quo semel passus est, & unus sanguis qui pro salute mundi fusus est, attamen Sacramenta ipsarum rerum vocabula sumpserunt, ut dicant sanguis & corpus Christi, cùm propter similitudinem rerum quas innuunt sic appellentur, sicut Pascha & resurrectio Domini vocantur, quæ per singulos annos celebrantur, cùm semel in seipso passus sit, & resurrexit. Nec dies illi iam possunt revocari, quoniam præterierunt. Appellantur autem illorum vocabulo dies, quibus memoria dominicæ passionis sive resurrectionis commemoratur, idcirco quòd similitudinem illorum habeant dierum, quibus Salvator semel passus est & resurrexit. Unde dicimus, hodie vel cras vel perendie Domini pascha est vel resurrectio, cùm dies illi quibus hæc gesta sunt multis iam annis præterierunt. Sic etiam dicamus Dominum immolari, quando passionis ejus Sacramenta celebrantur, cùm semel pro salute mundi sit immolatus in semetipso, sicut Apostolus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Non enim ait, quòd quotidie in seipso patiatur, quod semel fecit. Exemplum autem nobis reliquit, quod in mysterio dominici corporis & sanguinis quotidie credentibus præsentatur, ut quisquis ad illud accesserit, noverit se passionibus eius sociari debere, quarum imaginem in sacris mysteriis præstolatur, juxta illud Sapientiæ: Accessisti ad mensam potentis, diligenter attende quæ tibi sunt apposita, sciens quia talia te oportet præparare. Accedere ad mensam potentis, est divini participem libaminis fieri. Consideratio verò appositorum dominici corporis & sanguinis est intelligentia. Quibus quisquis participat advertat se talia debere præparare, ut ejus imitator existat commoriendo cuius memoriam mortis non solùm credendo, verùm etiam gustando confitentur. Item beatus Paulus ad Hebr. 7. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quemadmodum Sacerdotes quotidie hostias offerre, priùs pro suis delictis, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo Dominus Iesus Christus. Quod semel fecit, nunc quotidie frequentat. Semel enim pro peccatis populi se obtulit, celebratur tamen hæc eadem oblatio singulis per fideles diebus, sed in mysterio, ut quod Dominus Iesus Christus semel se offerens adimplevit, hoc in eius passionis memoriam quotidie geratur per mysteriorum celebrationem. Nec tamen falsò dicitur quòd in mysteriis illis Dominus vel immoletur vel patiatur: quoniam illius mortis atque passionis habent similitudinem, quarum existunt repræsentationes. Vnde dominicum corpus & sanguis dominicus appellantur: quoniam ejus sumunt appellationem, cujus existunt Sacramentum. Hinc beatus Isidorus in Libris Etymolog. sic ait: Sacrificium dictum, quasi sacrum factum: quia prece mystica consecratur, in memoriam dominicæ passionis. Unde, hoc eo jubente corpus Christi & sanguinem dicimus, quod dum fit ex fructibus terræ sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei. Cujus panis & calicis Sacramentum, Græci εὐχαριστίαν dicunt, quod latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius sanguine & corpore Christi? Panis verò & vinum, ideo corpori & sanguini Dominicomparantur, quia sicut visibilis hujus panis vinique substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem, ita Verbum Dei, quod est panis vivus, participatione sui, fidelium recreat mentes. Et iste Doctor Catholicus sacrum illud dominicæ passionis mysterium docet agendum in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Hoc dicens, ostendit dominicam passionem semel esse factam; ejus verò memoriam in sacris solennibus repræsentari. Vnde & panis, qui offertur, ex fructibus terræ cùm sit assumptus, in Christi corpus dum sanctificatur, transponitur: sicut & vinum cùm ex vite defluxerit, divini tamen sanctificatione mysterii efficitur sanguis Christi, non quidem visibiliter, sed (sicut ait præsens Doctor) operante invisibiliter Spiritu sancto. Vnde & sanguis & corpus Christi dicuntur: quia non quod exteriùs videntur, sed quod interiùs divino Spiritu operante facta sunt, accipiun-

1. Pet. 2.

Prov. 23.

Sunt igitur iuxta Domini. ce Cana verba, panis & vinum.

finitus terræ, mystica præcepta in memoriam & sacrificium Dominicæ passionis confecratus, tropica & figurata locutione, quæ Sacramentum nomine rei appellatur, corpus & sanguis Christi. Responsio Melchisedech & Synusiastæ.

accipiuntur. Et quia longè aliud per potentiam invisibilem existunt, quàm visibiliter appareant, discernit, dum dicit panem & vinum ideo corpori & sanguini Domini comparari : quia sicut visibilis panis & vini substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem, ita Verbum Dei, qui est panis vivus, participatione sui, fidelium recreat mentes. Ista dicendo planissimè confitetur, quòd in Sacramento corporis & sanguinis Domini, quicquid exteriùs sumitur, ad corporis refectionem aptatur. Verbum autem Dei, qui est panis invisibilis; invisibiliter in illo existens Sacramento, invisibiliter participatione sui, fidelium mentes vivificando pascit. Hinc etiam idem Doctor dicit : Sacramentum est in aliqua celebratione, cùm res gesta ita fit, ut aliquid significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est : Hæc dicendo ostendit omne Sacramentum in divinis rebus aliquid secreti continere, & aliud esse quod visibiliter sit accipiendum. Quæ sunt autem Sacramenta fidelibus celebranda, consequenter ostendens ait, Sunt autem Sacramenta, baptismus & chrisma, corpus & sanguis. Quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus divina secretiùs salutem corundem Sacramentorum operatur. Unde & à secretis virtutibus, vel sacris, Sacramenta dicuntur: Et in sequentibus ait : Græcè μυστικὸν dicitur, quòd secretam & reconditam habeat dispositionem. Quid isthinc perdocemur, nisi quòd corpus & sanguis Domini propterea mysteria dicuntur, quòd secretam & reconditam habeant dispositionem : id est, aliud sint quod exteriùs innuant : & aliud quod interiùs invisibiliter operentur. Hinc etiam & Sacramenta vocitantur, quia tegumento corporalium rerum virtus divina secretiùs saluté accipientium fideliter dispensat. Ex his omnibus quæ hactenus dicta sunt, monstratum est, quòd corpus & sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sint secundùm speciem visibilem. At verò secundùm invisibilem substantiam, id est, divini potentiam Verbi, corpus & sanguis Christi verè existunt. Unde secundùm visibilem creaturam corpus pascunt, juxta verò potentioris virtutem substantiæ mentes fidelium & pascunt, & sanctificant.

Bertrami Responsio ad alteram Quæstionem. *Utrum ipsum corpus, quod natum est de Virgine, & sedet ad dexteram Patris, sit quod ore fidelium per Sacramentorum mysteria sumitur in Ecclesia.*

IAm secundæ Quæstionis propositum est inspiciendum, & videndum, utrum ipsum corpus quod de Maria natum est & passum, mortuum & sepultum, quodque ad dexteram Patris sedet, sit quod ore fidelium per Sacramentorum mysterium in Ecclesia quotidie sumitur ? Percontemur quid ex hoc S. Ambrosius sentiat. Ait namque in 1. lib. Sacramentorum : Revera mirabile est, quòd manna Deus plueret Patrib. & quotidiano cœli pascebantur alimento. Unde dictum est: Panem Angelorum manducavit homo. Sèd tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca, quam accipis; iste panis vivus, qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat : & quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum, & corpus Christi est. Vide secundùm quod Doctor iste corpus Christi dicat esse escam ; quam fideles accipiunt in Ecclesia. Ait namque : Iste panis vivus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat. Num secundùm hoc quod videtur, quod corporaliter sumitur, quod dente premitur, quod fauce glutitur, quod receptaculo ventris suscipitur, æternæ vitæ substantiam subministrat ? Isto namque modo, carnem pascit morituram, nec aliquam subministrat incorruptionem, neque dici verè potest, ut, quicunque hunc manducaverit, non moriatur in æternum. Et hoc enim quod sumit corpus, corruptibile est, nec ipsi corpori potest præstare, ne moriatur in æternum : quoniam quod corruptioni subjacet, æternitatem præstare non valet. Est ergo in illo pane vita, quæ non oculis apparet corporeis, sed fidei contuetur aspectu. Qui etiam panis vivus, qui descendit de cœlo, existit : & de quo verè dicitur, Quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum : & qui est corpus Domini. Item in consequentibus, cùm de omnipotente virtute Christi loqueretur, sic ait : Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant ? Non enim majus est res novas dare, quàm mutare naturas. Dicit sanctus Ambrosius, in illo mysterio sanguinis & corporis Christi commutationem esse factam,

& mirabiliter, quia divinè : & ineffabiliter: quia incomprehensibile. Dicant qui nihil hîc volunt secundùm interiùs latentem virtutem accipere, sed totum quod apparet visibiliter æstimare, secundùm quid sit hîc commutatio facta ? Nam secundùm creaturarum substantiam quod fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt. Panis & vinum priùs existitêre, in qua etiam specie iam consecrata, permanere videntur. Est ergo interiùs commutatum Spiritus sancti potenti virtute, quod fides aspicit, animam pascit, æternæ vitę substantiam subministrat. Ité in consequentibus: Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Deus natus ex virgine? Hîc etiam surgit auditor & dicit, corpus esse Christi quod cernitur, & sanguinem qui bibitur : nec quærendum quomodo factum sit, sed tenendum, quod sic factum sit. Bene quidem sentire videris, sed si vim verborum diligenter inspexeris, corpus Christi quidem sanguinemque fideliter credis, sed si perspiceres quia quod credis nondum vides. Nam si videres, diceres video, non diceres credo corpus sanguinemque esse Christi. Nunc autem quia fides totum quicquid illud totum est aspicit, & oculus carnis nihil apprehendit, intelliget quòd non in specie, sed in virtute corpus & sanguis Christi existant quæ cernuntur. Vnde dicit ordinem naturæ non hîc intuendum, sed Christi potentiam venerandam. Quæ quicquid vult, quomodo vult, in quodcunque vult, & creat quod non erat, & creatum permutat in id, quod antea non fuerat. Subjungit idem author: Vera itaque caro Christi, quæ crucifixa, quæ sepulta est, verè ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus : hoc est corpus meum. Quàm diligenter, quàm prudenter facta distinctio? De carne Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est, id est, secundùm quam Christus & crucifixus est, & sepultus, uera, ait, itaque caro Christi. At de illa, quæ sumitur in Sacramento dicit: Verè ergo carnis illius Sacramentum est, distinguens Sacramentum carnis, quatenus in veritate carnis, quam sumpserat de virgine, diceret eum & crucifixum & sepultum. Quod verò nunc agitur in Ecclesia mysterium, veræ istius carnis in qua crucifixus est, diceret esse Sacramentum : Patenter fideles instituens, quòd illa caro secundùm quam & crucifixus est Christus & sepultus, non sit mysterium, sed veritas naturæ. Hæc verò caro, quæ nunc similitudinem illius in mysterio continet, non sit specie caro, sed Sacramentum; Siquidem in specie panis est, in Sacramento uerum Christi corpus, sicut ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Item in consequentibus. Quid comedamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetam Spiritus sanctus expressit, dicens : Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Num corporaliter gustatus ille panis, aut illud vinum bibitum, ostendit quàm sit suavis Dominus? Quicquid enim sapit corporale est, & fauces delectat. Nunquid Dominum gustate, corporeum est aliquid sentire ? Invitat ergo spiritualis gustus saporem experiri, & in illo potu vel pane nihil corporaliter opinari : sed totum spiritualiter sentire: quoniam Dominus Spiritus est, & beatus vir qui sperat in eo. Item consequenter. In illo Sacramento Christus est : quia corpus Christi est. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. Quid apertiùs, quid manifestiùs, quid diviniùs ? Ait enim: In illo Sacramento Christus est. Non enim ait, ille panis & illud vinum Christus est: quòd si diceret, Christum corruptibilem (quod absit) & mortalitati subjectum prædicaret. Quicquid enim in illa esca vel cernitur vel gustatur corporaliter, corruptibilitati constat obnoxium esse. Addit, quia corpus Christi est. Insurgis & dicis: Ecce manifestè illum panem, & illum potum corpus esse Christi confitetur. Sed attende quemadmodum subjungitur : Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. Non igitur sensum carnis adhibeas, nihil enim secundùm eum hîc decernitur : Est quidem corpus Christi, sed non corporale, sed spirituale. Est sanguis Christi, sed non corporalis, sed spiritualis. Nihil igitur hîc corporaliter, sed spiritualiter sentiendum. Corpus Christi est, sed non corporaliter: & sanguis Christi est, sed non corporaliter. Item consequenter : Vnde & Apostolus 1. Corinth. 10. de typo ejus ait: Quia Patres nostri esçam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt. Corpus enim Dei corpus spirituale est: corpus Christi corpus divini est Spiritus : quia Spiritus, Christus est, ut legimus in Threnis 4. ca. Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Luculentissimè sanguinis & corporis Christi mysterium, quemadmodum debeamus intelligere, docuit. Cùm enim dixisset, Patres nostros esçam spiritualem manducâsse, & potum spiritualem bibisse, cùm tamen manna illud, quod comederunt, & aquam, quam biberunt, corporea fuisse, nemo est qui dubitet : adiungit de mysterio quod in Ecclesia nunc agitur, definiens secundùm quid sit corpus Christi. Corpus enim Dei (inquiés) corpus est spirituale. Deus utique Christus, & corpus quod sumpsit de Maria *Psalm. 33*

Maria virgine, quod passum, quod sepultum est, quod resurrexit, corpus utique verum fuit, idem quod visibile & palpabile manebat. At verò corpus quod mysterium Dei dicitur, non est corporale, sed spirituale. Quod si spirituale, iam non visibile neque palpabile. Hinc B. Ambrosius subiungit: Corpus inquiens Christi, corpus est divini Spiritus. Divinus autem Spiritus, nihil corporeum, nihil corruptibile, nihil palpabile quod sit existit. At hoc corpus quod in Ecclesia celebratur, secundùm visibilem speciem & corruptibile est & palpabile. Quomodo ergo divini Spiritus corpus esse dicitur? Secundùm hoc utique quod spirituale est, id est, secundùm quod invisibile consistit, & impalpabile, ac per hoc incorruptibile. Hinc in consequentibus. Quia
Thom. 4 Spiritus Christus, ut legimus; Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Patenter ostendit secundùm quod habeatur corpus Christi, videlicet secundùm id, quod sit in eo Spiritus Christi, id est, divini potentia Verbi, quæ non solùm animam pascit, verùm etiam purgat. Propter quod ipse dicit author consequenter: Denique cor nostrum esca ista confirmat, & potus iste lætificat cor hominis. Sed ut ostenderet quæ esca, vel qui potus sint de quibus loquitur, addidit signanter, esca ista, vel potus iste. Quæ ista, vel qui iste? Corpus nimirum Christi, corpus divini Spiritus, & (ut apertiùs inculcetur) Spiritus Christus, de quo legitur: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Quibus omnibus evidenter ostenditur, nihil in esca ista, nihil in potu isto corporaliter sentiendum, sed totum spiritualiter attendendum. Non enim anima quæ corde hominis præsenti loco significatur, vel esca corporea, vel potu corporeo pascitur, sed Verbo Dei nutritur ac vegetatur. Quod apertiùs in l. 5. Sacram. Doctor idem affirmat. Non iste panis est, inquiens, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam subministrat. Et quia non de communi pane dixerit hoc S. Ambrosius, verùm de pane corporis Christi, sequentia lectionis manifestissimè declarant. Loquitur enim de pane quotidiano, quem credentes sibi postulant dari, & idcirco subiungit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente consueverunt? Accipe ergo quod quotidie tibi prosit, sic viue ut quotidie merearis accipere. Ergo manifestum est de quo pane loquitur: de pane videlicet corporis Christi, qui non ex eo quod vadit in corpus, sed ex eo quod panis sit vitæ æternæ, animæ nostræ substantiam fulcit. Huius doctissimi viri auctoritate perdocemur, quòd multa differentia separantur corpus in quo passus est Christus, & sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit, & hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie à fidelibus celebratur: & ille quoque sanguis qui fidelium ore sumitur, mysterium sit illius sanguinis quo totus redemptus est mundus. Iste namque panis & iste potus non secundùm quod videntur, corpus sive sanguis existunt Christi, sed secundùm quod spiritualiter vitæ substantiam subministrant. Illud verò corpus in quo Christus semel passus est, non aliam speciem præferebat quàm in qua consistebat. Hoc enim erat verè quod videbatur, quod tangebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de latere manans, non aliud apparebat exteriùs, & aliud interiùs obvelabat. Verus itaque sanguis de vero corpore profluebat, ast nunc sanguis Christi quem credentes ebibunt, & corpus quod comedunt, aliud sunt in specie, & aliud in significatione. Aliud quod pascunt corpus esca corporea, & aliud quod saginant mentes æternæ vitæ substantia. De qua re B. Hieronymus in Comment. Epistolæ ad Ephes. ita scribit. Dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur: vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse dicit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea. Non parva Doctor iste differentia corporis & sanguinis Christi fecit distinctionem. Namque dum carnem vel sanguinem, quæ quotidie sumuntur à fidelibus spiritualia dicit esse (at verò caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea, non spiritualia esse dicuntur neque divina) patenter insinuat quod tantùm inter se differunt, quantum differunt spiritualia & corporalia, visibilia & invisibilia, divina atque humana, & quòd à se differunt non idem sunt. Differunt autem caro spiritualis, quæ fidelium ore sumitur, & sanguis spiritualis, qui quotidie credentibus potandus exhibetur, à carne quæ crucifixa est, & sanguine qui militis effusus est lancea, sicut authoritas præsentis viri testificatur. Non idem igitur sunt. Illa namque caro quæ crucifixa est, de virginis carne facta est, ossibus & nervis compacta, & humanorum membrorum lineamentis distincta, rationalis animæ Spiritu viuificata in propriam vitam, & congruentes motus. At verò caro spiritualis quæ populum credentem spirituali-

ter pascit secundùm speciem quam gerit exteriùs frumenti granis manu artificis consistit, nullis nervis ossibusque compacta, nulla membrorum varietate distincta, nulla rationali subsistantia vegetata, nullos proprios potens motus exercere. Quicquid enim in ea vitæ præbet substantiam spiritualis est potentiæ, & invisibilis efficientiæ divinæque virtutis. Atque aliud longè consistit secundùm quod exteriùs conspicitur, atque aliud secundùm quod in mysterio creditur. Porrò caro Christi quæ crucifixa est, non aliud exteriùs quàm quod interiùs erat, ostendebat: quia vera caro veri hominis existebat, corpus utique verum in veri corporis specie consistens. Considerandum quoque quòd in pane illo non solùm corpus Christi, verùm etiam corpus in eum credentis populi figuretur, unde multis frumenti granis conficitur: quia corpus populi credentis multis per Verbum Christi fidelibus augmentatur. Qua de re sicut mysterio panis ille Christi corpus accipitur, sic etiam in mysterio membra populi credentis in Christum intimantur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur, sic quoque Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter necesse est, intelligatur. Sic & in vino qui sanguis Christi dicitur, aqua misceri iubetur, nec unum sine altero permittitur offerri. Quia nec populus sine Christo, nec Christus sine populo, sicut nec caput sine corpore, vel corpus sine capite valet existere. Aqua denique in illo Sacramento populi gestat imaginem. Igitur si vinum illud sanctificatum per ministrorum officium in Christi sanguinem corporaliter convertitur, aqua quoque quæ pariter admixta est, in sanguinem populi credentis necesse est corporaliter convertatur. Vbi namque una sanctificatio est, una consequenter operatio, & ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium. At videmus in aqua secundùm corpus nihil esse conversum, consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum. Accipitur spiritualiter quicquid in aqua de populi corpore significatur. Accipiatur ergo necesse est spiritualiter, quicquid in vino de Christi sanguine intimatur. Item: Quæ à se differunt, idem non sunt. Corpus Christi quod mortuum est & resurrexit & immortale factum, iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur, æternum est, nec iam passibile. Hoc autem quod in Ecclesia celebratur temporale est, non æternum, corruptibile est, non incorruptum, in via est, non in patria. Differunt igitur à se, quapropter non sunt idem, quod si non sunt idem, quomodo verum corpus Christi dicitur, & verus sanguis? Si enim corpus Christi est, & hoc dicitur verè: quia corpus Christi est, in veritate corpus Christi est, & si in veritate corpus Christi est, & corpus Christi incorruptibile est, & impassibile est, ac per hoc internum. Hoc igitur corpus Christi, quod agitur in Ecclesia, necesse est, vt incorruptibile sit & æternum. Sed negari non potest corrùmpi quod per partes commutatum dispartitur ad sumendum, & dentibus commolitum in corpus traijcitur. Sed aliud est quod exteriùs geritur, aliud verò quod per fidem creditur. Ad sensum quod pertinet corporis corruptibile est, quod fides verò credit, incorruptibile. Exteriùs igitur quod apparet non est ipsa res sed imago rei, mente verò quod sentitur & intelligitur, veritas rei. Hinc beatus Augustinus in Evangelium Ioannis expositione dum de corpore Christi loqueretur & sanguine, sic ait: Manducavit & Moyses manna, manducavit & Aaron, manducavit & Phinees, manducaverunt ibi multi qui Deo placuerunt & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Item in posterioribus. Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem significavit manna, hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re quæ significatur paria sunt. Apostolum Paulum audi 1. Corinth. 10. Nolo vos ignorare fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moysi baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Spiritualem utique eandem, nam corporalem alteram. Quia illi manna, nos aliud. Spiritualem verò quam nos. Et adiungit: Et omnes eundem potum spiritualem biberunt: Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spirituali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant inquit de spirituali sequenti petra. Petra autem erat Christus. Inde panis, unde potus. Petra Christus in signum, verus Christus in Verbo & in carne. Item: Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit non moriatur, sed quod pertinet ad virutem

Sacra-

Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus non foris. Qui manducat in corde, non qui premit dente. Item in posterioribus verba Salvatoris introducens dicit: Hoc vos scandalizat, quia dixi, carnem meam do vobis manducare, & sanguinem meum bibere? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs. Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat, hinc aperuit unde fuerant scandalizati. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum. Ille autem dixit, se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cùm videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs: certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogar corpus suum: certè vel tunc intelligetis quia gratia eius non consumitur morsibus. Et ait: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest. Et pluribus interpositis, rursus adijcit: Quisquis autem (inquit Apostolus) Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Spiritus ergo est, qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Quid est Spiritus & vita sunt? spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter, Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. Huius authoritate Doctoris verba Domini tractantis de Sacramento sui corporis & sanguinis manifestè docemur, quòd illa verba Domini spiritualiter, & non carnaliter intelligenda sunt. Sicut ipse ait: Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt. Verba utique de sua carne manducanda, & de suo sanguine bibendo. Inde enim loquebatur unde discipuli fuerant scandalizati. Ergo ut non scandalizarentur, revocat eos divinus Magister de carne ad Spiritum, de corporea visione ad intelligentiam invisibilem. Videmus ergo, esca illa corporis Domini, & potus ille sanguinis eius, secundùm quid verè corpus eius, & verè sanguis eius existunt. Videlicet secundùm quod Spiritus & vita sunt. Item: Quæ idem sunt una definitione comprehenduntur. De vero corpore Christi dicitur quòd sit verus Deus & verus homo. Deus qui ex Patre Deo ante secula natus, homo qui in fine seculi ex Maria virgine genitus. Hæc autem dum de corpore Christi quod in Ecclesia per mysterium geritur dici non possunt, secundùm quendam modum corpus Christi esse cognoscitur. Et modus iste in figura est & imagine, ut veritas res ipsa sentiatur. In orationibus quæ post mysterium sanguinis corporisque Christi dicuntur, & à populo respondetur Amen, sic Sacerdotis voce dicitur: Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, ut quod imagine contingimus Sacramenti, manifesta participatione sumamus. Et pignus enim & imago alterius rei sunt, id est, non ad se, sed ad aliud aspiciunt: Pignus enim illius rei est pro qua donatur. Imago illius cuius similitudinem ostendit. Significant enim ista rem cuius sunt, non manifestè ostendunt. Quod cùm ita est, apparet quòd hoc corpus & sanguis pignus & imago rei sunt futuræ, ut quod nunc per similitudinem ostenditur, in futuro per manifestationem reueletur. Quòd si nunc significant, in futuro autem patefacient, aliud est quod nunc geritur, aliud quod in futuro manifestabitur. Qua de re & corpus Christi & sanguis est, quod Ecclesia celebrat, sed tanquam pignus, tanquam imago. Veritas verò erit, cum iam nec pignus, nec imago, sed ipsius rei veritas apparebit. Item alibi: Perficiant in nobis Domine quæsumus tua sacramenta quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Dicit quòd in specie gerantur ista, non in veritate, id est, per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem. Differunt autem à se species & veritas. Quapropter corpus & sanguis, quod in Ecclesia geritur, differt ab illo corpore & sanguine, quod in Christi corpore per resurrectionem, iam glorificatum cognoscitur. Et hoc corpus pignus est & species, illud verò ipsa veritas. Hoc enim geritur, donec ad illud perueniatur. Vbi verò ad illud peruentum fuerit, hoc remouebitur. Apparet itaque, quòd multa intra se differentia separantur, quantum est inter pignus & eam rem pro qua pignus traditur: & quantum inter imaginem, & rem cuius est imago: & quantum intra speciem & veritatem. Videmus itaque mutua differentia separari mysterium sanguinis & corporis Christi, quod nunc à fidelibus sumitur in Ecclesia, & illud quod natum est de Maria virgine, quod passum, quod sepultum, quod resurrexit, quod cœlos ascendit, quod ad dexteram Patris, sedet. Hoc namque quod agitur in via, spiritualiter est accipiendum. Quia fides quod non videt credit, & spiritualiter pascit animam & lætificat cor, & vitam præbet æternam, & incorruptionem: dum non attenditur quod corpus pascit, quod dente premitur, quod per partes comminuitur, sed quod in fide spiritualiter accipitur.

pitur. At verò corpus illud in quo passus est, & resurrexit Christus, proprium eius corpus existit, de virginis Mariæ corpore sumptum, palpabile, seu visibile etiam post resurrectionem, sicut ipse discipulis ait: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & videte: quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Audiamus etiam quid B. Fulgentius in lib. de
20. Fide dicat: Firmissimè tene, & nullatenus dubites ipsum Vnigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, à Prophetis & Sacerdotibus tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc idem tempore Noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una Diuinitas, sacrificium panis & vini, in fide & charitate, sancta catholica Ecclesia per uniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis, significatio fuit carnis Christi quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo B. Apostolus Paulus dicit in Actis cap. 20. Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificijs quid nobis esset donandum, figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio quid iam nobis donatum sit, euidenter ostenditur. Dicens, quòd in illis sacrificijs quid nobis esset donandum significabatur, in isto verò sacrificio quid sit donatum commemoretur, patenter innuit, quòd sicut illa figuram habuere futurorum, sic & sacrificium figura sit præteritorum. Quibus dictis quanta differentia sit inter corpus in quo passus est Christus, & hoc corpus quod pro eius passionis commemoratione siue mortis sit, euidentissimè declarauit. Illud namque proprium & verum nihil habens in se vel mysticum, vel figuratum: hoc verò mysticum, aliud exteriùs per figuram ostentans, aliud interiùs per intel-
21. lectum fidei repræsentans. Ponamus adhuc unum Patris Augustini testimonium, quòd & dictorum fidem nostrorum astruat, & sermonis marginem ponat. In ser-

mone quem fecit ad populum de sacramento altaris, sic inquit: Hoc quod videtis in altari Dei, iam transacta nocte vidistis, sed quid esset, quid sibi vellet, quàm magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis Christi. Breuiter quidem hoc dictum est, quod fide fortè sufficiat, sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta Isaias 6. cap. Nisi credideritis, non intelligetis. Potestis ergo dicere mihi, præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim animo cuiuspiam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Iesus Christus nouimus unde acceperit carnem, de virgine scilicet Maria, infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad ætatem iuuenilem perductus est, à Iudæis persecutionem passus est, ligno suspensus est, interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertio die resurrexit, quo die voluit in cœlum ascendit, illic levauit corpus suum, inde venturus est iudicare viuos & mortuos, ibi est modò sedens ad dexteram Patris. Quomodo corpus eius? & calix, vel quod habet calix, quomodo eius est sanguis? Ista fratres ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur & aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Iste venerabilis author dicens, instruit nos quid de proprio corpore Domini, quod de Maria natum, & nunc ad dexteram Patris sedet, & in quo ventutus est iudicare viuos & mortuos, & quid de isto quod super altare ponitur, & populo participatur, sentire debeamus. Illud integrum est, neque ullasectione diuiditur, nec ullis figuris obuelatur. Hoc verò quod supra mensam Domini continetur, & figura est, quia Sacramentum est: & exteriùs quod videtur speciem habet corpoream, quæ pascit corpus: interiùs verò quod intelligitur, fructum habet spiritualem, qui viuificat animam. Et de hoc mystico corpore volens aliquid apertiùs & manifestiùs loqui, sic dicit in consequentibus: Corpus ergo Christi si vultis intelligere, Apostolum au- 1. Cor. 12.
dite dicentem: Vos estis corpus Christi & membra: Si ergo estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen:

Esto

Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hîc de nostro afferamus, ipsum Apostolum dicentem audiamus, cùm de isto sacramento loqueretur, ait: Vnus panis, unum corpus multi sumus. Et reliqua: S. Augustinus satis nos instruit, quòd sicut in pane super altare positum corpus Christi signatur, sic etiam & corpus accipientis populi: ut euidenter ostendat, quòd corpus Christi proprium illud existat, in quo natus de virgine, in quo lactatus, in quo passus, in quo mortuus, in quo sepultus, in quo resurrexit, in quo cœlos ascendit, in quo ad dexteram Patris sedet, in quo venturus est ad iudicium. Hoc autem quod supra mensam dominicam positum est, mysterium continet corporis populi credentis, Apostolo testante; Vnus panis, unum corpus, multi sumus in Christo. Animaduertat clarissime Princeps sapientia vestra, quòd positis sanctarum Scripturarum testimonijs, & sanctorum Patrum dictis euidentissimè monstratum est, quòd panis qui corpus Christi, & calix qui sanguis Christi appellatur, figura sit quia mysterium: & quòd non parua differentia sit inter corpus quod per mysterium existit, & corpus quod passum est, & sepultum & resurrexit. Quia hoc proprium Saluatoris corpus existit, nec in eo vel aliqua figura, vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio cognoscitur, & ipsius visionem credentes desiderant: quoniam ipsum est caput nostrum, & ipso viso satiabitur desiderium nostrum. Quoniam ipse & Pater unum sunt, non secundùm quod corpus habet Saluator, sed secundùm plenitudinem Diuinitatis, quæ habitat in homine Christo. At in isto quod per mysterium geritur, figura est non solùm proprij corporis Christi, verumetiam credentis in Christum populi. Vtriusque namque corporis, id est, & Christi quod passum est, & resurrexit, & populi in Christo per baptismum renati atque de mortuis viuificati, figuram gestat. Addamus etiam quòd iste panis & calix, qui corpus & sanguis Christi nominatur, memoriam repræsentat dominicæ passionis, siue mortis, quemadmodum ipse in Euangelio dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Quod exponens Apostolus Paulus ait 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabtis donec veniat. Docemur à Saluatore, nec non à sancto Paulo Apostolo, quòd iste panis, & iste sanguis qui super altare ponitur, in figuram siue memoriam dominicæ mortis ponatur, ut quod gestum est in præterito, præsenti reuocet memoriæ: ut illius passionis memores effecti, per eam efficiamur diuini muneris consortes, per quam sumus à morte liberati. Cognoscentes quòd ubi peruenerimus ad visionem Christi, talibus non opus habebimus instrumentis, quibus admoneamur quid pro nobis immensa benignitas sustinuerit. Quoniam ipsum facie ad faciem contemplantes, non per exteriorem temporalium rerum admonitionem commonebimur, sed per ipsius contemplationem veritatis aspiciemus, quemadmodum nostræ salutis authori gratias agere debeamus. Nec ideo quoniam ista dicimus, putetur in mysterio sacramenti, corpus Domini vel sanguinem ipsius non à fidelibus sumi, quando fides non quod oculis videt, sed quod credit accipit: Quoniam spiritualis est esca, & spiritualis potus, spiritualiter animam pascens, & æternæ satietatis vitam tribuens, sicut ipse Saluator mysterium hoc commendans loquitur: Spiritus est qui viuificat, nam caro nihil prodest.

1. Cor. 10.

Matth. 26.

Analysis brevis Bertrami
Responsionis ad primam quæstionem.

AD quæstionem à Carolo Calvo Bertramo propositam, An quod in Ecclesia fidelium ore sumitur, corpus Christi & sanguis eius, in mysterio, seu figura fiat? *affirmatiuè respondet, videlicet, panem & vinum in Cœna Dominica figuratè corpus & sanguinem Christi existere.*

Primum argumentum, quo hoc probat, sumit à natura Mysteriorum, & sic formari potest: 1.

Omne Mysterium, non ad literam, & ut externa verba sonant, intelligendum & exponendum, sed mysticè & figuratè. Mysterium enim est, in quo aliquid est abditum, à corporalibus sensibus remotum, & aliquo velamine contectum. Vnde etiam Chrysostomus Homil. 46. in Ioannem, Mysteria non simpliciter, ut res dicuntur, accipienda vel intelligenda, sed interioribus oculis, *hoc est, spiritualiter esse* consideranda *docet.* Indeque esse dictum Mysterium *scribit 2. Corinth. homil. 7. ad 2. c.* quoniam id, quod credimus, non intuemur, sed quod aliud credimus, & aliud videmus:

Denatura Mysteriorum vide Vrsini confideration. in 1. fol. 733

mus: & hanc esse mysteriorum naturam & rationem *affirmat.*

Panis autem & vinum in Cœna Dominica sunt Mysterium. Ratio: Ille panis, qui per Sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exteriùs humanis sensibus ostendit, & aliud interiùs fidelium mentibus clamat. Exteriùs quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur: Aſt interiùs longè aliud, multoque pretiosiùs, multoque excellentiùs intimatur, quia cœleste, quia diuinum, id est, Christi corpus ostenditur, quo non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur. Vinum quoque quod Sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficietenus ostendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in superficie, quàm substantia vini conspicitur? Gusta, vinum sapit: Odora, vinum redolet. Inspice, vini color intuetur. At interiùs si consideres, iam non liquor vini, sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur.

Ergo, quum hoc nemo possit negare, sequitur, quòd panis ille & vinum Cœnæ, figuratè Christi corpus & sanguis existant. Non enim secundùm quod videtur, vel carnis species nullo pane cognoscitur, vel in illo vino cruoris unda monstratur: cùm tamen post mysticam consecrationem nec panis iam dicitur, nec vinum, sed Christi corpus & sanguis.

2. SECVNDVM *argumentum petit ex natura Sacramentorum, quæ fidem & Spiritum inprimis requirunt, & sine eo non sunt viuificа.* Si verò, *inquit Bertramus*, secundùm aliquos figuratè nihil hîc accipitur, sed totum in veritate conspicitur, nihil hîc fides operatur: quoniam nihil spirituale geritur, sed quicquid illud est, totum secundùm corpus accipitur. Et cùm fides, secundùm Apostolum Hebr. 11. sit rerum argumentum non apparentium, id est, non earum quæ videntur, sed quæ non videntur substantiarum, nihil hîc secundùm fidem accipimus: quoniam quicquid existit secundùm corporis sensus dijudicamus. *Ergo non in veritate, sed figuratè panis & vinum in Cœna corpus & sanguis Christi existunt.*

3. TERTIVM *argumentum sumit à natura Disparatorum, quæ in unam rem simul confundi non possunt. At panis & corpus, vinum & sanguis sunt disparata, nec unum de altero dici potest, nisi figuratè. Vnde Bertramus ait,* Nihil absurdius, quàm panem carnem, & vinum sanguinem dicere. *Ac ipsi Scholastici etiam has phrases simpliciter de verborum rigore falsas & impossibiles esse dicunt.*

4. QVARTVM *argumentum petit à permutatione, quæ fit in symbolis. Et sic formari potest.*

Si nulla sub figura Cœna, sed in veritate peragitur, in symbolis eius nulla fit permutatio. Ratio: Omnis permutatio, aut ex eo quod non est, in id quod est efficitur: Aut ex eo quod est, in id quod non est: Aut ex eo quod est, in id quod est. In isto autem sacramento si tantùm veritas in simplicitate consideretur, & non aliud credatur, quàm quod aspicitur, nulla permutatio facta cognoscitur. *Probat hoc Bertramus: vide supra eius verba numero quarto. Si ergo hic nihil est permutatum, non est aliud quàm antè fuit.*

Sed fit in symbolis panis & vini permutatio. Ratio: Panis corpus, & vinum sanguis Christi facta sunt. Christus enim dicit, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Similiter & de calice loquens, dicit: Accipite & bibite, Hic est sanguis Noui Testamenti, qui pro vobis fundetur.

Probato, fieri symbolorum, panis & vini, mutationem, porrò quæritur, In quo, *aut* secundùm quid ea fiat? *Respondet,* Secundùm speciem creaturæ, formamque rerum visibilium, utrumque hoc, *id est, panis & vinum*, nihil habent in se permutatum. *Hoc est, secundùm substantiam non permutantur, ut panis non amplius sit panis, & vinum non sit amplius vinum.* Secundùm hoc, *inquit*, nihil in eis cernitur permutatum. *Ergo secundùm aliud, quàm secundùm corpus, vel substantiam. Inde vero sequitur, Ea non hoc esse, quod in veritate videntur, sed aliud, quod non esse secundùm existentiam propriam cernuntur: aliquin dicendum, non esse corpus & sanguinem Christi, quod verbis Domini contrarium est. At quia omnes confitentur, & corpus & sanguinem Christi esse, nec hoc esse potuisse nisi facta in melius commutatione: sequitur, neque illam commutationem corporaliter, sed spiritualiter factam esse, & quidem figuratè: quoniam sub velamento corporei panis corporeique vini spirituale corpus Christi spiritualisque sanguis existit: non quòd duarum sint existentiæ rerum inter se diuersarum, corporis videlicet & Spiritus, verum una eademque res secundùm aliud species panis & vini consistit, secundùm aliud autem corpus & sanguis Christi. Nam secundùm quod utrumque corporaliter contingitur, species sunt creaturæ corporeæ, secundùm potentiam verò, quod spiritualiter factæ sunt, mysteria sunt corporis & sanguinis Christi.*

5. QVINTVM *argumentum sumit ab altero sacra-*

ſacramento, Baptiſmo videlicet: utriuſque enim ſacramenti eadem eſt ratio. In Baptiſmo, aqua aliud exterius humanis ſenſibus oſtendit, & aliud interius fidelium mentibus declarat. Exterius aqua forma cernitur, interius verò regeneratio & ablutio peccatorum noſtrorum, quæ fit virtute Spiritus ſancti, deſignatur. Non ergo ſunt idem quod cernuntur, & quod creduntur. Igitur unum Baptiſmus lauacrum regenerationis dicitur, figuratè id fit.

6. SEXTÒ, *ſententiam ſuam probat Baptiſmo & Cœna Iſraelitarum, quæ duo ſacramenta in Veteri quoque Teſtamento habuerunt: atteſtante hoc Paulo, qui* 1. *Corinth.* 10. *ſcribit:* Neſcitis quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari: Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt? Bibebant autem de ſpirituali conſequenti eos Petra. Petra autem erat Chriſtus. *Hæc autem non in veritate, ſed in figura facta eſſe tunc, quiuis intelligit.*

7. SEPTIMÒ, *probat hoc verbis Chriſti, quæ Ioan.* 6. *cap. habentur.*

8. OCTAVÒ, *probat teſtimonijs Auguſtini & Iſidori. Ad primum autem locum à Bertramo ex Auguſtino citatum, dicunt Metuſiaſtæ & Synuſiaſtæ, non agere ibi Auguſtinum de Cœna, ideoque ad eam nihil pertinere. Reſpondeo, ſinè exceptione dicit,* eſſentiale Chriſti corpus, citra immane flagitium propriè non manducari. *Hinc colligimus, præceptum de eius eſu figuratè accipiendum eſſe. Deinde, hanc regulam ipſum quoque Auguſtinum ſequutum eſſe, quandocunque de eſu corporis Chriſti ſcribit, ipſius Libri luculenter teſtantur. Nuſquam enim aliam corporis Chriſti manducationem ſtatuit, quàm quæ figuratè accipiatur. Tertiò, Bertramus, vetuſtus author, hanc regulam Auguſtini de figurata interpretatione, ad ſacram quoque Cœnam hoc loco accommodat.*

Phraſes contra Metuſiaſtas & Synuſiaſtas, quibus utitur Bertramus in hac Reſponſione ad primam quæſtionem.

EXteriùs panis quod antè fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur: aſt interius longè aliud, multoque pretioſius, multoque excellentius intimatur, quia cœleſte, quia diuinum, id eſt, Chriſti corpus oſtenditur. *Hoc verò quomodo intelligendum ſit, mox explicat, omne carnale ſomnium de corporali Synuſia repudians:* Quod, *inquit,* non ſenſibus carnis, ſed animi fidelis contuitu vel aſpicitur, vel accipitur, vel comeditur. *Cum Bertramo igitur contendant Synuſiaſtæ, panem ſic fieri corpus Chriſti, ut utrumque ſimul manibus & ore ſubſtantialiter percipiatur. Nam antitheſis inter ſenſum carnis, & animi fidelis contuitum, ſimpliciter excludit etiam inſenſibilem illam, quam ore corporeo fieri volunt, veræ carnis Chriſti manducationem.*

Vinum quoque quod ſacerdotali conſecratione ſanguinis Chriſti efficitur ſacramentum, aliud ſuperficietenus oſtendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in ſuperficie quàm ſubſtantia vini conſpicitur? Guſta, vinum ſapit: odora, vinum redolet: inſpice, vini color intuetur. At interiùs ſi conſideres, iam non liquor vini, ſed liquor ſanguinis Chriſti credentium mentibus & ſapit dum guſtatur, & agnoſcitur dum conſpicitur, & probatur dum odoratur. *Si hæc de orali potu vel hauſtu ſanguinis Chriſti intelligenda ſunt, vera non erunt, quia ipſa ſenſuum experientia contrarium docet. Quis enim corporeo ore propriè guſtauit, aut naribus odoratus fuit Chriſti ſanguinem?*

Hæc ita eſſe dum nemo poteſt abnegare, claret, quia panis ille vinumque figuratè corpus & ſanguis exiſtit. *Hic Metuſiaſtæ & Synuſiaſtæ Bertramo, tanquam hæretico, Anathema dicant.*

Si figuratè nihil hîc accipitur, ſed tantùm in veritate conſpicitur, nihil hîc fides operatur.

Nihil hîc vel tactu, vel colore, vel ſapore permutatum eſſe deprehenditur.

Secundùm ſpeciem namque creaturæ, formamque rerum viſibilium, utrumque hoc, *id eſt, panis & vinum*, nihil habent in ſe permutatum.

Corporaliter nihil in eis cernitur eſſe permutatum.

Mutata ſunt igitur (*panis & vinum*) ſecundùm aliud, quàm ſecundùm corpus, *hoc eſt ſubſtantiam*, ac per hoc non hoc ſunt quod in veritate videntur, ſed aliud quod non eſſe ſecundùm exiſtentiam propriam cernuntur.

Iſta commutatio non corporaliter, ſed ſpiritualiter facta ſit neceſſe eſt, ut iam figuratè facta eſſe dicatur, quoniam ſub velamento corporei panis, corporeique vini ſpirituale corpus Chriſti, ſpiritualiſque ſanguis exiſtit. NON QVOD duarum ſint exiſtentiæ rerum inter ſe diuerſarum corporis videlicet & ſpiritus: verùm una eademque res ſecundùm aliud ſpecies panis & vini conſiſtit, ſecundùm aliud autem corpus & ſanguis Chriſti.

Et explicans verba Chriſti: Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat

prius: Cùm ascendero in cœlum, tunc intelligetis, *inquit*, quòd non sicut infideles arbitrantur, carnem meam à credentibus comedendam, sed verè per mysterium, panem & vinum in corporis & sanguinis mei conuersam substantiam à credentibus sumendam.

Augustinus mysteria corporis & sanguinis Christi, sub figura dicit à fidelibus celebrari: nam carnem illius sanguinemque eius sumere carnaliter, non religionis dicit esse, sed facinoris.

Corpus & sanguis Domini propterea mysteria dicuntur, quòd secretam & reconditam habeant dispositionem: id est, aliud sint quod exteriùs innuant, & aliud quod interiùs inuisibiliter operentur. Hinc etiam & sacramenta vocitantur, quia tegumento corporalium rerum virtus diuina secretiùs salutem accipientium fideliter dispensat.

Monstratum est, quòd corpus & sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sint secundùm speciem visibilem. At verò secundùm inuisibilem substantiam, id est, diuini potentiam Verbi, corpus & sanguis verè Christi existunt.

Analysis responsionis ad secundam quæstionem.

AD quæstionem, Vtrum ipsum corpus, quod natum est de virgine, & sedet ad dexteram Patris, sit, quod ore fidelium per Sacramentorum mysteria sumitur in Ecclesia? *Negatiuè respondet Bertramus tali ferè Syllogismo.*

Si multa differentia separantur corpus, in quo passus est Christus, & sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit: Et hoc corpus, quod in mysterio passionis, hoc est, in Cœna Christi quotidie à fidelibus sumitur, & illo quoque sanguis qui fidelium ore bibitur: Substantiale Christi corpus & sanguis araliter in Cœna non percipitur.

At verum est antecedens: Ergo & consequens. Connexum Maioris manifestum est. Assumptionem probat primò septem testimonijs quæ ex Ambrosio adducit. Ex quibus tale extruit argumentum.

Iste panis & iste potus, iuxta Ambrosium, non secundùm quod videntur, corpus siue sanguis existunt Christi, sed secundùm quod spiritualiter vitæ substantiam subministrant. Illud verò corpus in quo semel passus est Christus, non aliam speciem præferebat, quàm in qua consistebat. Hoc enim erat verè quod videbatur, quod sanguebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de latere manans, non aliud apparebat exteriùs, & aliud interiùs obuelabat: sed verus sanguis de vero corpore profluebat. Nunc autem, videlicet in sacra Cœna, sanguis Christi, quem credentes ebibunt, & corpus quod comedunt, aliud sunt in specie, & aliud in significatione. Aliud quod pascunt corpus esca corporea, & aliud quod saginant mentes æternæ vitæ substantia.

Secundò, *Probat quoque Assumptionem Bertramus, Hieronymi testimonio, quod exstat in Comment. Epistolæ ad Ephesios, & habetur etiam dist. 2. de consec.* Dupliciter, *inquit Hieronymus*, sanguis Christi & caro intelligitur: vel spiritualis illa atque diuina, de quâ ipse dicit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea. Dum, *inquit Bertramus*, carnem vel sanguinem, quæ quotidie sumuntur à fidelibus spiritualia dicit esse (*at verò caro qua crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea, non spiritualia esse dicuntur neque diuina:*) patenter insinuat, quòd tantum inter se differunt, quantum differunt spiritualia & corporalia, visibilia & inuisibilia, diuina atque humana: & quòd à se differunt, non idem sunt.

Tertiò, Illa, *inquit*, caro, quæ crucifixa est, de virginis carne facta est, ossibus & neruis compacta, & humanorum membrorum lineamentis distincta, rationalis animæ Spiritu viuificata in propriam vitam, & congruentes motus. At verò caro spiritualis, quæ populum credentem spiritualiter pascit, secundùm speciem quam gerit, exteriùs frumenti granis manu artificis constitit, nullis neruis ossibusque compacta, nulla membrorum varietate distincta, nulla rationali substantia vegetata, nullos proprios potens motus exercere. Quicquid enim in ea vitæ præbet substantiam, spiritualis est potentiæ, & inuisibilis efficientiæ, diuinæque virtutis.

Quartò, *In pane Cœna non solùm corpus Christi sed corpus etiam in eum credentis populi figuratur. Vt igitur in mysterio Cœnæ panis Christi corpus dicitur, sic etiam in eodem mysterio membra credentium in Christum intimantur. At hoc, non fit realiter: Ergo nec illud. Non enim corporaliter, sed spiritualiter panis ille fidelium corpus dicitur: Ergo etiam Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter intelligatur necesse est.* Breuiùs: *panis Eucharisticus non solùm Christi corpus, sed etiam Ecclesia, vel corpus credentium nuncupatur à Paulo, & Patribus. Nemo autem huius locutionis rationem in corporali συνοικίᾳ consistere somniabat, qua fideles*

substan-

ſubſtantialiter in pane deliteſcere exiſtimentur. Ergo neque ad huius propoſitionis veritatem: Panis eſt corpus Chriſti, corporalis coëxiſtentia requiritur.

Quintò, *ſic argumentatur contra corporalem præſentiam: Aqua in Cœna populi geſtat imaginem: Igitur ſi vinum illud ſanctificatum per miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem corporaliter conuertitur, aqua quoque, quæ pariter admixta eſt, in ſanguinem populi credentis, neceſſe eſt corporaliter conuertatur. Nam ubi una ſanctificatio, una conſequetur operatio, & ubi par ratio, par quoque conſequetur myſterium. At videmus in aqua ſecundùm corpus nihil eſſe conuerſum: Ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum, accipitur ſpiritualiter, quicquid in aqua de populi corpore ſignificatur: Accipiatur ergo neceſſe eſt ſpiritualiter etiam, quidquid in vino de Chriſti ſanguine intimatur.*

Sextò, *Corpus Chriſti quod mortuum eſt, & reſurrexit & immortale factum eſt, iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur, æternum eſt, nec ampliùs paſsibile. Hoc autem corpus, quod in Eccleſia ſumitur, temporale eſt, non æternum: corruptibile eſt, non incorruptum: in via eſt, non in patria. Ergo differunt à ſe & non ſunt idem: Quod ſi non ſunt idem, panis & vinum Euchariſticum non ſunt ipſum reale corpus & ſanguis Chriſti.*

Septimò, *verbis Auguſtini in Euangelium Ioannis probat, corpus Chriſti, quod in Euchariſtia ſumitur, aliud eſſe ab illo quod natum eſt de Maria virgine, quod paſſum, quod ſepultum, quod reſurrexit, quod cœlos aſcendit, quod ad dexteram Patris ſedet.*

Octauò, *hoc ipſum etiam probat tali argumento: Quæ idem ſunt, una definitione comprehenduntur: Ergo non ſunt idem. Minorem probat*: De vero corpore Chriſti dicitur, quòd ſit verus Deus & verus homo. Deus, qui ex Patre Deo ante ſecula natus, homo, qui in fine ſeculi ex Maria virgine genitus. *Hæc autem de corpore Chriſti, quod in Eccleſia per myſterium geritur, dici non poſſunt.*

Nonò, *duabus precationibus, quarum prima in Ambroſianæ Miſſæ ritu, altera in Miſſali Romano habetur, probat etiam Aſſumptionem ſuam*, differre nimirum corpus crucifixum, ab eo quod in myſterio ſumitur: *& ſimul docet*, hoc corpus, ſecundùm quid & quendam modum, non ſimpliciter & realiter corpus illud vocari, quod crucifixum eſt. Modum autem illum dicit conſiſtere in figura & imagine. *In prima Oratione ſic precatur Sacerdos*: Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, ut quod imagine contingimus ſacramenti, manifeſta participatione ſumamus. At, *inquit*, *Bertramus*, Pignus & imago alterius rei ſunt, *id eſt, non ad ſe ſed ad aliud aſpiciunt.* Pignus enim illius rei eſt pro qua donatur. Imago illius cuius ſimilitudinem oſtendit. Significant enim iſta rem cuius ſunt, non manifeſtè oſtendunt. Quod cùm ita eſt, apparet quòd hoc corpus & ſanguis pignus & imago rei ſunt futuræ, ut quod nunc per ſimilitudinem oſtenditur, in futuro per manifeſtationem reueletur. Quòd ſi nunc ſignificant, in futuro autem præfacient, aliud eſt quod nunc geritur, aliud quod in futuro manifeſtabitur. Qua de re & corpus Chriſti & ſanguis eſt, quod Eccleſia celebrat, ſed tanquam pignus, tanquam imago. Veritas verò erit, cum iam nec pignus, nec imago, ſed ipſius rei veritas apparebit. *In altera ſic orat.* Perficiant in nobis Domine, quæſumus, tua ſacramenta quod continent, ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. *Dicit, quòd in ſpecie gerantur iſta, non in veritate, id eſt, per ſimilitudinem, non per ipſius rei manifeſtationem. Differunt autem à ſe ſpecies & veritas. Quapropter corpus & ſanguis, quod in Eccleſia geritur, differt ab illo corpore & ſanguine, quod in Chriſti corpore per reſurrectionem, iam glorificatum cognoſcitur. Et hoc corpus pignus eſt & ſpecies, illud verò ipſa veritas. Hoc enim geritur, donec ad illud perueniatur. Vbi verò ad illud peruentum fuerit, hoc remouebitur.*

Decimò, *Fulgentij teſtimonio ex libello de Fide probat, proprium & verum Chriſti corpus nihil in ſe habere vel myſticum vel figuratum: hoc verò quod in Cœna percipitur, aliud exterius per figuram oſtendere, aliud interius per intellectum fidei repræſentare.*

Undecimò, *Auguſtini loco docet, quid de proprio corpore Domini, quod de Maria natum, & nunc ad dexteram Patris ſedet, & in quo venturus eſt iudicare viuos & mortuos: & quid de iſto quo ſuper altare ponitur, & populo participatur, ſentire debeamus. Nempe, illud integrum eſſe, neque ulla ſectione diuidi, nec ullis figuris obuelari: Hoc verò, quod ſupra menſam Domini contineatur, & figuram eſſe, quia ſacramentum ſit: & exterius quod videatur ſpeciem habere corpoream, quæ paſcat corpus: interius verò quod intelligatur, fructum habere ſpiritualem, qui viuificet animam. Item alio loco eiuſdem Patris docet, quòd corpus Chriſti proprium illud exiſtat in quo natus è Virgine, in quo lactatus, paſſus, mortuus, ſepultus, reſurrexit, cœlos aſcendit, ad dexteram Patris ſedet, & venturus eſt ad iudicium: Hoc autem quod ſupra menſam Dominicam poſitum eſt, myſterium contineat illius, ſicut etiam identidem myſterium contineat corporis populi credentis.*

Duodecimò, *docet verbis Chriſti Matth. 26. &*

Pauli 1.Cor. 11. Panem & calicem, quæ corpus & sanguis Christi nominantur, memoriam repræsentare Dominicæ passionis, hoc est, crucifixi corporis Christi: Ergo non ipsum reale crucifixum Christi corpus existere.

Ex his omnibus infert, in sacra Cœna verum quidem Christi corpus & sanguinem exhiberi manducandum & bibendum, sed non in proprio suo esse, vel substantia sua, per se & absolutè consideratum, sed relatiuè, in subiecto altero, videlicet pane & vino, tanquam sacramento, signis & symbolis suis, in quibus fidei intellectu spiritualiter & mysticè intelligitur.

In fine calumniæ occurrit, quam eo tempore contrariam sententiam defendentes & post aliquot annos Innocentius 3. cap. Cùm Marthæ. de celebratione Missarum: impudentissimè Bertramo & alijs recte sentientibus intentarunt: videlicet, quod doceant, in Cœnæ sacramento non corpus & sanguinem Christi, sed tantùm nuda signa, imaginem, speciem & figuram esse. Nec ideo, *inquit Bertramus*, quoniam ista dicimus, putetur in sacramenti mysterio, corpus Domini & sanguinem ipsius non sumi, quando fides non quod oculis videt, sed quod credit, accipit: quoniam spiritualis est esca, & spiritualis potus, spiritualiter animam pascens, & æternæ satietatis vitam tribuens: sicut ipse Saluator mysterium hoc commendans, loquitur: Spiritus est qui viuificat, nam caro nihil prodest. Non enim simpliciter & absolutè de veritate, sine qua mysterium esse non potest, sed de pseudo-reali existentia rerum sub speciebus, ut vocant, sacramentalibus, quæstio est.

Phrases contra Metusiastas & Synusiastas in hac Bertrami ad secundam quæstionem Responsione.

PAnis Cœnæ, secundùm hoc quod videtur, quod corporaliter sumitur, quod dente premitur, quod fauce glutitur, quod receptaculo ventris susciptur, æternæ vitæ substantiam non subministrat.

Secundùm creaturarum (panis & vini) substantiam, quod fuerunt ante consecrationem, hoc & postea existunt. Panis & vinum priùs extitere, in qua etiam specie iam consecrata, permanere videntur.

Si videres corpus, diceres video, non diceres credo corpus sanguinemque esse Christi. Nunc autem quia fides totum, quicquid illud est aspicit, & oculos carnis nihil apprehendit, intelligis quòd non in specie, sed in virtute corpus & sanguis Christi existant quæ cernuntur.

Hæc caro, quæ nunc similitudinem illius in mysterio continet, non est species caro, sed sacramento: Siquidem in specie panis est, in sacramento verum Christi corpus.

Panis corporaliter gustatus, & vinum bibitum, non ostendit, ut Psalmus 33. habet, quàm suauis sit Dominus. Quicquid enim sapit corporale est, & fauces delectat. Dominum autem gustare, non est corporeum aliquid sentire. Ergo in illo potu & pane nihil corporaliter opinandum, sed totum spiritualiter sentiendum.

Ille panis & illud vinum non Christus est, alioquin Christus corruptibilis & mortalitati subiectus esset. Quicquid enim in illa esca vel cernitur vel gustatur corporaliter, corruptibilitati constat obnoxium esse.

Non corporalis esca sed spiritualis est. Non igitur sensum carnis adhibeas: Nihil enim secundùm eum hic decernitur. Est quidem corpus Christi, sed non corporale, sed spirituale. Est sanguis Christi, sed non corporalis, sed spiritualis. Nihil igitur hic corporaliter, sed spiritualiter sentiendum. Corpus Christi est & sanguis, sed non corporaliter.

Corpus quod sumpsit de Maria virgine, quod passum, quod sepultum est, quod resurrexit, corpus utique verum fuit, idem quod visibile atque palpabile manebat. At verò corpus quod mysterium Dei dicitur, non est corporale, sed spirituale.

Nihil in esca ista, nihil in potu isto corporaliter sentiendum, sed totum spiritualiter attendendum.

Multa differentia separantur corpus in quo passus est Christus, & sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit: & hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie à fidelibus celebratur, & ille quoque sanguis, qui fidelium ore sumitur: Iste nempe panis & iste potus non secundùm quod videntur, corpus siue sanguis existunt Christi, sed secundùm quod vitæ substantiam subministrant, &c.

Reale Christi corpus, & quod in mysterio sumitur, tantum inter se differunt, quantum spiritualia & corporalia, visibilia & inuisibilia, diuina & humana.

Sicut in mysterio panis ille Christi corpus accipitur, sic etiam in mysterio membra populi credentis in Christum intimantur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur, sic quoque Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter necesse est intelligatur.

Aqua

Aqua in illo ſacramento, populi geſtat imaginem. Igitur ſi vinum illud ſanctificatum per miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem corporaliter conuertitur, aqua quoque quæ admixta eſt, in ſanguinem populi credentis neceſſe eſt corporaliter conuertatur. At in aqua ſecundùm corpus nihil eſt conuerſum: Ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum. Accipitur ſpiritualiter quicquid in aqua de populi corpore ſignificatur: accipiatur ergo neceſſe eſt ſpiritualiter, quicquid in vino de Chriſti ſanguine intimatur.

Corpus Chriſti crucifixum & hoc myſticum, differunt à ſe: quapropter non ſunt idem: quòd ſi non ſunt idem, quomodo verum corpus Chriſti dicitur, & verus ſanguis?

Verba Domini Ioh. 6. de ſua carne manducanda & ſanguine bibendo, ſpiritualiter, & non carnaliter intelligenda ſunt.

Eſca illa corporis Domini, & potus ille ſanguinis eius, ſecundùm quid verè corpus eius, & verè ſanguis eius exiſtunt: videlicet ſecundùm quod ſpiritus & vita ſunt.

Modus ſecundùm quem panis & vinum corpus & ſanguis Chriſti dicuntur, in figura & imagine ſunt.

Hoc corpus & ſanguis pignus & imago rei ſunt futuræ, ut quod nunc per ſimilitudinem oſtenditur, in futuro per manifeſtationem reueletur. Quòd ſi nunc ſignificant, in futuro autem patefacient, aliud eſt quod nunc geritur, aliud quod in futuro manifeſtabitur. Qua de re & corpus Chriſti & ſanguis eſt, quòd Eccleſia celebrat, ſed tanquam pignus, tanquam imago.

Hoc corpus quod in Eccleſia geritur, pignus eſt & ſpecies: quod crucifixum, eſt ipſa veritas.

Corpus myſticum & crucifixum inter ſe differunt, ut pignus & res pro qua pignus traditur: ut imago & res cuius eſt imago: ut ſpecies & veritas.

Hoc corpus quod ſupra menſam Domini continetur, & figura eſt quia ſacramentum: & exteriùs quod videtur ſpeciem habet corpoream, quæ paſcit corpus: interiùs verò quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem, qui viuificat animam.

Panis qui corpus Chriſti, & calix qui ſanguis Chriſti appellatur, figura eſt, quia myſterium: & non parua differentia eſt inter corpus quod per myſterium exiſtit, & corpus quod paſſum eſt. Quia hoc proprium Saluatoris corpus exiſtit, nec in eo vel aliqua figura, vel aliqua ſignificatio, ſed ipſa rei manifeſtatio cognoſcitur. At in iſto quod per myſterium geritur, figura eſt non ſolùm proprij corporis Chriſti, verumetiam credentis in Chriſtum populi. Vtriuſque enim corporis, Chriſti quod paſſum eſt & reſurrexit, & populi in Chriſto per Baptiſmum renati, figuram geſtat.

Iſte panis & iſte ſanguis, qui ſuper altare ponitur, in figuram ſiue memoriam Dominicæ mortis ponitur, ut quod geſtum eſt in præterito, præſenti reuocet memoriæ: ut illius paſſionis memores effecti, per eam efficiamur diuini muneris conſortes, per quam ſumus à morte liberati.

Eant nunc Centuriatores Magdeburgenſes, & huic Bertramo obijcere deſinant, ſicut faciunt Centuria 9. colum. 212. quòd Tranſſubſtantiationis ſemina in ſuis ſcriptis ſparſerit: non aliam ob cauſam, quàm quòd vocabulis permutationis, conuerſionis & commutationis uſus eſt: Eam enim permutationem vel conuerſionem intelligit, quæ ſacramentis omnibus competit, ut externa ſymbola in res ipſas diuinas dicantur mutata, quia verè & efficaciter illas repræſentant, & fideles rerum iſtarum participes efficiunt: item, quòd per Spiritus ſancti virtutem gratiam diuinam acquiſierunt, quam natura ſua non habent.

Hæc omnia copioſiùs ex Bertrami libro de Corpore & ſanguine Domini adſcribere volui, ut inde intelligant Lectores, veram, ſynceram & Apoſtolicam de hoc myſterio doctrinam ad hæc uſque tempora fuiſſe in Eccleſia conſeruatam, & nunc primùm carnalem iſtam de permutatione elementorum in res ipſas opinionem à quibuſdam excitatam fuiſſe. Quid enim obſecro à Bertramo proponitur, quod non analogiæ fidei & Scripturis ſanctis optimè reſpondeat, & quod myſterij huius dignitatem non exactè explicet? Quid porrò aliud docet, niſi quod multis antè ſeculis D. Auguſtinus & erudita ac ſancta illa tradidit Antiquitas? Bertramum quid.

Hunc autem Bertramum *Ioannes Trithemius Abbas Spanheimenſis, vir tempore ſuo doctiſſimus, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum recenſet, illumque in diuinis Scripturis valdè peritum, & in literis ſecularium diſciplinarum egregiè doctum, ingenioque ſubtilem & clarum eloquio, nec minùs vita quàm doctrina inſignem fuiſſe teſtatur. Ac tantùm abeſt, ut ob ſcriptum hoc de Corpore & ſanguine Chriſti opuſculum, hæreſeos macula illum aſpergat, ut potiùs commendabile illud eſſe opus inter cætera prædicet. Ita verò viri graues & eruditi, nulliſque animi morbis ac perturbationibus obnoxij, tam ſingulare de Bertramo ferentes judicium, Ieſuitas, qui hodie odioſum hæreſeos crimen illi obijciunt, præcipiti potiùs ac temerario raptari affectu, quàm recto animi judicio duci abundè coarguunt.*

Claruit eodem tempore Ioannes Erigena, *Britannus natione, ab aliquibus* Scotus, *ſed falsò* Ioannes Erigena.

Vide Daneum de S Eucha. vistia. fol. 451.

cognominatus, ut Balæus indicat de Script. Britt. lib. 2. cap. 24. Athenas usque profectus, Græcas, Chaldaicas & Arabicas literas didicit, atque omnium Philosophorum loca & studia inuisit. Inde in Italiam & Galliam reuersus, Carolo Calvo, ac postea Ludouico Balbo acceptissimus fuit, ac Dionysij libros de Hierarchia Latinos fecit, anno Domini 858. Profectus autem in Britanniam, in Geneuensi monasterio monachus factus est. Verum non diu potuit ibi latere, sed vocatus inde ab Alphredo Rege, sibi ac suis liberis præceptorem cum constituit, eoque adornauit Academiam suam Oxonij inchoatam, in qua Ioannes hic primus bonas literas professus est. Dum in Gallijs ageret, libro itidem de Corpore & sanguine Domini conscripto, non dissimilem doctrinæ Bertrami sententiam exposuit, eamque clarissimis Scripturæ sanctæ, ac veterum Patrum, Augustini præsertim, testimonijs luculentissimè comprobauit. Tandem in Malmesburiense Cœnobium se contulit, ibique etiam bonas literas docuit. Interpretantem autem ibi Dionysij libellum de Hierarchia, & taxantem opinionem tunc receptam vulgò, de oblatione Cœnæ Dominicæ pro viuis & mortuis, itemque doctrinam, iam tum etiam pullulantem, de carnali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentia, discipuli, à Monachis superstitiosis impulsi, graphijs confoderunt: anno Christi 884. quamuis illum mox inter sanctos Ecclesiæ martyres collocarint. Balæus, Antoninus tit. 16. cap. 2. §. 3. Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2. cap. 16. Vincentius lib. 24. cap. 42. ex Helinando, Trithemius, Platina & alij.

Walafridus Abbas.

Claruit Walafridus *Abbas, & multorum Monachorum Pater, ut Trithemius scribit, in Germania, eodem fere tempore quo Bertramus in Gallia: & cùm alia, tum de Officijs ac ritibus Ecclesiasticis librum conscripsit, in quo multa scitu dignissima de sanctæ vetustatis synceritate recenset. Cap. 16.* Christus, *ait*, qui credentibus finis est legis, Noui Testamenti, noua mysteria, ad instruendum nouum hominem, tradidit, & morte sua vetera perficiens, resurrectione sua noua firmauit. In Cœna siquidem, quam ante traditionem suam ultimam cum discipulis habuit, post Paschæ veteris solennia, corporis & sanguinis sui sacramenta in substantia panis & vini tradidit, & ea in commemorationem sanctissimæ suæ passionis celebrare perdocuit. *Sunt igitur panis & vinum sacramenta corporis & sanguinis Christi, in quibus manente ipsorum substantia, sanctissimæ passionis celebratur commemoratio.*

Item cap. 18. Nihil, *inquit*, congruentius his speciebus, ad significandam capitis & membrorum unitatem, potuit inueniri: Quia videlicet, sicut panis de multis granis aquæ coagulo, in unum corpus redigitur, & unum ex multis acinis exprimitur: sic & corpus Christi, ex multitudine Sanctorum coadunata completur. *Quapropter non solùm unitatem corporis Ecclesiæ, sed etiam verum Christi corpus in mysterio continent sacramenta. Virisque ergo perficiunt communicationem, quum hoc rerum veritate capimus, quod specie geritur sacramenti, hoc est, mystica symbola exteriore sua specie & figura offerunt, testantur & obsignant.*

Capite 20. 21. & 23. ostendit, Veteres raras (ut vocant) Missas solitos facere. Alios enim semel tantùm in anno, alios singulis Dominicis diebus, aut Sabbatis semel liturgiam celebrasse: (loquitur autem de ijs, qui uno vel altero seculo ipsum proximè antecesserunt:) idque non tantùm in Oriente, sed & in Occidente. Deinde posteros maiora festa, quin & minora Sanctorum adiecisse: sic tandem ad quotidianas Missas peruentum esse. Veteres enim, cùm nihil aliud Sacramento corporis & sanguinis Domini operarentur, quàm communionem, nec putarent aliquod singulare meritum in eo offerendo aut sacrificando esse, raro celebrasse liturgiam, nempe tantùm quoties communicare voluerint: quod & consuetudo Græcorum adhuc testetur.

Cap. 22. Per totam, *inquit*, Missam pro eis quàm maximè, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt & communicant. Possumus autem dicere, cæteros, in fide & devotione offerentium & communicantium persistentes, eiusdem oblationis & communionis dici & esse participes. Quamuis autem, cùm soli sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit illos eiusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ista celebrantur officia, & quorum personam sacerdos in quibusdam responsionibus exequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui interfunt Sacerdos, Respondens, Offerens, atque Communicans, sicut hoc ipsa compositio Canonis seu precum euidenti ratione demonstrat.

Item: Dum, *inquit*, hac confractione ad dispensandum præparatur Corpus Domini, rogent accepturi, quatenus ille, qui pro illis oblatus est innocens, faciat nos salubriter PIGNORA vitæ æternæ accipere.

Cap. 23. de authoribus partium Missæ agens, primùm dicit, Apostolos eorumque successores, Missam solummodò cum Dominica oratione & verbis Cœnæ, ut adhuc in Parasceue fieri solet, peregisse: non habuisse eos Canonem, nec solitos fuisse dicere, Offero, Sacrifico pro viuis & mortuis. *Ait etiam* hodie quoque talem Missam tantùm recitandis

citandis Cœnæ verbis sufficere posse. *Deinde affirmat*, multos apud Græcos & Latinos varias sibi Missarum formas pro libitu composuisse. *Quæ omnia testantur, Missam olim nil nisi communionem fuisse, sicut & Christus initio eam instituit: sed mero hominum arbitrio & temeritate, fraudeque diaboli in sacrificium conuersam fuisse.*

Capite 25. *docet*, Veteres communi indumento indutos, Missas celebrare solitos esse, & adhuc quosdam in Oriente solere. *Item*, solitos quoque fuisse ligneis calicibus uti.

Ratbertus Paschasius. Vide Orthodoxum Confessionis &c. Vide Plusq. p. 744.

Bertrami, & orthodoxam vetustissimorum Patrum quoque sententiam sequutus est etiam Ratbertus Paschasius, *Abbas Corbeiensis, qui claruit circa annos Domini* 900. *Eius liber, quē de Corpore & sanguine Domini scripsit, Coloniæ editus est sub nomine Rabani: sed propter vetustatem obsoletas literas pro Ratberto lectum fuisse Rabanus verisimile est. Nam Ratberti Paschasij est, quemadmodum hoc ex Decretis, Sigeberto, Trithemio & alijs constat, non Rabani: quamuis Rabanus idem quod Paschasius de Eucharistia docuerit. In eius libri, Colonienſis editionis, cap.* 12. *sic scribit*: Quia, *inquiens*, secundùm carnem cœlos oportuit Christum penetrare, ut per fidem illuc in illo renati confidentiùs appeterent, reliquit nobis hoc sacramentum visibilem figuram, & characterem carnis & sanguinis, ut per hæc mens nostra ad inuisibilia & spiritualia capescenda per fidem uberiùs nutriatur. *Non igitur sensit Paschasius, ad institutum, absentis corporaliter per ascensionem corporis, sacramentum, necessariam esse corporalem Christi in Cœna præsentiam.* Oportet enim, *inquit*, cap. 8. spiritualia sacramenta, palato mentis & gustu fidei percipere. *Item*, Quia spiritualia sunt, non visu exteriùs, nec gustu saporis comprehenduntur, sed fide & intellectu, sicut veritas prædixit: Caro mea verè est cibus, &c. plenissimè sumuntur. *Item*, Golorem aut saporem carnis minimè præbet, virtus tamen fidei & intelligentia, quæ nihil de Christo dubitat, totum illud spiritualiter sapit & degustat. Nihil enim in eo deest, ubi efficax virtus eiusdem rei sentitur, ubi plena similitudo exteriùs & vera virtus agens, & caro eius immaculata, interiùs voratur. *cap.* 36. *Eodem cap.* Quia, *inquit*, mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus: sed si figura est, quærendum, quomodo veritas esse possit: Omnis enim figura alicuius rei figura est. Nam figuras Veteris Testamenti umbras fuisse, nemo qui sacras Literas legit, ambigit. Hoc mysterium aut veritas est, aut figura ac per hoc umbra est. Aut certè quærendum hoc totum, utrum veritas dici queat, sine falsitatis umbra, quamuis mysterium huiuscemodi res appellari debeat. Sed figura esse videtur, dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quàm quod visu carnis & gustu sentitur, dumque sanguis in calice simul cum aqua miscetur. Porrò illud fide sacramentum, iure veritas appellatur. Veritas ergo dum corpus Christi & sanguis virtute Spiritus in Verbo ipsius, ex panis vinique substantia efficitur. *lib. eodem, cap.* 12. *Et*: Sed si veraciter inspicimus, iure simul veritas & figura dicitur, ut sit figura vel character veritatis, quod exteriùs sentitur. Veritas verò quicquid de hoc mysterio interiùs rectè intelligitur aut creditur. *cap.* 13. *lib. eodem. Item*: Mystica corporis & sanguinis sacramenta. *cap.* 40. *lib. eodem.*

Corporalis præsentia non necessaria, iuxta Paschasium

Cap. 6. 9. & 17. *docet, in Sacramento Cœnæ, hanc esse sanctificationem & efficaciam mysticè sacrificii, quia res sensibilis virtute Spiritus sancti, per Verbum Christi in carnem & sanguinem ejus intelligibiliter, hoc est, spiritualiter transfertur, ut per hæc communicantes ad spiritualia nutriantur.* Spiritus sanctus, *inquit*, manens in corpore Christi, omnia Sacramentorum mystica, sub tegumento rerum visibilium pro salute fidelium operatur: ut hoc sint interiùs in veritate; quod exteriùs creduntur virtute fidei. Quicquid enim per fidem sapit, hoc totum interiùs præbet hoc mysterium. *Ergo, juxta Paschasium, panis & vini substantiam carnem & sanguinem Christi Spiritus sanctus in virtute Sacramenti sic operatur, quatenus hæc spiritualiter fide & intellectu interiùs credentes percipiunt.*

Omnia transmutatio mystica in fidelibus est, non in pane. Vera doctrina Paschasij de Cœna

Hæc igitur vera mysteriorum doctrina Paschasij & reliquorum Patrum est: Quoties Sacramentis nomina rerum, vel earum proprietates & effectus tribuuntur, hoc loquendi genere, gratiæ promissionem Sacramentis ineſſe ac offerri intelligitur. Eo ipso enim admonemur, tanquam visibili verbo externis & sensibilibus signis, res spirituales & intelligibilia dona, non solùm significari & adumbrari, sed simul etiam offerri, & per Spiritum sanctum omnibus exhiberi, qui istis corporalibus & externis symbolis, juxta Christi institutionem vera fide utuntur.

Ratio mysterij non consistit in corporali sub pane præsentia.

Cùm enim Sacramenta sint visibilia promissionum & gratiæ signa: ideò hæc rerum promissarum nominibus vocantur, quia condescendens in eorum institutione imbecillitati fidei nostræ Christus, per hæc visibilia signa & symbola etiam quasi visibile facere, ipsique adeò sensibus nostris divinitus dato pignore testari voluit, hoc quod in recto & instituto signorum usu, verbo promissionis intus exhibet & communicat.

Docet etiam eodem loco, Sacramenta nomen habere, aut à sacro secreto, quod in re visibili, Divinitas intus aliquid secretius efficiat per speciem corporalem: aut à consecratione sanctificationis. Quia Spiritus sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia Sacramentorum mystica, sub tegumento visibilium, pro salute fidelium operatur.

Eodem capite docet, Sacramenta non externis sensibus, sed interiore mentis & fidei intellectu esse contemplanda: quia distinctio, *inquit*, in istis Spiritus sanctus, qui pignus est totius Ecclesiæ, interiùs mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur, in quibus sicut incredulis nihil est mirabile, sic credentibus nihil melius, nihil mirabilius, nihil locupletius in hoc seculo præbetur: non, ut mirabile pateret visui oculorum, sed in fide & intellectu divinis redoleat mysterijs, & participatio Christi in unitate corporis concedatur. *Et pòst*: Quia iustus ex fide viuit, habeat iustitiam fidei in mysterio & per fidem vitam in se suscipiat manentem. *Item in expositione verborum Christi Matth.* 26. Quia non videntur, mysteria sunt & Sacramenta, & ideo in fide hoc sunt, quod dicuntur, ut veritas testatur. *Et ad Frudegardum*: Hoc mysterium veritas est, ut tamen figura esse non negetur, quia in præsenti sicut ex parte scimus, quidquid scimus de Deo, & ex parte, teste Apostolo, prophetamus de futuro & cœlesti regno: ita ex parte prægustamus, non palato oris, sed palato cordis, per fidem Christi corpus & sanguinem esse credimus. *Hanc mysteriorum rationem postea his Emissèni verbis confirmat*: Sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, mente continge, honora, mirare, cordis manu suscipe, & maximè totum haustu interiori assume. *Cap.* 7. 15. & 40. Mysticum sacrificium vocat, in quo Christus mystice, hoc est, in mystico eius, & verbo Dei creato corpore, immolatur. *Vnde c.* 11. hoc mysticum, *vel, ut Augustin. vocat*, ex substantia panis & vini consecratum corpus, *dicit* esse rem sensibilem, quæ virtute Dei, per verbum Christi, intelligibiliter in carnem & sanguinem eius transfertur. *Quemadmodum igitur hæc non naturaliter, sed mysticè corpus & sanguis Christi sunt: sic etiam Christus in ijs, non realiter in semetipso, sed in mysterio, id est, spiritualiter & intelligibiliter immolatur. Nam ut ca.* 48. *ait*, Mysteria hæc, licèt caro & sanguis sint, non tamen carnalia, sed spiritualia iure dicuntur.

Cap. 8. Omnem sanctificationem, *ait*, mystici sacrificij & efficaciam, quomodo videlicet sensibilis illa res, intelligibiliter, virtute Dei, per verbum Christi, in carnem ipsius ac sanguinem divinitùs transferatur, vel qualiter per hæc communicantes ad spiritualia nutriantur, ipsi Christo, qui verus & summus est Sacerdos, catholicè totum tribuere oportet, totumque ipsius virtuti atque potentiæ designari: Nempe quòd ipse liberat ab ignorantia universa, & renovat nos à carnalibus huius vitæ, neque finit nos ibi terrenum aliquid, aut vile suspicari, sed mystica & spiritualia in his sapere, ita ut nostri corporis sensus intus ad intelligibilia spiritualiter convertantur & transferantur: dum videlicet divina intelligibiliter interior noster homo per Christi gratiam excipit, ac per ea virtute fidei Christo concorporatur. *Ex his Paschasij verbis, sanctificationem & efficaciam mystici sacrificij, in his potissimum consistere*: Primò, *quòd sensibilia signa & symbola, nimirum panis & vinum, virtute Dei, per verbum Christi, non naturaliter & sensibiliter, sed intelligibiliter vel spiritualiter in carnem vel sanguinem Christi transferatur.* Secundò, *ut participantes per hæc ad spiritualia nutriantur: quòd sic fieri docet, quando corporei sensus intus ad intelligibilia spiritualiter convertuntur, ut interior homo divina, intelligibiliter, per Christi gratiam percipiat, ac per ea virtute fidei Christo concorporetur. Quomodo enim per mystici sacrificij sanctificationem res visibiles, virtute divina, in res intelligibiles, carnem videlicet & sanguinem Christi convertuntur: eodem quoque exteriores corporis sensus, per Christi gratiam, in spiritualem interioris hominis fidei intelligentiam converti oportere.*

Sanctificatio & effi. actæ mystici sacrificij in quib. consistat.

Cap. 10. & 42. *Efficaciam Sacramentorum per Spiritum, explicaturus ita scribit*: Operatur nobis, in his omnibus Sacramenti S. Spiritus divinus. Siquidem in Scripturis sanctis corda nostra illustrat. Quia neque qui plantat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. Cæterum in Christo idem operatur Spiritus, quia conceptus creditur de ipso, & de Maria virgine. Simili quoque modo & in Baptismo per aquam, ex illo omnes regeneramur. Deinde virtute ipsius, corpore Christi quotidie pascimur & potamur sanguine, quatenus ipse panis & vini substantiam, carnem Christi & sanguinem, invisibili potentiâ, per Sacramenti sui sanctificationem operatur, quamvis nec visu exteriùs, nec gustu saporis comprehendatur; sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu, pro certo, sicut prædixit Veritas, plenissimè sumuntur, & spirituali mentis gustu & perceptione degustantur.

Mystica conversio seu mutatio quæ iuxta Paschasium

Mysticam autem conversionem seu mutationem, quam dicit invisibili Spiritus sancti operatione & gratiâ in ipsâ Sacramenti sanctificatione

Eucharistia Baptismo figurata 48.

tione fieri, eleganter & rectè explicat : cap. 10. & 11. dicens: Panem in corpus, vinum & aquam in sanguinem verti, ut per hoc significetur, quid percipiat fides; *atque ideo cùm mysticum sit hoc Sacramentum figuram esse, negari non posse. Quod eleganti, cum Manna Veteris Testamenti Sacramento, comparatione, Augustinum & Bertramum sequutus, cap.* 11. 12. & 13. *confirmat.* Quantum interfit, *inquit*, inter illud & hoc Sacramentum, seu inter cibum qui de cœlo descendit, nec non & aquam, quæ de petrâ fluxit, atque inter illud spirituale & divinum commercium, quærendum arbitror, cùm beatus Apostolus clamat, quod omnes Patres nostri, eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: Vbi, si eandem perceperunt escam, & eundem potum, quid necesse fuit immutari, quod ipsum erat, aut dari quasi aliud, si nihil amplius est? Ex quo fatendum, sic eandem fuisse, quam nunc percipimus escam, eundemque potum sicut eandem fuisse petram, de quâ aquæ manarunt: Vbi Christus Apostolo teste prædicatur.

Paschasius docet eandem in utroq; Testamento escam ex terminis relationis esse, quia tamen sibi quas figurabat Christus.

Eadem quippe fuit esca, quia Manna spiritualiter percipientibus typus fuit escæ corporis Christi, & aqua illa, quæ de petrâ fluxerat, potus & figura sanguinis: siquidem in præfiguratione idem, sed non idem in adimpletione veritatis. Quia quod tunc adumbrabatur in designatione futurum, imago veritatis, & umbra corporis atque exemplaria erant. Nunc autem mysterium impletæ veritatis, facta est Eucharistiæ, ex resurrectione, caro Christi, quæ prius per agnum, vel per eandem è cœlo escam figurabatur, credentibus adfutura.

Manna panis Angelorum in re significata.

De hoc vero pane Dauid cecinerat in parabolis: panem Angelorum manducavit homo. Alioquin esca illa licèt de cœlo venerit, & potus quia corporeus erat, Angelis non congruebat, sed ille utique panis & potus, qui per hæc præsagiebatur. Christus ergo cibus est Angelorum, & Sacramentum hoc verè caro ipsius est, & sanguis, quam spiritualiter manducat & bibit homo, ac per hoc unde vivunt Angeli, viuit & homo.

Cap. 11. *indicat, quomodo Spiritus sanctus fidelibus panem & vinum faciat corpus & sanguinem Christi.* Cæterum Sacramento corporis & sanguinis pascimur in via, & potamur, ut ex eo nutriti, unum efficiamur, quo nimirum vegetati gustu, ad immortalia & æterna præparemur, quatenus spiritualiter iam angelicâ gratia saginati, in eo viuificamur. Operatur nobis in his omnibus Sacramentis divinus Spiritus: Sicut enim in baptismo, per aquam, ex illo regeneramur: sic etiam virtute ipsius Christi corpore quotidie pascimur, & potamur sanguine. Vnde nec mirum, si Spiritus sanctus, qui hominem Christum in utero virginis sine semine creavit, etiam ipse panis & vini substantiam, carnem Christi &, sanguinem, invisibili porentia, quotidie per Sacramenti sui sanctificationem operatur: quamvis nec visu exteriùs, nec gustu sapotis comprehendantur: sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu, pro certo, sicut veritas prædixit, plenissimè sumuntur. Quòd enim in veritate corpus & sanguis fiat consecratione mysterij, nemo, qui divinis verbis credit, dubitat. Vnde ipsa Veritas ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

Cap. 12. Iteratur, *inquit*, quotidie hæc oblatio, quamvis Christus semel passus in carne, per unam eandemque mortis passionem semel salvauerit mundum: ex qua morte idem resurgens ad vitam, mors ultra ei non dominatur. Quia autem quotidie labimur, quotidie etiam Christus pro nobis mysticè immolatur, & passio Christi in mysterio traditur. *Hæc mystica Christi immolatio quomodo intelligenda sit, alibi in Epistola ad Frudegardam sic explicat:* Christus immolatur pro nobis quotidie in mysterio, ut percipiamus in pane, quod pependit in cruce; & bibamus in calice, quod manavit ex Christi latere. Per fidem enim ambulamus & non per speciem, & ideo spiritualiter ista credere debemus, ne facinus incurramus. *Iuxta Paschasium igitur mysticè immolatur Christus, sicut passio eius in mysterio traditur: & Christus pro nobis in mysterio immolari dicitur, ut percipiamus in pane quod pependit in cruce.* Hoc autem, *ut Augustinus docet lib.* 3. *cap.* 16. *de Doctr. Christ.* Non corporali oris manducatione fit, ne flagitium committamus, sed spirituali intelligentia fidei accipi debet. *Vbi obiter notandum, hæc omnia fraudulenter à Gratiano in sua Decreti compilatione, in qua hunc locum ex Paschasio tantum de sacrificio citauit de Consecrat. Dist.* 2. *cap. Iteratur, omissa esse: ex quibus tamen, qualis hæc esset mystica Christi & passionis ipsius immolatio, à quovis facilè potuisset intelligi.*

Gratian impostor.

Item cap. 31. Non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, ut caro Christi & sanguis, non alia quàm de Spiritu sancto creata est, vera fide credatur, & spirituali intelligentia degustetur. *Et pòst:* Sic itaque in hoc mysterio credendum est, quòd virtute Spiritus sancti, per verbum Christi, caro ipsius & sanguis efficiatur, invisibili

visibili operatione. Vnde Sacerdos : Iube hæc perferri, ait, per manus Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Maiestatis tuæ. Vt quid perferenda ea illuc deposcit, nisi ut intelligatur, quod in eius sacerdotio ista fiant ? Ipse enim est factus Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, teste Apostolo, ad interpellandum pro nobis, offerens seipsum Deo Patri : Ad hoc quippe simul introivit in sancta Sanctorum, non in sanguine alieno, sed proprio sanguine, unde non ab alio rectè percipitur, quod proprium eius est, sed ab ipso summo Pontifice: neque ab alio caro eius creatur & sanguis, nisi à quo creata est in utero virginis. *Et pòst* : Propter quod homo, si attendis Sacerdotem, attende Christum, verbum Patris, quod caro factum est, & quod semel factum est, quotidie in mysterio fieri non dubites: dum per hoc caro & sanguis cibus noster efficitur æternus, ad hoc quippe, ut nos eius corpus simus.

Rursus cap. 32. quædam verba Canonis, quibus rogat Sacerdos, ut hæc Ecclesiæ oblatio, benedicta, adscripta, rata, rationabilis & acceptabilis, nobis fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi : interpretans, Ecce, *ait*, quid fides instituit; Ecce, quid Christus indulsit, ut nobis sit corpus & sanguis ; quatenus nos per hoc in corpus Christi quotidie transferamur. Priùs autem, quàm corpus Christi consecratione fiat, oblatio Sacerdotis est, sicut ipse confitetur, vel cunctæ offerentium familiæ : sed in Verbo & virtute Spiritus sancti nova fit creatura, in corpore Creatoris, ad nostræ reparationis salutem. Vnde iuxta sublimis aram altaris semper assistere, Scriptura teste, probatur, ut ex eius immolatione corpus & sanguinem ipsius percipiamus. Cæterùm Sacerdos qui vices Christi visibili specie inter Deum & populum agere videbatur, infert per manus Angeli vota populi ad Deum & refert : Vota quidem affert & munera: Refert autem impetrata per corpus & sanguinem, & distribuit singulis, non quantum visus exterior præbet, sed quantum fides capit. Vbi licèt Sacerdos in conscientia sua malus esse convincatur, non suum est, quod offert, sed omnium preces & vota, per omnem Canonis textum commendat : Nam & finis orationis cunctorum vocibus confirmatur : ubi omnes Amen voce consona dicunt. Idcirco non unius est, quod pro omnibus offertur, & multorum precibus confirmatur. Nam & Dominus ait : quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Ex officio ergo Sacerdotis ista, & non ex merito præstantur. *Item :* Vnde non cogitandum, qui, & quales sint, qui sacrificant, sed qui dent, vel accipiat is, qui fide communicat. *In hîs verbis invisibili operatione Spiritus sancti sic caro & sanguis Christi fieri dicitur, ut ei, qui vera fide communicat, in remissionem peccatorum & vitam æternam sit : quod certè cum transsubstantiatione Pontificiorum planè non convenit. Hîc etiam notandum est, quod Paschasius dicit, per universum Latinum Canonem à Sacerdote vota & munera, item preces & fidem credentium in Eucharistiæ celebratione offerri. Quoniam autem talis oblatio in Missa Pontificia non amplius offertur, sicut nec singulis ex hac oblatione, cum eo quod videtur, distribuitur, sequitur etiam verba Canonis fide alia quàm hac oblatione intelligantur & explicentur, vera non esse, sed potius ludibriosam ipsorum profanationem.*

Et pòst, cap. 35. Profectò, carnalis anima convertit ad imaginem phantasinatum suorum omnia Sacramenta, & verba sacri eloquij : tamen non sua hæc sunt, sed Dei. Vnde & Dominus hæc sua esse protestatur, & ideo non debemus istis tribuere quæ Dei sunt : quia etsi Sacramentum gratiæ dat Deus, etiam per malos: ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, in quo est remissio peccatorum : atque si Sacramentum præstatur ex officio. Gratia autem ex participatione & unitate columbæ, in qua fluit fons vitæ, & manet remissio peccatorum, cuius Sacerdos Christus, & Pontifex in æternum nos expiat, & offert seipsum pro nobis quotidie ante conspectum divinæ Maiestatis.

Ad hæc cap. 40. 41. sic ait : Corpus, quod in hoc verbo : Hoc est corpus meum, creatur, non qualiscunque, sed nova salutis est creatura, sicut in Baptismo homines nova efficiuntur creatura, & corpus Christi. Cuius enim potentia creata sunt priùs, eius utique verbo recreantur in melius. *Item:* Ipse panis & vini substantiam, carnem & sanguinem Christi, invisibili virtute & potentia, per Sacramenti sui sanctificationem quotidie operatur, quamvis nec visu, nec gustu exterius comprehendantur : sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu, pro certò plenissimè sumuntur. *Et pòst* : Licèt igitur Sacerdos benedicat, ipse Christus est, qui benedicit & frangit, alioqui nisi eius esset benedictio, nulla sanctitas in eo esset : Sacerdos quidem invocat, sed ipse benedicit, & solus est qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens : Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri, quàm reliqui credentes.

Et

Et cap. 43. Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus in eo, & Divinitas conſideranda: Idcirco cogitandum à nobis eſt, non quantum dente premitur, ſed quantum fide & dilectione capitur. Non enim caro Chriſti ſine Divinitate ſumitur, nec Divinitas ſine carne præſtatur: Idcirco neceſſe eſt, qui corpus eius comederit, de plenitudine Divinitatis illud fide percipiat: Alioquin niſi de plenitudine Divinitatis illud fide percipiat: Alioquin niſi de plenitudine eius accipias priùs, nec ad modicum carnis pervenire potueris: Et ideo Fili dum hoc myſterium communicas, dilata ſinum mentis tuæ, emunda conſcientiam & percipe, non quantum exhibet mica, ſed quantum fides capit: quia in Chriſto plenitudo Divinitatis manet; in te autem de plenitudine, non quanta eſt, ſed quantum idoneus fueris, præſtatur.

Rurſus cap. 50. Vnde ſi volumus iſta cum Chriſto accipere, ſurſum in cœnaculum magnum & ſtratum aſcendamus, quia niſi magnum ſit, non omnes capit. Aſcendamus autem ſurſum, quia qui deorſum iacent, non iſta cum Chriſto, ſed fel Draconum infeliciter cum luda, ut ſint in felle amaritudinis, bibunt. Hinc quoque Paulus: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Non enim alibi, ubi hic calix Novi Teſtamenti eſt, nec niſi ab innovatis, qui ſunt ſine vetuſtate peccati, communicantur. *Et poſt*: Ergò, quod tunc ille pro nobis ſemel feciſſe legitur, hoc ipſo iubente, quotidie facimus. Hinc & in Salomone legimus, Proverb. 9. quòd Sapientia miſcuerit in cratere vinum ſuum: quod ſanè vinum illa moralis intelligentia eſt, qua inebriantur animæ fideles, & illud refunditur ad altare, quando dicitur: Iube hæc perferri per manus Angeli tui, ad ſublime altare tuum, in conſpectum divinæ Maieſtatis tuæ: Ideo fit, ut ſanguis Chriſti inde, pro noſtris exhauriendis quotidie delictis, rurſum in precium ſumatur redemptionis, ut interior noſter homo pleniùs innovetur, & conniatur in Chriſto, non modò moribus & vita, verùm etiam in unitate naturæ, per corpus hinc inde, ut in illius forma inveniamur. Neque enim hic ſanguis integrè percipitur, niſi & moraliter mentem inebriet, & ſpiritualiter, de altari corporis Chriſti, ob renovationem nos refundat: Vbi profectò Chriſtus convivium & conviva noſter eſſe voluit. Per hoc ergo, quòd nos corpus eius ſumus de carne & oſſibus eius, ille nobiſcum illud bibit novum in regno Patris, quia ſanguis eſt Novi Teſtamenti. Nòs verò, quia corpus eius ſumus, & ille in nobis, ut caput, regnat, regnum Patris iure vocamur. In quo nimirum Chriſtus iam illud novum bibit, quoties fideles in Eccleſia illud dignè percipiunt: Sicut enim patitur in ſuis, & eſurit, & veſtitur, ac ſuſcipitur: ſic quoque bibit illud novum in regno Patris, id eſt, in Eccleſia. *Et pòſt, cap.* 52. Chriſtus utique nobiſcum bibit in regno Eccleſiæ ſuæ ſanguinem ſuum, quia ille caput, & nos membra ſumus. Quotquot ergo in Chriſtum baptizamur, Chriſtum induimus, & panem Angelorum comedimus. *Et pòſt cap.* 57. Patet igitur, quòd niſi deſiderio cœleſtis Patriæ ad ſuperna, ubi Chriſtus eſt in dextera Patris, fide pleniſſima, & ſpe certa charitateque non fictâ feſtinus quis tranſeat, de agni carnibus iure non comedit, quia Legem in hoc iubentis violat. Propterea quoties ea percipimus, attollamus mentes in deſiderium cœleſtis patriæ, & per ardorem fidei feſtinemus ad tantam ſatietatem viſionis, quia nimirum hic guſtus eſt, illic autem ſatietas: Satiabimur, ait Propheta, dum manifeſtabitur gloria tua. Tranſiit ergo Chriſtus in nobis de hoc ſeculo ad Patrem, tranſeamus & nos in illo, quia cum illo ſimul omnes, ſicut membra, connumeramur una perſona, & unum corpus ſumus.

Et alibi, panem & vinum in carnem & ſanguinem Chriſti intelligibiliter tranſferri dicit. *Rurſus*, Chriſtum quotidie myſticè immolari, & paſſionem ipſius in myſterio tradi, *ait. Item*: Per myſticam converſionem, qua panis & vini ſubſtantia in carnem & ſanguinem Chriſti interiùs efficaciter tranſmutatur, ſeu intelligibiliter tranſfertur, ſignificari, quod fides percipiat. *Item*: Oportet, *inquit*, myſterium ſpiritualiter celebrari, quatenus per hoc de viſibilibus ad inviſibilia feramur. Magis enim per hoc virtus divina mentes credentium ad inviſibilia inſtruit, ac ſi viſibiliter ea monſtraret, quæ interiùs præſtat ad effectum ſalutis. Per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem. Ob hoc namque Sacramenta vocantur, quia ſub eorum ſpecie viſibili, quæ videntur, ſecretiùs virtute divina caro conſecratur, ut hoc ſint interiùs in veritate, quod exteriùs creduntur, virtute fidei. Nihil igitur hîc dubitandum de ſpecie, dum virtus Chriſti totum præſtat ex myſterio, quicquid Evangelium promittit ex veritatis oraculo.

Alio loco, Sacrificium panis & vini, viſibilem figuram & characterem carnis & ſanguinis vocat, quem Chriſtus in cœlum aſcendens,

aſcendens, nobis reliquerit. *Item*: Caro Chriſti & ſanguis ſumitur ſpiritualiter. *Rurſus*: Bibimus quoque & nos ſpiritualiter, ac comedimus ſpiritualem Chriſti carnem, in qua vita æterna eſſe creditur. *Et*: Cæterum quibus omnem ſaporem & omne delectamentum præbuit, eandem de cœlo eſcam, quam nunc percipimus ſpiritualem, & typica illa perceptio in ore ſapuit. Hinc Apoſtolus, Patres noſtros eandem comediſſe eſcam ſpiritualem teſtatur, ſed non in pluribus eorum beneplacitum fuiſſe Deo: Profectò quia faſtidientes ſpiritualia, carnaliter ſapiebant. *Item*: De quo nimirum ſanguine inebriatur omnis Chriſti Eccleſia, & ideo ſpeciem vini iure tenet in ſenſu, dum ſpiritualiter ſanguis potatur in myſterio: quia hinc lætificamur ſpirituali lætitia ad gaudium: hìc verò redimimur de morte ad vitam, & precio ſalutis noſtræ interiùs ſaginamur. *Et*: Ideo hæc myſteria non carnalia, licèt caro & ſanguis ſint, ſed ſpiritualia iure intelliguntur.

Summa doctrinæ Paſchaſij de Cœna.

Hæc ex Paſchaſio tam copioſè deſcripta recitare & proponere volui, ut hinc omnes intelligant, longè aliter hoc adhuc tempore, nimirum circa annos Domini 900. *nondum invecto in Eccleſiam Tranſſubſtantiationis errore, Paſchaſium alioſque de Euchariſtia & myſtico ſacrificio ſenſiſſe, quàm poſtea Scholaſtici Doctores ſenſerint. Nam hoc externum & viſibile memoriale ſacrificium Eccleſiæ, ex Chriſti Pauliique verbis, de uſitata tunc tempore communione fidelium intelligit, quos in unitate corporis Chriſti conſtitutos, omnes Sacerdotes eſſe dicit, ad offerendum hoc myſticum ſacrificium, quod in ipſo Chriſti Sacerdotio fieri & ſanctificari teſtatur: Dum in æternum Pontifex ſeipſum pro nobis offert Patri, ubi iuxta ſublimis altaris aram ſemper præſens aſſiſtit, ut ex hac eius immolatione, ab ipſo, tanquam à ſummo Pontifice, carnem & ſanguinem eius, operante hæc in nobis inviſibiliter Spiritu Dei, ſpirituali intelligentia fidei, atque dulcedine percipiamus ac deguſtemus. In eo autem, quòd hic à Sacerdote exteriùs geritur, ob memoriam Dominicæ paſſionis, eſſe myſterium & figuram: peti autem à Deo, ut hæc oblatio, in ipſo Chriſti ſacerdotio, Spiritus ſancti virtute & fide ſumentibus corpus & ſanguis Chriſti fiat, quatenus per hoc quotidie in corpus eius transferantur. Poſtremò, cùm vota populi & munera, id eſt, oblationes, ex quibus Euchariſtia conſecrabatur, per Sacerdotem offerri, & impetrata ab eo corpus & ſanguinem Chriſti referri, & ſic poſtea ſinguli, non quantum exteriùs videtur, ſed quantum fides uniuſcuiuſque capit, diſtribui dicit: Nihil minus ſenſiſſe Paſchaſium intelligimus, quàm iſta oblata per Sacerdotem munera, ipſum reale corpus Chriſti eſſe, ſub ſpecie panis velatum, & in ſacrificio oblatum, cuius, ut poſtea Scholaſtici docuerunt, externa & corporalis ſumptio profit ex opere operato, ſine bono motu utentis.*

De impiorum manducatione doctrina Paſchaſij declarata.

Quæ autem Paſchaſij de impiorum manducatione doctrina fuerit, ex his paucis intelligi poteſt, cap. 14. Omnino, *inquit*, Chriſtus vita eſt, à quâ mortali crimine reus longè alienatur. *Hinc eſt quod ait*: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo: alioquin niſi priùs in me manerer, & ego in illo: Carnem meam manducare non poteſt, neque ſanguinem bibere. Et quid eſt igitur, quod manducant omnes homines indifferenter, qui ſæpe altaris Sacramenta percipiunt? percipiunt planè: ſed alius cum Chriſto ſpiritualiter manducat, & ſanguinem bibit, alius verò non, quamvis buccellam de manu Sacerdotis accipere videatur. *Et cap.* 17. & 54. Non intelligit miſer, quòd nunquam caro Chriſti niſi de manu eius & ſublimi arâ, ubi Chriſtus Pontifex futurorum bonorum aſſiſtit, iure accipitur. Alioquin enim nec caro, nec ſanguis eſt, ſed iudicium quod accipitur.

Vide ſtrabonis textum cenſum pag. 184. & 185.

Idem cap. 18. Idcirco inter Angelorum frequentiam, quàm terribile ſit indignè ad communionem accedere, debet quiſque cogitare: Imo quàm terribile ſit ipſum corporis & ſanguinis Sacramentum, ubi pleniſſimè virtus Chriſti accipitur, & neque ab ipſo Chriſto Pontifice porrigitur, licèt viſibilis Sacerdos aſſiſtere, & ſinguli tribuere videatur: quia quod ipſe per ignorantiam omnibus indifferenter tribuit, Chriſtus virtute Maieſtatis ſuæ interiùs, cui ad remedium, cui ad iudicium tribuatur, divinitus diſcernit. Quis enim carnem ipſius & ſanguinem niſi ab ipſo iure percipit, cuius eſt caro? Et ideo alius accipit myſterium, ad iudicium damnationis: Alius verò virtutem myſterij ad ſalutem. *Et poſt cap.* 19. Hæc igitur quæ conſecrata ſunt à Domino, non aliorum ſunt cibus, niſi qui ſunt in Domino, quia hi ſoli viſuri ſunt cibum Dominum: unde illorum iure conſecrata, id eſt, conſecrata filiorum Iſrael dicuntur. Itaque terribiliùs eſt ad ea immundum accedere, ubi Sacerdos eſt ille, qui poteſtatem habet animam & corpus perdere: & quiſquis accedis, hunc attende Pontificem, non eum, quem, fallere te putas, ſed illum, cui cuncta patent, & timeas percipere, non virtutem percipere, non virtutem Spiritus ſancti, ſed iudicium ſacramenti.

Hæc omnia deſumpta ſunt ex Paſchaſij lib. de Corpore & ſanguine Chriſti. Habet autem liber

ber iſte in Colonienſi editione capita 57. non admodum bono judicio & ordine, ab imperito quodam ſic diſtincta. Nam in vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus totus liber in cap. 25. diviſus eſt. In capite autem 38. & 39. Colonienſis editionis, quod eſt 15. in manuſcriptis exemplaribus, fraude ac dolo Monachi cujuſdam (quod ab iſtiusmodi hominibus in Veterum ſcriptis ſæpe factitatum Eraſmus conqueritur) inſerta & ſuppoſita eſt fabuloſa narratio de viſibili ſpecie corporis Chriſti in forma infantis, & ſic habet:

Libri Paſchaſii de præcatio

Fabula de viſibili ſpecie corporis Chriſti in forma infantis non eſt Paſchaſii

Plecgilis Presbyter quotidie precioſa munera offerens, poſcebat ſibi præmonſtrari, quæ foret ſpecies latitans ſub forma panis & vini, non quia de corpore Chriſti dubius eſſet: ſed quia vel ſic Chriſtum cernere vellet, quem nemo mortalium jam ſupra aſtra levatum in terris conſpicere poteſt. Venerat ergo dies, ut idem celebrans piè ſolennia Miſſarum, more ſolito procumberet genibus: Te precor, inquit, Omnipotens, pande mihi exiguo in hoc myſterio naturam corporis Chriſti, ut mihi liceat eum proſpicere præſentem corpore viſu, & formam pueri, quem olim ſinus matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare. Qui dum talia precaretur, Angelus de cœlo adveniens affatur: Surge, inquit, properè, ſi Chriſtum videre placet. Adeſt præſens corporeo veſtitus amictu, quem ſacra puerpera geſſit. Tum venerabilis Presbyter pavidus, ab imo vultum erigens, vidit ſuper aram Patris Filium puerum, quem Simeon infantem portare ſuis ulnis promeruerat. Cui Angelus inquit: quia Chriſtum videre placuit, quem prius ſub ſpecie panis verbis myſticis ſacrare ſolebas, nunc oculis inſpice, manibus attrecta. Tum Sacerdos cœleſti munere fretus, quod dictu mirum eſt, ulnis trementibus puerum accipit, & pectus proprium Chriſti pectori junxit; Deinde profuſus in amplexum, dat oſcula Deo, & ſuis labiis preſſit pia labia Chriſti. Quibus ita exactis, præclara Filii Dei membra reſtituit in verticem altaris & replevit cœleſti pabulo Chriſti menſam. Tunc rurſus homo proſtratus, deprecatus eſt Deum ut dignaretur ipſe iterum verti in priſtinam ſpeciem. Qui expleta oratione ſurgens è terra, invenit corpus Chriſti in formam remeaſſe priorem, uti deprecatus fuerat. *Hac autem non eſſe Paſchaſii, ſed falſarii cujuſdam Monachi*, Primò, *ſtyli & ſermonis varietas evincit.* Secundò, *quòd hæc duo capita, cum tota Paſchaſii doctrina pugnant.* Tertiò, *quòd author in præfatione teſtatur, ſe veterum in Eccleſia Patrum ſententiam & doctrinam de Euchariſtia tradere velle.* Quartò, *quòd hæc duo capita, aliter atque aliter, adjunctis etiam aliis fabuloſis exemplis de apparitione corporis Chriſti in Euchariſtia, ſub viſibili digiti vel crudæ carnis ſpecie, in manuſcripto exemplari relata & addita reperiuntur, ſed fraude adeò manifeſta, ut in ea deprehendenda non ſit opus accurato judicio.* Quintò, *quia finis capitis 27. & contextu & forma ſermonis planè coharet cum verſiculo capitis 29. Vt vel hinc manifeſtiſſimè appareat, præcedentia à capite 28. uſque ad dictum verſiculum adulterina eſſe.*

Porrò in Epiſtola ſua ad Frudegardum commilitonem, Idem Rathertus Paſchaſius, explicans, & oſtendere, quomodo contraria non ſint quod Auguſtinus tropicam locutionem vocat, ut corpus, & ſanguis Chriſti eſſe dicatur, quod & facinus, & flagitium ſit ipſum Chriſti corpus manducare, & tamen quòd idem ad Neophytos ſcribit: Hoc percipite in pane, quod pependit in ligno, Hoc accipite in Calice, quod manavit ex Chriſti latere. *Quibus certè ipſa carnis Chriſti veritas, & non tropica locutionis ſchema tantùm inſinuatur.* Hæc, *inquam*, cùm inter ſe conciliare ſtudent, facinus, & flagitium eſſe, & ab iis committi; & incurri ait, qui ſic falsò credunt, in Sacramento carnis, & ſanguinis Chriſti veritatem accipi, quaſi hoc ita dictum ſit, ut fas eſſe putetur, Chriſtum dentibus vorare ſicut & tunc illi credebant, quibus dicebat; Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum: Hanc enim carnem, & hunc ſanguinem ſi quis ſic ipſa abſque ſacramento, & myſterio eſſe, nec in figura ex parte ſumèda dicat, ſicut illi carnaliter ſapientes tunc ſenſerunt hunc penitus aberrare. *Sentit igitur Paſchaſius, carnis & ſanguinis Chriſti veritatem in Euchariſtia percipi, ſed in myſterio, & ſacramento, quatenus vera hæc in figura ex parte ſumuntur, Sic enim ait:* Veritas hoc myſterium eſt, ut tamen nec figura eſſe negetur. Quia ſicut in præſentiarum ex parte ſcimus, quicquid de Deo ſcimus, & ex parte, Apoſtolo teſte prophetamus de futuro & cœleſti regno; ita ex parte præguſtamus non palato oris, ſed palato cordis, & per fidem Chriſti corpus, & ſanguinem eſſe credimus, quatenus ex eo vivamus, in quo & per quem redempti, & renati ſumus. *Quibus conſentanea ſunt, quæ alibi idem Paſchaſius ſcribit:* Per ignorantiam accipit, & myſterii virtutem ignorat, qui neſcit verè, quòd corpus ſit Domini ſecundùm veritatem, licèt in ſacramento accipiatur per veritatem. Sic itaque myſterium hoc ſimul figuram, & veritatem eſſe vult, quia figura exteriùs, & corporali ſumtione, veritas autem in fide interiùs, & Spiritualiter acclpiatur. Atque hinc ſtud, quod ab Auguſtinò tropica locutione corpus, & ſanguis Chriſti eſſe dicatur, quomodo intelligi debeat, *in*

eadem ad Frudegardum Epistola explicans, Sic ait: Hæc quippe Mystica sunt, in quibus veritas carnis, & sanguinis est non alterius, quàm Christi, in mysterio tamen, & figura. *Nec igitur mirum si figura hoc mysterium, & hujus mysterii verba tropica appellantur. Hanc verò tropicam locutionem ab Augustino in Epistola ad Bonifacium latiùs dicit explicari, ut intelligatur, non in ipsis rebus, sed in modo loquendi tropum, & figuram esse, sicut cùm Christum in celebratione Sacramenti dicimus immolari, eò quòd Sacramenta propter similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, etiam nomina ipsarum rerum accipiant. Dici ergo Christum, (qui semel immolatus est in semetipso, & amplius non moritur) immolari in Sacramento, hoc est secundùm quendam modum, quo Sacramentum corporis Christi, corpus est Christi: Quasi diceret, sicut non eò minus vera est Christi immolatio, quia secundùm quendam modum, & tropica locutione, quotidie immolari dicitur in Sacramento, quòd propter veræ immolationis similitudinem in mysterio nomen habet: Sic etiam non minùs vera Christi caro est, quæ datur & accipitur in Sacramento, quamvis secundùm quendam loquendi modum Sacramentum hoc corporis Christi corpus est. Ex quibus Augustini verbis Paschasius eadem prorsus ratione qua Bertramus, Sacramentum corporis Christi, hoc est, panem Eucharistiæ in verbis Cœnæ sic corpus esse Christi secundùm quendam modum vult intelligi, sicut quotidie Christus in celebratione Sacramenti dicitur immolari.* Christus, *inquit*, immolatur pro nobis quotidie in mysterio, ut percipiamus in pane, quod pependit in cruce, & bibamus in calice, quod manavit ex Christi latere. Per fidem enim ambulamus & non per speciem: & igitur in Spiritu spiritualiter ista credere debemus, & non carnaliter, ne facinus incurramus. *Hù addit & aliud Augustini figuratæ locutionis exemplum.* Sic, *inquit*, Mysterium hoc corpus est, & sanguis Christi, sicut Sacramentum fidei, hoc est, Baptismus, fides est. Porrò nihil aliud est credere, quàm fidem propter fidei Sacramentum habere. Hinc ergo infantes, quamvis credendi affectum nondum habeant, fidem tamen habere dicuntur, quia verum Baptismum habent qui, (*ut ipsemet etiam Lanfrancus hoc fatetur*) secundùm eam locutionis formam fides vocatur, qua mysterium eius rei, cuius mysterium est, nomine consuevit censeri. Est igitur iste unus idemque tropus in tribus illis locutionum formis (quibus verus Christus in celebratione Sacramenti immolari; Item, mysterium Eucharistiæ corpus, & sanguis esse Christi, denique Baptismus sacramentum fidei, fides esse dicitur) quò ut Augustinus hæc ita eodem modo definit, sacramentum *tantæ rei, nomine* ipsius rei nuncupatur. Proinde in verbis Cœnæ ex Augustini sententia tropica, & figurata locutione intelligendis, *Sic planè Bertramus & Paschasius inter se contendunt.*

Eodem tempore Theophylactus *etiam clariùt. Is de vero pane verum Christi corpus prædicari: corpus, vel carnem Christi spiritualem cibum esse, & à spirituali non animali percipi: imò omnes, quotquot carnem Christi manducant, Christo capiti incorporari & ad æternam vitam pasci clarissimè docet: quæ pro Transsubstantionis doctrina nequaquam faciunt. Nam scribens in Ioan. c. 6. super hæc verba,* Decertabant ergo Iudæi inter se dicentes: Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad edendum? *sic ait*: Oportet igitur nos quum audiverimus, Nisi ederitis carnem Filii, non habebitis vitam, in sumptionibus divinorum mysteriorum, indubitatam retinere fidem, & non quærere, quo pacto; Nam animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales, sive naturales, non est capax eorum, quæ sunt super naturam, & spiritualium. Atque ita & spiritualem esum carnis Dominicæ non intelligit, cujus qui non sunt participes nec æternæ vitæ participes sunt. *Et mox hæc verba*: Qui edit meam carnem, &c. *sic exponit*: Hoc loco discimus Sacramentum communionis. Nam qui edit & bibit carnem & sanguinem Domini, in ipso manet Domino, & Dominus in ipso. Contemperatio enim fit nova, & super rationem, ita ut Deus sit in nobis, & nos in Deo. *Docet hic author fidem adhibendam esse in mysteriis, nec quo modo quærendum esse. Simul autem humanas & animales, seu naturales cogitatione summovet, & se nsum tantùm spiritualem postulat, & sublimiore medendi rationem commendat. Addit enim non multò post super hæc verba:* Durus est hic sermo, quis potest eum audire, &c. Vide autem insipientiam illorum. Nam debebant interrogare, & discere ea quæ ignorabant. At illi resiliebant, & nihil spiritualiter exponebant, sed omnia ut videbantur. Nam quia carnem audierant, putabant, quòd eos cogeret σαρκοφάγιας, id est, carnis & sanguinis fieri devoratores; quia autem nos spiritualiter intelligimus, neque carnium voratores sumus, & per talem cibum sanctificamur. *Mox etiam explicans illud*, Spiritus est qui vivificat, *ita scribit*: Quoniam, ut sæpè diximus, carnaliter exponentes ea quæ dicebantur à Christo, offendebantur, dicit. Cùm spiritualiter intelliguntur, quæ à me dicuntur, hoc demum utilitatem afferre, Caro autem, hoc est carnaliter illa exponere,

Theophylacti de Cœnæ doctrina.

nere, nihil prodeſt, ſed offendiculi occaſio fuit. Sic igitur illi qui carnaliter audiebant, quæ à Chriſto dicebantur, offendebantur. Subdit igitur, verba quæ ego loquor Spiritus ſunt, hoc eſt, ſpiritualia ſunt & vita, nihil carnale habentia, & vitam afferentia æternam. *His adiungamus quæ ſcribit in Mar. c.14.* Non enim figura tantùm & exemplar quoddam Dominici corporis, panis eſt, ſed in ipſum convertitur corpus Chriſti: Dominus enim dicit: panis quem ego dabo, caro mea eſt, & iterum: Niſi ederitis carnem Filij hominis, Et quomodo, *inquit*, caro non videtur? O homo propter noſtram infirmitatem iſthuc fit. Quia enim panis quidem & vinum ex his ſunt, quibus aſſuevimus, ea non abhorremus: ſanguinem verò propoſitum, & carnem videntes, non ferremus ſed abhorreremus. Idcircò miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſervat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat. *Ex his omnibus certiſſimum eſt Theophylactum veterum Patrum veſtigia ſequutum eſſe, carnales imaginationes in hoc Sacramento reijcere, ad ſublimes autem & ſpirituales nos revocare, non eſſe figuram tantùm Dominici corporis, ſed potius verè corpus illius eſſe, tamen σαρκοφάγους communicantes non eſſe, hoc eſt, carnibus non veſci; & cauſam addit, quia non carnaliter, ſed ſpiritualiter intelligimus, nempe quòd ſeruentur panis & vini ſpecies, in virtutem autem Dominicæ carnis & ſanguinis abeant, & ut ille loquitur, tranſelemententur, quo vocabulo non eſt quòd Papiſticam aliquam, ut vocant tranſſubſtantiationem nobis fingamus. Nam ſcribens in Ioannem c.6. eodem utitur verbo, ſic inquiens:* Igitur quemadmodum ego, ait, viuo propter Patrem, hoc eſt, ſicut natus ſum ex Patre, qui vita eſt, ita & qui manducat me, viuit propter me, dum quodammodo mihi miſcetur, & in me tranſelementatur, qui viuificare poſſum. *Hac tranſelementandi voce nihil aliud ſignificare voluit, quàm illam commutationem Sacramentis congruentem, cuius meminit Ambroſius, Emyſſenus & alij. Aliter enim in Chriſtum tranſelementari non poſſumus. Neque mirum eſt ſic loquutum eſſe Theophylactum, cùm & ipſe Chryſoſtomus in Ioannem capite ſexto. Homil. quadrageſima quinta his utatur verbis.* Vt autem non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficit, quem nobis largitus eſt. *Ecce Chryſoſtomus dicit realiter, ut ita loquar, nos in Chriſti carnem converti, ſed ſpiritualem illam non carnalem conuerſionem eſſe, quis quæſo non videt? Ita reipſa converitur, & tranſelementatur panis in carnem Chriſti, ſed ſpiritualem, non carnalem converſionem, quia panis virtutem carnis aſſequitur.*

Contra indignorum verò & impiorum manducationem Theophylactus in ſexto capite Ioan. Quis, *inquit*, cùm carnalis ſit, poſſit ſuſcipere ſpiritualem cibum & panem, qui de cœlo deſcendit, & carnem quæ comeditur. *Theophylactus contra indignorum manducationem.*

Ratherius, *ſeu* Cartherius, *vel* Racherius, *natione Belga, Monachus Lobienſis, inde Epiſcopus Veronenſis ab Hugone Rege Italiæ, poſtea Epiſcopus Leodienſis ab Otthone Imp. creatus, ſed inde paulò pòſt in exilium ad Lobienſes Monachos detruſus, morum ſimplicitate, & omni doctrinarum genere inſignis, circa annos Domini 930. librum de corpore & ſanguine Domini, & alium de Phreneſi ſcripſit, in quo errores ſui temporis deflevit, & ſimul veram doctrinam primitivæ Eccleſiæ, Patrum & Prædeceſſorum ſuorum de Cœna Dominica, itemque corporis & ſanguinis Chriſti ſpirituali præſentia, ac eorundem manducatione in Euchariſtiæ Sacramento fortiter defendit.* Ratherij doctrina de Cœna.

Cumque eodem tempore maxima fieret doctrinæ rituumque inclinatio, nihilominus prima inſtitutio Cœnæ in tanta adhuc authoritate fuit, ut cùm de effuſionis periculo, ac irreverentia calicis vehementer diſputaretur, non tamen auſi fuerint, calicis uſum abrogare. Sic enim Caſſander citat ex inſtitutis Cluniacenſium libro ſecundo capite tricesimo quinto: Quantis ipſum corpus Sacerdos dederit, ſingulis ſanguine intingit, quanquam ſit contra uſum aliarum Eccleſiarum (*quæ tunc utramque ſpeciem adhuc retinebant*) quia quidam maximè novitii, adeò rudes ſunt, ut ſi ſanguinem ita ſeparatim accipiant, quandam negligentiam incurrerent. *Idem cùm in Concilio Turonenſi propter infirmos aliis etiam Eccleſiis concederetur, hæc ratio addit:* Vt veraciter Presbyter dicere poſſit: Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam; *Licèt enim hoc modo nonnihil à prima inſtitutione recederetur; tamen adeò neceſſariam utramq; ſpeciem eo adhuc tempore Eccleſiarum Doctores iudicarunt, ut potiùs intinctam Euchariſtiam, quàm unam ſolummodo ſpeciem dandam exiſtimarent.* Veraq; ſpecies hoc adhuc tempore data.

Fulbertus *Carnutenſis Epiſcopus, qui circa annos Chriſti 1000. claruit, & præceptor Adelmanni & Berengarii fuit, in Epiſtola ad Pinardum teſtatur*, In multis quidem Græcam ab Hiſpanica, & ab utraque Romanam & Gallicanam diſcrepare Eccleſias: non tamen diverſam inter ipſas fidem eſſe. *His verbis teſtatur Fulbertus, ſuo adhuc tempore in Orientalibus & Occidentalibus, imò in ipſis quoque Occidentalibus Eccleſiis, differentiam quidem aliquam fuiſſe in ipſa etiam Cœna Dominicæ* Fulberti Carnutenſis Epiſcopi de Cœnæ doctrina.

celebratione, quod ad ritus videlicet & ceremonias attinet, in fide autem, hoc est, in doctrina nullam esse. Non fuit igitur alia Latinæ, quàm Hispanicæ atque etiam Græcæ Ecclesiæ, de sacro oblationis & communionis ritu, deque mystico & memoriali, quod in ea fieret sacrificio, sententia & doctrina.

Et quæ Fulberti de Cœna doctrina fuerit, ex eius Epistola ad Adeodatum intelligitur, in qua inter alia docet, Mysterium non esse exteriore visu & specie, sed interiore effectu, virtute & munere æstimanda. Mysterium, *inquit*, fidei propterea sic dicitur, quia fide æstimandum est, non specie: nec visu corporeo, sed spiritu mentis intuendum: Siquidem potentis mysterij secretum tantùm tenet fides. Quòd enim substantia panis & vini apparet exteriùs, iam corpus & sanguis Christi fit interiùs. *Verùm ne quis hæc verba eius*, Corpus & sanguinem Christi in mysterio fidei interiùs fieri, *per realem ipsorum sub specie panis & vini existentium intelligenda esse putaret, semetipsum explicat:* Gusta, *inquit*, & vide, quàm suavis sit cibus, & prægusta quid sapit: ni fallor, cibum angelicum, habentem intra se mystici saporis delectamentum, non quod ore discernas, sed quod affectu interiore degustes: Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum.

Quomodo etiam sacrificij, & totius redemptionis nostræ memoria, in hac mystica figurarum contemplatione fiat, omnium pissimè idem Fulbertus in eadem Epistola docet, contra eos scribens, qui humanæ salutis mysteria, Baptismum nimirum, & Domini Cœnam, nimis carnaliter considerantes, veluti ociosa & inania æstimabant: De fide, *inquit*, interioris hominis procedit divini gustus saporis: dum certè per salutaris Eucharistiæ infusionem, seu perceptionem influit Christus in viscera animæ sumentis *(non ergo corporaliter intrat in os, corpus atque ventrem)* quem pia mens, castis penetralibus, in ea scilicet forma suscipit, qua sub ipsa recordatione mysterij, Spiritu revelante, sibi præsentem intuetur: Infantem, videlicet in matris gremio, aut cunis puerilibus iacentem: aut in ara crucis Immolatum: aut sepulchro quiescentem: aut certè calcata morte resurgentem, sive supra cœlos vectum, in gloria Patris sublimem: Iuxta quas species Christus gratum communicantis intrans habitaculum, tot, ut ita dicam, suavitatis saporibus mentem reficit, quot formis intimæ revelationis oculus meditantis eum meruerit intueri. *Hucusque Fulbertus de spirituali mysteriorum contemplatione, per fidem, qua pia mens communicantis Christum, iuxta omnes peractæ salutis nostræ formas, sibi præsentem intuetur ac suscipit.*

Huc etiam referenda videtur brevis illa Expositio Missæ, *quæ à quodam huius Classis Doctore, & quidem omnino ante Berengarij Palinodiam conscripta videtur, quamque Cochleus inter alios eiusdem argumenti libros edidit. Nam etsi in illa ferè omnia, pro explicanda rituum & ceremoniarum significatione, inepta sint atq; ridicula, utpote extra & contra Dei Verbum à superstitioso quodam excogitata: nulla tamen prorsus in ea sit mentio transelementati, & transsubstantiati panis & vini in ipsum reale corpus & sanguinem Christi, eiusdemque substantialis in hoc sacrificio oblationis.*

Primò *enim, ex Isidoro septem in Missa orationes, quibus constat & perficitur, recenset. Prima, qua ad invocandum Deum excitamur. Secunda, qua rogatur, ut preces & oblationes populi suscipiat. Tertia, pro offerentibus & defunctis. Quarta, pro osculo pacis. Quinta, ut sanctificata sit oblatio, Sexta, ut confirmetur per Spiritum sanctum oblatio sanguinis & corporis Christi. Septima, qua dicitur oratio Dominica.*

Deinde *totum Missa officium in quatuor species dividit: in Precationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones, quæ suo more discernit. Inter has autem orationes, atque etiam species omnes, nihil est planè, ex quo miraculosa illa, & vel sola cogitatione stupenda transsubstantiatio fieri intelligatur, factaque insinuetur in reale corporis & sanguinis Christi oblatum Deo sacrificium.*

Publicum oblationis ritum adhuc in Ecclesia usitatum fuisse, agnoscit, & cur primò viri, postea fœmina, deinde Sacerdotes & Diaconi, sed solum isti panem offerant, explicat.

Patenam, ex Rabano, pro sepultura corporis Christi habendam esse, vult.

Oblatam, quæ corpus Christi designat, dicit non nudis manibus, sed fanonibus, multo labore studiorum candidis, offerri, quia Christus non nisi à mente, carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifixam iubente suscipiatur.

Ex oblatis cum Ordine Romano dicit corpus Christi consecrari, quod etiam propterea corpus consecratum, vel sacratum vocat.

Elevationem calicis non dicit fieri propter adorationem, sed, ut Amalarius, corporis de cruce depositionem per hoc significari.

Consecratum ex oblationibus corpus, pro usitato tunc adhuc temporis in Ecclesia verè sacro illo & vetusto ritu, per Diaconos & subdiaconos ad Presbyteros deferri ait, ad confringendum & communicandum.

Hoc autem consecratum corpus non intelligit factum

factum esse per transsubstantiationem, sed per naturæ veritatem & subsistantiam Panem adhuc esse, eumq; in vinum propterea à Sacerdote miti ait, ut significet Christi animam ad ejus corpus redeuntem, & pacata esse non solum quæ in cœlo sunt, sed & quæ in terra.

De hoc pane quærit, cur frangatur in patenâ? & respondet: Vt rememoretur, panis vivus esse fractus pro nobis, qui de cœlo descendit per unitatem personæ. Non igitur idem est substantia panis, qui ad communicandum frangitur, & qui de cœlo descendens, pro nobis in cruce fractus esse, rememoratur.

Verba Christi, Hoc est corpus meum, per mille annos intellecta fuerunt.

Hucusque igitur, per annos videlicet mille à nato in carne Christo, omnes Ecclesiarum Doctores agnoverunt, senserunt & constanter docuerunt, verba Christi, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, *figuratè & in mysterio dicta esse: Agnoverunt, senserunt & docuerunt etiam Cœnam Dominicam mysterium & Sacramentum esse, quod non in terris, sed in cœlesti ara perficiatur, Spiritu sancto per fidem operante. Et quamvis utrumq; loquendi genus ab ijs usurpatum fuerit, videlicet panem & vinum verum esse corpus & sanguinem Christi, & eadem esse veri corporis & sanguinis Domini signa, symbola, antitypa, pignora & Sacramenta: Nulla tamen in sensu contrarietas aut diversitas fuit. Qui enim dicebant panem & vinum esse verum corpus & sanguinem Dominì, non tanquam hæreticos damnabant alios, qui panem & vinum signa & antitypa veri Christi corporis sanguinisque appellabant. Agnoscebant enim & ipsi mysterium, & Sacramentalem ex pacto locutionem, neque tam rudes & crassi erant, ut figuratas & Sacramentales locutiones velut propriàs exponi debere contenderent. Contrà qui panem & vinum figuram; signa, &c. corporis & sanguinis Christi nominabant, illos non, ceu hostes oppugnabant, nulla enim de his erat controversia, quoniam omnes participationem veram corporis Christi per fidem, & in mysterio profitebantur, neque vel nuda, vel vacua signa agnoscebant: Sed unà omnes cum signis externis res etiam ipsas verè exhiberi docebant, & Christum in Cœna præsentem esse spiritualiter & sacramentaliter, non corporaliter, sensibus videlicet & corpori nostro, sed spiritui mentis & fidei, prout salutis nostræ ratio & necessitas postulat: Paucis quibusdam exceptis, qui post annos Christi 850. de modo præsentiæ & perceptionis corporis & sanguinis Christi in Cœna quærere tantùm & disputare, non tamen aliquid certi definire contra orthodoxam Vetustatis sententiam cœperunt.*

Doctrina de Missa pro Vivis & Defunctis confirmata & propagata in hac Classe.

Missæ non solùm pro vivis, sed etiam mortuis in superioribus Classibus contra Christi institutionem, & Apostolorum doctrinam institutæ, in hac quoque Classe retenta & confirmatæ sunt. Nam eas tam vivis, quàm mortuis prodesse Rabanus Gregorij M. non Verbi Dei authoritate docuit lib. 1. in Ecclesiast. cap. 14. Et Canon 39. Cabillonensis Synodi, in Missis pro defunctorum Spiritibus Dominum deprecari *præcipit.*

De Origine privatæ Missæ.

Svprà indicavimus, in primitiva Ecclesia, non solùm sub tyrannorum persequutionibus, sed etiam pace jam reddita Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis, populi adhuc fervente devotione, fideles ad celebrationem Cœnæ Dominicæ & communionem quotidie convenisse. Progressu verò temporis ardor hic populi in tantum refriguit, & contemptus sacratissimæ Cœnæ invalnit, juxta proverbium, Principium fervet, medium tepet, ultima frigent, ut sæpissime quotidianæ celebrationi Cœnæ præter Clericos, nulli prorsus, vel pauci admodùm de populo interessent. Quæ de negligentia & immani mysterii hujus contemptu Chrysostomum & alios Patres suprà gravissimè & justissimè conquerentes audivimus. Statis tamen temporibus, putà Quadragesimæ, Paschatis, Epiphaniæ, & aliis ejusmodi solennioribus diebus, ad sacram communionem frequentes accedebant, quocunque essent animo, seu religioso seu profano, sola commoti & excitati consuetudine, & superstitiosa opinione, quam de die rum religione & sanctitate conceperant, non autem ipsorum sacrorum mysteriorum sanctitate ac reverentia, quæ securi cæteris temporibus contemnebant. Nihilominus Clerici & religiosi, propter hanc vulgi negligentiam, sacra officia non intermittebant, sed quotidie frequentabant, & ipsi inter sese quotidianam communionem retinebant. Hæc enim verba ex Walafrido citat Cassander: Cùm maximè Clericis omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis, & panem ac sanguinem Dominicum sine quibus vivere non possumus, jugiter ambiamus. *Huius consuetudinis, exstant exempla quæ sacrarum Antistes olim Diaconis, Hypodiaconis, & cæteris Clericis, Cœnam exhibebat, si alii deerant de populo, qui sacra mysteria participare negligerent.*

De hoc ita etiam scribit Costerus in Enchir. c. 10. *Est, inquit, diligenter notandum hanc consuetudinem non tam Episcoporum mandato, quàm populi usu, & facto, conniventibus tamen Præsulibus, irrepsisse, quam abstinentiam Episcopi propter quædam pericula comprobabant.*

Distinctio publicarum & privatarum Missarum.

Hinc nata est distinctio publicarum & privatarum Missarum. Privatas Gregorius M. Peculiares, *& Odo Cameracensis* Solitarias *vocat etiam. Cùm enim in solenni populi cætu & publicè in Templo Cœna, ejusque communio celebrabatur, Publica & Solennis Missa appellabatur: Cùm verò privatis diebus, sic enim Cassandercitat ex libro exordii Cisiertiensis Cœnobii, soli clerici & religiosi communicabant, vel solus Sacerdos confecta sacramenta participabat, Privata Missa dicebatur. Ita Gregorius ad Castorium Arimenensem Episcopum scribit:* Missas publicas in Cœnobiis fieri, omnino prohibemus: ne in servorum Dei recessibus, & eorum receptaculis, ulla popularis præbeatur occasio conventus. *Odo Cameracensis in Canonem:* Cùm, *inquit*, primitus Missæ sine cœtu populi non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ, solitarias, maximè in Cœnobiis, fieri Missas.

Sic etiam Privatæ Missæ dicebantur, cùm vel pro ægrotis, vel aliis extra publicum & solennem populi cætum communio Cœnæ Dominicæ celebrabatur: vel quando id fiebat in loco privato, Sacellis videlicet, Cellis, Oratoriis & privatis ædib. aut etiam parvis villarum Ecclesiis. Hinc de Consec. Dist. 1. *cap.* 52. Omnes qui in urbe, vel in circuitu sunt, sive Sacerdotes, sive populus in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant. Peculiares verò Missæ non per altaria, nec in publico, nec tempore publici conventus fiant, ne populus à publicis solennibus abstrahatur. *Et Dist. eadem ca.* 34. *conceditur in Synod.* 6. ut Sacerdotes in Oratoriis, quæ intra privatas domos sunt, celebrare possint.

In his verò privatis Missis omnes qui aderant communicabant. Sic enim Gregorius Hom. 37. *in Evangel.* Tunc, *inquit*, ille compulsus, in Episcopi Oratorio Missas fecit, & in manu sua corpus Dominicum, pacemque omnibus dedit.

Cæterùm & hac, de qua jam diximus, quotidiana clericorum & religiosorum communio in hac Classe non amplius frequentari cœpit. Nihilominus Sacerdotes pro more veteri altaria, seu mensas instruebant: & tunc aliquibus in locis, quando non aderant qui communicarent, preces tantùm, lectiones, ut reliqui ritus ad Eucharistiam pertinentes, excepta consecratione & communicatione, celebrabantur. Et hanc Missam vocabant Siccam. Aliis verò in locis Sacerdotes celebrantes, quandoquidem nemo prorsus aderat, soli hoc tempore communicare cœperunt, progressu temporis cœperunt, modum præparationis, & periculum indignæ manducationis supra modum exaggerare, præterea multa polliceri de utilitate & efficacia, quæ ex privato illo opere & actione Sacerdotis, ad præsentes vel absentes, communicantes & non communicantes rediret, Sic enim Walafridus Strabus in lib. de Rebus Ecclesiast. cap. 22. Per totam, *inquit*, Missam pro eis quàm maximè, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt & communicant. Possumus autem dicere, cæteros, in fide & devotione offerentium & communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis dici & esse participes. Quamvis autem, cùm soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ista celebrantur officia, & quorum personam Sacerdos in quibusdam responsionibus exequitur, fatendum tamen est, illam esse legitimam Missam, cui interfunt Sacerdos, Respondens, Offerens, atque Communicans, sicut hoc ipsa compositio Canonis seu precum evidenti ratione demonstrat.

Donec tandem ex illa Sacerdotis actione sine communicantibus, fabricatum est sacrificium propitiatorium pro peccatis applicatorium omnium meritorum Christi, & impetratorium omnium quæ à Deo petimus. His verò opinionibus instillatis in hominum animis, cumulata sunt tandem sine modo nundinationes & emptiones talium privatarum Missarum. Nam judicarunt homines, viam esse valdè compendiariam, sine magna præparatione, & sine metu indignæ manducationis, ex opere operato privata Missæ Sacerdotis, posse consequi illa omnia: imò multò plura & præstantiora, quàm quæ ipsa communio Cœnæ Dominicæ pollicetur. Hæc vera est origo privatæ Missæ Pontificiæ: populi videlicet negligentia, contemptus mysteriorum & pietatis remissio, quod etiam Hardingus contra Iuellum fateri cogitur. Et Cochlæus de sacrificio Missæ: Quod, *inquit*, olim tam frequentes non fuerint Missæ, neque tot Sacerdotes, quot hodie, inde accidisse arbitrot, quod olim omnes tum Sacerdotes, tum Laici, quicunque intererant sacrificio Missæ, pacta oblatione cum sacrificante communicabant: sicut ex Canon. Apostolorum & ex Libris atque Epistolis antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum perspicuè cognoscitur. *Tum adjungit:* Nunc verò, postquam communionis ordo à nobis observari desiit, idque propter negligentiam & socordiam tam plebis, quàm sacerdotum, Spiritus sanctus Missas privatas celebrando, pium

reme-

remedium huic defectui inuenit.

Et obseruet hic Lector ingentem rerum vicissitudinem. Exstat enim Canon apud Gratianum sub titulo Concilij Toletani 12. anno Domini 681. celebrati, qui queritur de quibusdam sacerdotibus, qui quum sepius eodem die sacra facerent, vel ut Canon loquitur, plurima Deo offerrent sacrificia, omnibus se tamen oblationibus à communione suspenderent, & in sola tantum extrema sacrificij oblatione, communionis sanctæ gratiam sumerent. Et paulò pòst subiungit: Quicunque ergo sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuabit gratia communionis, anno uno repulsum se nouerit. Nam qualè erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? *Iam verò vice versa, in Priuatis Missis nemo nisi solus sacerdos omnium, siue præsentium, siue absentium nomine communicat.*

Priuatæ Missis aduersatur symbolorum Carnis natura & significatio. Vide Rerum de Orig. minist. & Sacram. lib. 1. 7. c. 16.

Mirum est autem qua ratione Missis priuatis Canonem applicare possint consecrationis, quem non nisi publicæ Missæ, hoc est, ecclesiasticæ communioni conscriptum esse ex omnibus eius verbis deprehenditur.

CAPVT III.

De Progressu Certaminis Sacramentarij, & Transsubstantiationis Origine.

Status horum temporum, & quo Rom. Ecclesiam gubernarint.

FVolutis *demum mille illis fatalibus annis, cùm solutus esset Satan de carcere suo, & exiret, ut seduceret gentes in quatuor angulis terræ, circumiens castra Sanctorum & ciuitatem dilectam magno Ecclesiæ, religionis Christianæ & pacis publicæ malo, contra hunc illustrem, perpetuum & uniuersalem Patrum & Doctorum per mille annos consensum palàm disputare, & contrariam sententiam hinc inde, præsertim in Romana Ecclesia, amplecti & defendere cœperunt. Notum est enim historiarum non omnino rudibus, qualia fuerint illa tempora, quales tum Romanam Ecclesiam rexerint Episcopi, & qui meliores videbantur à quibus fuerint gubernati. Illo infelici seculo sedit* Sylvester 2. *ab adolescentia magiæ, diabolicisque artibus intentus, totum seipsum Satanæ mancipauit, cuius ope aditus Romanum tandem Episcopatum adeptus est. Eodem adiutore Sylvestro* Ioannes 19. *& ipse magus, in eadem sede successit, & omnia ad eius voluntatem fecit cuius erat vicarius. Hoc verò Ioanne venenata potione sublato, prodigiosis artibus eandem sellam* Ioannes 20. *occupauit.*

Sergius 4. *non alijs mediis quàm sui prædecessores Pontificale conscendit fastigium.* Benedictus 8. *per magicas artes Theophylacti nepotis sui ministerio, qui Sylvestri 2. discipulus olim fuerat, Papatum obtinuit. Eiusdem Theophylacti artibus nefarijs* Ioannes 21. *Pontificatum assecutus est. Tandem Theophylactus ipse sedem hanc ijsdem artibus obtinuit, &* Benedictus 9. *vocari voluit. Inde verò pulsus,* Sylvester 3. *in eius locum subrogatur. At non diu, inquit, Platina, in Pontificatu Sylvester mansit. Nam 49. die factione suorum Benedictus restituitur.* Eo enim tum Pontificatus deuenerat, *eodem Platina teste*, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina, valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis, & reiectis, obtineret. Gregorius 6. *magicas artes à Sylvestro 2. olim edoctus, Papatum à Benedicto 9. suo propinquo emit, ac tandem accepit.* Damasus 2. *Pontificatum, nullo cleri aut populi consensu, per vim occupauit.* Adeò enim, *inquit Platina*, Romæ mos ille inoleuerat, ut cuique tum ambitioso liceret Petri sedem violenter inuadere. *Vicesimo autem die Pontificatus sui, venenato poculo, per Brazutum sublatus est.* Nicolaus 2. *Hildebrandi astutia Pontifex, absque Cæsaris consensu, creatus est.* Gregorius 7. *Hildebrandus antea doctus, sex, vel octo Pontificibus Brazuti ministerio, veneno enecatis, ut sic sterneretur ei via ad Papatum, inaudita tyrannide sedem Pontificiam inuasit.*

Graui schismate, feralibus bellis, & immensis cædibus, *inquit Benno Cardinalis*, his authoribus lahiata est ipsa Ecclesia, ac sub colore mellis veneno propinato, hæresibus nefandissimis propemodum suffocata.

In alijs etiam locis gubernacula Ecclesiarum, & doctrinarum dijudicatio penitus deuenerat in Monachorum manus & arbitrium, qui & omnem suam operam collocabant Romanis Pontificibus, quorum plerique hoc seculo & ipsi erant Monachi, hominum genus superbum, arrogans, & quiduis tentare audens.

Scindebantur igitur inter se etiam his miseris & calamitosis temporibus docti in sacrosanctæ Cœnæ negotio, alijs veteris Ecclesiæ doctrinam, alijs verò contrariam sententiam, de reali corporis & sanguinis Christi in Cœnæ præsentia, nuper admodum exortam & in Romana Ecclesia maiori studio quàm alijs in locis, ut sic implerentur Scriptura, receptam, defendentibus, mutuisque inter se odijs & concertationibus flagrantibus.

Claruit circa annos Domini, 1030. Berengarius *Turono clarissima urbe Galliæ ori-* Berengarius.

undus, & Andegauensis Ecclesiæ Archidiaconus, doctrina & morum honestate celebris, Vincentio, Bergomensi & aliis testibus. Malmesburiensis etiam illustre eius encomium à Fulberto, vel, iuxta Ganquinum, Hildeberto, Cœnomanensi Episcopo, & in humana ac diuina philosophia doctissimo, conscriptum, in literas retulit, & sic habet.

Quem modò miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacræ fidei fastigia summa tenentem,
Hunc iam quinta dies abstulit ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies, & perfida mundo,
Qua dolor & rerum summa ruina fuit.
Qua status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria Cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente, ruit.
Quicquid Philosophi, quicquid cecinêre Poëtæ,
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior & maior sapientia, maius adorta
Impleuit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuêre suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas.
Quo minor est quisquis, maximus est hominum.
Cui sensus præbet, paucos seruauit honores,
Cui potior pauper, diuite iusq; lucro.
Cui nec desidiam, nec lucrum res dedit ampla:
Nec tumidum fecit vultus, & altus honos.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit, quotiens cui dare non habuit.
Qui non gessauit inopum fulcire ruinas,
Donecinops dando pauper & ipse fuit.
Cuius cura sequi naturam legitur uti.
Et mentem vitijs, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso,
Nil vacuum sensu dicere, nil facere.
Lædere nec quenquam, cunctis prodesse, fauorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam.
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi: quamq; libido.
Incestos superat, tam superauit eam.
Quem natura parens, cui mundo contulit, inquit,
Degenerant alij, nascitur iste mihi.
Quæq; vagabatur, & penè reliquerat orbem,
Incluſit summo pectore, iusticiam.
Vir sacer à puero: qui quanto præminet orbi
Fama tamen famæ præeminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cùm totum peruolet orbem,
Cùm semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atq; grauis, vir sic in utroq; modestus,
Vt liuor neutro rodere possit eum.
Liuor enim deflet, quam carpserat antea, vitam:
Carpsit & odit eum, quem modò laudat, amat.
Quàm priùs ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres tantos abire dies.
Vir verè sapiens, & parte beatus ab omni,
Qui cœlos anima, corpore ditat humum.
Post obitum secum viuam precor, ac requiescam
Ne fiat melior, sors mea sorte sua.

Ex his facilè intelligimus, quantum doctrinæ, virtuti, pietatiq; Berengarij post obitum ejus dederit hic Episcopus testimonium. Neq; id Lanfrancus acerrimus illius hostis diffitetur. Platina quoq; in vita Ioannis 15. testatur, Berengarium virum fuisse sanctimonia vitæ & doctrina præstantem. *Alij de eodem narrant,* quòd tam castè vixerit, ut nullam fœminam passus sit in conspectum suum venire, quodq; eleemosynas largas dederit.

Hic sententiam quam ante annos 170. ex Scripturis & sanctis Patribus in eodem Gallia Regno Bertramus, Scotus, alijq; alijs in locis tradiderant, contra eos defendit & acriter propugnauit, qui alios, ac præsertim Romanam Ecclesiam sequentes, docebant, nec panem nec vinum amplius superesse in Cœna Dominj, sed illa mutari & conuerti in substantiale seu reale corpus & sanguinem Christi. Non autem sensit, aut docuit, quod multi tamen contra manifestam veritatem ei affingere non verentur, nihil aliud in Cœna à fidelibus percipi vel sumi, quàm nuda symbola, panem duntaxat ac vinum. Sed credidit ac docuit, quemadmodum etiam ipsum infallibile Verbum

Berengarij de Cœna doctrina

bum Dei, atq; Auguſtinus & alij fideliſſimi Eccleſiarum Doctores tradiderunt, in Cœna non tantùm pane & vino, ſed etiam ſpiritualiter refici credentes vero Domini corpore & ſanguine ad vitam æternam. Non credidit autem ſubſtantiam panis conuerti & mutari realiter in ipſum verum ac naturale corpus Chriſti, aut hoc cœlo deuocari poſſe, id quod alij eo tempore docere & Eccleſijs obtrudere primò incipiebant: Myſterium autem in ſacroſanctâ Cœna agnouit & docuit. Hæc ita ſe habere, aperti ſſimè colligitur ex fragmentis Berengarianæ ſententiæ, quæ apud Lanfrancum, capitalem eius atq; infenſiſſimum hoſtem, leguntur in libro de Sacramento Euchariſtiæ: Nam libri illius integri hac de cauſa ſcripti non habentur, ſed tyrannide Romanorum ontificum, aliorumq; hoſtium veritatis ſuppreſſi & exterminati ſunt, neveritas cognoſci poſſet. Inter alia autem hæc eius verba apud Lanfrancum extant: Per conſecrationem altaris panis & vinum fiunt ſacramentum religionis, non ut deſinant eſſe, quæ erant, ſed ut in aliud mutentur, & fiant quæ non erant, quemadmodum beatus Ambroſius ſcribit. Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtat, duobus conſit, viſibili ſcilicet & inuiſibili, ſacramento & re ſacramenti: quæ tamen res, id eſt, Chriſti corpus ſi eſſet præ oculis, viſibilis eſſet, ſed eleuata in cœlum, ſedenſq; ad dexteram Patris uſque ad tempora reſtitutionis omnium (quod ſcribit Chriſti Apoſtolus Petrus) cœlo deuocari non poterit. Siquidem Chriſti perſona conſtat Deo & homine: ſacramentum verò Dominicæ Cœnæ pane & vino conſtat, quæ conſecrata non mutantur, ſed in ſubſtantijs ſuis permanent, ſimilitudinem habentia cum rebus quarum ſacramenta exiſtunt. Quapropter Auguſtinus ait: Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur, nec quando manducamus, partes de illo facimus. Rurſus etiam Auguſtinus habet: Sacramentum eſt ſacrum ſignum. Quid autem vocabulum hoc (ſignum) velit, exponit in libro de doctrina Chriſtiana: Signum eſt res, præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud quiddam faciens in cogitationem venire. Iterum ad Bonifacium: Niſi ſacramenta ſimilitudinem quandam haberent earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, omnino ſacramenta non eſſent. Iterum: Sacramenta ſunt viſibilia rerum diuinarum ſignacula, ſed res ipſæ inuiſibiles in eis honorantur. Nec ſic habenda illa ſpecies ſacerdotis benedictione conſecrata, quemadmodum habentur in uſu quolibet. *Denique ſic Lanfrancus de Berengarij, hac de re, ſide ſcribit*: Tu credis panem vinumque Dominicæ menſæ inter conſecrandum, quantum ad ſubſtantiam, immutabilia permanere, hoc eſt, panem & vinum extitiſſe ante conſecrationem, & panem vinumque exiſtens poſt conſecrationem, Chriſti carnem & ſanguinem propterea vocari, quòd in memoriam crucifixæ carnis & de latere effuſi ſanguinis, in Eccleſia celebrentur, ut Dominicam paſſionem per hoc admoniti, ſemper recolamus, & recolentes carnem noſtram cum vitijs & concupiſcentijs inceſſanter crucifigamus. *Irenæus & omnes Patres.*

Ex his apertiſſimè conſtat, docuiſſe Berengarium primò, in verbis Cœnæ, Hoc eſt corpus meum: *Pronomen* HOC, *demonſtrare panem, quem accepit ac fregit Chriſtus, quod Lanfrancus & Guitmundus aduerſarij eius, tanquam falſum, & corporali præſentiæ contrarium, damnant.* Quis enim, *inquit Guitmundus lib. 2. contra Berengarium*, riſum tenere iam valeat, audiens Berengarium ipſa Domini verba de Sacramentis interpretantem: Hoc, id eſt, panis eſt corpus meum? ô impudentiſſima, *inquit*, ſtultitia.

Deinde ſic etiam ſenſit & docuit, quemadmodum diu ante ipſum quoq; Irenæus & alij, ſacrificium Eccleſiæ duabus rebus conſtare, viſibili & inuiſibili Sacramento & re Sacramenti, quæ tamen res, hoc eſt corpus Chriſti, ſi eſſet ante oculos, viſibilis eſſet, ſed eleuata in cœlum, inde deuocari non poſſe: Sacramentum verò Cœnæ Dominicæ pane & vino conſtare, quæ conſecrata non mutentur: ſed in ſubſtantijs ſuis permanere, ſimilitudinem habentia cum rebus, quarum ſunt ſacramenta. Hanc ſuam ſententiam confirmat Berengarius ex Auguſtini epiſtola ad Bonifacium.

Hîs verò nihil prorſus docuit Berengarius ab Auguſtini verbis & ſententia, totiusq; veteris Eccleſiæ Patrum orthodoxo conſenſu alienum. Nam Auguſtinus & alij ſacrificium panis & vini, corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium propterea vocari teſtantur, quòd in eo corporis & ſanguinis Chriſti commemoratio peragatur. Neq; tamen hac ſua doctrina Chriſti corpus è Cœna Berengarius excludit, ſed in vero eius uſu ſacramentum cum re ſacramenti coniungit, & Chriſtum in Cœna manducari cum Auguſtino docet, quemadmodum vita manducatur, nec quum manducatur, partes de eo fieri, ſicut in ſacramento fit. *Ita etiã ſenſerunt & docuerunt Iuſtinus, Irenæus & omnes Patres.*

Hanc orthodoxæ Vetuſtatis ſententiam, & perpetuum omnium Patrum ad hæc ferè uſque tempora conſenſum acriter defendit Berengarius, & cum eruditis quibuſdam, præſertim verò ſuis amicis contrarium ſentientibus, atque inprimis cum Lanfranco Cantuarienſi Epiſcopo, amicè contulit, ut ipſemet Lanfrancus teſtatur:

statur: cui literas hac de re misit, sed casu in aliorum manus pervenerunt. Cùm enim literarum lator in Normannia Lanfrancum non inueniret, Clericis eas tradidit: qui resignatis literis sententiam Berengarij deprehenderunt: ac Remensis quidam clericus eas Romam ad Pontificem Leonem 9. perferri curauit. Dictus hic Leo ante Pontificatum Bruno fuit. Is cùm ab Henrico 3. Imp. Romam missus esset, secum adduxit ex Lotharingia Humbertum quendam Monachum Tullensem, satis quidem literatum. Romæ verò in apicem subuectus Pontificiæ dignitatis Bruno, & Leo 9. appellatus, Humbertus illum suum creat Cardinalem Episcopum: præterea iungit sibi Hildebrandum Monachum Cluniacensem, cui mox S. Pauli Ecclesiam gubernandam committit, ut quasi consors Pontificij muneris videretur, cùm alter Petri, alter Pauli templum tueretur & regeret. Ab hoc Leone, viro quidem simplici, sed Consiliarijs astutissimis septo, petierunt Berengariane sententiæ hostes Synodum, in qua tractaretur de sopienda hæresi Berengariana, & confirmanda illa sua carnali sententia: ac impetrarunt quidem.

Synodus prima contra Berengarium.

Conuocatenini Pontifex Synodum, ut rectè sentientem Berengarium opprimat. Legitur in hac Synodo publicè Berengarij epist. ex qua sententia eius intelligitur: sed ea damnatur, & Berengarius communione Ecclesiæ priuatur. Lanfrancus autem, propter literas ad se scriptas in suspicionem adductus, quasi & ipse cum Berengario sentiret, in hac Synodo contrariam sententiam asseuerauit, totiq; congregationi satisfecit huiusmodi confessione: Credo terrenas substantias, quæ in mensa Dominica per sacerdotale ministerium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia conuerti in essentiam Dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus & quibusdam alijs qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & ut credentes fidei præmia ampliora perciperent, ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inuiolato, integro, incontaminato, illæso, ut verè dici possit & ipsum corpus quod de virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem atque virtutem: Non ipsum autem, si spectes panem, vinique speciem: &c. *Berengarius verò huic Synodo non interfuit, verùm absens authoritate Pontificia damnatus est: Sicut hæc omnia Lanfrancus in suo libro, quem postea de Sacramento Eucharistiæ contra Berengarium scripsit, ipsemet testatur. Et hæc prima contra Berengarium Synodus fuit, Romæ celebrata, ut videtur, anno Christi 1050.*

Adelmanni literæ ad Berengarium.

Hæc cùm Romæ in ista Synodo de Berengario eiusque doctrina sic decreta & sancita esset, Adelmannus ex Clerico Leodicensi Brixiensis Episcopus factus, Epistolam ad Berengarium scripsit, in qua Conscholasticum & Collactaneum se ipsius sub Fulberto Carnutensi Episcopo, atque etiam dilectum & sanctum fratrem, appellat, apertissimè docet, propter quam præcipuè erroris de sacramento Eucharistiæ causam ipse vulgo ab aduersarijs suis deferatur & male audiat. Scribit autem ei imputari, quasi doceat, quòd corpus & sanguis Christi, quæ quotidie super altari immolantur, non sint verum corpus & sanguis, sed tantum figura quædam & similitudo. Ab hac sententia, qua totam mysticæ immolationis actionem, nan in verum corpus & sanguinem Christi sed in figuram ipsius tantum & similitudinem respicere, atque per hoc veritatem rerum à mysteriorum communione auferri verebatur Adelmannus, ut Berengarium pia admonitione abduceat, à principio fraternè ipsum obsecrat, ne se à Fulberti, adeoque Catholicæ Ecclesiæ sententia seiungat. Quo ipso cum Fulberto se sentire testatur, cuius quæ de inuisibili mysteriorum potentia & virtute sententia sit, suprà est demonstratum. Deinde ad Ambrosij, Augustini & Hieronymi authoritatem, à quibus tamen nihil de transsubstantiatione doceri, etiam supra est iudicatum, prouocat, & tandem Berengario veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento persuasurus, adducit verba ipsius Christi Ioan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit de hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est. *Iuxta quam promissionem, corpus & sanguinem Christi, in Dominica Cœna institutione, datum esse discipulis, & nunc quoque percipi sentit.* Nam qui in principio, *inquit*, dixit: fiat lux, & facta est lux de nihilo, cur dicendo de pane, Hoc est corpus meum, non posset ita fieri efficere? Et qui aquam vertit in vinum, cur non eadem virtute vinum ipsum in sanguinem suum possit transfundere? *Illud verò, quomodo nunc quoque per ministerium humanum inuisibili potentia operetur Christus, explicaturus, ostendit ipsum perpetuò Ecclesiæ suæ, & instituto in ea ministerio adesse.* Cùm enim immortalis effectus (*ait*) ad cœlos ascensurus corporaliter esset, Ecce ego, inquit, vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quia enim ex duabus naturis diuersis, altera circumscripta, altera incircumscripta compersonatus erat, per circumscriptam de loco ad locum migrabat

migrabat, per incircumscriptam verò, qua illocaliter ubique est totus, cum eis remanebat, nec tamen Filium Dei à Filio hominis separabat. Denique & priusquam Filius hominis actu ascenderet in cœlum, cum Filio Dei ibi erat, testante ipso, vbi ait: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Si ergo ibi erat per unitatem personæ, quò nondum ascenderat per proprietatem naturæ, propter eandem unitatem, cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat. Secundùm hunc præsentiæ modum, absque ullo corporali è cœlis descensu, quem semel tantùm fieri oporteat in voce Archangeli & tuba Dei, dicit Christum nobiscum manere, & ministerio Ecclesiæ adesse, homines baptizare per homines, & consecrare quicquid per homines consecratur. Sicut enim cùm minister baptizat aqua, per cuius manum & sermonem opus illud administratur, ipsemet Christus maximè & principaliter baptizat, qui vim & efficaciam totam præstat, propter quod dictum est Ioanni Baptistæ: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem, Hic est, qui baptizat. Sic etiam Christus; per manum & os sacerdotis, corpus & sanguinem suum creat. Vnde Paulus: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christi? Dicebat hæc quidem Paulus, non arroganter se efferendo, sed veraciter docendo, Christum in ministris suis & loqui, quod ipsi loquuntur, & operari, quod ipsi facere videntur; propter quod etiam est Sacerdos in æternum, quia ipse est, qui baptizat, & qui immolat. Nam quod semel fecit, se immolans passibiliter; hoc quotidie agit impassibiliter per eos, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Neque aliter meliùs intelligi esse puto, quod Apostolus de illo ait: Qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis, quàm ut interpellatio ista fiat, non verba aliqua proferendo, sed obedientiam suam, atque humanitatem, per commemorationem passionis, Deo Patri commendando. Hoc enim in eiusdem sacramenti institutione, cùm iam sub articulo mortis ipsius agonizaret, tanquam certissimum pignus suis dilectis discipulis relinquens, Hoc facite, inquit, in mei commemorationem. Quòd si verò quos mouet, cur hoc sacramentum non visibiliter transmutatur in speciem carnis & sanguinis, attendant, quòd Apostolus ait: Per fidem ambulamus, non per speciem. Est autem fides, sicut ipse definit, sperandarum rerum substantia, & argumentum rerum non apparentium. Si enim id, quod intus sunt sacramenta, foris ostenderent, fides, ex qua iustus viuit, non solùm otiosa, verùm omnino nulla esset. Quòd enim videt quis, quid sperat? Vt ergo fides exerceatur credendo, quod non apparet, vitale sacramentum sub specie corporea utiliter latet, ut anima in corpore. Denique & Baptismus aqua quælibet intuentium oculis videtur, & homo baptizatus, quid aliud, quàm quod antè erat apparet? *Post hæc ostendit, neque sensus, neque rationem, seu intellectum in homine, eousque se extendere posse, ut altitudinem mysterij in sacramentis comprehendere queat, idque ab ipsius Baptismi exemplo probat: in quo sensus & ratio aquam, liquorem humidum, suaque substantia frigidum, & qui in aëream aut terram resolui aut conuerti possit, indicant. At verò, quomodo per aquam, & Spiritum anima regeneretur, peccatorumque remissio tribuatur, ad inscrutabile hoc mysterium nec sensus, nec rationem hominis posse aspirare, & tamen firmiter nos credere, animam incorpoream per aquam corpoream renasci.*

Ex hac Adelmanni ad Berengarium epistola, qua eam monet, ut de veritate carnis & sanguinis Christi in Eucharistia idem sentiat quod Romana Ecclesia, apparet, Statum causæ, quam agit, non fuisse de substantiali mutatione panis & vini in realem corporis & sanguinis Christi sub speciebus eorum existentiam, sed de interiore mysteriorum virtute & gratia, qua non figura tantùm & similitudo, sed ipsum corpus & sanguis sunt Christi. In eo autem, quod de pane à Christo dictum sit: Hoc est corpus meum: *cum Berengario, contra suos aduersarios, omnesq; transubstantiatores sentit. Ac licèt sic verè fieri efficiat Christus, quia ita locutus est: tamen hoc posteà non foris & exteriore specie, sed intùs, & per fidem fieri & intelligi oportere docet. Et quoniam in hoc motæ quæstionis statu, eandem mysterij rationem in Baptismo & sacramento Eucharistiæ Adelmannus facit, & quasi præcipuo argumento utitur, in explicanda & asserenda illa interiore mysteriorum virtute, quam inuisibilis diuinæ Maiestatis præsentia, per ministerium suum Christus efficit, ab exemplo Baptismi: certè non magis de substantiali mutatione, & existentia corporis & sanguinis Christi, sub specieb. panis & vini eorúq; reali in sacrificio oblatione, sensisse videri potest, quàm tale quiddã probari hoc isto argumento à Baptismi exemplo sumto posset. Hæc quæ diximus de statu controuersiæ ab Adelmanno posito, vera esse etiam ex Fulberto, cuius mentionem facit, intelligi potest, qui eundem contra eos constituit, qui mysteria Eucharistiæ inania & otiosa esse dicebant.*

Status causæ inter Berengarium & Adelmannum.

Quòd

Quòd autem hæc tota Adelmanni ad Berengarium exhortatio non eò spectet, ut per eam Pontificiorum transubstantiatio asseratur, vel hinc etiam omnium euidentissimè apparet, quòd dicit, secundùm eum præsentiæ modum ministerio suo verè adesse, atque per hoc efficacem esse Christum, in præstandis ijs, propter quæ mysteria fidelibus suis ab ipso instituta & commendata sunt, de quo ipsemet Christus ait: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. *Hoc autem non de circumscripta corporis natura, qua localiter ascendit in cælum, nec inde amplius est rediturus nisi in nouissimo die, sed de incircumscripta Diuinitatis suæ natura, intelligendum esse: Neque tamen propterea personæ unitatem dissolui, sed totum nihilominus Christum perspicuè docet. Cùm verò his circumscriptum Christi corpus in terris amplius esse apertissimè neget, sanè nullam etiam asseruit aut defendit contra Berengarium, illud ipsum quoque docentem, transubitantiationem aut ullam corporalis sub symbolis præsentiam.*

Longè igitur alius inter Adelmannum & Berengarium, quàm postea inter Berengarium & Lanfrancum alioſque, controuersiæ status fuit. Nam in Turonensi Concilio non asseruit panem & vinum inania ac nuda signa, sed verè corpus & sanguinem Christi esse. Verùm postea ab aduersarijs suis hanc controuersiam sustinuit, quòd doceret, panem & vinum non esse per transubstantiationem corpus & sanguinem Christi, nec eorum fieri realem in Missa oblationem. Hoc ne Adelmannus quidem ita docuit & sensit, qui Christum, sicut per ministerium suum præsens baptizare, sic quoque impassibiliter sese immolare dicit, quia nimirum in cælis obedientiam suam atque humanitatem, per commemorationem passionis, quam Ecclesiæ sua tanquam certissimum eius rei signum in Eucharistia reliquit, Deo Patri offert & commendat.

Secunda Synodus Vercellensis contra Berengarium.

Cùm verò Berengarius suam doctrinam authoritate sacræ Scripturæ & consensus Vetustatis magis magisque defenderet, eaque approbaretur à Redonensi, Andegauensi, Leonensi, Dolensi, Maclouiensi, &c. Ecclesijs, & Pontifex Romanus suæ causæ diffideret, anno 1050. *mense Septembri Vercellis aliam Synodum conuocat, cui ipse Leo 9. Papa interfuit & Lanfrancus. Berengarius autem vocatus, comparere, tyrannidem absque dubio metuens, recusauit. Duos tamen clericos suo nomine ad Synodum misit, qui suam causam agerent, in hac Synodo, ut Lanfrancus indicat in lib. de Sacramento Eucharistiæ. Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus & damnatus est: sententia Berengarij exposita & quoque damnata. Duo Clerici, quos Berengarius eò ablegârat, volentes ipsum defendere, capti sunt. Atque hæc secunda fuit actio Synodalis contra Berengarium instituta. Finita hac Synodo, in diuersis Prouincijs per suos legatos instituit Synodos Leo Pontifex ut Berengarij sententiam, hoc est, veritatem opprimeret. Berengarius autem in sua sententia perstitit, & quantùs potuit viribus eam defendit & propagauit. Gallicanæ etiam Ecclesiæ nihil istis Papisticis definitionibus & tyrannide mouebantur: Andegaui enim plures conuenientes Romanæ ac Vercellensi Synodis contradicunt, & Berengario subscribunt: idem & Turoni accidit.*

Synodus Turonensis contra Berengarium.

Cùm igitur his decretis & fulminibus Pontificum Romanorum, Berengarius opprimi non posset, Victor Papa, anno Christi 1055. *Thuronum Concilium conuocat, ac suos legatos, inter quos Hildebrandus, qui postea Gregorius 7. dictus est, præcipuus fuit, & Pontificis partes obijt, eò mittit. Eò etiam Berengarius venit: sed minis ac præiudiciis territus atque etiam metu perculsus, coram Synodo dixit, se Romanæ Ecclesiæ doctrinam de Eucharistia amplecti. Hac ratione impetus Romanensium fregit, & Synodum elusit. Non enim sententiam suam abiecit, sed eam perinde ut prius, defendit & disseminauit: ut Lanfrancus in lib. de Eucharistia narrat. Hæc fuit tertia aduersus Berengarium Synodus.*

Synodus 4. contra Berengarium.

Approbantibus autem nihilominus doctis viris in Gallia Regno aliisque Prouincijs Berengarij doctrinam, ut quæ non solùm Verbi Dei, primitiuæ Ecclesiæ & uniuersæ Vetustatis, sed etiam Scoti, Bertrami, Rabani, Paschasij & similium recentiorum doctrinæ consentanea esset, Nicolaus 2. Papa Synodum Romæ conscribit, quæ fuit quarta contra Berengarium, anno Domini 1058. *Adsunt* 113. *Episcopi, ad imperata Romani Pontificis exequenda. Adest & ipse Berengarius. Controuersia in Synodo ventilatur, & sententia Berengarij condemnatur. Rationes autem & argumenta quibus aduersaria pars ad conuincendam Berengarij sententiam usa est, non exstant. Iniunctum est autem Humberto Cardinali Burgundo, siue Lotharingo, ut Palinodiam conscriberet, in qua Romanæ Ecclesiæ fides vel sententia de hoc articulo comprehensa est: quæ lecta & approbata à Synodo, ac Berengario decantanda tradita, sed ab eo reiecta, per carcerem, mortisque metum tandem ab illo extorta est, & sic habet.* Ego Berengarius indignus sancti Mauritij Andegauensis Ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur panem & vinum, quæ in altari ponuntur,

tur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe; nec poſſe ſenſualiter; niſi in ſolo ſacramento manibus ſacerdotum tractari; vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ ſedi: & ore, & corde profiteor de ſacramentis Dominicæ menſæ eandem me tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta ſynodus authoritate Euangelica, & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmauit: ſcilicet panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; iurans per ſanctam, & homouſion Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Euangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quòd ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, aut prædicare præſumpſero; ſubiaceam canonum ſeueritati. Lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi. *Habetur de Conſec. diſt. 2. cap. 42. hac Palinodia; quam etiam Lanfrancus, Algerus & alij ſuis libris inſeruerunt.*

Acta huius Synodi promulgata, & ad omnes Italiæ, Galliæ, Germaniæ urbes, aliaque loca miſſa ſunt, ad confirmandos eorum animos, qui nouo dogmati Romanæ Eccleſiæ de Euchariſtia aſtipulati ſunt & ſubſcripſerunt.

Berengarius ſub Palinodiæ velamento. *Offendit autem multos hæc Berengarij puſillanimitas, confirmauit è contra quàm plurimùm & auxit Romanorum Pontificum partes. Berengarius verò ſibi malè conſcius ob abnegatam veritatem, reſumit animum, & librum edidit, contra Synodi Romanæ decreta & ſuam renouationem. In eo ſcribit*, hanc ſuam Palinodiam per vim ab ſe extortam eſſe, ideoque Romanam Eccleſiam non eſſe ſanctam, ſed Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, nec Apoſtolicam, ſed Satanæ ſedem. *Priorem quoque ſuam ſententiam & doctrinam prædicare & tueri in Gallia pergit.*

Lanfrancus contra Berengarium ſcribit. *Huic verò Berengarij libello ſeſe Lanfrancus eo qui etiamnum de Sacramento Euchariſtiæ extat tractatu, ſeſe opponit & eum retundere nititur. adeoque primus omnium Scriptorum inter Tranſſubſtantiatores meritò habetur. Primùm autem doctrinam de Tranſſubſtantiatione, quam Berengarius ut novam, Verbo Dei & veteri Eccleſiæ contrariam, reprehenderat, conatur verbosè tueri, nempe, quòd poſt conſecrationem ſubſtantialiter panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti convertantur. Nam ſubinde his verbis utitur, ſæpiusque illa elementa ſpecies nominat: & diſertis verbis inquit, conſecratione iſta ſpecies elementorum mutari. Deinde verò impugnat Berengarii doctrinam, videlicet panem & vinum vera ſymbola ac figuras eſſe pro nobis in mortem traditi corporis & ſanguinis Chriſti. Adducemus autem ex Lanfranci ſcripto argumenta Berengarii cum ſolutionibus Lanfranci: quamvis optandum eſſet, ut Berengarii libros integros haberemus, certiora ſiquidem illa eſſent, quæ ab authore ipſo ſcripta ſunt, quàm quæ ab hoſte infenſiſſimo narrantur.*

Hypotheſes Berengarii iſtæ erant. I. Panem & vinum in Cœna Dominica, poſt conſecrationem etiam, panem & vinum manere. *Hypotheſes Berengarii.*

II. Panem & vinum in menſa Dominica non eſſe ipſummet reale corpus & verum Domini ſanguinem, ſed eorum vera duntaxat ſymbola, figuras & ſigna.

III. Non comedi in Euchariſtia verum & ſubſtantiale corpus & ſanguinem Domini.

III. Chriſti carnem & ſanguinem propterea vocari, quia in memoriam crucifixæ carnis, & de latere effuſi ſanguinis in Eccleſia hæc ſacra Cœna celebretur.

I. *Rationibus & argumentis hùc utitur. Ex Auguſtino Pſal. 98.* Durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo. *Et paulò pòſt:* Spiritualiter, inquit, intelligite, quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis: & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Ergo non ſumitur in hoc ſacramento verum corpus, & verus Chriſti ſanguis. *Argumenta Berengarii.*

2. Quòd verum Chriſti corpus, & aſſerit eſſe in ſacris Literis, appellatur ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, ſacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid ſunt. Nulla verò quæ ad aliquid referuntur poſſunt eſſe id, quod ſunt ea ad quæ referuntur. Ergo non eſt Chriſti corpus.

3. *Citat Ambroſium, qui in lib. de Sacram. ſic ait:* Sicut mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis. *Ambroſius autem ſacramento Baptiſmi, ſacramentum altaris hùc verbis comparat.* Non eſt autem vera Chriſti mors in Baptiſmo. Ergo nec verus ejus ſanguis in hoc ſacramento.

4. Si panis eſt vera Chriſti caro, aut panis in cœlum ſuſtollitur, ut illic in Chriſti carnem transferatur: aut caro Chriſti in terram defertur, ut ibi pani jungatur. Verùm nec panis ſuſtollitur, nec caro deferitur. Ergo panis non eſt verum Chriſti corpus.

5. Corpus Christi post resurrectionem est incorruptibile. Ergo nulla ratione, & nullo miraculo, panis frangi in Christi corpore potest.

6. Corpus Christi usque ad tempora restitutionis omnium, cœlo manet indevocabile. Ergo panis non est corpus Christi verum, nec vera Christi caro in Cœna conditur. *Hæc argumenta ex libris Berengarii Lanfrancus excerpsit, quæ hoc modo refutare conatus est.*

Refutatio argumentorum Berengarii.

Ad primum respondit: calumniosa objectio est. Nam Augustinus testatur, quòd carnem, quam de matre virginis sumpsit, & in qua in terris ambulavit, ad manducandum nobis salubriter tribuat: quomodo igitur huic tam præclaræ sententiæ alia contraria sententia potuit obuiare? *Item*: Augustinus homil. 11. in Iohan. inquit: In populo Iudæorum figuratus est populus Christianorum, ibi figura, hic veritas: ibi umbra, hic corpus. *Et in Serm. ad Neophytos*: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod effusum est in Christi latere.

Ad secundum respondet: Iis vocabulis in nullo præscribitur fidei, qua credimus: & veritati, quam defendimus. Species namque & similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ antè fuerunt, ex quibus corpus Christi, sanguisque conficitur: Panem dico, & vinum. Veritas enim, pro manifestatione in sacris sæpe Literis reperitur. *Item*: Est quidem etiam peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro, verusque sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. *Sic enim Augustinus lib. 5. de Baptismo dicit*: Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis ejus, nihilominus erat etiam illis, quibus Apostolus dicebat: qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. *Item*: Inveniturque etiam species, similitudo & figura pro veritate. Vnde Dominus in Evangelio Iohannis: Neque vocem ejus unquam audiuistis, neque speciem ejus vidistis. Paulus ad Corinth. Per fidem ambulamus, & non per speciem. *Item*: Signum, mysterium, sacramentum, & si quid hujusmodi est, Dominicæ passionis designativa nomina sunt: si tamen sacramentum ea significatione accipiatur, qua sacrum esse signum in lib. de Civit. Dei ab Augustino definitur.

Ad tertium respondet: Multùm falleris in hac verborum intelligentia. Neque enim Similitudinis Adverbia identitatem, seu æqualitatem, ubique posita significant. Christus enim dicit: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Non tamen eadem, seu æqualis misericordia potest inesse Deo & hominibus. Et apud Iohan. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Item: Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Vnde & Augustinus in Exposit. ejusdem Evangelii ait: Non semper æqualitatem significat, qui dicit: Sicut illud ita & illud: sed aliquando tantùm, quia est illud, est & illud: aut, quia est illud, ut sit & illud.

Ad quartum respondet: Hoc vos colligitis secundùm humanam sapientiam non secundùm divinam. Humana autem sapientia perquiri divina opera prohibet Apostolus ad Rom. dicens: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et ad Corinth. Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et ad Colos. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi. Et Gregorius in Homil. Paschali: Sciendum, inquit, nobis est, quòd divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Ad quintum & sextum respondet: Doctrinam perpetuam & consentientem Ecclesiæ Dei esse. *Hæc est summa argumentorum, quibus Lanfrancus Berengarii rationes oppugnare voluit: ea autem quàm sint infirma & nullius ponderis, Lector nullo præjudicio fascinatus facilè intelliget.*

Occasio, qua Lanfrancus in errore confirmatus est.

Occasio autem, qua Lanfrancus in suo errore confirmatus, & ad Berengarii sententiam oppugnandam permotus est, miraculum & præstigiæ diabolicæ fuerunt: Scribit enim Guitmundus lib. 2. Lanfrancum narrasse, se puero in Italia accidisse, quòd cùm Presbyter quidam Missam celebraret, inuenta super altare veram carnem, & verum in calice sanguinem, secundùm propriam carnis & sanguinis speciem, sumere trepidasset, rem protinus suo Episcopo, consilium quæsturus, aperuisse: Episcopum autem cum multis aliis Episcopis ad hoc convocatis, calicem illum, cum eadem carne, & sanguine Domini, diligenter operum & sigillatum, in medio Altaris pro summis reliquiis perpetuò servanda inclusisse.

Transubstantiationis confirmatus fuit.

Scripsit contra eundem Berengarium Guitmundus,

Berengarium Guitmundus.

dus Aversanus Apuliæ Episcopus, ut Vincentius ex Guillerino refert.

Algerus.

Strinxit etiam contra eum calamum Algerus Corbeiensis Monachus, & refutare ejus sententiam conatus est libro uno. Scripsit quoque de Veritate corporis & sanguinis Dominici in Eucharistia, cum refutatione diversarum circa hanc hæresewn, opus tribus libris distinctum.

Albericus Diaconus.

Chronicon Casinense lib. 3. c. 33. narrat, Albericum quendam Diaconum, in Romana Synodo sub Nicolao 2. habita, acerrimè contra Berengarium disputasse: Cùm autem Berengarius solidè ei respondaret, & neuter neutri cederet, Albericum scriptum adversus Berengarij sententiam intra oëtiduum de Corpore Domini contexuisse.

Etsi verò dubium non sit, quin Berengarius, aliique permulti, qui à partibus ejus steterunt, Lanfranco, Guitmundo, Algero & similibus editis scriptis responderint, transubstantiationis novum monstrum fortiter impugnarint: ipsi tamen, cum libris & conatibus suis Pontificum Rom. tyrannide, fulminibus, execrationibus, & gladio politico, quem nefariè invaserunt, crudeliter oppressi sunt, propter quæsum quem ex aucupio Missæ & transubstantiationis Pontifices, sacrificuli & Monachi sperabant uberrimum.

Certamen Sacramentarium instauratum.

Ac licèt paucis aliquot annis certamen hoc Sacramentarium conquiescaret, propter bellorum tumultus, quos Hildebrandus Cardinalis Nicolai 2. Papæ nomine in Apulia contra Normannos, & paulò pòst contra Cadolum pro Alexandro Pontifice, quem ipse Papam esse jusserat, excitarat: quum primùm tamen Hildebrandus Pontificatum occupasset, instauratum denuò, & majoribus viribus, quàm antea, à summorum Pontificum partibus gestum est.

Synodus 3. contra Berengarium.

Nam Gregorius 7. Papa, qui antea Hildebrandus dictus fuerat, & ipse Romæ tertium, ordine verò quintum contra Berengarium Concilium congregavit, in quo doctrinam Berengarij iterum condemnavit, opinionem autem de corporali in Eucharistia præsentia & manducatione confirmavit. Nam, ut Bellarminus refert lib. 1. cap. 1. de Eucharist. ex cap. 43. tomi 2. de Sacram. Thomæ Waldensis, Berengarius in eo Concilio coactus est confiteri non solum præsentiam realem corporis Domini in Eucharistia, ut antea in Concilio Romano sub Nicolao 2. sed etiam trasmutationem panis in corpus Domini. Benno autem Cardinalis in Vita Hildebrandi hujus scribit, ipsum trium dierum jejunium, ac processionem solennem instituisse, quo signum aliquod de cœlo impetraret, ex quo certior fieret quid hac de re statuendum esset. Ad extremum tamen, rem ipsam sine oraculo transegit. Hoc factum ajunt anno Christi 1079.

De Berengarii morte. Vide libellum de Origine Vicissitudine fol. 62. 63. &c.

Interea Berengarius moritur. Sunt autem qui referant, eum post ultimam condemnationem, abiecto literarum studio, omnia pauperibus erogasse, & victum manibus propriis sibi quæsiisse. Sunt etiam qui scribant, eum in Epiphaniorum die morientem in has desperabundas voces erupisse: Hodie in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus noster Iesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam: vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. *Sed hæ Pontificum Romanorum Gnathones & mancipia de eo retulerunt, Vincentius videlicet lib. 26. ca. 30. Malmesburiensis lib. 3. cap. 58. & 59. de gestis Anglorum. His maiorisides habenda, qui referunt, eum ad ultimum usque vitæ spiritum turpem suam Palinodiam cum summo animi mœrore, & seria peccati sui agnitione execratum fuisse, & à Deo veniam petiisse. Et ipse Lanfrancus, acerrimus eius hostis, in Præfatione libri contra Berengarium scripti, revocationis illius violatorem, propositiq; minimè tenacem vituperat.*

Bernardi doctrina de Cœna. Vide Oecolamp. Dialogum fol. 155 b. 156. Waldensem. Pistor. p. 743.

Mortuo autem Berengario, non tamen una cum eo extincta quoque est vera de sacra Cœna sententia & doctrina. Nam Bernhardus Abbas Clarevallensis annis circiter 30. post mortem Berengarij veteris Ecclesiæ de mysterijs doctrinam constanter retinuit. Volens enim explicare, sacramenta non esse intuenda & considerandа, ut res absolutas, sed mysterium in ipsis, vel sacrum secretum contineri, in quo invisibilis divinæ gratiæ, visibili aliquo dato signo, secreta peragitur dispensatio: dicit visibile signum esse velut annulum, qui datur ob delatæ alicuius hæreditatis possessionem, & inuestituram. Sic enim in Serm. de Cœna hanc mysterij rationem explicat: Sacramentum dicitur sacrum signum, siue sacrum secretum. Multa quidem fiunt propter se tantùm: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur, & sunt signa. Vt enim de usualibus sumamus exemplum: Datur annulus propter annulum, absolutè, & nulla est significatio: datur etiam ad inuestiendum aliquem de hæreditate, & signum est; ita ut iam dicere possit, qui accipit annulum: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua inuestiri curauit suos, ut inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta: ad hoc Eucharistiæ participatio, & chrismatis: ad hoc denique ipse baptismus, initium omnium Sacramentorum, in quo complantamur mortis eius similitudini. Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa, utque in cœpto immoremur exemplo, multæ sunt inuestituræ, per quas inuestimur: verbi

gratia: Episcopus per baculum & annulum. Sicut, inquam, in eiusmodi rebus est: sic & diuisiones gratiarum diversis traditæ sunt Sacramentis. *Ex hac Bernhardi de Sacramentis doctrina, quam ex communi rerum usu deprompto exemplo annuli declarare & confirmare voluit, euidenter constat, quòd ijs sacramenta à rebus absolutis in hoc differre sentiat, quia res absolutè propter seipsas fiant, ut cum annulus datur propter annulum, nullius alterius rei, quæ hac ipsa datione intelligibiliter ineſſet, aut contineretur, causa: Sacramenta autem fiant propter alia, quæ simul intelligibiliter ex pacto dantur & conferuntur, designanda. Vt Chrysostomus inquit:* In mysterijs non solùm datur, quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. *Sicut si annulus ad inuestiendum aliquem de hæreditate daretur: Annulus quidem externa & corporali actione percipit. r: Hæreditas verò interiore ipsius, quod in annuli traditione, ex mutuo dantis & accipientis pacto & consensu agitur, intelligentia contingit. Dicam apertius: Sicut nemo fingit res hæreditate possidendas, realiter in annulo inclusas esse: Sic etiam non nisi absurdè & falsò signum Sacramentum, & figura corporis & sanguinis Christi in Cœna de consubstantiatione accipi possunt, ex Bernhardi sententia.*

Cùm igitur Bernhardus dicat, ad hoc instituta esse omnia sacramenta, ut inuisibilis gratia signo aliquo visibili exhibeatur, *duo hinc ad mysterij rationem in sacramentis pertinentia colliguntur.* Primò, *omnia sacramenta visibili tantùm signo & inuisibili gratia constare.* Secundò: *Eandem quoq; esse omnium sacramentorum in dispensanda hac per visibile signum gratia, causam, modum & rationem, cùm sit arcana salutis humanæ Spiritus sancti virtute effecta operatio. Sunt igitur hinc sacramenta, sacra & visibilia signa, quibus inuisibilis gratiæ secreta dispensatio instituta designatur. Quemadmodum igitur secreta hæc gratiæ dispensatio non existit realiter in signis, sed ex ordinatione Dei respicit usum institutum in fide: sic quoque non est hæc gratia corporalis præsentia, & manducatio corporis Christi in pane: Sed ut annulus & hæreditas, sic etiam in sacramentalis signi mystica ratione se habet perceptus Eucharistiæ panis, & communicatio corporis Christi.*

Hanc autem esse veram Bernhardi sententiam, aperiè ex ijs quæ de κοινωνία & communione corporis & sanguinis Christi, cuius in Dominica Cœna mysterium celebratur, ex Sermone eius de Purificat. colligitur. Calix, *inquit,* benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Calix, id est, communicatio calicis facit nos habere quandam cum Christo communionem. Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est? ac si dicat: Panis quem frangimus, facit nos unum corpus cum capite Christo. *Ex hoc destinato Sacramentorum fine, ut in ipsorum instituto usu secreta gratiæ dispensatio, id est, corporis & sanguinis Christi communio fiat, panis & vinum corpus & sanguis Christi fieri intelliguntur.*

Manifestissimè etiam à Bernhardo, memoria & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna opponuntur. Statuit enim hoc discrimen inter nos & Angelos, quòd illi reali præsentia Christi fruantur, cùm nos memoria tantùm, fide ac Spiritu, quasi per speculum in ænigmate, Christum intueamur. *Neq; tamen propterea ab illo nuda signa conſiituuntur, sed fatetur Christum ipsum nobis proponi, sed sub sacramenti cortice velatum. Est enim certa quoque veritas realiter quoq; absentium rerum quarum hypostasis est fides.*

Idem, Non est, *inquit,* cibus ventris, sed mentis. *Hoc qui affirmat, is profectò carnem Christi corporaliter manducari inficiatur. Sicut enim cibus esse, ita & comedi intelligitur. Patres autem primitiuæ Ecclesiæ in Cœna Dominica non esse cibum ventris, sed mentis apertè testati sunt, ut suprà aliquot locis demonstratum est. Iuxta Bernhardum igitur, carnem Christi corporaliter manducari inficiati sunt Patres.*

Rursus de S. Martino: Videlicet, *ait,* usq; hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utiq; non corporaliter exhibetur. Quæso annon carnaliter exhiberi censenda est caro Christi, si ex manu sacerdotis in ore vescentium ingeritur, & externa corporis actione manducatur? *Ibidem:* Adest, *inquit,* nobis etiam nunc carnis Christi vera substantia, haud dubium sanè, quin in sacramento adsint reuelationes, sed in Spiritu & virtute, ut tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse putetur. *Ei: Ioan.* 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Quasi verò quum iam ascenderit, nunc tangi ab ea velit, aut possit. Et utique poterit: sed affectu non manu: sed voto, non oculo: fide, non sensibus. Tanges manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu: tanges oculo mentis. *Hoc ipsum etiam Serm.* 28. *super Cant. habetur. Et Serm.* 76. Credere, inuenisse est. Norunt fideles Christum habitare per fidem in cordibus suis. Quid propius est?

Serm. 33. *in Cantica Canticorum contra indignorum manducationem veri corporis Christi in pane, docet Bernhardus,* veritatem carnis Christi in Sacramento apponi: sed tamen corticeSacramẽti, carnis furfure, literę palea, quasi fidei velamine contentos esse oportere,

oportere. Imò hæc talia esse scribit, quæ mortem afferant, si de primitijs Spiritus sancti non condimentum accipiant: Nam absque Spiritu sancto, sacramentum ad mortem percipi. *His verbis per corticem sacramenti, carnis furfur, & paleam literæ, quæ sine Spiritus sancti condimento, mortem afferunt, non ipsum in sacramento reale & visibile Christi corpus voluit Bernhardus intelligi: Siquidem in Sacramento carnis veritatem Spiritus sancti condimentum esse dicit, sine quo Sacramentum ad iudicium sumatur.*

Rursus in Sermone de Cœna etsi hinc inde quædam reperiantur, quæ non sine gravi causa, ut supposititia & adulterina, suspecta haberi possunt: nihilominus externam Sacramenti formam, ex verbis institutionis Cœnæ, & spiritualem eius efficaciam ex concione Christi Iohan. 6. tanquam corticem & nucleum, Sacramentum & rem Sacramenti, signum & rem significatam, coniungit, Christus, *ait*, pridiè quàm pateretur, Discipulis suis hanc Sacramenti formam præscripsit, & efficaciam exhibuit formæ præscriptio in pane & vino: Seorsim enim panem, seorsim tradidit & vinum, de pane ita dicens: Hoc est corpus meum: de vino etiam sic: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus: audistis formam Sacramenti, audite efficaciam, in communione corporis & sanguinis Domini. Et nos Iesu Christo, & Iesus Christus nobis inenarrabili unitate fœderatur, sicut ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De bonis & dignè sumentibus, hoc sentiendum, & non de flagitiosis & pessimis. Sanè in mensa unà, in Cœna Domini, de uno pane consecrato, Petrus & Iudas accipit, bonus in vitam, pessimus in mortem, bonus in beneficium, pessimus in testimonium.

Hic author quisquis ille fuerit; Christum Apostolis suis in prima Cœna, cum pane & vino, tanquam externa Sacramenti forma, virtutem & efficaciam ipsius in communione corporis & sanguinis eius, iuxta traditum in concione apud Ioannem 6. cap. de manducatione carnis suæ, modum, dedisse aperiè testatur.

Nota de S. Bernhardi phrasibus.

Vtitur quidem interdum phrasibus durioribus, ut qui in seculo insigniter depravato vixerit: dicit enim, Sacerdotem tenere Deum manibus suis, &c. *sed hæc & similia commoda interpretatione leniri possunt. Sic enim Chrysostomus quoq; lib. 3. de Sacerdotio scribit*: Adest Sacerdos gestans Spiritum sanctum. *Gregorius etiam in Iob. lib. 27. c. sexto ait*: Paulus prædicando Deum infundebat audientibus. *Rursus*: Latens in Pauli pectore, quasi sub tentorio ibat Deus. *Hieronymus ad Pammachium contra errores Ioan. Hierosolymit.* His, *ait*, qui baptizandi sunt, publicè tradimus sanctam & adorandam Trinitatem. *Quibus verbis nihil aliud vult dicere, quàm, eum Trinitatem accipere, qui fidem Trinitatis, doctrinamque accipit. Quemadmodum igitur Chrysostomus Sacerdotem gestare Spiritum sanctum, & Paulum Gregorius Deum infudisse audientibus, & Hieronymus nos tradere sanctam Trinitatem scripserunt: sic etiam Bernhardus dixit, Sacerdotem tenere Deum manibus suis: hoc est, non realiter, substantialiter & reipsa, sed peculiari quodam loquendi genere ac ratione. Nam modo quodam Rhetorica amplificationis, qui tenet aliquid, quod proprie ad Deum pertinet, is Deum ipsum tenere dicitur.*

Vsus confusus de Cœnæ doctrina.

Waldenses *etiam circa annos Christi 1163. repudiarunt aperiè corporalem corporis Christi in pane præsentiam & duplicem Christi præsentiam corporalem & spiritualem orthodoxè distinxerunt. Corporalis præsentiæ, seu essendi modo Christum in cœlis, & non in terris esse docuerunt iuxta Christianæ fidei articulos: ideoq; eos etiam, qui post Ascensionem corporalem eius in terra præsentiam profiterentur, Pseudoprophetas nominarunt. Spiritualis autem præsentiæ modo, Christum toti ministerio suo, verè & efficaciter, adesse dixerunt, in Sacramentis tamen peculiariter dici adesse Sacramentaliter, hoc est, velut in sacro & externo, ad hoc divinitus institutо signo, id certificante & testificante in verbo, ipsumq; Christum inferente, in spiritum fidelium, & omnia eius beneficia. Ac licèt Guido quidam Carmelita de ipsis referat capite nono, quòd resistando sexies orationem Dominicam super panem & vinum, contemptis institutionis Christi verbis, consecrationem faciunt: tamen Æneas Sylvius, qui postea Pius secundus appellatus est, & in Historia longè quam Guido exercitatior: Antoninus etiam Florentinus Archiepiscopus in Summa sua: itemq; Bernhardus Luxenburgensis in suo Catalogo huiusmodi nihil illis tribuunt.*

Pontifices Romani quibus armis Transsubstantiationem defenderint.

Graviter tamen adhuc concertatum est in causa Sacramentaria permultos annos, neq; potuit ex stingui prorsus vera & simplex doctrina. At Romani Pontifices supra omne id quod dicitur Deus euecti, cum rationibus seu argumentis ex Verbo Dei & orthodoxo consensu antiquitatis petitis, destituerentur, tandem ferro & igne omnes eos, veluti declaratos hæreticos & nocentissimas Rerumpub. pestes persequuti sunt, qui noluerunt imagines colere, Sanctos mortuos invocare, & realem agnoscere corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam, prout ea in præteritis Conciliis constituta fuerat. Cùm autem magnus rectè sentientium in variis regionibus esset adhuc numerus, Cruciatę palam cõtra eos,

tanquam peſtilentiſſimos hæreticos, prædicatæ ſunt. Iſto enim tempore (ne id neſcias) novis locutionibus, & novo quodam, diverſiſſimoque ab eo quod Chriſtus inſtituit, quoq; uſi ſunt Apoſtoli, prædicandi genere uſi ſunt Romaniſtæ. Cruciata quid.

Nam ſi Romanus Pontifex gentem, vel homines aliquos condemnaſſet hæreſeos, & ſi reſipiſcere, hoc eſt, ſe illorum libidini vel tyrannidi ſubicere, ac Romanæ Eccleſiæ errores recipere nollent, igni & ferro propterea exterminandos decreviſſet, emittebat Prædicatores, Monachos inquam, & ſimiles emiſſarios, qui Crucem in populo Chriſtiano prædicarent, hoc eſt, claſſicum canerent, & ſuaderent, imò ſeverè ſub excommunicationis pœna præciperent omnibus & ſingulis, ut arreptis armis, gentem vel homines iſtos à Pontifice devotos funditus exciderent. Pollicebantur autem Pontificis nomine (nam Chriſti nomine non potuerunt, qui talem peccatorum remiſſionem non polliceri in Evangelio iuſſit) plenariam peccatorum remiſſionem fortiter contra tales pugnantibus: & plurimum humani ſanguinis fundentibus. Appellabatur autem totum hoc negotium CRVCIATA, *cuius ſæpe mentionem faciunt in ſuis hiſtoriis Vincentius, Antoninus & alii. Proinde Crucem prædicare his temporibus dicebantur, qui ad arma devotis inferenda excitabant Chriſtianos. Crucem verò ſuſcepiſſe, aut Cruce ſeſe inſigniviſſe dicebantur, qui nomina ſua hujuſmodi Pontificiæ tyrannidi dederant, & operam ſuam ad mandatum Papæ in exſtirpandis hæreticis aut devotis fideliter conferebant. In hac igitur laniena contra orthodoxos inſtituta poſt Berengarii mortem, multa millia hominum, nulla prorſus vel ſexus vel ætatis ratione habita, funditus exciſa ſunt, tanta quidem crudelitate, tantaque animorum ferocia, obſtinatione & beluina ſævitia, ut non facilè ſimilia in aliis hiſtoriis inveniàs exempla. Legantur hiſtoriæ ab horum Conciliorum contra Berengarium celebratorum temporibus ad Innocentium 3. hoc eſt, ad annos uſque Domini 1200. & paulo ulteriùs, & teſtaberis, iſtis quoque ſeculis impletum eſſe, quod in lib. Pſalmorum legimus*, Dixerunt in cordibus ſuis, Sæviemus in eos pariter, delebimus nomina & ſynagogas ipſorum de terra. Effuderunt ſanguinem ſervorum tuorum circunquaque ſicut aquam, nec eſt qui curat, aut qui ſepeliat. Probrum ſumus vicinis noſtris, proverbium his qui circum nos ſunt.

CAPVT IV.

Inclinatio horribilis ſanæ & veræ Doctrinæ de Cœna Domini, à Leone nono uſque ad Innocentium tertium Papam: hoc eſt, ab Anno Domini 1050. uſque ad annum 1200. ejuſdem.

QVi fuerit verus ſenſus verborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, & quæ orthodoxa ſententia de ſacratiſſima Domini Cœna à temporibus Apoſtolorum, uſque ad an. Chriſti 1050. in præcedentibus ordine & luculenter expoſuimus ac demonſtravimus. Nunc quàm horribilis, poſt damnatum Berengarium, & unà cum eo omnes rectè ſentientes, Inclinatio vera & ſana illius doctrinæ in Eccleſia facta fuerit, ex Lanfranco, Algero, Ruperto Tuitienſi, Lombardo & aliis, qui à Berengarii tempore uſq; ad Innocentium tertium ſcripſerunt, qua poſſumus brevitate & perſpicuitate referemus ac demonſtrabimus.

Algerus *itaque de Materia Cœnæ ſic ſcribit*, Sciendum, quia licèt priùs myſticè vinum & aqua miſceatur: poſt conſecrationem tamen non niſi ſanguis bibitur, quia priùs per aquam baptiſmatis renati, poſtmodum non ſolùm corporales, ſed & conſanguinei Chriſto efficimur ſpiritualiter. *lib. 1. cap. 19. de Euchar. Et:* Notandum eſt, cùm divina pagina corpus Domini panem vocat, non ſubſtantialiter, ſed myſticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, ejuſque nonnullas retinet qualitates: vel quoniam animam paſcit, eique vitæ æternæ miniſtrat ſubſtantiam: vel quoniam panis eſt Angelorum. Solent enim Scripturæ quaslibet res vocare nominibus illarum rerum ex quibus fiunt: ut cùm dicitur homini: Qui ſuperbis terra & cinis? cùm homo non ſit cinis, ſed ex cinere factus. Seu quæ putantur eſſe, & non ſunt: ut cùm legitur Abraham vidiſſe tres viros, cùm eſſent Angeli. Seu quibus ſimiles aliquo modo exiſtunt: ut cùm Deus dicitur Leo propter fortitudinem. *lib. 1. cap. 6. de Euchariſt. Et:* Chriſtus cùm potens ſit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in ſuam convertit ſubſtantiam, multò magis fideles ſuos ſub tantæ ſpei imagine & virtute in corporis ſui transfiguravit gloriam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiam. *In Prolog. lib. 1. de Euchar. Item:* Sicut Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, vel linguis igneis ſine unitate perſonæ apparuiſſe creditur: ſic Chriſtus in Sacramento panis & vini

Algeri de Cœnæ doctrina. Indicium de hoc Algeri P. Martyr in vita in ejus Tract. de Cœna ſuper 11. c. 1. Luc. fol. 330.

vini corporaliter confici, ſed non perſonaliter uniri aſtruatur, *libro primo capite octauo de Euchariſt.* *Item*: Videtur ſtultum ſed ſtultis, Chriſtum in ſpecie panis & vini, brutæ ſcilicet rei præſentem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis, tantam maieſtatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat, quod in ipſo pium, nobis autem eſt neceſſarium? Congruere quidem non videtur eius dignitati, ut corruptibilis ſubſtantia panis, incorruptibile eius corpus fiat. Sed congruit noſtræ ſaluti, ut in tali Sacramento, pane Angelorum nos reficiat: ſapientiſſimè quidem, ut occulto myſterio fides exerceatur ad meritum: fortiſſimè autem, ut mens tali cibo roborata, hoſte deuicto, fortiùs nitatur ad regnum: ſapientiſſimè inquam, & fortiſſimè, ut tanti ſui operis de re minima & maxima, nec comprehendi poſſit potentia, nec artificium. Super omnia enim eſt mirabile, exiſtentem ſubſtantiam panis, in eo exiſtentem carnis ſuæ convertere? quod eſt, non videri, quod videtur, non eſſe: ipſamque carnem cùm ſit localis, præſentem in cœlo & in terra, verè & ſubſtantialiter eſſe: & cùm verè caro comeſta, & ſanguis eius bibitus fuerit in poculo, ipſum Chriſtum vivum & integrum ſuo permanere in regno. Sed hæc rationi cæca fidei ſunt manifeſta. Quòd ergo ex ſe Chriſtus tam mirabiliter, tam ſalubriter dignatus eſt pro nobis operari, non parvi pendendum, ſed iugiter à nobis venerandum eſt, & colendum: quia cùm potens ſit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in ſuam convertit ſubſtantiam: multò magis fideles ſuos ſub tantæ ſpei imagine & virtute in corpore ſui transfigurabit gloriam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiam *in Prologo libri primi de Euchariſt.* *Et*: Quis igitur dubitet de veritate & corporis & ſanguinis Domini, quæ ſpiritualiter creditur, quicquid ſenſus corpori de ipſo vel forma, vel odore vel ſapore extrinſeco mentiantur? Non minùs verè erat Chriſtus, cùm Maria putaret hortulanum, quàm cùm recognouit eum; *libro primo, capite ſexto.* *Et*: Fide rudes, Sacramentum corporis Chriſti in Sacramento ſignificans & ſignificatum in panis & vini forma, itemque in hominis forma, ſubſtantialiter & verè unum eundemque Chriſtum credant eſſe: *Ibidem capite decimo octauo.* *Et*: Quòd ſicut nec minùs à malo, nec magis à bono Sacerdote conſecratur veritas corporis Chriſti: ſic nec minùs à malo, nec magis à quolibet bono ſumitur, quantum ad ſubſtantiam *libro primo cap. vigeſimo primo.* *Et*: Dedit Eccleſiæ ſuæ Veritas veritatem, Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem, ut quod vetus umbra non poterat, ipſe redemptionem remiſſionemque peccatorum; quam fecerat in cruce, faceret ſimiliter in altari quotidie: & quotidiano peccatorum contagio, ſalubrius quotidiano ſubveniret remedio: denique ipſe qui futurus erat electis vita & præmium, in præſenti eſſet medicina & viaticum: *libro ſecundo, capite tertio.* *Item*: Egregium & ſuper omnia excellens Sacramentum nobis providit Deus in ſacrificio ſuo, quo corporis & ſanguinis ſui veritatem, panis & vini qualitatibus tectam abſcondit, digna cauſa: ne ſcilicet infidelibus pateat, & eorum blaſphemijs vileſcat: nevè nos iudicent inhumanos & crudeles; utpotè humani corporis comeſtores, & ſanguinis bibitores, *lib. ſecundo capite tertio.* *Et*: Hoc quia ineffabile eſt, quomodo corpus Chriſti hic fiat, & ibi maneat, ad intelligentiam ſpiritualem & fidem talia cogitantes revocat: quia etſi ſciri non poteſt, credi poteſt: quia quod videtur, non materiale corpus panis eſt, ſed ſpecies corporalis: quod autem intelligitur, Chriſtus eſt, quia omnia quæcunque vult, in cœlo & in terra poteſt. Sicque dum exteriorum ſenſuum teſtimonio non acquieſcit, nec interiore inquiſitione comprehendens, de veritate tamen non titubat: fit per Dei gratiam: ut in tali ſuo agone fides noſtra exerceatur, exercendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. *Ibidem.* *Item*: Bene Chriſtus ſub Sacramento dedit nobis ſemetipſum, ut per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ ſuæ augeat beneficium, dum in terrena quadam, & prorſus ſtolida panis & vini forma, maieſtatem ſapientiæ Verbi Dei ſubſtantialiter comprehenſam, incomprehenſibilem credere & venerari non erubeſcimus: quæ quantitate & qualitate ſua ita eius excellentiæ videtur indigna, ut nullatenus etiam exiſtimari debeat, niſi quia ipſe eſt, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, niſi quia etiam caro eius ipſa eſt, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: ut poteſtate tali ſit in unitate perſonæ in cœlo & in terra, quandocunque, quomodocunque ſibi placuerit. Hac fide ipſum Sacramentum, quaſi divinum quoddam adoramus, & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, quia non quod videtur, ſed quod verè eſt, Chriſtum ibi eſſe credimus. *Ibidem.* *Item*: Sic in Sacramento corporis Chriſti, panis formam. Chriſto non dicamus imperſona-

tam: sed quamvis ipsa panis substantia mirificè in corpus Christi conversa sit, panis tamen forma in Sacramento remanens, mansura perpetualiter in Christi corpore non putetur, sed sicut cætera Sacramenta post hanc vitam omnino desistere credatur, ne de impanatione hæresis oriatur: *libro secundo capite octauo. Et*: Cùm ergo constet, quia seipsum moriturus immortalem, invisibilis invisibilem in Sacramento dederit: constat, quia illud corpus suum, quale nos modò sumimus, tale fuit, unum, idemque omnino in substantia & tunc & nunc: sed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate, in hominis & Sacramenti forma: nunc hominis tantùm & Sacramenti forma. *Ibidem.c.9.*

Rupert. Tuitien. sententia de Cœna.

Rupertus Tuitiensis *Abbas circa annos Christi* 1110. *de Materia Cœnæ sic quoque scribit*: Panis iste corporeus, *inquit*, postquam signaverit eum Pater, & vinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis: Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi, &c. corpus & sanguis eius, qui huius traditionis author est, efficiuntur: & hoc sacrificium ipse Christus est, cuius passione, ut sacrificium fieret, à Deo Patre in veritate signatum est: *libro sexto Comment. in Iohan.cap.6. Item:* In pane & vino immolatur Dei Filius in carnis & sanguinis sui veritate: *libro septimo in Ioannem. Et*: Sicut Deus & homo vnus est Christus, sic & iste panis visibilis consecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus: *Ibidem. Rursus*: Christus potuit curare, ut patefacto crucifixi Iesu Christi latere, efflueret aqua cum sanguine: poterit etiam panem confectum manibus hominum convertere in corpus, & vinum, de palmitibus istis in sanguinem suum: *in Matthæum libro decimo cap. 25. Item*: Qui si ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius, illis adest, quomodo in tali congregationis causa non adest? Imò totus adest, totus sancto incumbit altari, non ut iterum patiatur, sed ut fidei, cui præsentia sunt omnia præterita, eius passio memoriter repræsentetur. Ita & Christus iterum immolatur, & tamen impassibilis permanet & vivus: quemadmodum illic Isaac immolatus, & tamen gladio non attritus est. Frangitur pro illo panis, & comeditur: sed licèt ille panis iam sit Christus ipse, Christus tamen integer permanet & vivus. Quomodo: inquis, panis, qui videtur, est Christus? Ad hæc inquam: Quomodo quælibet metalla, verbi gratia, aurum sive argentum valido igni conflatum atque resolutum, revera & aurum est, & ignis quoque dicitur & est? Etenim aurum videtur & est, quod erat: & tamen verissimè ignis dicitur & est, quod non erat. Idcirco sic omnino panis admotus vel immersus terribili atque ineffabili mysterio passionis Christi, adhuc panis videtur esse quod erat: & tamen in veritate Christus est, quod non erat: *libro sexto in Geneſin, cap.32. Item*: Sicut naturam humanam non destruxit, cùm illam operatione sua ex utero virginis Deus Verbo in unitatem personæ coniunxit: sic substantiam panis & vini secundùm exteriorem speciem, quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, cùm eidem Verbo in unitatem corporis eiusdem, quod in cruce pependit, & sanguinis eiusdem, quem de latere suo fudit, ista coniungit. Item quomodo Verbum à summo demissum caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & vinum utrumque ab imo sublevatum fit corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ scilicet & humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicut hominem, qui de virgine sumptus in cruce pependit, rectè & catholicè Deum confitemur: sic veraciter hoc quod sumimus de sancto altari, Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus. *Rupertus lib.2. in Exod.cap.*10. *Item*: quoniam propè est in ore tuo & in corde tuo Verbum Dei, Verbum crucis, Christus Dominus, si huius Verbi flumen super panem & vinum effuderis, & ordine (qui ab ipso statutus est) veritatem huius Verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum & vinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua nostram de Maria virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur aut sunt hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de utero virginis: quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane: *libro 2. de Diuinis officijs, cap.2.*

Corpus & sanguinem Christi non ſpiritualiter, ſed corporaliter edi ac bibi. Algerus.

Hanc etiam ob causam non spiritualiter, hoc est fide, seu ore cordis, sed realiter & corporaliter, ore corporeo nos comedere corpus, & bibere sanguinem Christi, docet Algerus *lib.1.cap. 12. dicens*: Non futurum prædico, non absens aliquid denuncio: sed hoc quod præsentialiter do, est corpus meum: non figuratum, sed verum ipsum quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis idem ipse, qui pro vobis

vobis effundetur: addens etiam propriè proprium ſuæ carnis & ſanguinis effectum, ſcilicet remiſſionem peccatorum. Cùm enim ſolius Dei ſit remittere peccata, cui ſoli peccatorum debetur remiſſio: cuius ſanguis, niſi ipſius Dei, poſſet remiſſionem peccatorum operari?

Lanfranc. *Lanfrancus inquit*: Cùm divina pagina corpus Domini panem vocat, ſacrata ac myſtica locutione id agit: ſeu quia animam incomprehenſibilem paſcendo ſatiat, eique æternæ vitæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: vel quòd corpus eſt Filij Dei: ſeu aliquo alio modo, qui à Doctoribus comprehendi poteſt, à nobis non poteſt. *Item*: Nos in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inviſibiles, id eſt Chriſti carnem & ſanguinem honoramus. Nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, ex quibus conſecratur Dominicum corpus: quemadmodum ante conſecrationem pendebamus, cùm fideliter fateamur, ante conſecrationem eſſe panem vinumque: id eſt, eas res quas natura formavit: inter ſacrandum verò converti in Chriſti carnem & ſanguinem, quas utraſque res benedictio conſecrauit. *Item*: Sacramentum corporis Chriſti, quantum ad id ſpectat quòd in cruce immolatus eſt ipſe Chriſtus Dominus, caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. Caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis. Carne & ſanguine utroque inviſibili, intelligibili, ſpirituali, ſignificatur Redemptoris corpus viſibile, palpabile, manifeſtè plenum gratia omnium virtutum, & divina maieſtate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi ſalutem dividitur, alterum verò effuſum de calice, ab ore fidelium ſumitur, mors eius in cruce, & ſanguis eius de latere emanatio figuratur, caro ergo & ſanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis noſtris Dei miſericordiam quotidie alimur, Chriſti corpus & ſanguis vocantur: non ſolùm quia eſſentialiter idem ſunt, qualitatibus plurimùm diſcrepantes: verùm etiam elocutionis modo, quo res ſignificans, ſignificatæ rei ſolet vocabulo nuncupari. *Rurſus*: Apoſtolica doctrina in tota mundi latitudine prædicandum inſtituit, carnem ſcilicet & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ore & corpore, & ore cordis, hoc eſt corporaliter & ſpiritualiter manducari & bibi. Corporali ſiquidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de altari Dominico, ipſum Dominicum corpus per Sacerdotis manus accipimus. Spirituali verò ore cordis ſpiritualiter comeditur & hauritur, quando ſuaviter & utiliter, ſicut beatus Auguſtinus dicit, in memoria reconditur, quod unigenitus Dei Filius pro ſalute mundi carnem accepit, in cruce pependit, reſurrexit, apparuit, aſcendit, venturus in die iudicij, dignas ſingulis mercedes rependere, pro ſuis operibus: *libro de Sacramento Euchar.*

Anſhelmus. Anſhelmus *Lanfranci diſcipulus & in Epiſcopatu ſucceſſor anno Chriſti* 1094. *ſic ſcribit*: Manducate quod tribuo, quia hoc eſt corpus meum. Senſibus quidem exterioribus videtur eſſe panis, ſed ſenſibus cognoſcite mentis, quia hoc eſt corpus meum, non aliud: ſed iſtud idem ſubſtantialiter quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem & crucifigetur. Hoc, quod dixi, facite: id eſt, corpus meum accipite & manducate per ſucceſſionem temporis, uſque ad finem ſeculi, in meam commemorationem: id eſt, in memoriam paſſionis meæ, ut pertractetis & conſideretis, quàm dignam & ſanctam & humanæ ſalutis efficacem medicinam accipietis, quatenus ex conſideratione tantæ ſanctitatis cum maiori veneratione ſacram Euchariſtiam percipiatis, & imitari paſſionem meam deſideretis: ut ſi opus fuerit pro ſalute fratrum mori parati ſitis. Accipientes enim corpus meum, memores mei eſſe debetis, ut diligenter recogitetis quis ego ſim, vel quæ pertulerim, ut ſicut præceſſi ſequamini. Vel, vos Sacerdotes hoc facite: id eſt ex pane corpus meum, per myſtica verba conſecrate, in memoriam paſſionis meę: ut recogitetis eam, dum ſacrificium iſtud obtuleritis. *In undecimum cap. 1. ad Corinth.* *Et*: Quemadmodum Melchiſedech Abrahæ panem & vinum ſacratum dedit: ita & Ieſus diſcipulis ſuis, in ijſdem ſpeciebus corpus & ſanguinem ſuum dedit. *In ſeptimum cap. ad Hebræos.* *Item*: Caro Chriſti, quam ex altari ſumimus, idcirco velamen appellatur, quoniam ſenſibus noſtris in Sacramento velatur. Nam ſenſus noſtri aliud renunciant, & aliud fides, viſus enim nobis perſuadet eſſe ſolummodo panem, ſecundùm panis ſpeciem: fides autem inſinuat, eſſe carnem vivam & vivificantem: guſtus panem in ſapore, auditus etiam illud in fractione: fides verò integrum agnum à fidelibus ſumi, ſine aliqua ipſius læſione. *in 10. c. ad Hebr.*

Figura, ſignum, typus, &c. à Canonicis excluſus. *Figuram autem, ſignum, typum, &c. à Canone prorſus excludit* Algerus: Alij, *inquit*, panem & vinum non mutatum, ſed ſolum Sacramentum, ſicut aquam baptiſmatis, vel oleum chriſmatis corpus Chriſti non verè, ſed

sed figuratè dicunt vocari. *In Prolog. lib. 1. de Euchar. Item ponit hanc obiectionem:* Illud in altari, quòd tu asseris verum corpus Christi, in sacris literis appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, Sacramentum. Hæc autem vocabula non ad aliquid sunt. Nulla verò quæ ad aliquid sunt, possunt esse id, quod sunt ea ad quæ referuntur. Non est igitur Sacramentum corpus Christi. *Respon.* His vocabulis in nullo præiudicatur fidei, qua credimus: & veritati, quam timemus. Quantum enim ad visibile Sacramentum, species & similitudo illarum rerum sunt nomina, quæ ante fuerunt, panis scilicet & vini, non corporis Christi. Corpus verò & sanguis Christi vocantur nuncupativè, eo locutionis modo, quo res significans, solet rei quæ significatur vocabulo nuncupari. *li. 7. c.17. de Euchar.*

Sic etiam Rupertus: Hoc est corpus meum, nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figurativum, vel per similitudinem dictum: cum inquam illo dicente, Hoc est corpus: nos dixerimus, Hoc significat corpus: nonnè multum est quod apponimus, vel prava demutatione detrahimus, & sensum generamus, quem tantus author, Deus & homo, nusquam est locutus, nec ascendit unquam in cor eius? *lib. 6. cap. 6. in Ioannem. Et:* Ergo, inquiunt, si non figuratè, sed revera panis iste Christus dicitur, vel est, quotidiè Christus patitur, & toties moritur, quoties panis iste in commemorationem eius frangitur. Et hic, inquiunt, sermo durus est, etiamsi Paulus non diceret, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors ultra non dominabitur: quis hunc sermonem possit audire? Hæc & huiusmodi dicere illo experimento didicimus. Econtrà quibuscunque revelat non caro & sanguis, sed Pater qui est in cœlis, quoscunque ille attrahit ad Filium dulci attractione, id est, revelatione Spiritus sancti, dicunt & sentiunt non durum, sed suauem esse sermonem hunc: quia videlicet gustauerunt & viderunt, & nobis dicunt: Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. *lib. 7. cap. 7. in Ioannem. Item:* Licèt panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit: aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est, unum esse vel fieri non poterit. Nam Dei Filius, id est, Deus & homo, habet in se virtutem effectivam, qua sibi uniat panem istum visibilem: Isaac autem illum sibi concorporare, salva utraque substantia, non poterat arietem: *ibidem.*

Petrus Cluniacensis *libro primo contra Petrobrusianos, epistola secunda rationem reddere volens, cur Sacramentum Cœnæ, Mysterium, Species & Figura dicatur,* Quia, *inquit,* intra hoc quod exterior forma nuntiat, virtus divina verum corpus & sanguinem Redemptoris occultat.

Impios quoque verum Christi corpus edere.

Quòd autem impij quoque verè comedant verum corpus Christi, Algerus his verbis docet: Omnino credamus, bonos verè corpus Christi sumere: malos autem verè quidem, quantum ad substantiam: & non verè, quantum ad effectus gratiam: *libro primo capite vigesimo primo. Sic etiam Lanfrancus:* Est quidem, *ait,* etiam peccatoribus & indignè sumentibus, vera Christi caro, verus sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. Huius rei testis est Augustinus libro quinto de Baptismo dicens: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut, quia ipse est malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

Petri Lombardi de cœna, doctrina. Deforma cœnæ. Quid in cœna fit Sacramentum & res.

Petrus Lombardus, *vulgò* Magister Sententiarum *dictus, Lib. 4. Dist. 8. cap. 2. de forma Cœnæ Dominicæ sic scribit:* Forma est, quam Christus edidit, dicens: Hoc est corpus meum Et, Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc verba proferuntur, conversio fit panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi.

Cap. 3. ostendit quid in Eucharistia sit Sacramentum, & quid res. Sacramentum, *inquit,* est species visibilis sub forma panis & vini. Res verò huius Sacramenti est gemina natura, contenta & signata: Vt corpus Christi verum quod de virgine traxit, & sanguis quem pro nobis fudit: alia verò signata & non contenta: Vt corpus Christi mysticum, quod est unitas Ecclesiæ. *Ex quibus ulteriùs concludit,* quòd in hoc Sacramento tria distinguenda sunt: Vnum, quod est tantùm Sacramentum, ut species visibilis, panis & vinum. Aliud est, quod est Sacramentum & res, ut vera Christi caro, & sanguis verus. Tertium verò est, quod est res & non Sacramentum, ut corpus Christi mysticum.

De impiorum manducatione Dist. 9. cap. 2. De impiorum manducatione.

De impiorum manducatione Dist. 9. cap. 2. sic scribit: Quidam præsumunt dicere, corpus & sanguinem Christi à bonis tantùm sumi, & non à malis. Sed indubitanter tenendum est, à bonis sumi non modò sacramen-

mentaliter, ſed & ſpiritualiter: A malis verò tantùm ſacramentaliter, id eſt, ſub Sacramento, ſcilicet ſub ſpecie viſibili carnem Chriſti de virgine ſumptam, & ſanguinem pro nobis fuſum ſumi: ſed non myſticam, quæ tantùm bonorum eſt.

*Diſt.*10.*cap.*1. *Figuram, typum, ſignum, &c. omnè è Cœna prorſus excludit.* Sunt alij, *inquit*, præcedentium inſaniam tranſcendentes: qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audaciùs ac periculoſiùs veritati contradicunt: aſſerentes, in altari non eſſe corpus Chriſti vel ſanguinem: nec ſubſtantiam panis vel vini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis converti: ſed ita Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, ſicut Apoſtolus dixit: Petra erat Chriſtus. Dicunt enim ibi eſſe corpus Chriſti tantùm in Sacramento, id eſt, in ſigno, & tantùm in ſigno à nobis manducari. Qui errandi occaſionem ſumunt à verbis Veritatis, unde prima hæreſis facta eſt in diſcipulis Chriſti. Cùm enim diceret: Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Illis diſcedentibus inſtruxit duodecim qui remanſerant: Spiritus eſt, inquit, qui viuificat: caro nihil prodeſt: Verba quæ vobis locutus ſum, Spiritus & vita ſunt, &c. *Ad hæc reſpondet Lombardus; his verbis non negari verum corpus Chriſti à fidelibus ſumi, vel in altari eſſe: ſed Chriſtum Apoſtolos & nos inſtruere voluiſſe, quòd ipſius corpus non per partes diſcerptum, ut illi putaverunt, ſed integrum: nec viſibiliter in forma humana, ſed inviſibiliter ſub forma panis & vini, corpus & ſanguinem nobis tradere velit. Hunc deinde ſenſum ex Auguſtino aliquot adductis locis confirmare conatur. Cùm autem negotium ſibi faceſſere videretur Auguſtinus his verbis:* Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri eum ſanguinem quem fuſuri ſunt ij qui me crucifigent, *Lombardus aliena pro Auguſtini verbis ſubſtituit, quibus hanc rem voluit explicare, ſic inquiens Diſt.*10.*cap.*1.*lib.*4.*Sentent.* Ipſum quidem & non ipſum corpus quod videbatur, manducatur: ipſum quidem inviſibiliter, non ipſum viſibiliter. *Verba autem Auguſtini ſic habent:* Sacramentum aliquod commendavi vobis, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. *Quæ verba Auguſtini à craſſa & corporali ad ſpiritualem manducationem animos noſtros traducunt. Verùm Lombardus, cui ſpirituale nihil aliud eſt quàm Inviſibile, alium ac planè contrarium ſenſum ſequitur. Hinc verò Scholaſticorum vulgus ſequentibus ſeculis duabus illis dictionibus* Viſibiliter *&* Inviſibiliter *tanquam foſſa & vallo ſuam doctrinam circumſeptam ita munire conati ſunt, ut eam nullis objectionibus patere arbitrarentur. Dum enim perſpicuis Scripturæ verbis urgentur, dum in eos veritas corporis Chriſti, & eius in cœlum aſcenſum tanquam tela fortiſſima contorquentur, refugiunt illi, & ut in arce tutiſſima, ita in illa Lombardica diſtinctione Viſibiliter & Inviſibiliter latitantes, ibi ſuæ defenſionis omnia præſidia conſtituunt. Ipſam porrò diſtinctionem tam obſcuram & impervium, tot interpretationum nebulis obvolvunt, ut dum eam exponunt, ipſi propè inviſibiles fiant. Huc verò tandem redeunt, ut craſſiſſimam corporis Chriſti manducationem, contra Auguſtinum, fingant: hoc tantùm excepto, quòd eam negant Viſibiliter fieri, ab ipſo videlicet, oculorum ſenſu convicti.*

Lombardi impoſtura.

*De modo converſionis panis & vini in reale corpus & ſanguinem Chriſti Diſt.*11.*capite* 1. *ſic ſcribit:* Si quæritur, qualis ſit illa converſio? An formalis, an ſubſtantialis, vel alterius generis: definire non ſufficio. Formalem tamen non eſſe cognoſco; quòd ſpecies rerum quæ ante fuerant, remanent, & ſapor, & pondus. Quibuſdam eſſe videtur ſubſtantialis: dicentibus, ſic ſubſtantiam converti in ſubſtantiam, ut hæc eſſentialiter fiat illa. *Et hunc converſionis modum egregiè ſe putat probaſſe authoritatibus Patrum: Sed in iis citandis, prævaricatorem agit, cauſamque ſuam magis oppugnare quàm ſtabilire videtur: & in ipſo dogmate aſtruendo non ſatis ſibi conſtat. Nam de converſionis modo, ut iam indicatum eſt, adeò nihil certi definire audet, ut in variis multorum ſententijs quid potiſſimùm ille ſequatur, neſciat. Deinde in mentem Auguſtini, quem ſubinde teſtem citat, penitius introſpicere, & plura ac clariora eius teſtimonia ad demonſtrandam veram ſententiam in medium proferre debuit. Sed præiudicata Tranſſubſtantiationis opinio, ita mentem hominis faſcinaverat, ut quæ Auguſtini dicta ex diametro cum eo pugnant, hæc omnia vel prætermiſerit, vel violenter in comprobandam ſuam ſententiam detorſerit. Nam qualis hic ſymbolorum ſtatuenda ſit mutatio, vel unicum hoc Auguſtini dictum eum ſatis abundè docere potuerat.* Accedit, *inquit*, verbum ad elementum & fit Sacramentum. Vnde enim iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. *Quibus verbis clariſſimè Auguſtinus docet, quid de mutatione ſymbolorum ſentire debeamus, poſtquam Verbo Dei ſanctificata fuerint: Nimirum, elementa non mutari in ſubſtantia, ſed* acce-

Do modò converſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

accedente Dei verbo ſaltem in uſu ac dignitate mutari, ut videlicet non ampliùs ſint prophana elementa, ſed Sacramenta, hoc eſt, per quæ fideles rerum divinarum ac cœleſtium participes efficiantur. Hoc ipſum etiam Chryſoſtomus confirmat ſcribens in Pſalmum vigeſimum ſecundum.

De accidentibus elementorum.

De accidentibus quoque quæ poſt tranſſubſtantiationem in pane & vino remanent: id eſt, de ſpeciebus, & ſapore, & pondere, in quo ſubiecto fundentur, Diſt. 12. capite primo ſic reſpondet. Mihi videtur fatendum potiùs exiſtere ſine ſubiecto, quàm eſſe in ſubiecto: quia ibi non eſt ſubſtantia, niſi corporis & ſanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Chriſti talem habet in ſe formam, ſed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per ſe ſubſiſtentia ad myſterij ritum, ad guſtus fidei que ſuffragium, quibus corpus Chriſti habens formam & naturam ſuam tegitur.

De fractione panis.

De fractione autem & partitione panis, Diſt. eadem cap. ſecundo. Quæritur, *inquit*, utrum vera ſit? & ſi ibi vera fractio eſt, cuius rei ſit, vel in qua re fiat? Cumque non ſit ibi alia ſubſtantia, quàm Chriſti: ſi in aliqua ſubſtantia eſt illa fractio, in corpore Chriſti videtur eſſe. Sed è contra, quum ipſum corpus incorruptibile ſit, quia immortale & impaſſibile, in ipſo non poſſe eſſe videtur, Nam & Chriſtus redarguit carnalem ſenſum diſcipulorum, qui putabant, carnem Chriſti, ſicut aliam in partes dividendam, & morſibus dilacerandam. Ideo quibuſdam placet, quòd non ſit ibi fractio ſicut videtur: ſed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus obijcitur quod ait Ambroſius: Nihil falſi putandum eſt in ſacrificio veritatis. Vel ſicut fit in Magorum præſtigijs, ubi illuſione quadam falluntur oculi, ut videant eſſe quod non eſt. Ad hoc illi dicunt: Non fallit nos viſus, nec fallitur: quod eſſet, ſi crederetur ita frangi ut videtur. Nec illuſio eſt: quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit. Sicut & Chriſtus ſe oſtendit duobus diſcipulis in via in ſpecie peregrini: nec in eo tamen talis forma erat: ſed oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.

Alij verò dicunt, quod ſicut ibi ſpecies panis eſt, & non eſt ibi res cuius, vel in qua ſit illa ſpecies: ita eſt ibi fractio, quæ non fit in aliqua re, quòd nihil ibi frangitur. Et mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi fiat fractio, ubi nihil frangitur.

Alij tradunt corpus Chriſti eſſentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & incorruptibile exiſtere: Et hoc ſe colligere dicunt ex Confeſſione Berengarij: qui confeſſus eſt coram Nicolao Papa & pluribus Epiſcopis, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolùm ſub Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

Lombardus autem probabiliorem recitans ſententiam, omnino fractionem & partitionem illam, non in ſubſtantia corporis, ut quod incorruptibile eſt, ſed in ipſa forma panis Sacramentalis fieri pronuntiat. *Et quia fractio, & partes, quæ ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, hoc eſt, in ſpecie viſibili, ideo illa Berengarij verba, ita diſtinguenda eſſe docet, ut ſenſualiter non modò in Sacramento, ſed in veritate dicatur corpus Chriſti tractari manibus Sacerdotum, frangi verò & atteri dentibus, verè quidem, ſed in Sacramento tantùm.*

Lombardi concilium contra Berengarium congregatum.

Hùc verò Lombardus nihil affert, quo rectatas diſcordes ac pugnantes invicem ſententias conciliet: ſed potiùs Confeſſionem Berengarij, quam illi dictauit Papa & Concilium Romanum, manifeſta contradictione condemnat. Nam dum aliquid dicere vult, ad excuſandam decreti Pontificij iniquitatem, eò tamen relabitur, ut nullam in corpore, manifeſtè contradicens Nicolao ſecundo, ſed in Sacramento tantùm fractionem fieri aſſeveret. Sic nimirum omnipotens Deus iuſto ſuo iudicio ipſorummet confundit linguas, ut dum inſuſtam hanc & exoſam Deo turrim Babel magno conamine ædificant, ſeſe mutuò intelligere nequeant. Nam illud inprimis eſt ridiculum, quòd Lombardus, poſtquam in ſola forma ſiue ſpecie viſibili panis, & non ipſo pane, fractionem fieri docet, non eſſe mirandum indicat, aut inſultandum, ſi accidentia videantur frangi, cùm ibi ſint ſine ſubiecto, & ſicut quidam affirment, fundentur in aëre. *Hæc enim tam ridiculè, tam ambiguè ab iſto dicuntur Magiſtro, ut quid neget, quidue affirmet, ne ipſe quidem miſer ſcire videatur.*

Hoc verò obſervatione digniſſimum eſt in Magiſtro Sententiarum, quàm dextrè, appoſitè & ſolidè, figmenta ſua ex Verbo Dei & Auguſtino confirmare conetur. Eſt ibi, *inquit*, vera fractio, & partitio, quæ fit in pane, id eſt, in forma panis, Vnde Apoſtolus ait prima Corinth. decimo. Panis quem frangimus: quia forma panis ibi frangitur, & in partes dividitur: Chriſtus verò integer manet, & totus eſt in ſingulis. *Hoc verò non eſt ſacras Scripturas interpretari, ſed potiùs violenter torquere, & ad ſenſum ſuum pro libito inflectere. Paulus enim panem revera frangi & manducari, ad commemorationem mortis Chriſti, & teſtandam communionem noſtram, quam in*

in corpore ejus habemus, sine omni ambiguitate & simpliciter docet. Lombardus autem Spiritui sancto, & ejus excellentissimo organo Paulo contrarius, non panem, sed panis duntaxat formam, hoc est, ut ipse vult, accidentia sine subjecto, vel in aëre fundata astruit. Virtutem horum fidem habere volumus? homini-ne vano, & in magna opinionum varietate nunc hoc nunc illud asseveranti? an verò Spiritui sancto veritatem simpliciter proferenti?

Varietas opinionū de conſtratione hoſtiæ.

Lombardus Auguſtinum corrumpit.

Eodem etiam modo versatur in explicatione loci quem ex Augustino citat: Quando, *inquit Augustinus*, Christus manducatur, vita manducatur, sed quis audeat manducare Dominum suum? & tamen Veritas invitans nos ad manducandum, ait: Qui manducat me, vivet propter me. Non occiditur Christus, ut manducetur: sed mortuos vivificat. Quando manducatur, reficit: non deficit: vivit manducatus: quod surrexit occisus: nec quando manducamus, partes de illo facimus: & quidem in Sacramento sic fit. *Item*: Norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Christi: unusquisque accipit partem suam. Per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in cœlo: manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur Sacramenta, quòd in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: videtur panis & calix, quod & oculi renunciant: quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. *Hactenus Augustinus.* Ex his, *inquit Lombardus*, datur intelligi, quòd fractio & partes, quæ ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, id est, in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt: ut sensualiter non modò in Sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum: frangi verò & atteri dentibus verè quidem, sed in Sacramento tantùm. Vera ergo est ibi attritio & partitio: sed in singulis partibus totus est Christus. *Hæc Lombardus. Augustinus autem istis verbis perfectam & absolutam de manducanda Christi carne doctrinam tradit, & sic quidem, prout in Sacramento fidelibus exhibetur manducandi. Et Sacramentum quidem cùm ex duabus partibus consstet, sic per mysticam & Sacramentalem unionē ista partes coniungit, simulq; à fidelibus percipi utraque tradit, ut quod ad locorum attinet intercapedinem, Sacramentum quidem manibus fidelium tractetur, frangatur, & ore ipsorum percipiatur: Christus autem fide manducatus, totus & integer sit in cœlo. Solos igitur fideles nosse dicit Augustinus, quomodo manducent corpus Christi, ut sine fide nullum carnis Christi fieri posse participem doceat, licèt Sacramentum sumat: frangunt autem fideles & per partes.*

Has verò sententias de veritate confractionis Oblatæ, de qua post receptum in Ecclesia Transsubstantiationis dogma, magna opinionum vanitate simul & varietate à Pontificiis disputari cœptum est, quæque à veteris Ecclesiæ ritu & consuetudine toto cœlo est remotissima, Gabriel Biel, Lect. 80. in Canonem Missæ his verbis commemorat. Prima est, *ait*, quosdam docere: nullam esse veram in Eucharistia fractionem, sed tantùm apparentem: hoc est, quasi verè fiat, in oculis hominum solùm apparere, sicut multa alia, aiunt, apparent in hoc Sacramento, quæ tamen ita non sunt: apparet enim accidentia esse in subjecto, quod tamen non est. Si obiiciatur illud Ambrosii, Nihil falsi putandum est in Sacramento veritatis, ut fit in Magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videatur esse quod non est: Respondent, visum nec fallere hìc nec falli, quod contingeret, si crederetur ita frangi sicut videtur. Nec illusionem esse, quod ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fiat: sicut & Christus ostendens se duobus discipulis in via in peregrini specie: nec tamen forma talis in eo erat, sed oculi tantùm eorum tenebantur ne agnoscerent eum. *Hanc sententiam Guitmundus contra Berengarium defendit, eam verò Gabriel refellit.* Hæc sententia, *inquit*, contraria est, verbis Evangelistarum, Accepit panem, gratias agens fregit. Hæc autem falsa esse non possunt, nisi diceretur, quòd priùs fregerit, & postea benedixerit. Item, si non esset fractio vera, non esset vera manducatio, nec vera comestio: quæ videntur absurda. Fundamentum etiam huius sententiæ falsum est. Nihil enim in hoc Sacramento apparet, quod non verè & realiter ibi sit. Vnde in Legenda corporis Christi dicitur: Accidentia sine subjecto in eodem Sacramento existunt, ut fides, locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum. Et sensus à deceptione immunes redduntur, qui de accidentibus iudicant, sibi notis. Si autem sensus iudicarent de aliquo accidente, putà fractione, quæ ibi non esset, decipierentur. Nec etiam verum est, quòd multa appareant in hoc Sacramento quæ ibi non sint. Nam quicquid apparet ibi est: licèt multa ibi sint quæ non apparent, scilicet quæ sola fide creduntur. Quod etiam dicitur, apparere accidentia esse in subjecto, falsum est. Ibi accidentia sensibilia apparent: sed an sint in subjecto, an extra subjectum, hoc sensus

apprehenſionem excedit, hoc autem ſolùm apparet quod intuitivè cognoſcitur. Et nihil tale à nobis ſic cognoſcitur (ſaltem extra nos exiſtentium) niſi quod ſenſus intuetur. Accidentia autem in ſubjecto eſſe, ratione inveſtigamus. Vnde & apud doctos, dubium eſt, an accidentia materialia, qualitatis ſcilicet ſenſibilis, ſint in quantitate, tanquam in ſubjecto immediato, an in materia immediatè. Sunt enim de hoc uſque hodie adverſæ opiniones. Et ideo vera ſimpliciter eſt ut ſonat authoritas beati Ambroſii. Nec valet quod de Chriſto adducitur. Non enim decepti ſunt ex viſione, quòd enim eum viderunt in veritate fuit: verùm non quicquid ibi fuit viſibile in Chriſto viderunt: oculi ſiquidem eorum tenebantur. Non enim viderunt totam Chriſti faciem, quantum ad omnia accidentia quæ in eo fuêre. Ideoque in judicio rationis errabant, judicantes non eſſe Chriſtum qui fuit Chriſtus.

Secunda ſententia eſt, quoſdam concedere, fractionem quidem veram fieri: verùm ut accidentia ibi ſunt ſine ſubjecto, ſic etiam nihil eſſe, quod revera frangatur. *Ad hanc ſententiam Gabriel reſpondet*, quòd ſtare non poſſit, ſi enim aliquis frangit, ergo aliquid frangitur: Semper enim activum paſſivum infert: Præterea fractio non dicit aliquid realiter diſtinctum à frangente & frangibili: ſed dicit frangibile: & partes eius priùs continuas poſtea diſtare: Ergo intelligi non poteſt ſine frangibili.

Tertia eſt, aliquos dicere corpus Chriſti verè frangi, licèt ipſum integrum & incorruptibile maneat. Sicut Chriſtus dedit diſcipulis ſuis in Cœna corpus ſuum paſſibile, & tamen non eſt dentibus diſcipulorum paſſum, agente hoc virtute ſupernaturali: Ergo multò magis hoc fieri poteſt eadem virtute in corpore impaſſibili. Aſſumunt pro ſe authoritatem Beati Auguſtini ex Sermone de verbis Domini, & habetur de Conſec. Diſt. ſecunda. Qui manducant. ubi dicit: Norunt fideles quemadmodum manducant carnem Chriſti, unuſquisque accipit partem ſuam. Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, & manet integer totus in corde tuo. Idem ex Berengarii Confeſſione colligere conantur, ubi confeſſus eſt, corpus Chriſti verum, non ſolùm Sacramentum, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Hanc ſententiam ſecundo loco Guitmundus defendit. Sed ea, inquit Biel, ſimiliter erronea eſt: quoniam quum corpus Chriſti ſit animatum & organicum, ſi frangeretur & divideretur, corrumperetur: quod eſt impoſſibile, quum ſit glorioſum & impaſſibile. Præterea tale corpus Chriſti eſt ſub Sacramento, quale eſt in ſua exiſtentia naturali. Cùm igitur in naturali ſua exiſtentia poſt ſuam reſurrectionem eſt immortale, incorruptibile & impaſſibile, & per hoc extra Sacramentum dividi non poteſt, quòd illud repugnat impaſſibilitati, ideo nec ſic in Sacramento dividi poteſt.

Lombardus autem probabiliorem recitans ſententiam, omninò fractionem & partitionem illam, non in ſubſtantia corporis, ut quod incorruptibile eſt: ſed in ipſa forma panis Sacramentalis, id eſt, in ſpeciebus Sacramentalibus, quæ poſt conſecrationem ſine ſubjecto ſint, quamvis ante in pane fuerint, fieri pronunciat. *Sed & hæc opinio conſiſtere nequit. Nam quidquid in Cœna frangitur, id comeditur. Iuxta hanc opinionem autem forma tantùm panis, ſeu ſpecies franguntur, non verum corpus Chriſti. Ergo ſolùm forma & ſpecies Sacramentales non ipſum Domini corpus comeditur. Hanc tamen ſententiam Lombardus approbat, & à vulgo Scholaſticorum recepta eſt.* Lombar. de diſtinct. 12 ait ſententia.

Fideles autem Chriſtum manducant, neque tamen partes ex illo faciunt: quia quid Sacramento competit, quid item Chriſto, ſoli optimè diſcernunt, neque res natura diverſas confundunt. Dicitur enim Chriſtus frangi, diſtribui, & per partes manducari, ſed in Sacramento, ut hoc quidem fractioni ſit obnoxium: Chriſtus autem nequaquam dividatur, ut qui non carnali, ſed ſpirituali modo per fidem manducetur. Ac ideo quoties caro eius dicitur videri, palpari, frangi, ſeu in partes dividi, & ore manducari, ſemper id ad ſolum pertinet Sacramentum, quod corporis quidem rectè, ſed impropriè nomen accipit. Nam omnes Patres ſic cum externo & viſibili ſigno rem ipſam ſignificatam conjungunt, ut tamen ſub nullos humanos ſenſus eam cadere doceant. Hoc etiam & pervulgata illa Papiſtarum cantilena atteſtatur: Nulla rei ſit ſciſſura, ſigni tantùm ſit fractura, &c. Ergo aut cantilenam hanc tanquam erroneam & hæreticam explodant Pontificii, aut abſurdam & impiam Nicolai ſecundi confeſſionem, Berengario præſcriptam, reiiciant. Neque enim Chriſtus, utpote integer permanens in cœlo, aut manibus hominum contrectatur, aut cibandi ventris gratia frangitur, ſed ſic in Sacramento diſtribuitur, ut hoc quidem ſolùm ſenſualiter frangatur & manducetur, Chriſtus verò non niſi fide percipiatur.

Illiùs ſophiſmatum præſtigiis & impoſturis, poſt

poſt damnatum Berengarium & approbatam Tranſſubſtantiationẽ, introductus que in Eccleſiam numularias oblatas iſtas, ad omne genus erroris & idololatriæ commodas, decipi tantò facilius ſimpliciores & ad ſuperſtitionem proclives potuerunt. Quòd ſi uſitata illa veteri Eccleſiæ oblationum confractio, ad diſtribuendum inde populo Euchariſtiam, conſtanter in Eccleſia ſervata fuiſſet, nulla omnino de hac fractione panis, ſeu corporis Dominici incideret quæſtio, multoque minùs perſuaderi aliquis potuiſſet, eorum, & quantitatem ſine materia frangi.

Conferantur hæc & quæ ſequentibus capitibus referemus, cum doctrina Patrum primæ & mediæ ætatis, quam ſuprà ſatis copioſè commemoravimus, & mox deprehendes, juxta proverbium, δὶς δύο τεσσάρων, in hoc negotio diſcrimen ineſſe, veterumque Patrum, & horum recentiorum Theologorum, Lanfranci videlicet, Guitmundi, Anſhelmi, Ruperti, Lombardi, & ſequentium Scholaſticorum doctrinam & ſententiam de Cœna Domini, tantum inter ſe convenire, quantum affinitatis eſt plumbo cum argento, ari cum auro, anemonæ cum roſa, homini cum ſimia. Illi enim docent, ſymbola, panem nimirum & vinum, non mutari in ſubſtantia, ſed tantùm in uſu ac dignitate, ut non ampliùs ſint prophana elementa, ſed ſacramenta, & ſingularia Spiritus ſancti organa, per quæ fideles rerum cœleſtium participes fiant: Hi verò docent, vi quinq; verborum ſigna externa tranſubſtantiari, hoc eſt, ex ſua propria ſubſtantia in aliam verè mutari, ita ut de pane & vino nihil ſuperſit ampliùs, quàm ſola accidentia. Illi ſpeciei nomine ſacramentum, hoc eſt, verum panem & verum vinum intellexerunt, & veram panis vinique ſubſtantiam. Sermo Dei, inquit Ambroſius, de hiſ qui initiantur, cap. 9. Species mutat elementorum, Item, Ante benedictionem alia ſpecies nominatur. Et Auguſtinus, Sicut, inquit, Chriſti perſona conſtat ex Deo & homine, cùm ipſe ſit verus Deus & verus homo: Quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacramentum Eccleſiæ duobus, ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Quibus apertiſſimè docet Auguſtinus, quòd duas res in Euchariſtia agnoſcat, & per ſpeciem intelligat naturam, & rerum, hoc eſt, elementorum veritatem, ex quibus Euchariſtia conficitur, hæc enim ſunt ejus verba: Hi verò per ſpeciem intelligunt accidentia ſine ſubſtantia, & individuum vagum. Videntur autem omnino Scholaſtici Doctores hoc ſuum dogma de Accidentibus à ſubjecto abſtractis, à Marcione hæretico hauſiſſe, contra quem Tertullianus pugnavit, & hanc nefandam hæreſim defendebat. Chriſtum è virgine Maria non ipſam humani corporis naturam atque ſubſtantiam, ſed externas duntaxat formas, ſpeciesque aſſumpſiſſe. An non autem digna eſt hæc inaudita priſcis omnibus ſeculis philoſophia, &c. vide Petri Vireti lib. 6. de Origine &c. Miniſterii Verbi & Sacramentorum, vide ibid. c. 16.

De Palinodia Berengarii, ejuſque tum abſurditate; tum varia ac diſſentiente Guitmundi & Scholaſticorum, pro confirmando Tranſubſtantiationis errore, interpretatione.

Berengariana Palinodiæ abſurditates.

QVòd ſi Palinodiam Berengario præſcriptam, & per vim ab eo extortam diligenter examinaverimus, horribilis Inclinatio ſanè ac verè doctrinæ de Cœna Dominica, circa hac tempora facta; clariſſimè vel inde elucebit. Ea quidem magna ſub authoritate propoſita, ac in omnes Occidentis partes, magna cum pompa, ſupercilio ac ſtrepitu, pro certa, indubitata, & catholicæ fidei norma ſparſa, & ab adverſariis Berengarii aliquandiu agitata & defenſa fuit: Mox tamen Meretricis Babylonicæ turpitudine inter diſputandum deprehenſa, & detecta, primò eam variis coloribus ac fucis exornare cæperunt: progreſſo verò temporis etiam ipſos amatores eius adeò pudere cæpit, ut eam penitus repudiarint. Damnavit enim Nicolaus Papa, cum ſuo Concilio, & pro infami hæreſi execratus eſt, quod poſtea ipſimet Pontificii omnes conſtanter tueri ac defendere cæperunt. Contrà verò affirmavit & obtruſit Berengario, totique Occidentali Eccleſiæ Confeſſionu & fidei catholicæ formulam, quam tamen haud diu poſt, propter abſurdiſſimam impietatem, & impiiſſimam abſurditatem omnes repudiarunt & abhorruerunt. Damnavit in Berengario, quòd ſenſit, Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſacramentum tantùm eſſe, & non ipſum revera corpus & ſanguinem Chriſti. Intellexit autem hæc Berengarius de vero ac naturali pane & vino, propriè & ὑπαρκτικῶς. Hoc autem apertiſſimè aſſeruerunt poſtea & docuerunt Papiſtæ, & inter hos, Scholaſtici, propter Subiecti & Prædicati contradictionem, per omnem etiam potentiam Dei impoſſibile eſſe palàm dixerunt, ut panis verè ac propriè ſit corpus Chriſti. E contrà verò præſcripſit Berengario, & ab eo mortis metu extorſit Papa, pro certa catholicæ fidei norma; Ipſum verum Chriſti corpus & ſanguinem, & non ſolùm Sacramentum, SENSVALITER & IN VERITATE manibus

gratia: Episcopus per baculum & annulum. Sicut, inquam, in eiusmodi rebus est: sic & diuisiones gratiarum diversis traditæ sunt Sacramentis. *Ex hac Bernhardi de Sacramentis doctrina, quam ex communi rerum usu deprompto exemplo annuli declarare & confirmare voluit, euidenter constat, quod ea sacramenta à rebus absolutis in hoc differre sentiat, quia res absolutè propter seipsas fiant, ut cùm annulus datur propter annulum, nullius alterius rei, quæ hac ipsa datione intelligibiliter inesset, aut contineretur, causa: Sacramenta autem fiant propter alia, quæ simul intelligibiliter ex pacto dantur & conferuntur, designanda. Vt Chrysostomus inquit:* In mysteriis non solùm datur, quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. *Sicut si annulus ad inuestiendum aliquem de hæreditate daretur: Annulus quidem externa & corporali actione percipit. vr: Hæreditas verò interiore ipsius, quod in annuli traditione, ex mutuo dantis & accipientis pacto & consensu agitur, intelligentia contingit. Dicam apertius: Sicut nemo fingit res hæreditate possidendas, realiter in annulo inclusas esse: Sic etiam non nisi absurdè & falsò signum Sacramentum, & figura corporis & sanguinis Christi in Cœna de consubstantiatione accipi possunt, ex Bernhardi sententia.*

Cùm igitur Bernhardus dicat, ad hoc institutа esse omnia sacramenta, ut inuisibilis gratia signo aliquo visibili exhibeatur, *duo hinc ad mysterij rationem in sacramentis pertinentia colliguntur.* Primò, *omnia sacramenta visibili tantùm signo & inuisibili gratia constare.* Secundò: *Eandem quoq; esse omnium sacramentorum in dispensanda hac per visibile signum gratia, causam, modum & rationem, cùm sit arcana salutis humanæ Spiritus sancti virtute effecta operatio. Sunt igitur hinc sacramenta, sacra & visibilia signa, quibus inuisibilis gratiæ secreta dispensatio instituta designatur. Quemadmodum igitur secreta hæc gratiæ dispensatio non existit realiter in signis, sed ex ordinatione Dei respicit usum institutum in fide: sic quoque non est hæc gratia corporalis præsentia, & manducatio corporis Christi in pane: Sed ut annulus & hæreditas, sic etiam in sacramentali signi mystica ratione se habet perceptus Eucharistiæ panis, & communicatio corporis Christi.*

Hanc autem esse veram Bernhardi sententiam, aperiè ex ijs quæ de κοινωνία & communione corporis & sanguinis Christi, cuius in Dominica Cœna mysterium celebratur, ex Sermone eius de Purificat. colligitur. Calix, *inquit*, benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Calix, id est, communicatio calicis facit nos habere quandam cum Christo communionem. Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est? ac si dicat: Panis quem frangimus, facit nos unum corpus cum capite Christo. *Ex hoc destinato Sacramentorum fine, ut in ipsorum instituto usu secreta gratiæ dispensatio, id est, corporis & sanguinis Christi communio fiat, panis & vinum corpus & sanguis Christi fieri intelliguntur.*

Manifestissimè etiam à Bernhardo, memoria & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna opponuntur. Statuit enim hoc discrimen inter nos & Angelos, quòd illi reali præsentia Christi fruantur, cùm nos memoria tantùm, fide ac Spiritu, quasi per speculum in ænigmate, Christum intueamur. *Neq; tamen propterea ab illo nuda signa constituuntur, sed fatetur Christum ipsum nobis proponi, sed sub sacramenti cortice velatum. Est enim certa quoque veritas realiter quoq; absentium rerum quarum hypostasis est fides.*

Idem, Non est, *inquit*, cibus ventris, sed mentis. *Hoc qui affirmat, is profectò carnem Christi corporaliter manducari inficiatur. Sicut enim cibus esse, ita & comedi intelligitur. Patres autem primitiuæ Ecclesiæ in Cœna Dominica non esse cibum ventris, sed mentis apertè testati sunt, ut suprà aliquot locis demonstratum est. Iuxta Bernhardum igitur, carnem Christi corporaliter manducari inficiati sunt Patres.*

Rursus de S. Martino: Videlicet, *ait*, usq; hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utiq; non corporaliter exhibetur. Quæso annon carnaliter exhiberi censenda est caro Christi, si ex manu sacerdotis in ore vescentium ingeritur, & externa corporis actione manducatur? *Ibidem:* Adest, *inquit*, nobis etiam nunc carnis Christi vera substantia, haud dubium sanè, quin in sacramento adsint reuelationes, sed in Spiritu & virtute, ut tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse putetur. *Et: Ioan.* 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Quasi verò quum iam ascenderit, nunc tangi ab ea velit, aut possit. Et utique poterit: sed affectu non manu: sed voto, non oculo: fide, non sensibus. Tanges manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu: tanges oculo mentis. *Hoc ipsum etiam Serm.* 28. *super Cant. habetur. Et Serm.* 76. Credere, inuenisse est. Norunt fideles Christum habitare per fidem in cordibus suis. Quid propius est?

Serm. 33. *in Canica Canticorum contra indignorum manducationem veri corporis Christi in pane, docet Bernhardus*, veritatem carnis Christi in Sacramento apponi: sed tamen cortice Sacramenti, carnis furfure, literæ palea, quasi fidei velamine contentos esse

oportere,

oportere. Imò hæc talia esse scribit, quæ mortem afferant, si de primitijs Spiritus sancti non condimentum accipiant: Nam absque Spiritu sancto, sacramentum ad mortem percipi. *His verbis per corticem sacramenti, carnis furfur, & paleam literæ, quæ sine Spiritus sancti condimento, mortem afferunt, non ipsum in sacramento reale & visibile Christi corpus voluit Bernhardus intelligi: Siquidem in Sacramento carnis veritatem Spiritus sancti condimentum esse dicit, sine quo Sacramentum ad iudicium sumatur.*

Rursus in Sermone de Cœna etsi hinc inde quædam reperiantur, quæ non sine gravi causa, ut supposititia & adulterina, suspecta haberi possunt: nihilominus externam Sacramenti formam, ex verbis institutionis Cœnæ, & spiritualem eius efficaciam ex concione Christi Iohan. 6. tanquam corticem & nucleum, Sacramentum & rem Sacramenti, signum & rem significatam, coniungit, Christus, *ait*, pridiè quàm pateretur, Discipulis suis hanc Sacramenti formam præscripsit, & efficaciam exhibuit formæ præscriptio in pane & vino: Seorsim enim panem, seorsim tradidit & vinum, de pane ita dicens: Hoc est corpus meum: de vino etiam sic: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus: audistis formam Sacramenti, audite efficaciam, in communione corporis & sanguinis Domini. Et nos Iesu Christo, & Iesus Christus nobis inenarrabili unitate fœderatur, sicut ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De bonis & dignè sumentibus, hoc sentiendum, & non de flagitiosis & pessimis. Sanè in mensa unà, in Cœna Domini, de uno pane consecrato, Petrus & Iudas accipit, bonus in vitam, pessimus in mortem, bonus in beneficium, pessimus in testimonium.

Hic author quisquis ille fuerit; Christum Apostolis suis in prima Cœna, cum pane & vino, tanquam externa Sacramenti forma, virtutem & efficaciam ipsius in communione corporis & sanguinis eius, inxta traditum in concione apud Ioannem 6. cap. de manducatione carnis suæ, modum, dedisse aperiè testatur.

Vtitur quidem interdum phrasibus durioribus, ut qui in seculo insigniter depravato vixerit: dicit enim, Sacerdotem tenere Deum manibus suis, &c. *sed hæc & similia commoda interpretatione leniri possunt. Sic enim Chrysostomus quoq; lib. 3. de Sacerdotio scribit*: Adest Sacerdos gestans Spiritum sanctum. *Gregorius etiam in Iob. lib. 27. c. sexto ait*: Paulus prædicando Deum infundebat audientibus. *Rursus*: Latens in Pauli pectore, quasi sub tentorio ibat Deus. *Hieronymus ad Pammachium contra errores Ioan. Hierosolymit.* His, *ait*, qui baptizandi sunt, publicè tradimus sanctam & adorandam Trinitatem. *Quibus verbis nihil aliud vult dicere, quàm, eum Trinitatem accipere, qui fidem Trinitatis, doctrinamque accipit. Quemadmodum igitur Chrysostomus Sacerdotem gestare Spiritum sanctum, & Paulum Gregorius Deum infudisse audientibus, & Hieronymus nos tradere sanctam Trinitatem scripserunt: sic etiam Bernhardus dixit, Sacerdotem tenere Deum manibus suis: hoc est, non realiter, substantialiter & reipsa, sed peculiari quodam loquendi genere ac ratione. Nam modo quodam Rhetorica amplificationis, qui tenet aliquid, quod propriè ad Deum pertinet, is Deum ipsum tenere dicitur.*

Waldenses *etiam circa annos Christi 1163 repudiarunt apertè corporalem corporis Christi in pane præsentiam & duplicem Christi præsentiam corporalem & spiritualem orthodoxè distinxerunt. Corporalis præsentiæ, seu essendi modo Christum in cœlis, & non in terris esse docuerunt iuxta Christiane fidei articulos: ideoq; eos etiam, qui post Ascensionem corporalem eius in terra præsentiam profiterentur, Pseudoprophetas nominarunt. Spiritualis autem præsentia modo, Christum toti ministerio suo, verè & efficaciter adesse dixerunt, in Sacramentis tamen peculiariter dici adesse Sacramentaliter, hoc est, velut in sacro & externo, ad hoc divinitus institutoto signo, id certificante & testificante in verbo, ipsumq; Christum inferente, in spiritum fidelium, & omnia eius beneficia. Ac licèt Guido quidam Carmelita de ipsis referat capite nono, quòd resistando sexies orationem Dominicam super panem & vinum, contemptis institutionis Christi verbis, consecrationem faciant: tamen Æneas Sylvius, qui postea Pius secundus appellatus est, & in Historia longè quàm Guido exercitatior: Antoninus etiam Florentinus Archiepiscopus in Summa sua: item q; Bernhardus Luxenburgensis in suo Catalogo huiusmodi nihil illis tribuunt.*

Graviter tamen adhuc concertatum est in causa Sacramentaria per multos annos, neq; potuit ex stingui prorsus vera & simplex doctrina. At Romani Pontifices supra omne id quod dicitur Deus euecti, cum rationibus seu argumentis ex Verbo Dei & orthodoxo consensu antiquitatis petitis, destituerentur, tandem ferro & igni omnes eos, veluti declaratos hæreticos & nocentissimas Rerumpub. pestes persequuti sunt, qui noluerunt imagines colere, Sanctos mortuos invocare, & realem agnoscere corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam, prout ea in præteritis Concilijs constituta fuerat. Cùm autem magnus rectè sentientium in variis regionibus esset adhuc numerus, Cruciatę *palam cùm eos,*

Waldenſium de Cœnæ doctrina.

Pontifices Romani quibus armis Transſubſtantiationem defendant.

Nota de S. Bernhardi phraſibus.

tanquam peſtilentiſſimos hæreticos, prædicatæ ſunt. Iſto enim tempore (ne id neſcias) novis locutionibus, & novo quodam, diverſiſſimoque ab eo quod Chriſtus inſtituit, quoq; uſi ſunt Apoſtoli prædicandi genere uſi ſunt Romaniſtæ. Nam ſi Romanus Pontifex gentem, vel homines aliquos condemnaſſet hæreſeos, & ſi reſipiſcere, hoc eſt, ſe illorum libidini vel tyrannidi ſubiicere, ac Romanæ Eccleſiæ errores recipere nollent, igni & ferro propterea exterminandos decreviſſet, emittebat Prædicatores, Monachos inquam, & ſimiles emiſſarios, qui Crucem in populo Chriſtiano prædicarent, hoc eſt, claſſicum canerent, & ſuaderent, imò severè ſub excommunicationis pœna præciperent omnibus & ſingulis, ut arreptis armis, gentem vel homines iſtos à Pontifice devotos funditus excinderent. Pollicebantur autem Pontificis nomine (nam Chriſti nomine non potuerunt, qui talem peccatorum remiſſionem non polliceri in Evangelio iuſſit) plenariam peccatorum remiſſionem fortiter contra tales pugnantibus: & plurimum humani ſanguinis fundentibus. Appellabatur autem totum hoc negotium CRVCIATA, cuius ſæpe mentionem faciunt in ſuis hiſtoriis Vincentius, Antoninus & alii. Proinde Crucem prædicare his temporibus dicebantur, qui ad arma devotis inferenda excitabant Chriſtianos. Crucem verò ſuſcepiſſe, aut Cruce ſeſe inſigniviſſe dicebantur, qui nomina ſua hujuſmodi Pontificiæ tyrannidi dederant, & operam ſuam ad mandatum Papæ in exſtirpandis hæreticis aut devotis fideliter conferebant. In hac igitur laniena contra orthodoxos inſtituta poſt Berengarii mortem, multa millia hominum, nulla prorſus vel ſexus vel ætatis ratione habita, funditus exciſa ſunt, tanta quidem crudelitate, tantaque animorum ferocia, obſtinatione & beluina ſævitia, ut non facilè ſimilia in aliis hiſtoriis invenias exempla. Legantur hiſtoriæ ab horum Conciliorum contra Berengarium celebratorum temporibus ad Innocentium 3. hoc eſt, ad annos uſque Domini 1200. & paulò ulteriùs, & teſtaberis, iſtis quoque ſeculis impletum eſſe, quod in lib. Pſalmorum legimus, Dixerunt in cordibus ſuis, Sæviemus in eos pariter, delebimus nomina & ſynagogas ipſorum de terra. Effuderunt ſanguinem ſervorum tuorum circunquaque ſicut aquam, nec eſt qui curat, aut qui ſepeliat. Probrum ſumus vicinis noſtris, proverbium his qui circum nos ſunt.

Cruciatæ quid.

CAPVT IV.

Inclinatio horribilis ſanæ & veræ Doctrinæ de Cœna Domini, à Leone nono uſque ad Innocentium tertium Papam: hoc eſt, ab Anno Domini 1050. uſque ad annum 1200. ejuſdem.

QVi fuerit verus ſenſus verborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, & quæ orthodoxa ſententia de ſacratiſſima Domini Cœna à temporibus Apoſtolorum, uſque ad an. Chriſti 1050. in præcedentibus ordine & luculentè expoſuimus ac demonſtravimus. Nunc quàm horribilis, poſt damnatum Berengarium, & unà cum eo omnes rectè ſentientes, inclinatio vera & ſana illius doctrinæ in Eccleſia facta fuerit, ex Lanfranco, Algero, Ruperto Tuitienſi, Lombardo & aliis, qui à Berengarii tempore uſq; ad Innocentium tertium ſcripſerunt, qua poſſumus brevitate & perſpicuitate referemus ac demonſtrabimus.

Algerus *itaque de Materia Cœnæ ſic ſcribit*, Sciendum, quia licèt priùs myſticè vinum & aqua miſceatur: poſt conſecrationem tamen non niſi ſanguis bibitur, quia priùs per aquam baptiſmatis renati, poſtmodum non ſolùm corporales, ſed & conſanguinei Chriſto efficimur ſpiritualiter. *lib. 1. cap. 19. de Euchar. Et:* Notandum eſt, cùm divina pagina corpus Domini panem vocat, non ſubſtantialiter, ſed myſticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, ejuſque nonnullas retinet qualitates: vel quoniam animam paſcit, eique vitæ æternæ miniſtrat ſubſtantiam: vel quoniam panis eſt Angelorum. Solent enim Scripturæ quaslibet res vocare nominibus illarum rerum ex quibus fiunt: ut cùm dicitur homini: Qui ſuperbis terra & cinis? cùm homo non ſit cinis, ſed ex cinere factus. Seu quæ putantur eſſe, & non ſunt: ut cùm legitur Abraham vidiſſe tres viros, cùm eſſent Angeli. Seu quibus ſimiles aliquo modo exiſtunt: ut cùm Deus dicitur Leo propter fortitudinem. *lib. 1. cap. 6. de Euchariſt. Et:* Chriſtus cùm potens ſit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in ſuam convertit ſubſtantiam, multò magis fideles ſuos ſub tantæ ſpei imagine & virtute in corporis ſui transfiguravit gloriam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiam. *In Prolog. lib. 1. de Euchar. Item:* Sicut Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, vel linguis igneis ſine unitate perſonæ apparuiſſe creditur: ſic Chriſtus in Sacramento panis & vini

Algeri de Cœnæ doctrina. Indicium de hoc Algero P. Martyr vide in ejus Tract. de Cœna ſuper 11. c. 1. Cor. fi. 386.

vini corporaliter confici, sed non personaliter uniri astruatur *libro primo capite octauo de Eucharist. Item*: Videtur stultum sed stultis, Christum in specie panis & vini, brutæ scilicet rei præsentem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis, tantam maiestatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat, quod in ipso pium, nobis autem est necessarium? Congruere quidem non videtur eius dignitati, ut corruptibilis substantia panis, incorruptibile eius corpus fiat. Sed congruit nostræ saluti, ut in tali Sacramento, pane Angelorum nos reficiat: sapientissimè quidem, ut occulto mysterio fides exerceatur ad meritum: fortissimè autem, ut mens tali cibo roborata, hoste devicto, fortiùs nitatur ad regnum: sapientissimè inquam, & fortissimè, ut tanti sui operis de re minima & maxima, nec comprehendi possit potentia, nec artificium. Super omnia enim est mirabile, existentem substantiam panis, in eo existentem carnis suæ convertere! quod est, non videri, quod videtur, non esse: ipsamque carnem cùm sit localis, præsentem in cœlo & in terra, verè & substantialiter esse: & cùm verè caro comesta, & sanguis eius bibitus fuerit in poculo, ipsum Christum vivum & integrum suo permanere in regno. Sed hæc rationi cæca fidei sunt manifesta. Quòd ergo ex se Christus tam mirabiliter, tam salubriter dignatus est pro nobis operari, non parvi pendendum, sed iugiter à nobis venerandum est, & colendum: quia cùm potens sit de lapidibus suscitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in suam convertit substantiam: multò magis fideles suos sub tantæ spei imagine & virtute in corpore sui transfigurabit gloriam, non pro merito, sed pro gratia dans gratiam *in Prologo libri primi de Eucharist.* *Et*: Quis igitur dubitet de veritate & corporis & sanguinis Domini, quæ spiritualiter creditur, quicquid sensus corpori de ipso vel forma, vel odore vel sapore extrinseco mentiantur? Non minùs verè erat Christus, cùm Maria putaret hortulanum, quàm cùm recognouit eum; *libro primo, capite sexto.* *Et*: Fide rudes, Sacramentum corporis Christi in Sacramento significans & significatum in panis & vini forma, itemque in hominis forma, substantialiter & verè unum eundemque Christum credant esse: *ibidem capite decimo octauo.* *Et*: Quòd sicut nec minùs à malo, nec magis a bono Sacerdote consecratur veritas corporis Christi: sic nec minùs à malo, nec magis à quolibet bono sumitur, quantum ad substantiam *libro primo cap. vigesimo primo.* *Et*: Dedit Ecclesiæ suæ Veritas veritatem, Christus corpus suum & sanguinem; ut quod vetus umbra non poterat, ipse redemptionem remissionemque peccatorum, quam fecerat in cruce, faceret similiter in altari quotidie: & quotidiano peccatorum contagio, salubrius quotidiano subveniret remedio: denique ipse qui futurus erat electis vita & præmium, in præsenti esset medicina & viaticum: *libro secundo, capite tertio.* *Item*: Egregium & super omnia excellens Sacramentum nobis providit Deus in sacrificio suo, quo corporis & sanguinis sui veritatem, panis & vini qualitatibus tectam abscondit, digna causa: ne scilicet infidelibus pateat, & eorum blasphemijs vilescat: nevè nos iudicent inhumanos & crudeles, utpotè humani corporis comestores, & sanguinis bibitores, *lib. secundo capite tertio.* *Et*: Hoc quia ineffabile est, quomodo corpus Christi hic fiat, & ibi maneat, ad intelligentiam spiritualem & fidem talia cogitantes revocat: quia etsi sciri non potest, credi potest: quia quod videtur, non materiale corpus panis est, sed species corporalis: quod autem intelligitur, Christus est, quia omnia quæcunque vult, in cœlo & in terra potest. Sicque dum exteriorum sensuum testimonio non acquiescit, nec interiore inquisitione comprehendens, de veritate tamen non titubat: fit per Dei gratiam: ut in tali suo agone fides nostra exerceatur, exercendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. *Ibidem.* *Item*: Bene Christus sub Sacramento dedit nobis semetipsum, ut per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ suæ augeat beneficium, dum in terrena quadam, & prorsus stolida panis & vini forma, maiestatem sapientiæ Verbi Dei substantialiter comprehensam, incomprehensibilem credere & venerari non erubescimus: quæ quantitate & qualitate sua ita eius excellentiæ videtur indigna, ut nullatenus etiam existimari debeat, nisi quia ipse est, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, nisi quia etiam caro eius ipsa est, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: ut potestate tali sit in unitate personæ in cœlo & in terra, quandocunque, quomodocunque sibi placuerit. Hac fide ipsum Sacramentum; quasi divinum quoddam adoramus, & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, quia non quod videtur, sed quod verè est, Christum ibi esse credimus. *Ibidem.* *Item*: Sic in Sacramento corporis Christi, panis formam. Christo non dicamus impersona-

tam: ſed quamvis ipſa panis ſubſtantia miſificè in corpus Chriſti converſa ſit, panis tamen forma in Sacramento remanens, manſura perpetualiter in Chriſti corpore non putetur, ſed ſicut cætera Sacramenta poſt hanc vitam omnino deſiſtere credatur, ne de impanatione hæreſis oriatur: *libro ſecundo capite octauo. Et*: Cùm ergo conſtet, quia ſeipſum moriturus immortalem, invisibilis invisibilem in Sacramento dederit: conſtat, quia illud corpus ſuum, quale nos modò ſumimus, tale fuit, unum, idemque omnino in ſubſtantia & tunc & nunc: ſed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate, in hominis & Sacramenti forma: nunc hominis tantùm & Sacramenti forma. *Ibidem.c.9.*

Rupertus Tuitienſis: doctrina de Cœna.

Rupertus Tuitienſis *Abbas circa annos Chriſti* 1110. *de Materia Cœnæ ſic quoque ſcribit*: Panis iſte corporeus, *inquit*, poſtquam ſignaverit eum Pater, & vinum hoc expreſſum acinis præſentibus, mox ut eodem ſigno ſignatum eſt per manus Eccleſiæ dicentis: Vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. corpus & ſanguis eius, qui huius traditionis author eſt, efficiuntur: & hoc ſacrificium ipſe Chriſtus eſt, cuius paſſione, ut ſacrificium fieret, à Deo Patre in veritate ſignatum eſt: *libro ſexto Comment. in Iohan.cap.6. Item:* In pane & vino immolatur Dei Filius in carnis & ſanguinis ſui veritate: *libro ſeptimo in Ioannem. Et:* Sicut Deus & homo vnus eſt Chriſtus, ſic & iſte panis viſibilis conſecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro eſt, unum eſt Chriſti corpus: *Ibidem. Rurſus*: Chriſtus potuit curare, ut patefacto crucifixi Ieſu Chriſti latere, effluceret aqua cum ſanguine: poterit etiam panem confectum manibus hominum convertere in corpus, & vinum, de palmitibus iſtis in ſanguinem ſuum: *in Matthæum libro decimo cap. 25. Item:* Qui ſi ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius, illis adeſt, quomodo in tali congregationis cauſa non adeſt? Imò totus adeſt, totus ſancto incumbit altari, non ut iterum patiatur, ſed ut fidei, cui præſentia ſunt omnia præterita, eius paſſio memoriter repræſentetur. Ita & Chriſtus iterum immolatur, & tamen impaſſibilis permanet & vivus: quemadmodum illic Iſaac immolatus, & tamen gladio non attritus eſt. Frangitur pro illo panis, & comeditur: ſed licèt ille panis iam ſit Chriſtus ipſe, Chriſtus tamen integer permanet & vivus. Quomodo: inquis, panis, qui videtur, eſt Chriſtus? Ad hæc inquam: Quomodo quælibet metalla, verbi gratia, aurum ſive argentum valido igni conflatum atque reſolutum, revera & aurum eſt, & ignis quoque dicitur & eſt? Etenim aurum videtur & eſt, quod erat: & tamen veriſſimè ignis dicitur & eſt, quod non erat. Idcirco ſic omnino panis admotus vel immerſus terribili atque ineffabili myſterio paſſionis Chriſti, adhuc panis videtur eſſe quod erat: & tamen in veritate Chriſtus eſt, quod non erat: *libro ſexto in Geneſin, cap.32. Item*: Sicut naturam humanam non deſtruxit, cùm illam operatione ſua ex utero virginis Deus Verbo in unitatem perſonæ coniunxit: ſic ſubſtantiam panis & vini ſecundùm exteriorem ſpeciem, quinque ſenſibus ſubactam, non mutat aut deſtruit, cùm eidem Verbo in unitatem corporis eiuſdem, quod in cruce pependit, & ſanguinis eiuſdem, quem de latere ſuo fudit, iſta coniungit. Item quomodo Verbum à ſummo demiſſum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem: ſic panis & vinum utrumque ab imo ſublevatum fit corpus Chriſti & ſanguis, non mutatum in carnis ſaporem, ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo invisibiliter utriusque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt, immortalis ſubſtantiæ veritatem. Proinde ſicut hominem, qui de virgine ſumptus in cruce pependit, rectè & catholicè Deum confitemur: ſic veraciter hoc quod ſumimus de ſancto altari, Chriſtum dicimus, Agnum Dei prædicamus. *Rupertus lib.2. in Exod.cap.10. Item*: quoniam propè eſt in ore tuo & in corde tuo Verbum Dei, Verbum crucis, Chriſtus Dominus, ſi huius Verbi flumen ſuper panem & vinum effuderis, & ordine (qui ab ipſo ſtatutus eſt) veritatem huius Verbi protuleris, ſtatim de ſancto altari panem ipſum & vinum in corpus & ſanguinem ſuum transferendo ſuſcipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua noſtram de Maria virgine carnem ſuſcipere potuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur aut ſunt hoc quod de altari, & illud quod acceptum eſt de utero virginis: quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus, ſurſum eſt in carne, hic in pane: *libro 2. de Divinis officijs, cap.2.*

Corpus & ſanguis ſunt Chriſti non ſpiritualiter, ſed corporaliter. Algerus.

Hanc etiam ob cauſam non ſpiritualiter, hoc eſt fide, ſeu ore cordis, ſed realiter & corporaliter, ore corporeo nos comedere corpus, & bibere ſanguinem Chriſti, docet Algerus *lib.1.cap. 12. dicens*: Non futurum prædico, non abſens aliquid denuncio: ſed hoc quod præſentialiter do, eſt corpus meum: non figuratum, ſed verum ipſum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis idem ipſe, qui pro

vobis

vobis effundetur: addens etiam propriè proprium ſuæ carnis & ſanguinis effectum, ſcilicet remiſſionem peccatorum. Cùm enim ſolius Dei ſit remittere peccata, cui ſoli peccatorum debetur remiſſio: cuius ſanguis, niſi ipſius Dei, poſſet remiſſionem peccatorum operari?

Lanfran. *Lanfrancus inquit*: Cùm divina pagina corpus Domini panem vocat, ſacrata ac myſtica locutione id agit: ſeu quia animam incomprehenſibilem paſcendo ſatiat, eique æternæ vitæ ſubſtantiam ſub miniſtrat: vel quòd corpus eſt Filij Dei: ſeu aliquo alio modo, qui à Doctoribus comprehendi poteſt, à nobis non poteſt. *Item*: Nos in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inviſibiles, id eſt Chriſti carnem & ſanguinem honoramus. Nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, ex quibus conſecratur Dominicum corpus: quemadmodum ante conſecrationem pendebamus, cùm fideliter fateamur, ante conſecrationem eſſe panem vinumque: id eſt, eas res quas natura formavit: inter ſacrandum verò converti in Chriſti carnem & ſanguinem, quas utraſque res benedictio conſecravit. *Item*: Sacramentum corporis Chriſti, quantum ad id ſpectat quòd in cruce immolatus eſt ipſe Chriſtus Dominus, caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. Caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis. Carne & ſanguine utroque inviſibili, intelligibili, ſpiritali, ſignificatur Redemptoris corpus viſibile, palpabile, manifeſtè plenum gratia omnium virtutum, & divina maieſtate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi ſalutem dividitur, alterum verò effuſum de calice, ab ore fidelium ſumitur, mors eius in cruce, & ſanguis eius de latere emanatio figuratur, caro ergo & ſanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis noſtris Dei miſericordiam quotidie alimur, Chriſti corpus & ſanguis vocantur: non ſolùm quia eſſentialiter idem ſunt, qualitatibus plurimùm diſcrepantes: verùm etiam elocutionis modo, quo res ſignificans, ſignificatæ rei ſolet vocabulo nuncupari. *Rurſus*: Apoſtolica doctrina in tota mundi latitudine prædicandum inſtituit, carnem ſcilicet & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ore & corpore, & ore cordis, hoc eſt corporaliter & ſpiritualiter manducari & bibi. Corporali ſiquidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de altari Dominico, ipſum Dominicum corpus per Sacerdotis manus accipimus. Spirituali verò ore cordis ſpiritualiter comeditur & hauritur, quando ſuaviter & utiliter, ſicut beatus Auguſtinus dicit, in memoria reconditur, quod unigenitus Dei Filius pro ſalute mundi carnem accepit, in cruce pependit, reſurrexit, apparuit, aſcendit, venturus in die iudicij, dignas ſingulis mercedes rependere, pro ſuis operibus: *libro de Sacramento Euchar.*

Anſhelmus. Anſhelmus *Lanfranci diſcipulus & in Epiſcopatu ſucceſſor. anno Chriſti* 1094. *ſic ſcribit*: Manducate quod tribuo, quia hoc eſt corpus meum. Senſibus quidem exterioribus videtur eſſe panis, ſed ſenſibus cognoſcite mentis, quia hoc eſt corpus meum, non aliud: ſed iſtud idem ſubſtantialiter quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem & crucifigetur. Hoc, quod dixi, facite: id eſt, corpus meum accipite & manducate per ſucceſſionem temporis, uſque ad finem ſeculi, in meam commemorationem: id eſt, in memoriam paſſionis meæ, ut pertractetis & conſideretis, quàm dignam & ſanctam & humanæ ſalutis efficacem medicinam accipietis, quatenus ex conſideratione tantæ ſanctitatis cum maiori veneratione ſacram Euchariſtiam percipiatis, & imitari paſſionem meam deſideretis: ut ſi opus fuerit pro ſalute fratrum mori parati ſitis. Accipientes enim corpus meum: memores mei eſſe debetis, ut diligenter recogitetis quis ego ſim, vel quæ pertulerim, ut ſicut præceſſi ſequamini. Vel, vos Sacerdotes hoc facite: id eſt ex pane corpus meum, per myſtica verba conſecrate, in memoriam paſſionis meę: ut recogitetis eam, dum ſacrificium iſtud obtuleritis. *In undecimum cap. 1. ad Corinth.* *Et*: Quemadmodum Melchiſedech Abrahæ panem & vinum ſacratum dedit: ita & Ieſus diſcipulis ſuis, in ijſdem ſpeciebus corpus & ſanguinem ſuum dedit. *In ſeptimum cap. ad Hebræos.* *Item*: Caro Chriſti, quam ex altari ſumimus, idcirco velamen appellatur, quoniam ſenſibus noſtris in Sacramento velatur. Nam ſenſus noſtri aliud renunciant, & aliud fides, viſus enim nobis perſuadet eſſe ſolummodo panem, ſecundùm panis ſpeciem: fides autem inſinuat, eſſe carnem vivam & viuificantem: guſtus panem in ſapore, auditus etiam illud in fractione: fides verò integrum agnum à fidelibus ſumi, ſine aliqua ipſius læſione. *in 10. c. ad Hebr.*

Figuram autem, ſignum, typum, &c. à Cœna prorſus excludit Algerus: Alij, *inquit*, panem & vinum non mutatum, ſed ſolum Sacramentum, ſicut aquam baptiſmatis, vel oleum chriſmatis corpus Chriſti non verè, ſed

Figuræ, ſignum, typus, &c. à Cœna exclusa.

sed figuratè dicunt vocari. *In Prolog. lib. 1. de Euchar. Item ponit hanc obiectionem:* Illud in altari, quòd tu asseris verum corpus Christi, in sacris literis appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, Sacramentum. Hæc autem vocabula non ad aliquid sunt. Nulla verò quæ ad aliquid sunt, possunt esse id, quod sunt ea ad quæ referuntur. Non est igitur Sacramentum corpus Christi. *Respon.* His vocabulis in nullo præiudicatur fidei, qua credimus: & veritati, quam timemus. Quantum enim ad visibile Sacramentum, species & similitudo illarum rerum sunt nomina, quæ ante fuerunt, panis scilicet & vini, non corporis Christi. Corpus verò & sanguis Christi vocantur nuncupativè, eo locutionis modo, quo res significans, solet rei quæ significatur vocabulo nuncupari. *li. 7. c.17. de Euchar.*

Sic etiam Rupertus: Hoc est corpus meum, nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figurativum, vel per similitudinem dictum: cum inquam illo dicente, Hoc est corpus: nos dixerimus, Hoc significat corpus: nonnè multum est quod apponimus, vel prava demutatione detrahimus, & sensum generamus, quem tantus author, Deus & homo, nusquam est locutus, nec ascendit unquam in cor eius? *lib. 6. cap. 6. in Ioannem. Et:* Ergo, inquiunt, si non figuratè, sed revera panis iste Christus dicitur, vel est, quotidiè Christus patitur, & toties moritur, quoties panis iste in commemorationem eius frangitur. Et hic, inquiunt, sermo durus est, etiamsi Paulus non diceret, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors ultra non dominabitur: quis hunc sermonem possit audire? Hæc & huiusmodi dicere illo experimento didicimus. Econtrà quibuscunque revelat non caro & sanguis, sed Pater qui est in cœlis, quoscunque ille attrahit ad Filium dulci attractione, id est, revelatione Spiritus sancti, dicunt & sentiunt non durum, sed suauem esse sermonem hunc: quia videlicet gustaverunt & viderunt, & nobis dicunt: Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. *lib. 7. cap. 7. in Ioannem. Item:* Licèt panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit: aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est, unum esse vel fieri non poterit. Nam Dei Filius, id est, Deus & homo, habet in se virtutem effectivam, qua sibi uniat panem istum visibilem: Isaac autem illum sibi concorporare, salva utraque substantia, non poterat arietem: *ibidem.*

Petrus Cluniacensis *libro primo contra Petrobrusianos, epistola secunda rationem reddere volens, cur Sacramentum Cœnæ, Mysterium, Species & Figura dicatur,* inquit, intra hoc quod exterior forma nuntiat, virtus divina verum corpus & sanguinem Redemptoris occultat.

Quòd autem impij quoque verè comedant verum corpus Christi, Algerus his verbis docet: Omnino credamus, bonos verè corpus Christi sumere: malos autem verè quidem, quantum ad substantiam: & non verè, quantum ad effectus gratiam: *libro primo capite vigesimo primo. Sic etiam Lanfrancus:* Est quidem, *ait,* etiam peccatoribus & indignè sumentibus, vera Christi caro, verus sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. Huius rei testis est Augustinus libro quinto de Baptismo dicens: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut, quia ipse est malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. *Impiorumque verum Christi corpus edere.*

Petrus Lombardus, *vulgò* Magister Sententiarum *dictus, Lib. 4. Dist. 8. cap. 2. de forma Cœnæ Dominicæ sic scribit:* Forma est, quam Christus edidit, dicens: Hoc est corpus meum Et, Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc verba proferuntur, conversio fit panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi. *Petrus Lombardus de Cœnæ doctrina. Deforma Cœnæ Quid in Cœna fit Sacramentum & res.*

Cap. 3. ostendit quid in Eucharistia sit Sacramentum, & quid res. Sacramentum, *inquit,* est species visibilis sub forma panis & vini. Res verò huius Sacramenti est gemina natura, contenta & signata: Vt corpus Christi verum quod de virgine traxit, & sanguis quem pro nobis fudit: alia verò signata & non contenta: Vt corpus Christi mysticum, quod est unitas Ecclesiæ. *Ex quibus ulteriùs concludit,* quòd in hoc Sacramento tria distinguenda sint: Vnum, quod est tantùm Sacramentum, ut species visibilis, panis & vinum. Aliud est, quod est Sacramentum & res, ut vera Christi caro, & sanguis verus. Tertium verò est, quod est res & non Sacramentum, ut corpus Christi mysticum.

De impiorum manducatione Dist. 9. cap. 2. sic scribit: Quidam præsumunt dicere, corpus & sanguinem Christi à bonis tantùm sumi, & non à malis. Sed indubitanter tenendum est, à bonis sumi non modò sacramen- *De impiorum manducatione,*

mentaliter, ſed & ſpiritualiter: A malis verò tantùm ſacramentaliter, id eſt, ſub Sacramento, ſcilicet ſub ſpecie viſibili carnem Chriſti de virgine ſumptam, & ſanguinem pro nobis fuſum ſumi: ſed non myſticam, quæ tantùm bonorum eſt.

Diſt.10.cap.1. Figuram, typum, ſignum, &c. omne è Cœna prorſus excludit. Sunt alij, *inquit*, præcedentium inſaniam tranſcendentes: qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audaciùs ac periculoſiùs veritati contradicunt: aſſerentes, in altari non eſſe corpus Chriſti vel ſanguinem: nec ſubſtantiam panis vel vini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis converti: ſed ita Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, ſicut Apoſtolus dixit: Petra erat Chriſtus. Dicunt enim ibi eſſe corpus Chriſti tantùm in Sacramento, id eſt, in ſigno, & tantùm in ſigno à nobis manducari. Qui errandi occaſionem ſumunt à verbis Veritatis, unde prima hæreſis facta eſt in diſcipulis Chriſti. Cùm enim dicerent: Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Illis diſcedentibus inſtruxit duodecim qui remanſerant: Spiritus eſt, inquit, qui viuificat: caro nihil prodeſt: Verba quæ vobis locutus ſum, Spiritus & vita ſunt, &c. *Ad hæc reſpondet Lombardus, his verbis non negari verum corpus Chriſti à fidelibus ſumi, vel in altari eſſe: ſed Chriſtum Apoſtolos & nos inſtruere voluiſſe, quòd ipſius corpus non per partes diſcerptum, ut illi putaverunt, ſed integrum: nec viſibiliter in forma humana, ſed inviſibiliter ſub forma panis & vini, corpus & ſanguinem nobis tradere velit. Hunc deinde ſenſum ex Auguſtino aliquot adductis locis confirmare conatur. Cùm autem negotium ſibi faceſſere videretur Auguſtinus his verbis:* Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri eum ſanguinem quem fuſuri ſunt ij qui me crucifigent, *Lombardus aliena pro Auguſtini verbis ſubſtituit, quibus hanc rem voluit explicare, ſic inquiens Diſt.10.cap.1.lib.4.Sentent.* Ipſum quidem & non ipſum corpus quod videbatur, manducatur: ipſum quidem inviſibiliter, non ipſum viſibiliter. *Verba autem Auguſtini ſic habent:* Sacramentum aliquod commendavi vobis, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. *Quæ verba Auguſtini à craſſa & corporali ad ſpiritualem manducationem animos noſtros traducunt. Verùm Lombardus, cui ſpirituale nihil aliud eſt quàm Inviſibile, alium ac planè contrarium ſenſum ſequitur. Hinc verò Scholaſticorum vulgus ſequentibus ſeculis duabus illis dictionibus* Viſibiliter & Inviſibiliter *tanquam foſſa & vallo ſuam doctrinam circumſeptam ita munire conati ſunt, ut eam nullis obiectionibus patère arbitrarentur. Dum enim perſpicuis Scripturæ verbis urgentur, dum in eos veritas corporis Chriſti, & eius in cœlum aſcenſum tanquam tela fortiſſima contorquentur, refugiunt illi, & ut in arce tutiſſima, ita in illa Lombardica diſtinctione Viſibiliter & Inviſibiliter latitantes, ibi ſuæ defenſionis omnia præſidia conſtituunt. Ipſam porrò diſtinctionem tam obſcuram & imperviam, tot interpretationum nebulis obvolvunt, ut dum eam exponunt, ipſi propè inviſibiles fiant. Huc verò tandem redeunt, ut craſſiſſimam corporis Chriſti manducationem, contra Auguſtinum, fingant: hoc tantùm excepto, quòd eam negant Viſibiliter fieri, ab ipſo videlicet, oculorum ſenſu convicti.*

Lombardi impoſtura.

De modo converſionis panis & vini in reale corpus & ſanguinem Chriſti Diſt.11.capite 1. ſic ſcribit: Si quæritur, qualis ſit illa converſio? An formalis, an ſubſtantialis, vel alterius generis: definire non ſufficio. Formalem tamen non eſſe cognoſco; quòd ſpecies rerum quæ ante fuerant, remanent, & ſapor, & pondus. Quibuſdam eſſe videtur ſubſtantialis: dicentibus, ſic ſubſtantiam converti in ſubſtantiam, ut hæc eſſentialiter fiat illa. *Et hunc converſionis modum egregiè ſe putat probaſſe authoritatibus Patrum: Sed in ijs citandis, prævaricatorem agit, cauſamque ſuam magis oppugnare quàm ſtabilire videtur: & in ipſo dogmate aſtruendo non ſatis ſibi conſtat. Nam de converſionis modo, ut iam indicatum eſt, adeò nihil certi definire audet, ut in variis multorum ſententijs quid potiſſimùm ille ſequatur, neſciat. Deinde in mentem Auguſtini, quem ſubinde teſtem citat, penitius introſpicere, & plura ac clariora eius teſtimonia ad demonſtrandam veram ſententiam in medium proferre debuit. Sed præiudicata Tranſſubſtantiationis opinio, ita mentem hominis faſcinaverat, ut quæ Auguſtini dicta ex diametro cum eo pugnant, hæc omnia vel prætermiſerit, vel violenter in comprobandam ſuam ſententiam detorſerit. Nam qualis hic ſymbolorum ſtatuenda ſit mutatio; vel unicum hoc Auguſtini dictum eum ſatis abunde docere potuerat.* Accedit, *inquit*, verbum ad elementum & fit Sacramentum. Vnde enim iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. *Quibus verbis clariſſimè Auguſtinus docet, quid de mutatione ſymbolorum ſentire debeamus, poſtquam Verbo Dei ſanctificata fuerint: Nimirum, elementa non mutari in ſubſtantia, ſed acce-*

De modo converſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

accedente Dei verbo saltem in usu ac dignitate mutari, ut videlicet non ampliùs sint prophana elementa, sed Sacramenta, hoc est, per quæ fideles rerum divinarum ac cœlestium participes efficiantur. Hoc ipsum etiam Chrysostomus confirmat scribens in Psalmum vigesimum secundum.

De accidentibus elementorum.

De accidentibus quoque quæ post transsubstantiationem in pane & vino remanent: id est, de speciebus, & sapore, & pondere, in quo subiecto fundentur, Dist. 12. capite primo sic respondet. Mihi videtur fatendum potiùs existere sine subiecto, quàm esse in subiecto: quia ibi non est substantia, nisi corporis & sanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia ad mysterij ritum, ad gustus fideique suffragium, quibus corpus Christi habens formam & naturam suam tegitur.

De fractione panis.

De fractione autem & partitione panis, Dist. eadem cap. secundo. Quæritur, *inquit*, utrum vera sit? & si ibi vera fractio est, cuius rei sit, vel in qua re fiat? Cumque non sit ibi alia substantia, quàm Christi: si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed è contra, quum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale & impassibile, in ipso non posse esse videtur, Nam & Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant, carnem Christi, sicut aliam in partes dividendam, & morsibus dilacerandam. Ideo quibusdam placet, quòd non sit ibi fractio sicut videtur: sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur quod ait Ambrosius: Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis. Vel sicut fit in Magorum præstigijs, ubi illusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est. Ad hoc illi dicunt: Non fallit nos visus, nec fallitur: quod esset, si crederetur ita frangi ut videtur. Nec illusio est: quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit. Sicut & Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini: nec in eo tamen talis forma erat: sed oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Alij verò dicunt, quod sicut ibi species panis est, & non est ibi res cuius, vel in qua sit illa species: ita est ibi fractio, quæ non fit in aliqua re, quod nihil ibi frangitur. Et mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi fiat fractio, ubi nihil frangitur.

Alij tradunt corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & incorruptibile existere: Et hoc se colligere dicunt ex Confessione Berengarij: qui confessus est coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse: & sensualiter non solùm sub Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

Lombardus autem probabiliorem recitans sententiam, omnino fractionem & partitionem illam, non in substantia corporis, ut quod incorruptibile est, sed in ipsa forma panis Sacramentalis fieri pronuntiat. *Et quia fractio, & partes, quæ ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, hoc est, in specie visibili, ideo illa Berengarij verba, ita distinguenda esse docet, ut sensualiter non modò in Sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi verò & atteri dentibus, verè quidem, sed in Sacramento tantùm.*

Lombardus concilium contra Berengarium congregatum damnat.

Hùc verò Lombardus nihil affert, quo recitatas discordes ac pugnantes invicem sententias conciliet: sed potiùs Confessionem Berengarij, quam illi dictauit Papa & Concilium Romanum, manifesta contradictione condemnat. Nam dum aliquid dicere vult, ad excusandam decreti Pontificij iniquitatem, eò tamen relabitur, ut nullam in corpore, manifestè contradicens Nicolao secundo, sed in Sacramento tantùm fractionem fieri asseveret. Sic nimirum omnipotens Deus iusto suo iudicio ipsorummet confundit linguas, ut dum insuflatam hanc & exosam Deo turrim Babel magno conamine ædificant, sese mutuò intelligere nequeant. Nam illud inprimis est ridiculum, quod Lombardus, postquam in sola forma siue specie visibili panis, & non ipso pane, fractionem fierè docet, non esse mirandum indicat, aut insultandum, si accidentia videantur frangi, cùm ibi sint sine subiecto, & sicut quidam affirment, fundentur in aëre. *Hæc enim tam ridiculè, tam ambiguè ab isto dicuntur Magistro, ut quid neget, quidue affirmet, ne ipse quidem miser scire videatur.*

Hoc verò observatione dignissimum est in Magistro Sententiarum, quàm dextrè, appositè & solidè, figmenta sua ex Verbo Dei & Augustino confirmare conetur. Est ibi, *inquit*, vera fractio, & partitio, quæ fit in pane, id est, in forma panis, Vnde Apostolus ait prima Corinth. decimo. Panis quem frangimus: quia forma panis ibi frangitur, & in partes dividitur: Christus verò integer manet, & totus est in singulis. *Hoc verò non est sacras Scripturas interpretari, sed potiùs violenter torquere, & ad sensum suum pro libito inflectere. Paulus enim panem revera frangi & manducari, ad commemorationem mortis Christi, & testandam communionem nostram, quam*

in

in corpore ejus habemus, sine omni ambiguitate & simpliciter docet. Lombardus autem Spiritui sancto, & ejus excellentissimo organo Paulo contrarius, non panem, sed panis duntaxat formam, hoc est, ut ipse vult, accidentia sine subjecto, vel in aëre fundata astruit. Veritnam horum fidem habere volumus? homini-ne vano, & in magna opinionum varietate nunc hoc nunc illud asseveranti? an verò Spiritui sancto veritatem simpliciter proferenti?

Lombardus Augustinum corrumpit.

Eodem etiam modo versatur in explicatione loci quem ex Augustino citat: Quando, *inquit Augustinus*, Christus manducatur, vita manducatur, sed quis audeat manducare Dominum suum? & tamen Veritas invitans nos ad manducandum, ait: Qui manducat me, vivet propter me. Non occiditur Christus, ut manducetur: sed mortuos vivificat. Quando manducatur, reficit: non deficit: vivit manducatus: quod surrexit occisus: nec quando manducamus, partes de illo facimus: & quidem in Sacramento sic fit. *Item*: Norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Christi: unusquisque accipit partem suam. Per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in cœlo: manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur Sacramenta, quòd in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: videtur panis & calix, quod & oculi renunciant: quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. *Hactenus Augustinus.* Ex his, *inquit Lombardus*, datur intelligi, quòd fractio & partes, quæ ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, id est, in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt: ut sensualiter non modò in Sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum: frangi verò & atteri dentibus verè quidem, sed in Sacramento tantùm. Vera ergo est ibi attritio & partitio: sed in singulis partibus totus est Christus. *Hæc Lombardus, Augustinus autem istis verbis perfectam & absolutam de manducanda Christi carne doctrinam tradit, & sic quidem, prout in Sacramento fidelibus exhibetur manducandi. Et Sacramentum quidem cùm ex duabus partibus consstet, sic per mysticam & Sacramentalem unionē ista partes coniungit, simulq; à fidelibus percipi utrasque tradit, ut quod ad locorum attinet intercapedinem, Sacramentum quidem manibus fidelium tractetur, frangatur, & ore ipsorum percipiatur: Christus autem fide manducatus, totus & integer sit in cœlo. Solos igitur fideles nosse dicit Augustinus, quomodo manducent corpus Christi, ut sine fide nullum carnis Christi sitieri posse participem doceat, licèt Sacramentum sumat: frangunt autem fideles & per partes.*

Varietas opinionum de confractione hostiæ.

Has verò sententias de veritate confractionis Oblatæ, de qua post receptum in Ecclesia Transsubstantiationis dogma, magna opinionum vanitate simul & varietate à Pontificiis disputari cœptum est, quæque à veteris Ecclesiæ ritu & consuetudine toto cœlo est remotissima, Gabriel Biel, Lect. 80. in Canonem Missæ his verbis commemorat. Prima est, *ait*, quòsdam docere: nullam esse veram in Eucharistia fractionem, sed tantùm apparentem: hoc est, quasi verè fiat, in oculis hominum solùm apparere, sicut multa alia, aiunt, apparent in hoc Sacramento, quæ tamen ita non sunt: apparet enim accidentia esse in subjecto, quod tamen non est. Si obiiciatur illud Ambrosii, Nihil falsi putandum est in Sacramento veritatis, ut sit in Magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videatur esse quod non est: Respondent, visum nec fallere hic nec falli, quod contingeret, si crederetur ita frangi sicut videtur. Nec illusionem esse, quod ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fiat: sicut & Christus ostendens se duobus discipulis in via in peregrini specie: nec tamen forma talis in eo erat, sed oculi tantùm eorum tenebantur ne agnoscerent eum. *Hanc sententiam Guitmundus contra Berengarium defendit, eam verò Gabriel refellit.* Hæc sententia, *inquit*, contraria est, verbis Evangelistarum, Accepit panem, gratias agens fregit. Hæc autem falsa esse non possunt, nisi diceretur, quòd priùs fregerit, & postea benedixerit. Item, si non esset fractio vera, non esset vera masticatio, nec vera comestio: quæ videntur absurda. Fundamentum etiam huius sententiæ falsum est. Nihil enim in hoc Sacramento apparet, quod non verè & realiter ibi sit. Vnde in Legenda corporis Christi dicitur: Accidentia sine subjecto in eodem Sacramento existunt, ut fides, locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum. Et sensus à deceptione immunes redduntur, qui de accidentibus iudicant, sibi notis. Si autem sensus iudicarent de aliquo accidente, putà fractione, quæ ibi non esset, decipierentur. Nec etiam verum est, quòd multa appareant in hoc Sacramento quæ ibi non sint. Nam quicquid apparet ibi est: licèt multa ibi sint quæ non apparent, scilicet quæ sola fide creduntur. Quod etiam dicitur, apparere accidentia esse in subjecto, falsum est. Ibi accidentia sensibilia apparent: sed an sint in subjecto, an extra subjectum, hoc sensus

post damnatum Berengarium & approbatam Transſubſtantiationẽ, introductus que in Eccleſiam numularias oblatas iſtas, ad omne genus erroris & idololatriæ commodas, decipi tantò facilius ſimpliciores & ad ſuperſtitionem proclives potuerunt. Quòd ſi uſitata illa veteri Eccleſiæ oblationum confractio, ad diſtribuendum inde populo Euchariſtiam, conſtanter in Eccleſia ſervata fuiſſet, nulla omnino de hac fractione panis, ſeu corporis Dominici incideret quæſtio, multoque minùs perſuaderi aliquis potuiſſet, eorum, & quantitatem ſine materia frangi.

Conferantur hæc & quæ ſequentibus capitibus referemus, cum doctrina Patrum primæ & mediæ ætatis, quam ſuprà ſatis copioſè commemoravimus, & mox deprehendes, juxta proverbium, ὁς ἀπὸ τοξῶν, in hoc negotio diſcrimen ineſſe, veterumque Patrum, & horum recentiorum Theologorum, Lanfranci videlicet, Guitmundi, Anſhelmi, Ruperti, Lombardi, & ſequentium Scholaſticorum doctrinam & ſententiam de Cœna Domini, tantum inter ſe convenire, quantum affinitatis eſt plumbo cum argento, æri cum auro, anemonæ cum roſa, homini cum ſimia. Illi enim docent, ſymbola, panem nimirum & vinum, non mutari in ſubſtantia, ſed tantum in uſu ac dignitate, ut non ampliùs ſint prophana elementa, ſed ſacramenta, & ſingularia Spiritus ſancti organa, per quæ fideles rerum cœleſtium participes fiant: Hi verò docent, vi quinq; verborum ſigna externa transſubſtantiari, hoc eſt, ex ſua propria ſubſtantia in aliam verè mutari, ita ut de pane & vino nihil ſuperſit amplius, quàm ſola accidentia. Illi ſpeciei nomine ſacramentum, hoc eſt, verum panem & verum vinum intellexerunt, & veram panis vinique ſubſtantiam. Sermo Dei, *inquit Ambroſius, de his qui initiantur, cap. 9.* Species mutat elementorum, *Item,* Ante benedictionem alia ſpecies nominatur. *Et Auguſtinus,* Sicut, *inquit,* Chriſti perſona conſtat ex Deo & homine, cùm ipſe ſit verus Deus & verus homo: Quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacramentum Eccleſiæ duobus, ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. *Quibus apertiſſimè docet Auguſtinus, quòd duas res in Euchariſtia agnoſcat, & per ſpeciem intelligat naturam, & rerum, hoc eſt, elementorum veritatem, ex quibus Euchariſtia conficitur, hæc enim ſunt ejus verba: Hi verò per ſpeciem intelligunt accidentia ſine ſubſtantia, & individuum vagum. Videntur autem omnino Scholaſtici Doctores hoc ſuum dogma de Accidentibus à ſubjecto abſtractis, à Marcione hæretico hauſiſſe, contra quem Tertullianus pugnavit, & hanc nefandam hæreſim defendebat. Chriſtum è virgine Maria non ipſam humani corporis naturam atque ſubſtantiam, ſed externas duntaxat formas, ſpeciesque aſſumpſiſſe. An non autem dignæſt hæc inaudita priſcis omnibus ſeculis philoſophia &c. vide Petri Vireti lib. 6. de Origine &c. Miniſterii Verbi & Sacramentorum, vide ibid. c. 16.*

De Palinodia Berengarii, ejuſque tum abſurditate, tum varia ac diſſentiente Guitmundi & Scholaſticorum, pro confirmando Transſubſtantiationis errore, interpretatione.

Berengarii triana Palinodia abſurdit.

QVòd ſi Palinodiam Berengario præſcriptam, & per vim ab eo extortam diligenter examinaverimus, horribilis Inclinatio ſanæ ac veræ doctrinæ de Cœna Dominica, circa hæc tempora facta; clariſſimè vel inde elucebit. Ea quidem magna ſub authoritate propoſita, ac in omnes Occidentis partes, magna cum pompa, ſupercilio ac ſtrepitu, pro certa, indubitata, & catholicæ fidei norma ſparſa, & ab adverſariis Berengarii aliquandiu agitata & defenſa fuit: *Mox tamen Meretricis Babylonicæ turpitudine inter diſputandum deprehenſa, & detecta, primò eam variis coloribus ac ſucis exornare cœperunt: progreſſo verò temporis etiam ipſos amatores eius adeò pudere cœpit, ut eam penitus repudiarint. Damnavit enim Nicolaus Papa, cum ſuo Concilio, & pro infami hæreſi execratus eſt, quod poſtea ipſimet Pontificii omnes conſtanter tueri ac defendere cœperunt. Contrà verò affirmavit & obtruſit Berengario, totique Occidentali Eccleſiæ Confeſſionu & fidei catholicæ formulam, quam tamen haud diu poſt, propter abſurdiſſimam impletatem, & impiiſſimam abſurditatem omnes repudiarunt & abhorruerunt. Damnavit in Berengario, quòd ſenſit, Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſacramentum tantùm eſſe, & non ipſum revera corpus & ſanguinem Chriſti. Intellexit autem hac Berengarius de vero ac naturali pane & vino, propriè & ὑπαρκτικῶς. Hoc autem apertiſſimè aſſeruerunt poſtea & docuerunt Papiſtæ, & inter hos, Scholaſtici, propter Subiecti & Prædicati contradictionem, per omnem etiam potentiam Dei impoſſibile eſſe palàm dixerunt, ut panis verè ac propriè ſit corpus Chriſti. E contrà verò præſcripſit Berengario, & ab eo mortis metu extorſit Papa, pro certa catholicæ fidei norma; Ipſum verum Chriſti corpus & ſanguinem, & non ſolùm Sacramentum,* SENSVALITER & IN VERITATE *manibus*

Sacerdotum tractari, frangi & fidelium DENTIBVS *atteri: quod poſtea tamen, ut capernaiticum, impium & abſurdum, repudiarunt, deque ſolo ſacramento, ſeu, ut illi loquuntur, de ipſis ſpeciebus, contra Pontificem Nicolaum & Concilium ejus, accipiendum eſſe, docuerunt, ut mox audiemus. Hæc Berengarij tempore de Sacramento Dominicæ Cœnæ in Romana Eccleſia fides fuit, quam Dominus (Palinodiæ verbis utor) & venerabilis Papa Nicolaus, & ſancta Synodus authoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam tradidit: quam tamen poſtea vel ipſi quoque Scholaſtici tanquam hæreticam, impiam & abſurdam abrogarunt & damnarunt, & per conſequens etiam ipſum Nicolaum Papam cum Synodo.*

In explicanda Berengarii Confeſſione laborarunt Scholaſtici. Guitmundi interpretatio.

Vehementer igitur in hac Palinodia explicanda, ejusque turpitudine excuſanda ac palliranda ab initio laboratum eſt & variatum ſententiis. Guitmundus enim, qui in refutando Berengario, ſuccenturiatus Lanfranco acceſſit, & ſub Gregorio 7. vixit circa annos Domini 1060. *Berengarianæ Palinodiæ ſenſum explicare, eamque ab abſurditate, impietateque vindicare volēs, ſic ejus verba interpretatur, ut fateatur, ipſas fidelium manus & dentes etiam ad corporis Chriſti ſubſtantiam, in ea frangenda ſeu atterenda, id eſt, fortiùs ac preſſiùs tangenda & premenda pertingere. Nam lib.* 1. Quare, *inquit*, non poſſit tangere dens, quod tangit manus? Si ergo corpus Domini poſt reſurrectionem manibus Thomæ Apoſtoli, & ſanctarum mulierum potuit tangi, cur hodie quoque à credentium dentibus non poſſit vel leviùs, vel preſſiùs tangi, hoc eſt, atteri? Nam qui dedignatus non eſt ad ſalutem fidelium corona ſpinea, cruce, clavis, lancea, nimis irreligioſiſſimè, quantum in ipſis erat, atteri, is pro ſalute eorundem fidelium dentibus ipſorum dedignabitur religioſiſſimè, quantum in ipſis eſt, atteri? Qui ergo ſe palpandum, & poſt reſurrectionem manibus obtulit, dentes, propter immunditiem, non evitabit. At fortaſſe metuunt iſti Saluatorem lædere, dentibus ipſum atterendo, quem lædere non metuunt, procaciter mentiendo. Caro enim Domini reſurgentis, quod naturæ erat, retinuit, quod infirmitatis, amiſit. Tangi namque naturale eſt carni, lædi autem infirmitatis eſt. Ita ergo poteſt Chriſtus dentibus tangi, ut quacunque preſſura dentium non valeat lædi. Et in ſequentibus tanta Guitmundi eſt confidentia, ut hominibus perſuadere, & ipſorum quoque oculorum ſenſum hominibus perſtringere conetur, ut credant*, licèt hoſtiam frangi videant, illud tamen revera non fieri, ſed ita tantùm fallaci iudicio ſenſibus videri, ipſam autem hoſtiam revera impartibilem ac integram permanere. *Hæc autem omnia humanæ rationis figmenta, quæ cum Verbo Dei, & totius Vetuſtatis, præſertim autem Auguſtini ſententia ex diametro pugnant, meritò deteſtanda & abijcienda ſunt. Nam Auguſtinus Sacramentum quidem dicit ore & dentibus, viſibiliter & carnaliter premi, ipſum verò Chriſtum dentibus vorare fas eſſe negat, ideoque in manducanda carne ipſius, non ipſas fauces, dentes & ventrem, ſed corda fideles parare iubet: ac propterea blaſphemæ huic doctrinæ & explicationi Guitmundianæ minimè aſſentitur.*

Lombar. de interpretatio. Vide P. Martyrem in Trall. de Cœna part. 2. cap. 1. Ca. fin.

Hanc igitur abſurditatem animadvertens Lombardus, hæc verba Palinodiæ lib. 4. diſt. 12. cap. 2. de viſibili forma ſeu ſpecie tantùm panis in Sacramento interpretatur, ſic ut corpus Chriſti in veritate quidem manibus Sacerdotum tractari, ſed frangi & fidelium manibus atteri, non in ſeipſo, ſed ſolùm in Sacramento, ut viſibili panis ſpecie, intelligendum ſit. Etſi verò hanc interpretationem verba Palinodiæ non admittant, ut paulò poſt indicabitur, nihilominus ad tantam abſurditatem, ne dicam impietatem evitandam, amplexi ſunt eam plerique Scholaſtici, & Gloſſator ad Ca. Ego. & Ca. Vtrum. de Conſecrat. diſt. 2. apertiſſimè fatetur & ſcribit, Niſi hæc Confeſſionis verba ſanè intelligantur, & ad ipſas ſpecies ſenſibiles tantùm illa fractio & attritio referatur, fore dicit, ut in multò majorem hæreſim incurratur, quàm ipſe Berengarius habuerit. Vult igitur hyperbolicè hæc dicta eſſe, & veritatem in dicendo exceſſam fuiſſe: *quo ipſo etiam ſuperior Guitmundi interpretatio damnatur & reiicitur ſimul. Si verò Gloſſator barbarus hæc ſcribere de Palinodia, Berengario tanquam regula & forma catholicæ fidei præſcripta, auſus fuit, quid ad eam obſecro dicturum fuiſſe putas Chryſoſtomum, Auguſtinum & omnes non primæ, ſed mediæ ætatis Patres?* Gloſſator

Bonavent. iudicium de Palinodia Berengarii Nota.

Bonaventura quoque & Cardinalis de Turrecremata dicunt, modum loquendi, quo uſus fuerit Berengarius, non eſſe tenendum: Eccleſiam autem confeſſione ipſius ideo maximè contentam fuiſſe, quòd ex ea conſtaret, corpus Chriſti verè eſſe in ſacramento, licèt non ſatis expreſſa ſit ad omnem excludendum errorem. Sed cogitare debuiſſent, iſtam Berengarii confeſſionem, à toto Romano Concilio, pro certa fidei norma præſcriptam, & à Berengario recitatam tantùm fuiſſe: ideoque non in Berengarium, ſed in ipſum dominatorem fidei Nicolaum Papam & Concilium Romanum hæc iuſtiùs ab ipſis dicta fuiſſe. Sed de induſtria hæc ab ipſis diſſimulata fuerunt, ne, dum nimis ſcrupulosè iſta attingerent, non minùs in Berengarii ſententia condemnanda, quàm in præſcribenda

ipſa

ipſi hac abſurdiſſima Confeſſionis formula, aberratum à Pontifice & Concilio fuiſſe, dicere viderentur.

Etſi verò Lombardi ſententiam, & Berengariana confeſſionis interpretationem plerique Scholaſticorum approbarint, nimirum verba Palinodiæ non de vero pane & vino, ſed de ipſis tantùm ſpeciebus & accidentibus intelligenda eſſe, tamen ne ſic quidem ſenſus & ratio ejus conſtabit. Nam ſpecies & accidentia panis & vini, non tantùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, tam eſt falſum & impoſſibile, quàm hæc, ipſum quoque Pontificiorum teſtimonio, falſum & impoſſibile ſit, panem & vinum eſſe, propter falſam & impoſſibilem unius Disparati de alio prædicationem, ſi propriè hæc & absque Tropo intelligantur. Illa enim Gloſſatoris explicatio, qua panem ſic verum corpus Chriſti eſſe dicit, quòd ſpecies panis, ut ſacramentum, hoc verè ſub ſe contineat, verbis Palinodiæ non congruit, & à ſenſu verborum Chriſti eſt alieniſſima. Denique nec ea, quæ ex iſtis verbis inferuntur, ferre hanc poſſunt interpretationem. Cùm enim in iſta Palinodia, utrumque hoc, & quaſi unum ex alio conſequens, comprehenſum eſt, nempe: Sicut panis & vinum ſunt, non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguis Chriſti, ita quoque ſenſualiter hoc, non ſolo ſacramento, ſed & in veritate manibus tractari, frangi, & dentibus atteri: hinc certe omnino concedendum eſt, vel quia ſub ſpecie panis corpus Chriſti verè adeſſe & contineri fingitur, ſic etiam ſub hac ſpecie verè manibus tractari, frangi, & atteri dentibus dicatur, quod Guitmundus ſenſit, & hanc Palinodiæ Berengarii ſententiam eſſe voluit: Vel ſi ideo manibus tractari, frangi, & dentibus atteri eſt intelligendum, quia videlicet hæc in ſacramento & ſpeciebus fiant, eodem modo fatendum erit, panem in ſacramento eſſe corpus Chriſti, quo hoc in ſacramento frangitur, & atteritur: figuratè nimirum & tropicè, qua ratione nomina & proprietates rerum & ſymbolorum inuicem permutantur, ſicut de hac re Auguſtinus loqui ſolet: Quando Chriſtus manducatur, partes de eo non facimus: in ſacramento quidem ſic fit, unuſquiſque enim accipit partem ſuam, per partes manducatur in ſacramento, manet integer totus in cœlo. *Hoc autem illud ipſum eſt, quod in priore Confeſſionis parte Berengarii abiuratione continetur, panem videlicet & vinum eſſe ſolummodo ſacramentum, & non ipſum revera corpus & ſanguinem Chriſti: neque hæc ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento, poſſe manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Sic enim antea docuerat Berengarius, qui, cùm omnia, quæ ſenſualiter, id eſt, viſibiliter & carnaliter fiant, ad ſolum ſacramentum referat, non videtur in eo à Fulberto præceptore ſuo diſſenſiſſe, qui, quod myſteria ſenſualiter in corpore ſapunt, ad genus alimenti, quo corpora humana nutriuntur, ad panem videlicet & vinum refert: ipſum verò Chriſtum in pectore percipi ait, ſicut ipſe dixit: Qui manducat me, vivet ipſe propter me. Ex iſtis autem, quæ tanquam falſa & hæretica abjuraret, Berengario à Pontifice & Concilio Romano propoſita fuerunt, liquidò conſtat, quòd iis quæ abjuravit, contraria pro veris ſtabilire ſua Confeſſione debuit. Quod ſi, quæ de ſenſuali fractione & attritione dicuntur, ad veritatem corporis aſſerendam non pertinent, nec de ipſomet corpore, ſed de ſacramento tantum accipi atque intelligi debent, quid opus erat, hanc fractionem & attritionem, quaſi peculiare aliquod myſterium habentia, & ſedulò, & valdè ſcilicet myſteriis divinis proprio & accommodato vocabulo, SENSVALITER, inculcare: & quid eſt, quod hac Palinodia ſua revocavit, & in contrarium affirmavit Berengarius? An non enim, cùm Berengarius ab eo, quòd verum corpus Chriſti ſenſualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri non poſſet, hinc etiam panem, qui in altari poneretur, negaret eſſe ipſum realiter, & per eſſentiam verum corpus Chriſti, hac totius ſententiæ ejus revocatione, ſentire, & confiteri eum voluerunt Romanus Pontifex & Concilium? Sicut non ſolùm ſacramentum eſt panis & vinum, poſt conſecrationem, ſed etiam verum corpus & ſanguis Chriſti, ita quoque his conſentanea ſententia, hac ſenſualiter, non ſolo ſacramento, ſed & in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteriri ut ſicut veritas ſolo ſacramento, ita corpus, panis ſpecie, opponatur. Alioquin verba confeſſionis non rectè cohærent, ſi panis aliter eſt corpus, hoc eſt, quod ſub ſpecie eius continetur, eſt corpus, & aliter hoc frangitur & atteritur, quia ipſa ſpecies, ſub qua continetur, frangitur & atteritur. Cùm tamen è contrario ex mutua eorum, quæ in Berengarij Palinodia continentur, collatione, idem modus, & eadem fit ratio, qua panis poſt conſecrationem eſt verum corpus, & hoc ſenſualiter in veritate, & non ſolo ſacramento, frangi & atteri dicitur. Ex quibus omnibus intelligimus, nullum omnino Confeſſionis hujus Catholicæ & Romanæ fidei inveniri & afferri ſenſum poſſe, qui aut falſus, abſurdus & Capernaiticus non ſit, aut cum ipſa confeſſione manifeſtè non pugnet.*

De Origine Consubstantiationis, seu Impanationis, & coexistentiæ corporis Christi in pane.

POst damnatam Berengarij doctrinam, cùm non satù tutum ampliùs esset, ob immanem Pontificum Romanorum tyrannidem, ei ex professo adhærere, multi tamen non improbare eam & repudiare omninò possent, ut Verbo Dei & primitivæ Ecclesiæ consentientem: neque etiam, ob dictam causam, transubstantiationi publicè contradicere auderent, quamvis eam minimè approbarent, tanquam orthodoxæ Vetustati contrariam, mediam quandam, inter has duas, sententiam ipsi excogitarunt. Docuerunt igitur, ut ex lib. 1. & 3. Guitmundi intelligitur, verum panem & vinum post consecrationem in Cœna manere, sed simul In, Sub, vel Cum pane & vino reale quoque corpus & sanguinem Christi existere & contineri. *Ac licèt* Impanationem *Christi rem istam Guitmundus appellat, non tamen apertè declarat, an panis hypostaticè à Verbo assumeretur ex illorum sententia, an non: imò illos sic impugnat, ac si solùm docuissent, simpliciter corpus Christi pani misceri, & cum eo coexistere. Meminit etiam hujus erroris Lombardus lib. 4. cap. 3. dist. 11.* Alii, *inquit*, putaverunt ibi subsistantiam panis & vini remanere: & ibidem corpus Christi esse & sanguinem: & hac ratione dici illam substantiam fieri istam: quia ubi est hæc, est & illa: quod mirum est. Et ipsam subsistantiam panis vel vini, dicunt esse sacramentum, Sed quòd non sit ibi subsistantia, nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis apertè ostenditur. *Quibus verbis Lombardus* Consubstantiationem *panis & corporis, quasi copulationem duarum subsistantiarum componentes, apertissimè damnat.*

Guitmundus contra Consubstantiationem.

In hanc verò doctrinam acerbiùs multò inuehitur, eamque insectatur vehementius Guitmundus, quàm Berengarii sententiam, imo hanc præ illa iustificat. Nam lib. 3. contra Berengarium sic scribit: Quæ insania est, ut Christum (ut ita dixerim) impanent? & quidem Christum incarnari humanæ redemtionis ratio expoſcebat: At impanari vel invinari Christum nulla expetit ratio: nec Prophetæ hoc prædixerunt: nec Christus ostendit: nec Apostoli prædicaverunt: nec mundus (exceptis his paucissimis hæreticis) credidit. Vnde igitur illos malus error inuasit? Totus mundus concinit: Sicut anima rationalis & humana caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus. Nemo dicere audet: Ita Deus & homo, panis & vinum unus est Christus. Vnde igitur isti nova hæc companatio? quare vel Apostolus non terruit eos, dicens: Si quis aliud Evangelium annunciaverit, anathema sit. Christum enim isti impanatum & inuinatum annunciant. Sed huiusmodi Christum Apostoli non annunciarunt. Anathema igitur isti Apostolica authoritate incurrunt. Beatus sanè Ambrosius in libro de Sacramentis copiosè de his differens, non in pane & vino corpus & sanguinem Domini latere, sed panem & vinum in corpus & sanguinem mutari docuit. Et post hæc: Hos autem Impanatores suos ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens & benedicens, ait: Hoc est corpus meum. Non ait: In hoc latet corpus meum. Nec dixit: In hoc vino est sanguis meus, sed: Hic est sanguis meus, Nec in Canone Missæ oratur: ut in oblatione, quam offert Ecclesia, corpus & sanguis lateat, aut in, & cum corpore & sanguine adveniat, sed ut ipsa oblatio corpus & sanguis Domini fiat. Et pòst: Equidem ego de hac Impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum, quantum super istorum stultissima audacia & insanissima præsumptione miror pariter & indignor. Isti enim nequiores nequissimi, fratres suos umbraticos Berengarianos, præ se justificaverunt.

Lanfran cus.

Hunc errorem iisdem ferè verbis exagitat & damnat Lanfrancus (ex quo Guitmundus sua descripsisse videtur) in libro de Eucharistia contra Berengarium: Christum, *inquit*, incarnari humanæ redemptionis ratio expostulabat, at impanari Christum nulla expetit ratio, nec Propheræ hoc prædixerunt, nec mundus, exceptis his vanissimis hæreticis, credidit. Totus mundus concinit; Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Nemo autem dicit: ita Deus homo & panis unus est Christus. Vnde igitur istis hæc nova personatio? *Et post*: Hos Impanatores ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit: cùm accipiens panem, gratiasque agens, & benedicens, ait: Hoc est corpus meum, non autem in hoc latet corpus meum. Hinc & Ecclesia in Canone non orat, ut in oblatione, quam petit fieri adscriptam & acceptabilem, lateat seu adveniat corpus, sed ut fiat nobis corpus Christi.

Mentionem quoque Consubstantiationis hujus facit Thomas Sentent. lib. 4. dist. 8. art. 1. & in Comment. in 1. Corinth. 11. quam tamen & ipse tanquam impossibilem repudiat.

Eam

Occam non improbauit Consubstantiationem.

Eam verò postea Guilhelmus Occamus, qui circa annos Domini 1320. vixit, præ cæteris libentissimè amplexus fuisset, nisi obstitisset (*ut ipsemet fatetur in lib. 4. sentent. q. 5.*) Ecclesiæ determinatio, & communis aliorum Doctorum sententia, nullam panis substantiam remanere asserentium. *Neque enim existimant hanc Christi enunciationem*, Hoc est corpus meum, *veram esse posse, nisi panis in corpus Christi conuertatur & transmutetur: Falsa enim hæc enunciatio esset*, Panis est corpus meum. *Horum itaque authoritati quia Occamus refragari non audet, Romanæ Ecclesiæ determinationem approbat. Rationes autem & argumenta quæ illum mouerunt, ut hanc Consubstantiationis sententiam libentiùs fuerit probaturus, hæc fuerunt: Cùm quòd hanc non tam multa absurda consequi videantur, quàm alias omnes: nullaque esse absurda, quæ ab hac sententia aucarè possint, quæ aliàs quoque non comitentur: tum verò in primis, quòd ea excludi videatur, quòd omnium docet absurdissimum ex aliorum interpretationibus consequi, videlicet, quòd in hoc Sacramento ſtatuantur accidentia sine subiecto. Hæc autem sententia* Transubstantiatio *tollitur: ſtatuitur autem* Consubstantiatio: *vel ut Occamus loquitur,* Coexistentia, *& ut alij,* Impanatio. *Quæ si recipitur, sic verba Christi interpretanda erunt,* Hoc est corpus meum, *id est, Cum hoc, vel in hoc, vel sub hoc, aut iuxta hoc est corpus meum. Et tum ne sic quidem simpliciter exponetur verbum* EST: *sed aliter Christi verba sonare videbuntur, aliter interpretatio. Hanc ipsam de Consubstantiatione sententiam, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in lib. 4. Sentent. quæst. 6. art. 2. sic probavit, ut manifestè etiam testetur,* se eam potiùs, quàm Transubstantiationem amplecti velle, nisi Romana Ecclesia contrà ſtatuisset. *Vixit autem circa annos Domini* 1416.

Petrus de Alliaco approbat Consubstantiationem.

Lutherus recipit Consubstantiationem.

Tandem quoque Lutherus authoritatem Cardinalis huius sequutus, Primò quidem ſtatuit, non esse articulum fidei, utrum maneat vel non maneat panis substantia cum corpore Domini: nam utrumque absque hæresi defendi posse. Posita verò probabilius ei visum est, ut panis maneat, & sub pane, in pane, cum pane, sit Christi corpus. Et hæc est hodie vulgata opinio omnium eorum, qui se LVTHERANOS *vocant. Sic autem Lutheri verba habent in lib. de Captiuit. Babylonica*: Dedit, *inquit*, mihi quondam, cùm Theologiam Scholasticam haurirem, occasionem cogitandi D. Cardinalis Cameracensis libro Sententiarum quarto, acutissimè disputans multò probabiliùs esse, & minùs superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis, verumque vinum, non autem sola accidentia esse astruerentur, nisi Ecclesia determinasset contrarium. Postea videns, quæ esset Ecclesia quæ hoc determinasset, nempe Thomistica, hoc est, Aristotelica, audacior factus sum, & qui inter saxum & sacrum hærebam, tandem ſtabiliui conscientiam meam, sententia priore: Esse videlicet verum panem, verumque vinum, in quibus Christi vera caro, veruque sanguis, non aliter nec minùs sit, quàm illi sub accidentibus suis ponunt, quòd feci, quia vidi Thomistarum opiniones, siue probentur à Papa, siue à Concilio, manere opiniones, nec fieri articulos fidei etiamsi Angelus de cœlo aliud ſtatueret. Nam, quod sine Scripturis asseritur aut reuelatione probata opinari licet, credi non est necesse: Hæc autem Thomæ opinio, adeò sine Scripturis & ratione fluctuat, ut nec Philosophiam, nec Dialecticam suam nouisse mihi videatur. Longè enim aliter Aristoteles de accidentibus & subiecto, quàm sanctus Thomas loquitur, ut mihi dolendum videatur, pro tanto viro, qui opiniones in rebus fidei, non modò ex Aristotele tradere, sed & super eum, quem non intellexit, conatus est ſtabilire, infœliciſſimi fundamenti infœliciſſima ſtructura. Permitto itaque qui volet utramque opinionem tenere, &c. *Lutherus igitur cum suis, verba Christi,* Hoc est corpus meum, *interpretantur per ista: In hoc, cum hoc, sub hoc pane est corpus meum. Nec minùs quàm Papistæ clamant, se retinere τὸ ἐνιαυτὸν sine tropo. Vnde etiam, quando cum Pontificijs dimicant, particulam* Tὸ, *Hoc, panem tantùm demonstrare dicunt: & panem ipsum esse corpus Christi. Quando verò cum Sacramentarijs, quos ipsi vocant, pugnant, particulam* Tὸ, *Hoc, non solùm panem, sed panem cum corpore inuisibiliter intus latente, demonstrare aiunt, & sensum esse: Hoc est corpus meum, id est, Hic panis, & in hoc pane latens corpus meum, est corpus meum. Hanc interpretationem similibus illustrare conantur & phrasibus vulgo usitatis; perinde videlicet Christum, dum porrigeret inuisibile suum corpus in pane, dixisse: Hoc est corpus meum: atque cùm rusticus de auena in sacco dicit: Hoc est auena, saccum demonstrans: vel mercator de pecunia in loculis: Hoc est pecunia crumenam exhibens: vel mater de infante in cunis: Hoc est infans meus, cunas ostendens: vel caupo de vino: Hoc est vinum Rhenanum: cyathum porrigens.*

Lutheri interpretatio verborum Christi.

Pro absurdo autem miraculo subsistentia accidentium sine subiecto, fingitur hac sententia aliud non minùs absurdum de penetratione duorum corporum. Et hoc solùm inter utramque sententiam Transubstantiationis & Con-

Consubstantionis absurditas.

Differentia inter Transsubstantiationem & Consubstantiationem.

ſubſtantiationis intereſt, quòd cùm utraque veram, eamque corpoream Chriſti corporis & ſanguinis præſentiam in Cœna ſtatuat, in modo tamen præſentiæ diſſentit, quòd hæc non ut alterа, aſpectabiles rerum cœleſtium notas cenſet in eas res conuerti quarum notæ ſunt: verùm integras, & pro ſua naturæ modo in ſacramento permanere fatetur, docetque, ſed ita ut cum ipſis rebus coniungantur quas ſignificant. Quod ſanè concedi aliquo modo poſſet, ſi non tam apertè res ſpirituales cum corporeis, ac cœleſtes cum terrenis, tanquam indiſſolubili quodam nexu copularet, & ſententiæ Papiſticæ nonnihil accederet, quæ ſignorum aſpectabilium ſubſtantiam in Cœna penitus tollit, quam altera retinet. Longiùs etiam Conſubſtantiatorum quàm Transſubſtantiatorum ſententia à Chriſti verbis recedit, ſi vel litera ſpectetur, ſiue ſenſus. Litera eſt, HOC, *id eſt, hic panis eſt corpus meum: ſenſus eſt: Panis iſte viſibilis fractus & diſtributus, eſt verum & eſſentiale corpus meum, pro vobis traditum: non tamen eſſentiali conuerſione, ut Pontificij volunt, (panis enim non eſt à λόγῳ aſſumptus, neque pro nobis traditus) ſed myſtice, ſiue Sacramentali Metonymia: ut Chriſtus ipſe & Paulus, totaque orthodoxa Antiquitas interpretatur. Ab hac litera & ſententia verborum Chriſti, Conſubſtantiatorum dogma toto abeſt cœlo. Quemadmodum igitur non eſt verum, Pontificios τὸ ῥητὸν ſeruare, quando pro verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, hanc gloſſam ſupponunt: Hæc res, ſeu hæc ſubſtantia vaga, contenta ſub his ſpeciebus eſt corpus meum: Sic multò minùs verum eſt, iſtos literam, & verum ſenſum verborum retinere, cùm pro verbis Chriſti hæc ſua aſſerunt: In pane, cum pane, ſub pane eſt corpus meum: vel, Panis & corpus in pane inuiſibiliter latens, eſt corpus meum. Nam nec ſolus panis, nec panis cum corpore intus latente, propriè & ſine tropo dicitur corpus Chriſti: ſicut nec crumena vacua, vel nummis plena, propriè & ſine tropo pecunia dicitur.*

Nota.

Non ſine cauſa igitur hæc Conſubſtantiatorum, ſeu Impanatorum doctrina grauiter à Guitmundo refutata eſt, ut paulò ante indicauimus. Cuius Martinus Lutherus meminiſſe debuit, cùm ad oppugnandos tanta maiore cum authoritate & applauſu ſuos aduerſarios his verbis ad doctrinam & iudicium Papatus in Parua ſua confeſſione prouocat: Ad hunc modum ſub Papatu traditum eſt, quemadmodum & nos ſtatuimus & docemus, veluti vera & priſca Eccleſia ante mille quingentos annos. *Et paulò pòſt:* Hoc autem modo docent Papiſtæ, imò non Papiſtæ, ſed Eccleſia & nos cum ijs, quòd corpus Chriſti non ſit localiter in Sacramento, ſed definitiuè, hoc eſt, certò eſt ibi, corporaliter & verè. *Sed quum hæc vera non ſint, quod ad Papiſtas attinet, ut ex ſuprà citata Guitmundi & Lanfranci cenſura intelligitur, in qua nominatim refutantur, & multò acerbius quàm Berengarij doctrina damnantur: non poteſt etiam eſſe nera ſententia, quæ hac veluti falſa conditione & hypotheſi ſubnixa eſt atque ſuffulta. Frequens eſt etiam Scholaſticorum ſententia:* Aut ex Romanæ Eccleſiæ determinatione recipiendam & approbandam eſſe Transſubſtantiationem: Aut unà cum Berengario negandam corporalem præſentiam, & realem in Sacrificio Miſſæ oblationem. *Et in hoc tota Ieſuitarum conſentit Societas, ſi in verbis Chriſti pronomen demonſtratiuum,* HOC, *panem denotet, quem Chriſtus accepit, fregit, & diſcipulis ſuis, ut acciperent & manducarent, dedit: neceſſariò per hoc omnem tolli & excludi ab Euchariſtia corporalem præſentiam.*

Nota.

De Aliis Erroribus hoc Tempore in doctrina de Cœna Domini exortis.

Panem partim mutari, partim non.

FVerunt etiam qui, ut Guitmundus indicat, Panem aſſerebant partim mutari in corpus Domini, partim non mutari. *Hoc ea de cauſa docebant, quia negabant, verum corpus Domini ab impijs ſumi. Volebant itaque eam panis partem, quæ à pijs ſumenda erat, verti per conſecrationem in corpus Domini: eam verò, quæ ab impijs accipienda erat, non conuerti. Huius ſententiæ authores Guitmundus dicit, Berengarij hoſtes fuiſſe, & tamen iiſdem fere argumentis ad ſuum dogma confirmandum uti conſueuiſſe.*

SECVNDO, *Thomas 3. parte, quæſt. 75. artic. 6. refert, alios docuiſſe,* materiam panis mutari in corpus Chriſti, ſed formam panis ſubſtantialem eandem remanere.

TERTIO, *Henricus quidam cum Petro Bruis circa annum Domini* 1140. *docere cœpit,* ſemel tantùm, *in ipſa nempe ultima Domini Cœna,* Apoſtolis Chriſti corpus verè datum ſub ſpecie panis: deinceps autem meram deceptionem eſſe, quod ſacerdotum miniſterio dicitur aut creditur. *Teſtis eſt & refutator huius erroris Petrus Cluniacenſis, qui eodem tempore floruit, in tractatu de Sacrificijs.*

QVARTO, *Rupertus Abbas Tuitienſis, annis circiter* 40. *Guitmundo poſterior, docuit,* Panem Euchariſtiæ hypoſtaticè aſſumi à Verbo, eo prorſus modo, quo natura humana ab eodem Verbo aſſumpta eſt. *Id patet ex lib. 6. in Iohan. ubi explicans illa Chriſti verba:* Panis quem ego dabo, caro mea eſt,

eſt, *dicit*, Verbum æternum per incarnationem factum hominem non deſtruendo, vel mutando, ſed aſſumendo perſonaliter humanitatem, & eodem modo per conſecrationem Euchariſtiæ, idem Verbum fieri panem non deſtruendo, vel mutando, ſed aſſumendo perſonaliter panem. *Quibus apertè docet, Chriſtum dici, & eſſe panem facta conſecratione, ſicut dicitur, & eſt homo, per Incarnationem. Idem Rupertus lib. 2. de Officijs Diuinis c.2. ſuis hoc ipſum docet: vbi declarat, ipſum panem fieri corpus Chriſti, non quia vertatur in Domini carnem, ſed quia aſſumatur à Verbo. Ex quo conſequitur, panem eſſe corpus Chriſti, ſed corpus non humanum, neque carneum, ſed panaceum: & longè ab illo diuerſum, quod de Virgine ſumptum eſt. Ibidem docet, hæc duo corpora poſſe dici vnum, quia vnum eſt ſuppoſitum vtriuſque, ſiue vnus eſt Chriſtus, qui vtrumque aſſumpſit: & diſertis verbis dicit, illa corpora, panaceum & carneum, eſſe vnum, quia idem Chriſtus ſurſum, id eſt, in cælo, eſt in carne, deorſum, id eſt, in altari, eſt in pane. Denique eodem lib. ca. 9. multa ſimilia docet. Hunc errorem notauit, & refutauit Algerus, lib. 1. de Sacram. ca. 6. vbi dicit, hanc eſſe nouam hæreſin, & abſurdiſſimam: Algerus enim vixit eodem tempore, quo Rupertus, anno nimirum 1124. Trithemio teſte. Dominicus Aſoto, Claudius Sanctius, Guilhelmus Alanus & alij, qui de Euchariſtia ſcripſerunt, ſuſpicati ſunt authorem horum librorum de Officijs diuinis fuiſſe Walramum, ſeu Valeramum, ad quem exſtant duo opuſcula Anshelmi, vnum de azymo, alterum de diuerſitate Sacramentorum, & primum authorem Impanationis Walramum faciunt: ſed ante eius tempora error iſte exortus eſt: nec fuit Walramus, ſed Rupertus Tuitienſis librorum iſtorum, iuxta aliquos, author.*

Occamus in lib. 4. ſentent. quæſt. 5. alias adhuc ſententias eodem tempore, vel paulò pòſt exortas commemorat: quarum alia ita panis tollitur ſubſtantia, ut ſubitò è ſuo loco in aliud transmigret, remanentibus accidentibus, quibus corpus Chriſti coexiſtat. Atque ita ſtatuitur aliud genus coexiſtentiæ, quæ potiùs transaccidentatio, quàm transſubſtantiatio appellari poterit: quòd videlicet tranſeant panis accidentia, in Chriſti corporis accidentia: niſi ideo transubſtantiationem appellare maluit, quòd ſub illa accidentia tranſeat ſubſtantia corporis Chriſti. Alia ſententia redigit panis ſubſtantiam in materiam vel per ſe ſtantem, vel aliam formam recipientem, idque ſine eodem in loco, ſine alio: ita vt tum ſimul cum illa materia & accidentibus adſit, aut (ſi illorum verbis vti placet) coexiſtat corpus Chriſti. Hæc rurſum videtur ſtatui aliud conſubſtantiationis, ſiue coexiſtentiæ genus, ſimul cum transaccidentatione, quæ & ipſa vox eſt Scholaſticorum, in primis verò Occami: quamuis ipſam nolit in hoc Sacramento agnoſcere. Alia eſt, quæ cenſet, panem in nihilum redigi: qua ſimul cum ſucceſſione conſtitutur annihilatio: ſicut in illa, de qua iam mentionem fecimus, diſceſſio atque abitio, ſiue emigratio. Nam ſi alio emigrat panis, in eum verò locum accedat corpus Chriſti, diſceſſio & abitio eſt, ſimul cum acceſſione ſiue ſucceſſione: ſin verò annihilatur & euaneſcit & in eius locum ſubſtituitur corpus Chriſti, annihilatio eſt cum ſucceſſione. Qui has igitur ſententias ſequuti ſunt, neceſſe habuerunt verba Chriſti interpretari, Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc recedit ab hoc loco, & ſub eius accidentia accedit corpus Chriſti: aut hoc redigitur in ſtantem per ſe materiam, vel aliam formam: ac ſimul cum vtraque adeſt, ſiue coexiſtit corpus Chriſti: aut hoc in nihilum redigitur, ſiue annihilatur ac euaneſcit, eique ſubſtituitur corpus meum. Hoc ſcilicet eſt ſimpliciter interpretari verba Chriſti: Has tamen omnes opiniones Occamus probabiles indicat, ac minimè alienas ab hoc inſtituto, niſi quòd mouetur (ut antè dictum eſt) Eccleſiæ authoritate, nempe Romanorum Pontificum, & aliquot Conciliorum, in quibus Berengarij, id eſt, veterùs ac purioris Eccleſiæ, ſub Berengarij nomine ſententia damnata eſt.

CAPVT V.

De Tranſſubſtantiationis in Lateranenſi Generali Concilio ſub Innocentio III. celebrato, Confirmatione.

Hoc igitur modo, hisq; artibus, quæs proximo capite expoſuimus, Tranſubſtantiationis doctrina recepta & approbata, cùm mundo iam ſeneſcente Eccleſiæ ſtatus perturbatiſſimus eſſet, veraq; religio perpetua Pontificum Rom. & Imperatorum diſcordia nutaret afflicta, nec tutum amplius quicquam à Turcarum & Sarracenorum incurſionibus celeberrimis Aſiæ & Africæ Eccleſijs relictum eſſet, noui inſuper ſubinde Monachorum, mancipiorum Romani Pontificis, ordinibus ac regulis enaſcentibus: publicè & confidenter docuerunt, Chriſtum in prima Cœna nec panem nec vinum, ſed eorum loco verum ſuum in panis vel ſub panis ſpecie corpus, & in vini ſpecie ſanguinem verum dediſſe diſcipulis ſuis, ſubſtantijs elementorum, virtute verborum ſublatis, & in realem carnem ac ſanguinem mutatis vel conuerſis: nec quicquam de ſigno ſupereſſe reliqui, præter ſpeciem & apparentiam accidentium, quæ quidem miraculosè conſiſtant nulli prorſus ſubie-

subiecto innixa. Ad hæc ipsum Domini corpus, quanquam verum & carnale, & sanguinem eius licèt verum & naturalem, neq; loco contineri in sacramento, neq; apparentia elementorum circumscribi: & tamen in hostia altaris esse reale corpus ut in cruce passum est, secundùm modum proprium huic Sacramento, quem tamen simul fassi sunt inexplicabilem esse. Nihil verò restabat aliud, quàm ut doctrina hæc noua in generali aliquo & Oecumenico Concilio confirmaretur, & toti Christiano orbi sic obtruderetur, ut ne mutire quidem contrà liceret. Præstitit hoc Innocentius 3. Papa, qui antea Lotharius, vel Lutherus dictus fuit, Anagninus è Comitum familia, vir excellentis ingenij, & minimè vulgaris doctrinæ. Is Pontificatum Romanum adeptus, nihil priùs habuit, quàm bellum Asiaticum, quod vulgò Sacrum vocant, Cœlestini exemplo pro recuperanda Terra sancta, & amplianda Pontificum potestate prosequi. Conuocat igitur Concilium maximum Romæ in Lateranensi Palatio anno Domini 1215. Conuenerunt ad hoc Concilium Imperatores Romanorum & Constantinopolitanus: Oratores ac Legati Regum Hierosolymæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Cypri: præter aliorum Principum & ciuitatum legatos. Conuenerunt etiam, & huic Concilio interfuerunt Patriarchæ Hierosolymitanus & Constantinopolitanus: Metropolitani 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores Conuentuales 800. ut generalissimum meritò dici possit Concilium, cum Papa & toto Clero Romano coactum.

Lateranense Concilium sub Innocentio 3. celebratum pro confirmanda Transsubstantiatione.

Venere tum in consultationem plurima, nec tamen quicquam certi potuit decerni, teste Platina. Quod tamen intelligi oportet de bellis: quòd Papa non potuit Christianos Principes in bellum Asiaticum iterum impellere, plerisq; abhorrentibus, propter ingentia & recens accepta detrimenta, tum etiam propter bella domestica. In negotijs verò Ecclesiasticis res maximæ tractatæ & decretæ sunt.

Acta Lateranensis Synodi.

Nam primùm damnatus est liber Abbatis Floriacensis Ioachimi, qui carpserat quandam Petri Lombardi sententiam. Ediderat is, ut suprà indicatum est, ante paucos annos, quatuor libros Sententiarum Theologicarum, cupiens fidem Christianam munire, vel munitam ostendere aduersùs improbos homines, & sacramenta Ecclesiastica explicare, ut ipse dicit. In primo autem libro dist. 5. sic scripsit: Cùm una & summa quædam res sit diuina essentia, si diuina essentia genuit essentiam, eadem res seipsam genuit: quod omnino esse non potest. Sed Pater solus genuit Filium, & à Patre atque Filio procedit Spiritus sanctus. Hanc sententiam Ioachimus oppugnauit, vocans Lombardum hæreticum & insanum. Lateranense verò Concilium Lombardi sententiam approbauit, & librum Ioachimi damnauit cum omnibus ei adhærentibus. Ab hoc tempore libri quatuor Lombardi maximam authoritatem obtinuerunt: ut per Metonymiam, posthac Lombardus Ecclesiarum Magister vocatus fuerit.

Damnatus est etiam Almaricus Carnotensis Episcopus, qui magna ingenij & doctrina fama in Parisiorum schola docuit: quem & secta Albiensium, vel Albingensium authorem fuisse tradunt, qui tum alia dogmata ob quæ damnati & exusti sunt, habuerunt: tum quòd corpus Christi non aliter sit in pane altaris, quàm in alia quacunque re.

Transubstantiatio pro articulo fidei recepta.

Doctrinam verò Lombardi & Lanfranci de Transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi duodecim fidei articulis addidit, & tredecim fabricauit. Sic enim in Decretali Innocentij Tit. de Summa Trinitate & fide catholica, Firmiter credimus: legitur post articulos de vno Deo essentiâ, trino verò personis: de Iesu Christo Deo & homine, eius passione, morte, resurrectione & aduentu ad iudicium in fine seculi: Vna est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse Sacerdos & sacrificium est Iesus Christus: cujus corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite ordinatus fuerit secundùm Ecclesiæ claues, quas ipse Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus concessit.

Hic ingens metamorphosis obseruetur, inter primæ ætatis Pontifices Romanos, & postremæ, In Concilio Toletano Anno 447. celebrato, contra Priscillianistarum errores hæc particula primùm superaddita est fidei symbolo, de Spiritu sancto, A PATRE FILIOQVE PROCEDIT. Hæc verba, tanquam consona Verbo Dei, felicissimè in symbolum illata fuerunt ab Hispanis Episcopis, Sub hujus enim symboli ita aucti confessione, facta est magna ad Christianam Religionem accessio: nam & Gothi, & Visigothi, aliæque barbaræ gentes, quæ Hispanias occupárunt, ex Arianis sub hujus symboli confessione, similiter, & France sibi Gallias vendicantes sub ejusdem symboli confessione Catholici facti sunt. Romana verò Ecclesia diutissimè cunctata est in symbolum fidei verba hæc inferre. Ac licèt Carolus M. Imp. solicitè apud Leonem 3. Papam ageret, ut hæc verba symbolo adderentur, id tamen facere penitus recusavit, Imò ad perpetuam antiqui-

antiquitatis memoriam, ne quibuslibet liberum esset symbolo sacro sanctio aliquid addere, illud ipsum absque hoc additamento in argentea tabula exaratum, voluit in altari post corpus S.Pauli perpetuò custodiri. Innocentius 3. autem, Anno Christi 1215. Transubstantiationis dogma, in Verbo Dei, & Patrum scriptis non fundatum inter fidei articulos retulit.

Hoc autem Concilij decretum non ab omnibus ac universis receptum unquam fuit. Nam Asiane, Græcæ, cæterarumque orbis Christiani partium Ecclesiæ nunquam sunt assensæ, quemadmodum ex Actis Concilij Florentini apparet: sed eam doctrinam tanquam impiam repudiarunt atque damnarunt. Mirum autem est, qua audacia Innocentius cum isto suo Concilio Ecclesiæ fidem mutare, Verbi Dei sensum inuertere, quod nunquam pro catholico habitum fuit, catholicum efficere, quodque priùs minimè hæreticum erat per mille ducentorum annorum spatium, mox hæreticum declarare. Veteres enim & Catholici primitiuæ Ecclesiæ Patres cum his recentibus Lateranensis Ecclesiæ Patribus minimè conueniunt. Patres veteres dissentiunt à Lateranensi Concilio. *Nam Gelasius inquit contra Eutychem*: Non desinit esse substantia vel natura panis & vini. *Chrysostomus ad Cæsarium Monachum*: Natura panis in sacramento remanet. *Theodoretus Dial.* 1. Christus naturam (*panis*) non mutat, sed naturæ adijcit gratiam. *Augustinus ad infantes*, Quod videtis, panis est & calix: quod vobis etiam oculi renunciant. *Hæc sunt quatuor vetustissimorum Patrum hac de re testimonia clarissima. Patres autem Lateranenses contrà inquiunt*: Desinit hîc substantia & natura panis ac vini: Non remanet natura panis: Christus mutat naturam & substantiam panis: Oculis ne confidite, quod videtis non est panis. *Antiquis igitur Patribus isti recentes manifestè contradicunt.*

Id etiam, de quo Scoti ac Bertrami demum tempore controuerti cœpit, nempe, corpus Christi realiterne, an figuratè seu mysticè in Sacramento contineatur. de modo quoque conuersionis, de quo ætate Lombardi disputari cœptum est, an sit formalis, an substantialis, an alterius generis, de quo Lombardus scribit: Definire non sufficio, Quibusdam videtur, Quidam concedunt, Alij tradunt: *id inquam, Innocentius Papa cum Lateranensi Concilio apertè definiuit, & dubitationem omnem decidit his verbis*: Corpus & sanguinem Christi in altaris Sacramento sub speciebus panis & vini, veraciter contineri transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem diuina potestate. *Quam sententiam frequenter repetit: Liber autem de Sacrificio altaris fusè explicauit: sic tamen ut definire ausus non fuerit, an panis sicut in corpus Christi & rationale animatum, ita in hominem & eadem ratione in Christum, atque ita in Creatorem transsubstantietur. Ne inde sequatur, creaturam quotidie fieri Creatorem.* Innocentij dubitatio.

Adhæc, nouo hoc suo dogmati nouam appellationem accommodauit, & hanc suam Helenam nomine seu titulo, licèt absurdissimo, & præsenti rei non conueniente, primus exornare voluit. Nam ante Innocentium, vocabulo Transsubstantiationis nemo usus est, & hoc quoq; Bellarminus concedit lib.3. de Eucharistia c.23. & Costerus in Enchirid.c.8. Transubstantiationis nomen originem.

Nomen autem hoc non conuenire ipsi rei seu dogmati, manifestum est. Nam Transubstantiatio, mutationem & transitum unius substantiæ in aliam significat. Pontificij autem nequaquam concedunt, Substantiam panis in substantiam corporis Christi migrare: unde Scotus quoque illud repudiat: & satius esse censet affirmare, panem euanescere, & subitò auolare, & tum corpus Christi in illius locum succedere: quæ hodie communis est sententia. Hoc verò mutationis genus, nullo modo Transubstantiatio *dici potest: sed potiùs*, Cessio, Annihilatio, Successio, Substitutio. Transubstantiationis nomen non conuenit ipsi rei. Vide Vetum de Origine &c. Mysterij verbi & Sacram. lib. 6. c. 9.

De Communione Annua.

In eodem Concilio decretum fuit, Laicis semel in anno sufficere communione uti. Sic enim c.21. inter alia habet: Suscipiat reuerenter ad minùs in Paschа Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprij Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Hic diligenter obseruet Lector, quàm procul à primitiua Ecclesiæ consuetudine hac etiam ex parte in Ecclesia recessum fuerit. Qua de re Albertum Magnum audiamus, qui in lib. de Offic. Missæ sic scribit: Primùm, *inquit*, in usu fuit, ut omnes in Ecclesia conuenientes omni die communicarent. Cùm autem hoc, crescente multitudine, non satis idoneè seruari posset, constitutum est, ut communicarent Dominicis diebus. Cùm autem & hoc non rite seruaretur, constitutum est, ut communicarent tribus in anno vicibus, iuxta legem Exod. 23. scilicet in Paschа, Pentecoste, & loco Scenopegiæ in Natiuitate Domini. Cùm autem nec hoc rite seruaretur, nuper in Concilio Lateranensi constituit Ecclesia, quòd semel in anno in Paschа fieri debeat. *Quemadmodum igitur Christi aduentu abrogatæ & antiquatæ*

sunt Mosaicæ ceremoniæ: sic postquam obtinuit Romani Antichristi religio & tyrannis, Christi institutio, & primitiuæ Ecclesiæ consuetudo, adeo exoleta & antiquata est, cum tota ferè Christiana religione, ut vix ullum eius exitet hodie verum & integrum vestigium.

Cluniacenses reprehendit annuam communionem.

Petrus Cluniacensis autem, qui circa, vel paulò ante tempora Concilij huius vixit lib. 1. contra Petrobusianos epist. 2. hanc annuam communicandi consuetudinem grauiter reprehendit his verbis: Dicitis vos, Semel tantùm: Dicit Christus & Apostolus eius, non semel, non bis, non ter, aut quater, non centies aut millies tantùm, sed, Quotiescunq; & Multa diuersitas inter Quotiescunq; & Semel. Ibi numeri principium, hic numerus omnem superans numerum: ibi multiplex infinitas, hic singularitas.

Annuæ communionis damna.

Neque iniuria hæc coarctatio frequentioris usus Cœnæ Dominicæ tam acerbè ab illo reprehenditur. Iam inde enim à multis seculis maxima inuexit in Christianam Ecclesiam damna & incommoda. Primò, *apud populum peperit neglectum & contemptum sacrorum mysteriorum: neglectus autem & contemptus iste magnam Episcopis & alijs Ecclesiarum præfectis occasionem præbuit, sumptuosiores & magnificentiores ceremonias comminiscendi, quàm vel à Christo institutæ, vel à primitiua Ecclesia seculis aliquot usurpatæ essent, ad exornandam Sacramentorum actionem, quarum pompa & splendore populus illectus, à sua ignauia, negligentia & Sacramentorum contemptu ad maiorem eorum admirationem ac veneretionem reuocaretur. Quantum damni hoc Episcoporum consilium Ecclesiæ Christi dederit, luculentissimè historia testantur. Hac enim occasione cuncta in Ecclesia in horrendam idolomaniam Satan conuerit:* Secundò, *Cœnæ publicæ in priuatas Missas permutatio est sequuta, quibus populus Christianus, tanquam profanus à communione frequentiore Cœnæ, & attrectatione sacrorum symbolorum & vasorum arcetur. Quo etiam calicis priuatio & discrimen inter Laicorum & Clericorum communionem referenda videtur. Quia enim populus Cœnam Dominicam contempsit & neglexit, optimo iure Deus, hac eius contumelia, ingratitudine & iniuria commotus, integro Sacramento eum priuauit & à communione Clericorum amouit.* Tertiò, *Coarctatio crebrioris usus Cœnæ Dominicæ, ad unum saltem totius anni diem, hoc damnum quoque secum inuexit, quòd per totum annum homines socordes, negligentes & securos reddidit. Deinde persuasio vanissima accessit, idem esse spectare Missam, atque communicare: imò minus periculum, & maiorem fructum, ex spectaculo Missæ, quàm ex ipsa communione percipi. Quin eò usque prorupit tandem audacia, ut pro Accipite, edite, bibite, sacrificulos & Monachos substituere non puderit, Accedite & Spectate, & idem erit, seu eundem fructum inde percipietis, ac si ipsi ederitis & biberitis.*

De Peccatorum Confessione ante sumptionem Eucharistiæ facienda.

Vide Veterum de Orig. missæ, & Sacram. lib. 18. c. 19.

Confessio auricularis non præcepta à Christo & Apostolis.

Probare seipsum quid.

In primitiua Ecclesia confessio auricularis ante Cœnæ sumptionem non fuit in vsu.

IN Lateranensi quoque Concilio institutæ fuit Confessio, omnium ac singulorum peccatorum, facienda proprio Sacerdoti ante Eucharistiæ sumptionem. De hoc autem neque Christus, neque Apostoli quicquam præceperunt: Paulus quidem 1. Corinth. 11. præparationem requirit ante Cœnæ sumptionem: eam verò non in Pontificia Confessione auriculari, sed in probatione suipsius constituit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. *Quid autem sit seipsum probare idem 2. Corinth. 13. apertissimè docet:* Vos ipsos, *inquit*, tentate num sitis in fide: vos ipsos probate: an non cognoscitis vosmetipsos, &c. *Quo loco utitur verbis* Tentandi & Probandi: *& videtur alterum altero voluisse exponere. Quò etiam pertinet, quod subnectit,* Annon cognoscitis vosmet ipsos? *Deinde, eum probari vult, qui se ad Cœnæ communicationem comparat: Quid autem in eo censet potissimum probandum & examinandum? Respondet:* Num sitis in fide: num Iesus Christus in vobis est: *quæ duo quàm plurima complectuntur, & quàm latissimè patent. Cuius verò hoc præstare interest?* Probet, *inquit*, seipsum quisque. *Non igitur Sacerdotibus, aut alijs hoc munus demandat, sed sibi quemque vult esse probatorem.*

Neque etiam Patres primitiuæ Ecclesiæ Confessionis auricularis ante Cœnæ sumptionem mentionem faciunt: sed soli Deo peccata confitenda esse docent. Augustinus lib. 10. Confess. c. 3. Quid, *inquit*, mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam: desidiosum ad corrigendam suam. *Chrysostomus ad Hebr. c. 11.* Non tantùm nos peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum: neque ut te apud alios accuses: sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam. Apud Deum ergo tua confitere peccata: apud verum Iudicem cum oratione delicta tua pronuntia. *Idem homil. 2. in Psal. 50.* Si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut ea confitearis conseruo tuo, qui

qui exprobret : dicito Deo , qui curat ea. *Ambrosius super Lucam :* Petrus doluit & flevit,quia,ut homo,erravit.Non invenio quid dixerit:scio quòd flevit:Lachrymas ejus lego:satisfactionem non lego:*Citatur etiam de pœnit. dist.*1 *cap.Petrus.*

Confessionis antiquitas origo.

Post millesimum verò annum,quando omnia in pejus ruere cœperunt in Ecclesia , disputatum est per annos 100. *ferè , Deòne confiteri satis sit, an Sacerdoti quoque confiteri oporteat ad repurganda peccata? Hugo in libro de Ecclesiastica potestate ligandi & soluendi sic scripsit:* Audacter dico , si ante Sacerdotis absolutionem ad communionem corporis & sanguinis Domini quis accesserit, pro certo sibi manducat & bibit judicium,etiamsi cum multùm pœniteat , & vehementer doleat & ingemiscat. *Hæc certè Hugo audacter dixit , nisi falsum doceat nos Verbum Dei. Floruit autem circa annos Christi* 1130. *Idem etiam Richardus de S. Victore asseruit. Et Summa Angelica sic habet :* Quantumcunque doleret aliquis de peccato commisso, non sufficeret ut dignè sumat , sed oportet eum legitimè confiteri, aliter peccat mortaliter.

Richardus.

Lombardus.

Sequutus est hunc circa annum Domini 1150. *Petrus Lombardus, qui lib.*4.*Sentent. dist.*17.*&* 18.*ex Patribus primò indicat , sufficere Confessionem peccatorum soli Deo factam. Deinde alia subjicit testimonia contrarium docentia. Postremò sua etiam interposita sententia sic concludit:* Ex his indubitanter ostenditur , oportere Deo primùm , & deinde Sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse peruenire ad ingressum paradysi , si adsit facultas. *Rursus:* Certificatum est,quòd non sufficit confiteri Deo sine Sacerdote:nec est verè humilis & pœnitens , si non desiderat & requirit Sacerdotis iudicium. Quæro autem cujus iussu hæc sint certificata , & sic fieri debeant ? Lysandro in Samothrace oraculum consuluenti, Sacerdos præcepit, ut quod maximè sceleratum gessisset in omni vita sua confiteretur: Tum ille,Tuóne,*inquit*,an Deorum jussu facere oportet? Deorum,*inquit* Sacerdos.Ergo, inquit ille , discede tu, & Diis dicam si percontentur.

Gratianus.

Petro Lombardo fuit magis ingenuus Gratianus Decretorum consarcinator , qui eodem cum Lombardo vixit tempore. Nihil is certi definit, sed propositis in utramque partem sententiis , & quòd peccata oporteat confiteri Sacerdoti , & quòd non oporteat , iudicium Lectori liberum relinquit. Sic enim concludit: Quibus authoritatibus vel rationibus utraque sententia confessionis & satisfactionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui enim horum potiùs adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. *Hæc Gratianus in fine dist.* 1. *de pœnitentia. Glossa autem Decreti clarè dicit,* Confessionem auricularem non mandato divino , neque à Christo institutam esse, sed ab hominibus , hoc est , ab Ecclesia. Et Occidentalibus quidem necessariam esse Confessionem , non autem Orientalibus. *Verba hæc sunt :* Meliùs dicitur eam institutam esse à quadam universalis Ecclesiæ traditione potiùs quàm ex Nóvi vel Veteris Testamenti authoritate. Et traditio Ecclesiæ obligatoria est ut præceptum: Ergo necessaria est Confessio in mortalibus apud nos : apud Græcos non , quia non emanavit ad illos talis traditio. Si verò universalis Ecclesia sic tradidit , quomodo solos Latinos obligavit , & non Græcos etiam ? Et si solos Latinos obligavit , quid est negotij cum ea Germanis.

Glossa.

Innocentius 3.

Hanc verò, ut diximus , causam vel controversiam Innocentius in hoc Lateranensi Concilio hujusmodi lege definivit etiam : Omnis utriusque sexus fidelis , postquam ad annos discretionis pervenerit,omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti , & iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum , nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis , ob aliquam rationabilem causam ad tempus. ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur , & moriens Christiana careat sepultura , *cap.* 21. *habetur etiam Extrà de Pœnit. & remiss. Omnis. Quo loco Panormitanus quoq; fatetur,* confessionem auricularem non divinum , sed humanum inventum esse.

Panormitanus.

Quàm necessitas peccata confiteri in aurem Sacerdoti

Hunc ritum , quo homines Sacerdotibus sua peccata oportet confiteri ex humana institutione, adeò ad salutem necessarium iudicavit non solùm Innocentius & Lateranense Concilium, ut viventes ab ingressu Ecclesiæ arceat, & morientes Christiana sepultura privet : sed etiam eum sequuti Scholastici , ut ne mutos quidem ab ea eximant obligatione,quos volunt gestibus pensare , quod lingua & voce præstare non possunt. Docent etiam per interpretem confitendum , eum qui in Sacerdotem incidit, qui confitentis linguam non intelligat,eumque absolui posse dicunt , qui lingua ignota confessus fuerit,licèt intellectus non fuerit à Sacerdote absolvente. Hoc autem confessionis genere seipsi non tam probant , quàm suis se Sacerdotibus probandos examinandosque præbent. Lex etiam à Scholasticis omnibus hæc severa &

rigida omnib. impoſita eſt, ut ſe primùm quisq; quàm accuratiſſimè excutiat, & cum anxia ſollicitudine apud ſe reputet, non ſolùm quid vel cordis affectu, vel cogitatione, vel ſermone, vel opere peccarit, ſed etiam qua in re, quo loco, quo tempore, quoties, adversùs quos, expenſis videlicet omnibus, ut ipſi loquuntur, circumſtantiis, & ejuſmodi aliis, quæ tamen nullus mortalium unquam præſtare poteſt.

Pſal. 19. Ierem. 17

Nam, ut Pſaltes inquit, Delicta quis intelligit ? *& Ieremias,* Cor hominis inperſcrutabile *vocat. Neque tamen hæc ſatis ſunt Scholaſticis, ſed requirunt inſuper, ut quicquid anxia hac cura & inquiſitione collectum eſt ſordium, protinus in Sacerdotis aurem infundatur, nec cuiuſvis, ſed poteſtatem & juriſdictionem habentis, recitato peccatorum Catalogo, quem tanta ſibi confecerunt ſollicitudine, ad impetrandam eorum omnium abſolutionem, idque etiam cum accurata ac ſollicita omnium circumſtantiarum recitatione. Atque abſolutionem tum demum dandam eſſe perhibent, poſtquam exhauſta hoc modo, illa peccatorum ſentina fuerit. His peractis, eos ſuo dicunt officio perfunctos, & optimè præparatos eſſe ad ſacrum Cœnæ Dominicæ convivium. Hoc verò carnificina eſt potiùs conſcientiarum, quàm ejuſmodi probatio cujuſmodi Paulus exigit & præſcribit. Quis enim unquam poterit hanc legem ad unguem explere ? ejus quidem ſeveritatem & rigorem hac interpretatione lenire ac molire conantur, quâ hanc legem intelligendam eſſe dicunt, de illa hominis diligentia, quam humana imbecillitas præſtare poteſt, & de peccatis quæ diligenter conquiſita in mentem venire poſſunt. Hoc verò malagma animi tormentum non tollit. Nam accuſat ſubinde conſcientia, non eam adhibitam eſſe diligentiam, quam res tanta poſtulat. Ideoque ſi ea non in numerato habet ſuorum peccatorum catalogum, ſe à culpa liberam non exiſtimat. Deinde, quantacunque adhibeatur cura & diligentia, omnibus enumeratis quæ in mentem venerunt, ſuccurrit tamen mox aliquid quod excideràt, aut denuò aliud peccatum committitur, antequam ad menſam Domini accedatur. Præterea quàm multos inveniès, quos mirum in modum angit ſollicitudo anxia enumerandi peccata, quorum etiam ultrò ſubit recordatio ? Altera enim ex parte pudor confitendi quod admiſſum eſt retrahit : altera verò exſtimulat ſupplicij metus, & pœna quæ hoc ipſum manere ſilentium minantur. Docent enim integram & abſolutam confeſſionem eſſe debere, in qua qui confitetur, nullum ſciens ac prudens peccatum ſubticeat : non ſolùm enim nullum peccatum remitti poſſe, niſi quod confeſſum fuerit, ſed etiam ſi vel unicum, & quidem minimum ſubticeatur, cætera omnia quæ quis etiam confeſſus ſit, retineri & inanem abſolutionem eſſe. Quibus tormentis miſera conſcientia diſcruciata & conſternata, in deſperationis præcipitium ſæpiſſimè ruunt. Plurimos contrà inveniès, in alteram atque iſtos partem peccantes, qui nulla, aut perquam exigua veræ pœnitentiæ cura tanguntur, ſed ſatis illis eſt ſi fœtidam ſui pectoris cloacam in Sacerdotis aurem exhalarint.*

De Aſſervatione Euchariſtiæ in Templis.

Mandavit denique Innocentius cum ſuo Concilio, ut Euchariſtia in omnibus Eccleſijs ſub Sera & clavis cuſtodia conſervetur. Sic enim habet cap. 20. Statuimus ut in cunctis Eccleſiis chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si verò is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur. Et ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni.

Innocentius 3. quis & quando.

Singulari autè Dei judicio atq; conſilio factum arbitror, ut hæc Decreta ab Innocentio in iſto Concilio promulgata fuerint. Is enim fuit Innocentius ille, qui contra Philippum Imperatorem Othonem creari curavit, & nulli Archiepiſcoporum Pallium dare voluit, niſi pro Othone contra Philippum cum Pontifice ſentiret, eoque lanienam funeſtiſſimam in toto Imperio excitavit : Nam bella Principes iſti inter ſe atrociſſima geſſerunt : ſæpius conflixêre multo humano ſanguine effuſo. Decertantibus autem de Imperio Regibus vix aliqua dignitas Eccleſiaſtica, vel Parochialis remanſit, quæ non per artes Innocentii & Curiæ Romanæ litigioſa effecta, Romamque deducta, fœdiſſimis harpyijs Romanis pro compoſitione litium, expilanda propinata fuerit. Vnde maximas ſibi Innocentius & Curia Romana corraſit opes. Hinc Vrſpergenſis iuſto dolore commotus ſic in Chron. ſuis exclamat : Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum, datur tibi pretium : locundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod ſemper ſitiſti. Decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipſorum devotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium

plicium perpetratio, & litium deciſio pretio comparata. *Is eſt Innocentius ille, qui dixit*: Aut Pontifex Philippo diadema regium aut Pontifici Philippus inſigne Pontificale detrahet. *Is eſt ille, qui Othonem, poſt Philippi mortem ad Imperium promotum anathemate ferijt, & alium in eius locum eligere iuſſit, ac Principes Sacramento ei obſtrictos abſolvit. Is eſt ille, qui Ordines Mendicantium Monachorum canonizauit: & Philippum Galliarum Regem hortatus eſt, ut Waldenſibus bellum inferret, & peccatorum remiſſionem his qui inſigne Crucis ad bellum hoc ſuſciperent, promiſit: in quo bello, ut Bernhardus Luxemburgus in Catalogo hæreticorum refert, centum millia Waldenſium, quos pro hæreticis habebant, quia Romanæ Eccleſiæ & Pontificibus ſeſe oppoſuerunt, occiſi ſunt. Digna profectò ſunt hæc Decreta tali Pontifice, Antichriſto ſcilicet.*

Auctoritas Lateranenſis Concilij nihil patrocinatur malæ cauſæ.

Quòd autem Ieſuita tantam huic Concilio Lateranenſi tribuunt authoritatem, ut in terris poſt Deum nullam ampliorem iudicent, idq; nõ ſolum Niceno, Epheſino & Chalcedonenſi comparent, ſed etiam præferant, tum demum hoc valebit, ſi authoritatem illius, Scripturæ ſanctæ authoritate, & pleno Spiritus ſancti robore, non vanis ac inanibus titulis, muniant. Inde enim tota Conciliorum, Eccleſiaſque authoritas dependet, perpetuáque durationis robur obtinet, ſi à Spiritu ſancto magiſtro edocta Eccleſia, nihil aliud docet, hominumque animis inſtillat, quàm quod ex cœleſti ſacrario deprompſit, & ex ore Chriſti Domini ſui fideliter excepit. Quare ſi Concilium hoc ſuum Lateranenſe, non dico præſtantius, ſed par Niceno, Epheſino & Chalcedonenſi oſtendere volunt, tam apertis & evidentibus Scripturæ teſtimonijs illud, Tranſſubſtantiationis & Confeſſionis auricularis dogma, comprobaſſe, demonſtrent neceſſe eſt, quàm firmis & ſolidis hæc Arrij, Neſtorij & Eutychetis doctrinam expugnarunt ac refutarunt. Nam quòd omnia in univerſum Concilia errare poſſe negant, ſingulaque à Spiritu ſancto regi ac gubernari prædicant, falſiſſimum eſt. Concilium enim Hieroſolymitanum à Summo Pontifice, totoque ordine ſacerdotali celebratum, horribiliter aberravit, dum Chriſtum Filium Dei mortis condemnauit, & doctrinam eius tanquam blaſphemum & ſinceræ religioni adverſam omnibus diris devouit. Erravit etiam Mediolanenſe Concilium Epiſcoporum plusquam 300. tempore Conſtantij, fidem Catholicam obliquè damnans; ut Ruffinus teſtatur libro 10. cap. 20. & Sulpitius Severus lib. 2. Erravit etiam Ariminenſe Concil. longè frequentiſſimum, Epiſcoporum videlicet 600. quia Arrianiſmum ſtabilivit, ſub eodem Conſtantio. Erranit item Epheſinum 2. à Theodoſio iuniore convocatum, & Leonis Papæ Legatis præſentibus celebratum, imò ab ipſo Leone ſanctæ Synodi appellatione honoratum, quod Eutychianam hæreſim confirmavit: & Flavianum Epiſcopum Conſtantinop. orthodoxum, ignominioſè eiecit, atque ita tractavit, ut tertio die poſt moreretur: unde & ληοεκδν appellari meruit. Concilium Nicænum 2. quoque tempore Irenes, quod imagines ſub anathematis pœna, in Templis non modò haberi, ſed etiam coli & adorari voluit, contra manifeſtum Dei præceptum. Si quæ ergo Concilia recipienda ſunt, illa demum meritò recipi debent, quæ ne latum quidem unguem à præſcripto Verbi divini recedunt, & in refellendis falſis dogmatibus, puram ac ſimplicem Scripturarum interpretationem retinent. Docet hoc ipſum Hieronymus etiam in Epiſtolam ad Galatas: Spiritus ſancti, *inquit*, doctrina eſt, quæ Canonicis libris continetur: contra quam ſi quid Concilia ſtatuunt: nefas duco. *Et Auguſtinus de Baptiſmo lib. 2. cap. 3. inter ſe comparans, authoritatem Scripturæ & literas vel ſcripta Epiſcoporum, & Decreta Conciliorum, ſic ſcribit*: quis neſciat ſanctam Scripturam canonicam, Veteris & Novi Teſtamenti, omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis eſſe præponendam, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum, vel utrum rectum ſit; quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Epiſcoporum autem literas, quæ poſt confirmatum canonem ſcriptæ ſunt vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per alios Epiſcopos graviores, doctioresque, & per Concilia, licere reprehendi, ſi quid in ijs fortè à veritate deviatum eſt? ipſa quoque Concilia, quę per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere? Ipſaq; plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari? cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat? &c. *His verbis, tanquam pro confeſſo ſumit, ſolas Scripturas ſanctas extra erroris ſuſpicionem poſitas: Epiſcoporum autem ſcripta, & Conciliorum ſtatuta, à veritate deviare poſſe. Cùm igitur Lateranenſe Concilium Tranſſubſtantiationem, Confeſſionem auricularem, & alia quædam inſtituerit, contra manifeſtum Dei Verbum, & primitivæ Eccleſiæ doctrinam, à nobis meritò repudiantur. Neque enim tam vecordes aut ſtolidi eſſe debemus, ut ullis quorumvis poſteriorum Conciliorum prætudicijs, priſcam & auitam illam, tantoque longi temporis conſenſu approbatam doctrinam, ſicuti hucuſque intelleximus, nobis eripi, aut ex animis noſtris evellere patiamur.*

Concilia poſſe errare.

CAPVT VI.

Quæ Transſubſtantiationis dogma approbatum & confirmatum ſint conſequuta: Vbi primò, de multarum ceremoniarum idololatricarum inſtitutione.

QVamdiu in Eccleſia Chriſti, ſecundùm ipſius inſtitutum & Apoſtolicum præſcriptum creditum fuit: Panem in Cœna Domini eſſe, qui fractus & fidelibus ad manducandum exhibitus, veram communionem ac participationem omnium Chriſti beneficiorum repræſentaret, quæ corpore ſuo in mortem tradito, & ſanguine ad expiationem peccatorum effuſo promeruit, Ceremoniæ & Ritus ferri ac tolerari utcunque potuiſſent, licèt in immenſum excreverint, nec citra ſuperſtitionem uſurpati fuerint. At quàm primùm hæc falſa opinio à Generali Concilio approbata fuit, ut ſuprà demonſtratum eſt, eaque in mentes hominum invaſit, Deum ex pane à Sacerdotibus creari, & in accidentibus panis, quæ ſola maneant reliqua, Chriſtum ipſum realiter celari & contineri, maxima hanc blaſphemam & execrandam perſuaſionem in Ritibus & Ceremoniis ſequuta eſt in ultima hac Claſſe idololatria, quò auguſtius illud ſuum numen efficerent; quemadmodum in ſequentibus ordine referemus.

De Hoſtiolarum Rotundarum Origine.

CVm Evangeliſtæ teſtentur, Chriſtum in prima Cœna panem fregiſſe, docere volunt, magnum fuiſſe Domino in Sacramenti illius inſtitutione panem, neceſſariò frangendum & comminuendum, ut omnes edere poſſent de uno pane, adumbrante unicum myſticum Eccleſiæ corpus, cujus caput eſt Chriſtus. Magiſtrum ſequuta eſt primitiva Eccleſia. Sic enim Dionyſius parte 3. capitis tertii de Eccleſiaſtica Hierarchia ſcribit: Præſidem ſacrorum coopertum & indiviſum panem in fruſta conſcindere, & unum calicem omnibus dividere. *Quod ſi panis unus, integer & indiviſus in partes diſſectus fuit à ſacrorum Præſide, ſequitur Hoſtias, ſive numularios panes in uſu tum nondum fuiſſe. Vox enim* (indiviſum) *continuam quantitatem notat, cùm hoſtiæ ad diſcretam referantur.*

Tempore Iuſtini Martyris non de rotundis hoſtiolis, ſed de integro, & quidem vero, ac cibario pane, ſed fracto, diſtribuebantur per Diaconos inter præſentes particulæ, ad abſentes verò ab iisdem domum deferebantur, ut apparet ex ejus Apolog. 2. Ad Serapionem à puero defertur Euchariſtia. Ac licèt Alexander I. pro fermentato pane azymum in Romana Eccleſia ſubſtituiſſe legatur, nullo tamen gravi authore probari poteſt ipſum rotundas hoſtias inſtituiſſe. Miſiades etiam Pontifex Rom. conſtituiſſe dicitur à Damaſo in Pontificali, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias dirigerentur: *per oblationes autem non intelligit hoſtias Pontificias rotundas, quæ hodie quoque* Oblata *dicuntur, ſed dona à fidelibus oblata, de quibus Euchariſtia ſumebatur. Clemens quoque Alexandrinus ab initio lib. 1. Stromat. ſic ſcribit;* Cùm quidam, ut mos eſt, Euchariſtiam diuiſerunt, permittunt unicuique ex populo partem ejus ſumere: *Hoc de rotundis hoſtiolis intelligi non poteſt. Auguſtinus etiam Epiſtola 59. ad Paulinum indicat;* Illud quod in Dominica menſa apponatur, benedici, ſanctificari, & ad diſtribuendum comminui. *Vnde aperiſſimè colligitur, Auguſtini tempore hoſtiolas rotundas pontificias in uſu non fuiſſe. Gregorii M. verò tempore, panis Euchariſtici forma nonnihil mutari cœpit in Romana Eccleſia.* Placentas enim rotundas pararunt, *quas Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 55.* Coronas oblationum vocat. *Sed neque hæ coronæ hoſtiolis rotundis, quibus in Papatu utuntur, ſimiles fuerunt. In Græca Eccleſia ante Gregory M. tempora, circa annos videlicet 400. Epiphanius panem Euchariſticum* rotundum vocat, *unde quidam colligere volunt, ejus tempore hoſtiolas rotundas in uſu fuiſſe. Verba ejus in Ancorato hæc ſunt:* Videmus, quòd accepit Salvator in manus ſuas, veluti Evangelium habet, quòd ſurrexit in Cœna, & accepit hoc & ubi gratias egiſſet, dixit, Hoc meum eſt, hoc & hoc, & Videmus quòd nõ æquale eſt, neq; ſimile, nõ imagini in carne, nõ inviſibili Deitati non lineamẽtis mẽbrorum: Hoc enim eſt rotũdæ formæ, & inſenſibile, quantũ ad potentiã. *Poſtrema hæc verba in Græco ita habent:* Τὸ μὲν δὴ τῆς τροχυλοειδὲς, καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὸ δύναμιν. *Non autem de cruſtulis orbiculatis inſtar denarii, loqui Epiphanium qualibus ſacrificuli in Miſſa utuntur, ſed de panibus integris, qui in Cœnæ Dominicæ menſa apponebantur, & forma rotunda, lata, minus q. craſſa, non ſolum ad ſacrum, ſed etiam communem uſum: in Regionibus Orientalibus parabantur, quò commodiùs, & facilius ad diſtributionem manibus frangi poſſent, ex verbis Græcis evidentiſſimè colligitur. Nam* τροχύλον & τροχυλοειδὲς *non rotũdum ſignificat in orbem, & formam denarii; ſed in longitudinem, & rem oblongè rotundam, ac teretem notat, quæ cylindri formam refert. Cylindrus enim eſt columnula rotatilis qua area aquatur. Loquitur ergo Epiphanius de pane in longitudinem rotundo, & quidẽ fermentato. Quod autẽ dicit*

dicit esse ἀναίσθητον, hoc est, insensibilem panem, non accipiendum est passivè, quòd non sentiatur, sicut hostiola Papistica rotunda propter tenuitatem vix in ore sentitur: sed activè, quòd sensus sit expers, nec potentiam sentiendi habeat. Hunc sensum verborũ Epiphanii totus contextus monstrat: præsertim sequentia verba: Dominũ verò nostrum novimus totum sensum, totum sensitivum, totum Deum, totum moventẽ, totũ operantem. *Observandum enim est, quod Epiphanius ibi de hoc disputet, quomodo dici possit, Hominem secundùm imaginẽ Dei creatum esse, quum tamen neq; Deus sit, neq; spiritus, nec id in sua natura habeat, quod Deus habet. Quibus hæc subjungit.* Etsi homo Dei substantiã, & naturã non habeat, nec spiritus sit, & invisibilis, ut Deus, tamen ipsum aliquas proprietates à Creatore accepisse, quibus Deo aliquo modo similis sit & ad imaginem eius creatus propterea dici possit.

Hoc declarat deinde Cœna Dominica, panem *inquit*, vocat Salvator ex gratia corpus suum, & tamen pani neque Deitati, neq; corpori ejus est similis. Panis est enim rotundæ formæ & insensibilis, quantum ad potentiam. Dominus verò noster totus est sensus, totus sensitivus &c.

Post annos demum 1060. *à nato Christo, quum Transsubstantiationis commentum radices agere, atq; eam ob causam panis ad divinos honores paulatim evehi cœpisset, ac jam non pro pane amplius haberi, sed pro Deo coli, tum cœpit quoq; paniis in Romana Ecclesia, ac paulò post etiam in aliis Occidentalibus Ecclesiis, & formâ aliâ, & alio pistorio opere & candore magis niveo apponi, & commendari, ut quasi symbolum, & figura ejus mysterii esset, quod postea vulgari proverbio jactatum est*, Pinguem esse panẽ Christi *ut q; populus facilius crederet, post sacerdotis consecrationẽ: non amplius panem, sed substantiale corpus Christi sub specie panis corporaliter adesse. Et sunt quidem, qui hoc inventum referunt, vel ad Nicolaum 2. vel Alexandrum 2. vel Gregorium 7. quorum primus circa annos Domini* 1060. *Secundus, circa annos* 1063. *Tertius, circa annos* 1075. *Pontificatui Romano præfuit. Hæc ita se habere Georgius Cassander & ipse Pontificius satis clarè in Liturgicis suis attestatur ex Romani Ordinis Expositore, quem Cassander Bernoldum, seu Berchtoldum Presbyterum Constantiensem, & Pœnitentiarium Apostolicum fuisse autumat circa annos Christi* 1089. *Is in Expositione ordinis Romani scribit*; Oblatas ante sua tempora ex pugillo similæ ad speciem coronæ confectas fuisse, *quas ipse* Tortas vocat. *De rotundis autem hostiolis quæ paulò ante, vel circa ejus tẽpora parari cœperunt, nec tamẽ adhuc in omnibus Germania Ecclesiis recepta & usitata erãt, sic scribit:*

Mẽsura pugilli minima est omniũ mensurarum, unde possit panis fieri, quę scilicet mensura legitimo jure instituta fuit Sacerdotibus ad ministerium altaris. Quod si itaque minor mensura, quàm pugillus nõ invenitur in tota serie Veteris, & Novi Testamenti, & si nihil omnino fieri debet, intra vel extra templum Domini, absque mensura, & ratione, videntur OBLATARVM MINVTIÆ ad Christum, & Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensura, & ratione. *Et multis aliis verbis eodem loco conqueritur dictus Bernoldus, de invalescentibus rotundis hostiolis sicut Cassander in Liturgicis cap.* 27. *his verbis testatur:* Indignissimè, *inquit*, tulisse videtur ÆTATE SVA IN QVIBVSDAM ECCLESIIS Oblatas panis, quæ priscæ Ecclesiæ consuetudine ad usum sacrificii ad mensam Domini à populo fideli offerebantur, AD IMAGINEM NVMMORVM & ad tenuissimam quandam & levissimam formam A VERI PANIS SPECIE ALIENAM fuisse redactas. Quare per contemptum MINVTIAS NVMMVLARIARVM OBLATARVM appellat, imaginariam, & umbratilem levitatem illis tribuit, & INDIGNAS ESSE PANIS vocabulo, pro sua tenuitate, ac propter eas officium, atque Religionem Ecclesiastici officii multum per omnem modum confundi asserit pluribusque, & acerbioribus dictis eas insectatur, quæ omnia, ut adscribam expedire hoc loco non putavi. *Hæc Cassander.*

Post Berchtoldum hunc Honorius Augustodunensis presbyter, & Scholasticus circa annos Christi 1120 *de origine hostiolarum rotundarum libr.* 1. *de Gemma Animæ cap.* 29. *hæc scribit:* Fertur quòd olim Sacerdotes è singulis domibus, vel familiis farinam accipiebãt, quod adhuc Græci servant, & in Dominicum panem faciebant, quoniam pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuerũt: & pro his in Canone dicebatur: Omnium circumstantium qui tibi hoc sacrificium laudis offerunt, &c. Postqu à autem Ecclesia numero quidẽ augebatur, sed sanctitate minuebatur, propter carnales statutum est, ut qui possent singulis Dominicis, vel ter in anno cõmunicarent. Et quia populo cõmunicante non erat necesse panem tam magnum fieri; statutum est, eũ in modũ denarii formari, vel fieri: & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum cognosceret. Ex quibus omnibus intelligitur apertissimè, nummulariarũ oblatarum seu hostiolarum rotundarũ originẽ ad annos demũ 1060. vel circa referri debere

Quidam numularias has Oblatas dictas esse putant, ab Oblationibus Veterum, & inde colligunt originem illarum antiquissimam esse. Sed numularia Oblata nihil prorsus commune habent cum Veterum Oblationibus, qua nihil aliud erant, quàm dona, quæ non sacerdos offerebat, ut numularias Oblatas hodie offert, sed populus secum ad templum afferebat & in mensa Deo offerebat, de quibus Sacerdos panem & vinum ad communionem sumebat, eaque consecrabat, & distribuebat, reliqua pauperibus dabat. Postquam autem ut Honorius Augustodunensis scribit, Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur, *Oblationes illæ fidelium abrogatæ sunt, decretumque est, ut in posterum in* OFFERTORIO *tantùm pecunia offerretur, Ideoque in locum veterum Oblationum non numularia oblata, sed pecunia, & denarii perrogati sunt.*

Sed neque HOSTIÆ *nomen, quo Missales Oblatas vulgò vocant, à veteribus Christianis habent, verùm ab Ethnicis. Romani enim devictâ aliquâ gente, Marti sacrificium offerebant, idque* Hostiam nominabant *à devictis hostibus. Vnde Ovidius.*

Hostibus à domitis Hostia nomen habet.

Similiter Romani Pontifices, quum subjugassent Occidentales Ecclesias Deo suo Maozim Hostias rotundas offerre cœperunt.

De Elevatione Eucharistiæ.

ELevari quoque cœpit circa Lateranensis Concilij tempora Hostia & Poculum in Missa à Sacerdote supra caput, contra morem primitivæ Ecclesiæ, in qua Eucharistia paululùm elevata à mensa offendebatur populo, ut sese ad communionem pararet. Et de poculo quidem acriter ab initio inter Pontificios disputatum est, apertum-ne an tectum elevari debeat.

De necessitate quoque hujus ceremoniæ variant. Hardingus contra Iuellum art. 7. scribit, Sacramenti elevationem, seu ostensionem inter summa mysteria ac claves religionis Pontificiæ non numerandam: & sine illa Papisticæ Ecclesiæ doctrinam optimè defendi posse, & salvam consistere. *Quum verò hæc ceremonia Adorationem sibi annexam habeat, in qua omne Missæ decus atque ornamentum positum est, ideo semper diligentiùs observata fuit, quàm articulus de Trinitate, & summa severitate vindicata. Sacerdos enim, qui ea non uteretur, impius habebatur: populus, qui eam contemneret, sceleratus ac profanus. Imò tanquam hæreticos flamma & incendio persequuti sunt eos, qui vel vocem ausi sunt contra eam emittere.*

Similiter in explicanda hujus ceremoniæ causa & significatione dissentiunt. Sunt enim qui dicant, hostia elevationem Christi incarnationem significare: alii Christum in cruce pendentem ostendere: alii modum desumpti corporis Christi de cruce indicare: alii, resurrectionem, alii ascensionem in cœlos adumbrare: alii speciale quoddam sacrificium, quod aliis omnibus præstaret, designare: alii dicunt, Sacerdotem ideo calicem elevare, quo Christum significet alta voce clamantem expirasse: ut est videre apud Lorichium libro tertio: Durandum in Rationali lib. 4. cap. 41. & Titelmannum de Officio Missæ cap. 45. Hardingus verò & alii ingenuè fatentur, panem in altum elevari, ut eum populus adoret. Recte autem Augustinus ad Ianuarium epist. 119. scribit: Si vix, aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quæ in istis rebus instituendis homines sequuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione refecanda existimo.

De origine & dignitate Elevationis hostiæ.

Cæterùm quòd ad dignitatem, originem, & antiquitatem eius pertinet, Pontificii ad tempora Apostolorum eam referunt. Sic enim Hardingus, Evoluentes, *inquit,* antiquorum Patrum scripta, istam ceremoniam ab Apostolorum temporibus ad hunc usque diem usurpatam invenimus. *In eadem est sententia Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 15. Claudius Sainctesius Repetitione 9. cap. 7. de Adorat. Ad argumenta autem, quibus hoc probare conantur libro quinto respondebimus, ut intelligat Lector, in Apostolica & primitiva Ecclesia ceremoniam hanc, qua Eucharistia à Sacerdote supra caput elevatur, & sic populo adoranda exhibetur, prorsus incognitam fuisse. Sic verò Romani etiam, quum Ancilium suorum originem ignorarent, ea cœlo sibi demissa dixerunt, ut hoc figuramento authoritatem aliquam eis conciliarent.*

Consentiunt autem omnes, ut Sainctesius dicto loco indicat, Elevationis hunc ritum à Iudæis profectum, & ex Sacerdotio Levitico in Christi Ecclesiam translatum esse, contra doctrinam Pauli, qui docet, Sacerdotium Leviticum cum suis ceremoniis abrogatum esse & nullum locum in Novo Testamento habere debere. In Lege enim oblata dicuntur passim à Sacerdotibus elevari: ut, Tulit pectusculum elevans coram Domino: *&,* Armum, pectus & adipes, qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino: *&,* Tollet Sacerdos de manu mulieris sacrificium zelotypiæ, & elevabit id coram Domino: &c. *Itemque pro Sacerdotum initiatione scribitur:* Pones omnia super manus Aaron & filiorum ejus, sanctificabisque eos, elevans coram Domino. *Vbi pro* Sanctificabis, *litera Hebraica habet,* Ventilabis: *ibique Rabbi Salomo ait,* Ventilatio fiebat eo pacto, ut Moses supponeret manus suas manibus

De necessitate Elevationis hostiæ.

Significatio Elevationis.

tibus Aaronis, & filiorum eius tenentium oblata, elevans primò ſurſum, pòſt deorſum demittens, ac deinde agens ad Orientem & Occidentem, Aquilonem & Meridiem, ad deſignandum ea Domino offerri, qui cœlo, terræ, & quatuor mundi partibus dominatur.

De Adoratione Euchariſtiæ.

INſtituta quoque eſt Euchariſtia, extra verum eius uſum, Adoratio, ab Honorio 3. qui decrevit, ut Sacerdotes frequentes doceant plebem ſuam, ut quum in celebratione Miſſarum elevatur hoſtia, ſe reverenter inclinent: idemque faciant, quum eam defert Presbyter ad infirmum: *ſicut legitur c. Sanè de Celebrat. Miſſarum. Factum hoc poſt Lateranenſe demum Concilium, & invectum Tranſſubſtantiationis dogma, ut vel hinc errorem ex errore, & idololatriam ex idololatria ſubinde natam fuiſſe, ſit manifeſtiſſimum. Veteſtiorem originem huius idololatriæ demonſtrare non poſſunt. Apoſtoli in prima illa Cœna panem non adoraſſe dicuntur. Paulus nullius adorationis meminit. Agapas etiam conſtat vix, ac ne vix quidem genuflexionem admiſiſſe. Iuſtinus in Apologetico, nullam etiam iſtius rei mentionem facit. In libello Conſtitutionum Apoſt. Clementi adſcripto, cuius Liturgiæ ritum fatentur Pontificij proximè ad Calvinianorum, quos vocant, formulam accedere, nulla adorationis mentio fit: ſed accedere poſt Clericos populus reliquus cum pudibunda quadam reverentia iubetur.*

De Euchariſtiæ deportatione ad Ægrotos.

HOnorius 3. quoque conſtituit, ut decenti habitu ac lumine præcedente, ad ægrotos deferatur Euchariſtia. Euchariſtiam, *inquit*, in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine Sacerdos ferat, & referat manifeſtè & honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore, ſemper lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ: utex hoc apud omnes fideles fides & devotio augeatur. Prælati autem huiuſmodi mandati graviter punire non differant transgreſſores, ſi & ipſi divinam & noſtram volunt effugere ultionem. *Decretal. lib. 3. de Celebr. Miſſarum, Balaus ex Thoma Cantipratenſi & Iacobo de Vitriaco. Blondus lib. 7. decad. 2.*

De Pulſu Campanulæ ad Confectionem Sacramenti, & elevationem Hoſtiæ.

HOnorij ſucceſſor Gregorius 9. decrevit, ut ad Chriſti corporis & ſanguinis confectionem, itemque Hoſtiæ elevationem campanula, ſeu tintinabulum pulſaretur, ut eo audito, cuncti, ceu ſydere quodam tacti, in genua procidant & Hoſtiam extentis manibus adorent: *quemadmodum Nauclerus in Chronicis ſuis Generat. 42. ſub anno 1240. annotat: Itemque Vrſpergenſis Paralipomena fol. 351. Cranzius in Saxonia libro octauo capite 10.*

De Celebratione Cœnæ Tempore Interdicti generalis.

CONſtituit quoque idem Gregorius, ut tempore Interdicti generalis ſemel in hebdomada, ſubmiſſa voce, clauſis ianuis, Sacerdos propter infirmos conficiat corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negavit. *Chronicon Æditui.*

De Mutilatione Euchariſtiæ, & Communione ſub una tantùm ſpecie.

QVoniam utile fuerit noſſe, quando & qua occaſione hæc conſuetudo communicandi ſub una tantùm ſpecie in Eccleſiam introducta ſit, ex ſuperioribus quædam repetam & veris hiſtorijs oſtendam, quoties & quot modis in veteri Eccleſia hoc ſacrilegium attentatum fuerit, & quàm acriter Patres mælioribus & purioribus Eccleſiæ temporibus ei reſtiterint: donec tandem una cum alijs infinitis erroribus, non tamen ſine contradictione, in quaſdam Eccleſias invectum, deinde latiùs progreſſum, demum lege confirmatum ſit. Origo mutilationis Euchariſtiæ.

Primò, tentata eſt quædam mutatio per illos, qui bibentes poculum Domini, panem conſecratum domum ſecum deferebant, quo poſt aliquod temporis intervallum veſcebantur. Huius conſuetudinis mentionem facit Tertullianus libro ſecundo ad Vxorem, & libro de Corona militis: feciſſe hoc etiam Eremitas nonnullos ſuo tempore Baſilius indicat. Sed hæc conſuetudo abrogata fuit in Synodo Toletana 1. circa annos Chriſti 400. cuius Canon 14. ita habet: Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur. *Et poſtea anno 518. in Cæſar-*

augustana Synod. Ca. 3. talis excommunicatur in perpetuum.

Deinde, tempore Leonis I. *Papæ, circa annum Domini* 449. *Manichæi, qui & vinum abominabantur, & corpus Christi ut phantasticum exangue esse opinabantur, conati sunt calicem ex Ecclesijs eliminare. Nam verum Christianismum simulantes, cum alijs conveniebant ad conciones, preces & sacramenta: ut autem tutius laterent, accedentes in turba, corpus Christi accipiebant, calicem autem subdolè declinabant. Repressit verò eos Leo, & Serm. 4. Quadrag.* Sacrilegium appellat, si quis calicem sanguinis redemptionis nostræ haurire declinet.

Tertiò, tempore Gelasij I. *Papæ, circa annum Christi* 596. *iterum mutilatio Eucharistiæ ex parte calicis tentata fuit: non solùm ab hæreticis, ut priùs, sed iam etiam ab hominibus superstitiosis. Verùm & hi à Gelasio repressi sunt, qui Maiorico & Ioanni Episcopis in hunc modum scripsit:* Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant: quia nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio nequit provenire. *De Consec. Dist. 2. cap. Comperimus. Testatur his verbis Gelasius, Vnam speciem non esse integrum Sacramentum. Deinde, grande sacrilegium esse, si una tantùm species sumatur. Tertiò, non institutione aut mandato Christi, sed superstitione inductos fuisse illos suo tempore, ut à calice Dominico abstinerent.*

Quartò, cùm in casu necessitatis, & metu effusionis in Communione parvulorum & infirmorum, apud Veteres intincta & infusa interdum Eucharistia esset: sicut intelligitur ex historia Serapionis, ex Cypriani Serm. 4. de Lapsis, & ex Prospero de promissionibus ca. 6. & 26. q. 6. c. Isin. Ex his casibus extraordinarijs, quidam posteà voluerunt consuetudinem intinctæ Eucharistiæ contra Christi institutionem & veteris Ecclesiæ morem invehere in legitimam Communionem Ecclesiæ. Sed Iulius Papa circa annos Christi 340. *in Epistola ad Episcopos Ægypti, gravius hunc morem reprehendit, & docet, esse contra divinum ordinem, contra Apostolicas institutiones: item esse contrarium Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum: &c. ut est videre, de Consec. Dist. 2. Cum omne. Et hoc modo repressa fuit aliquandiu consuetudo intinctæ Eucharistiæ. Sed circa annum Domini* 580. *iterum invaluit: in Bracarensi verò Synodo rursus sublata fuit decreto Iulij. Circa annum autem* 920. *Cluniacensis Ordo rursus instituit intinctionem, idque etiam metu effusionis & irreverentiæ, ut Cassander indicat ex institutis Cluniacensium lib. 2. cap. 35. Posteà in Turonensi Synodo pro infirmis etiam in alijs Ecclesijs usus intinctæ hostiæ concessus est: ob hanc rationem, ut veraciter presbyter dicere possit, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam æternam. Non ergo iudicarunt Patres Synodi huius, corpus & sanguinem Christi dari & accipi sub una specie Panis. Duravit hæc consuetudo adhuc Ivonis ætate, ut ex eo Cassander indicat de divinis Officijs, circa annos Christi* 1120. *in aliquibus Ecclesijs. Hinc intelligit Lector, voluisse olim aliquos intinctione potiùs uti ob metum effusionis, ut perciperent utramque speciem, quàm alteram prorsus tollere.*

Ex hac verò consuetudine post annos Christi 1220. *mutilatio Eucharistiæ nata & altera species ablata fuit, non tamen in omnibus sed in aliquibus tantùm Ecclesijs: non enim omnes passæ sunt sibi eripi ipsum Dominici calicis. Refert autem Balæus lib. 5. de Gestis Rom. Pontificum. Innocentium* 3. *Laicis usum calicis in Cœna primum omnium ademisse. Factum hoc nullam aliam ob causam, quàm propter metum effusionis & irreverentiæ: ut ex Thoma intelligitur in 4. Sentent. Dist. 11. art. 2. q. 1. ubi dicit, dari sanguinem clericis, hoc est, ministris altaris, de quibus præsumatur, quòd sint magis cauti. Simul tamen aperè dicit, In quibusdam tantùm locis id fieri, idque ex Consuetudine, non ergo lege aliqua. Confirmat hæc etiam Valent. Iesuita lib. de Euchar. c. 10. pag. 499. inquiens, Consuetudo hæc non administrandæ Eucharistiam populo sub duplici specie, usu primò comprobata est: deinde lege sancita, postquam in Ecclesijs Occidentalibus obtinuisset:* QVANDO *verò caperit minimè constat. Hæc ille.*

Mutilatio Eucharistiæ ab ipsis quoque Pontificijs improbata.

Testatur autem Alexander de Ales, quosdam Religiosos ijs in locis in quibus consuetudo hæc invaluerit, ægerrimè ferri sibi calicem Dominicum, & restitutionem eius petijsse: repulsam verò passos esse. Scholastici quoque Doctores, etsi consuetudini huic cesserint ob metum fortasse & tyrannidem Pontificum Rom. tamen propter institutionem Christi, Communionem sub utraque specie, convenientiorem, congruentiorem, completiorem; perfectiorem, maioris efficaciæ & illustrioris repræsentationis esse palàm testati sunt. Vide Alex. Alensem quæst. 32. membro 1. *art. 2. & q. 53. Albertum M. in* 4. *Sent. Dist. 8. art. 13. Thomam 3. summæ. q. 66. art. 2. & contra Gentiles lib. 4. cap.* 61. *Petrum de Palude Dist. 11. art. 1, Bonaventuram Dist. 8. q. 2. ut Gregorius Cassander collegit. Et Durandus lib. 4. cap. 55. aperè dicit;* Qui solam hostiam recipit, non plenum sacramentaliter recipit

Sacra-

Sacramentum. Etſi enim in hoſtia conſecrata Chriſti ſanguis ſit, non tamen eſt ibi ſacramentaliter, eò quòd panis corpus, non ſanguinem: & vinum ſanguinem ſignificat, non corpus. *Et Ruardus Tapperus*, Habito, *inquit*, reſpectu ad Sacramentum, ciusque perfectionem, magis conveniret ſub utraque ſpecie fieri communionem, quàm ſub altera tantùm. *Huc etiam pertinet hymnus*:

Dedit fragilibus corporis ferculum:
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum:
Dicens, Accipite, quod tradit vaſculum,
Omnes ex eo bibite.

Falſiſſimum igitur eſt, quod Bellarminus tomo 2. de Euchar. lib. 4. c. & cap. 28. ſcribit, Controverſiam de Communione ſub utraque ſpecie exortam eſſe Pragæ in Boemia primò, circa annum Domini 1412. authoribus duobus Germanis, Petro Dreſdenſi & Iacobello Miſnenſi. *Id probare conatur ex Æneæ Syluio, qui in hiſtoria Boemorum cap. 35. ſic ſcribit*: Petrus Dreſdenſis quum incidiſſet in illa verba Domini Ioan. 6. c. Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: mirátus eſt, cur contra tam apertum præceptum Domini, laici omnes fraudarentur uſu calicis. Itaque monuit Iacobellum, qui tum Pragæ Concionator erat, atque illum impulit, ut pro concione populum inſtrueret, non poſſe eos ſalvari niſi de calice Domini biberent. Placuit hæc res vehementer omnibus, quòd ſe inveniſſe tandem aliquando viderent expreſſum locum Evangelij contra uſum & doctrinam Rom. Eccleſiæ. *Hac tum quidem facta Pragæ fateor, ſed hanc controverſiam ibi primò motam pernego. Nam quum primùm poſt annum 1220. mutilatio hac ſacrilega fuiſſet introducta, contradixerunt ei plurimæ Eccleſiæ orbis Chriſtiani, multi viri religioſi, & tacitè etiam Scholaſtici, ut ex præcedentibus intelligitur. Horum exemplum ſequuti duo illi Germani, de ſacrilegio iſto Pragenſes monuerunt, & ad inſtitutionem Chriſti eos revocarunt, effecerunique ut primò Pragenſes cæterique Boëmi, deinde aliæ quoque Nationes de reſtitutione calicis Dominici ſeriò cogitare ac deliberare inciperent.*

Hinc paſſim indicti ſunt hac de re Conventus, habita Colloquia, auditi ſunt hinc inde fidelium gemitus, ſuſpiria, querelæ ob ereptum calicem Dominicum, & eum ſibi reſtitui flagitantium.

Concilium

Accidit verò, ut Concilium univerſale Conſtantiæ in Germania anno Chriſti 1414. authoritate Pontificis Ioannis 23. vel 24. & Sigiſmundi Imp. celebraretur. Sperabant cuncti hanc Synodum ſatisfacturam votis fidelium, & utramque ſpeciem in Cœna Dominica Eccleſiæ reſtituturam. Sed ſpes eos fefellit & contrarium evenit. Nam Seſſ. 13. tale decretum hac de re promulgatum fuit: Hoc præſens Concilium ſacrum generale Conſtantienſe, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, declarat, decernit & definit, quòd licèt Chriſtus Cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini, & in primitiva Eccleſia ſic etiam à fidelibus receptum fuerit: tamen hoc non obſtante, ad evitandum aliqua pericula & ſcandala, poſthac à conficientibus ſub utraque, & à laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur: quum firmiſſimè credendum ſit, & nullarenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem, tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Vnde quum huiuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta: & diutiſſimè obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem aut legem ſeruare, ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt & grauiter puniendi. *Item*: Hæc ſancta Synodus decernit, ut effectualiter puniantur, qui communicant populum ſub utraque ſpecie, & ſic faciendum eſſe docent. Quòd ſi ad pœnitentiam redierint, ad gremium Eccleſiæ recipiantur, iniuncta eis, pro modo culpæ pœnitentia ſalutari. Qui verò ex illis ad pœnitentiam redire non curaverint animo indurato, per cenſuras Eccleſiaſticas, ut hæretici coerceantur, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio.

Conſtantienſe abrogauit alteram ſpeciem in Cœna publico decreto.

In hoc decreto obſervet Lector, quibus rationibus mutilationem Euchariſtiæ, & ſacrilegium ea re admiſſum, Concilium conetur defendere.

Conſtantienſe Concilium quibus rationibus mutilationem Cœnæ defendat.

Primò, *inſtitutioni Chriſti, opponit conſuetudinem hominum, & ita quidem, ut huic conſuetudini cedere iubeat teſtamentariam inſtitutionem Chriſti Filij Dei, & contrarium ſentientes punire tanquam hæreticos, invocato etiam brachij ſecularis auxilio.* Secundò, *antiquiſſimam primitivæ Eccleſia conſuetudinem, quæ cum inſtitutione Chriſti congruit, debere cedere decernit poſteriori, quæ cum inſtitutione Chriſti pugnat.* Tertiò, *ad evitanda aliqua*

pericula

pericula & ſcandala, hanc conſuetudinem recentiorem, inſtitutioni Chriſti præfert: quaſi verò ea Chriſtus non etiam noverit, & primitiva Eccleſia non æquè ac nos habuerit. Quartò, *vult integrum Chriſtum, tam corpore quàm ſanguine, ſub unaquaque ſpecie contineri: & proinde corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis à laicis ſumi.* Quintò, *decernit, ut pro lege habeatur conſuetudo, non quæ ſupra mille & trecentos annos à nato Chriſto in Eccleſia Chriſti fuit, ſed qua proximè elapſis centum annis tantùm duravit.*

Gerſonis rationes pro multatione Canæ.

Cùm igitur prudentiores ex Patribus huius Concilij iudicarent, his tam frigidis & ieiunis rationibus vel parùm oculatis hominibus ſatisfieri non poſſe, petierunt à Ioanne Gerſone, qui Concilio huic interfuit, ut conquireret alias graviores & firmiores. Paruit ille Patribus, & biennio poſt, argumenta quadam edito libro publicavit, quæ tamen non multò plus habent in receſſu, quàm ea quibus Patres Concilij in ſuo decreto uſi ſunt.

Baſilienſe Concilium confirmat mutilationem Canæ.

Celebratum deinde eſt Baſileenſe Concilium, in cuius Seſſione 30. 10. Cal. Ianuar. anno 1437. *habita, lex Conſtantienſis Synodi, de Communione ſub una tantùm ſpecie, repetita & approbata fuit huiuſmodi decreto:* Baſileenſis ſacroſancta generalis Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, decernit & declarat, quòd fideles laici ſiue clerici communicantes & non conficientes, non adſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie panis & vini ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum. Sed Eccleſia, quæ regitur Spiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet uſque ad conſummationem ſeculi, ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reverentia ipſius Sacramenti, & ſalute fidelium viderit expedire. Sive autem ſub una ſpecie, ſive duplici, quis communicet ſecundùm ordinationem ſeu obſervationem Eccleſiæ proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec ullatenus ambigendum eſt, quòd non ſub ſpecie panis tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguinis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populum ſub una ſpecie ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſimè obſervata, & à Doctoribus divinæ legis ſacrarum Scripturarum, atque canonum multam peritiam habentibus iam à longæuo tempore commendata pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine authoritate Eccleſiæ ipſam immutare.

Rationes Conſtantienſis Concilij à Baſilienſe nonnihil immutatæ.

In hoc decreto Concilij obſervandum, rationes Conſtantienſis Synodi, ut nimis craſſas nonnihil eſſe immutatas. Quod enim Conſtantienſis Synodus dicit, Licèt Chriſtus ſub utraque ſpecie hoc Sacramentum inſtituerit & adminiſtrarit, hoc tamen non obſtante, conſuetudinem ab Eccleſia introductam, ſervandam eſſe: *id Baſileenſis ſic mitigat:* Laicos & clericos non conficientes, non adſtringi ex præcepto Chriſti, ad ſumptionem utriuſque ſpeciei. Secundò, *quum dicit Conſtantienſe Concilium,* Licèt in primitiva Eccleſia Euchariſtia à fidelibus ſub utraque ſpecie ſumeretur, tamen hoc non obſtante, &c. *Id Baſileenſe hoc modo temperat,* Eccleſiam habere poteſtatem ordinandi & adminiſtrandi hoc Sacramentum, prout viderit pro reverentia Sacramenti & ſalute populi expedire. Tertiò, *dicit,* proficere hoc Sacramentum dignè communicantibus ad ſalutem, ſiue ſub una ſpecie, modò id fiat iuxta ordinationem Eccleſiæ. Quartò, *definit,* ſub una ſpecie totum eſſe Chriſtum, ideoque alteram poſſe vel omitti, vel prohiberi.

Baſileenſis Synodi decretum non approbatum.

Hæc verò lex, eiusque confirmatio à Baſileenſi Synodo facta indigniſſima, iniuſtiſſimaque viſa eſt quàm plurimis. Vnde etiam poſt eam per varias Nationes & Regna Orbis Chriſtiani, publicis votis & quotidianis efflagitationibus, reſtitutio poculi Dominici expetita & poſtulata fuit ſæpe in ſolennibus quoque Regnorum & Nationum Conventibus. Nec tantùm vulgi querelæ paſſim hac de re audita, & tantùm non lachrymæ viſæ ſunt: ſed exſtant etiam de eadem grauiſſimorum Virorum, qui ſub Pontificio regno, eruditione & dignitate celebres fuerunt, pia vota, conſilia & monita. Et ne quis me vanitatis arguat, adſcribam verba Gerardi Lorichij, acerrimi Tranſſubſtantiationis, primatus Papæ, Miſſæ priuatæ, totiusque regni Pontificij Propugnatoris. Is igitur in lib. de Miſſa publica proroganda, ſunt, *inquit,* Pſeudocatholici, qui reformationem Eccleſiæ quoquo modo remorari non verentur. Hi ne Laicis altera ſpecies reſtituatur, nullis parcunt blaſphemijs. Dicunt enim Chriſtũ ſolis Apoſtolis dixiſſe, Bibite ex eo omnes. Atqui verba Canonis habent, Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hic dicant, oro, num & hoc ad ſolos dictum ſit Apoſtolos. Ergo Laicis & à ſpecie panis eſt abſtinendum: quod dicere eſt hæreſis & blaſphemia peſtilens & execrabilis: conſequitur ergo utrumq; verbum dictum eſſe ad omnem Eccleſiam.*

Quanti etiam hoc duorum Conciliorum iſtorum decretum æſtimandum ſit, Dominicani Monachi docent, cæterique univerſi, qui Thomæ

ma Aquinatis disciplinæ adhærent: ij namque omnes Basilcense Concilium semper repudiarunt, nec fuisse legitimè convocatum dixerunt. Albertus quoque Pighius de utroque hoc Concilio, cùm illo Basilcense, tum Constantiensi confitetur, quòd contra legem naturæ, contra manifestas Scripturas, contra Vetustatis authoritatem, & contra Catholicam Ecclesiæ fidem decreverint. *Gabriel Biel quoque Lect. 52. docet, unam tantùm speciem non esse perfectum Sacramentum.*

Nota quid Pighius scribat.

Sequutum est Concilium Tridentinum anno 1562. *inchoatum, & 1563. finitum. In eius Sessione 21. die 16. Iuly anno 82. habita, quatuor quæstiones de Sacramento Eucharistiæ agitatæ sunt. Quoniam autem harum prima erat de Communione sub utraque specie, duo Oratores exstiterunt, qui de hac quæstione in frequenti Concilio verba fecerunt, ut Innocentius Gentilletus indicat. Horum unus fuit legatus Antistitum & Cleri Hungariæ*, qui quondam communionem calicis, laicis quidem concessam fatebatur: sed quum (*aiebat*) sancta mater Ecclesia populi zelum deferbuisse animadvertisset, vixque populum communicando cavere posse, ne aliquam semper sanguinis guttam in terram, aut per imprudentiam, aut alio modo spargeret, iustissima de causa impulsam fuisse populum hortari ut à calice abstineret, præsensque periculum animarum suarum effugeret, ob profanationem & sacrilegium quod admittebant sanguinis Christi in terram effusores. Ideoque evenisse affirmabat, ut sua sponte populus à calicis communione abstineret, & sic sacrilegij periculum vitaret, nec minùs tamen integri Sacramenti fructum perciperet, unius duntaxat speciei panis communione: corpus enim exangue non esse, uniusque perceptione alterum quoque percipi. Quod quum iam per sexcentos annos iustis de causis introductum observatumque fuerit, tot seculis approbatum nunc improbare nefas, & à ratione alienum esse. *Alter verò Orator, Casparus Cordillus, Theologus Segobiensis Hispanus*, Quanquam, *dicebat*, Ecclesia veterem istam consuetudinem, qua nulli laici ad communionem calicis admittebantur, abrogare & prorsus tollere possit, non debet tamen: cùm nullam legitimam causam, cur id facere debeat, subesse appareat. Qui enim fidem Romanæ Ecclesiæ amplectuntur, nullam causam habent ob quam calicis communionem petere debeant, quum sub una tantùm panis specie, totum corpus & sanguinem Christi percipere se credant. Qui verò nimia sui laborantes, tantopere instant & urgent, sibi calicis usum concedi, Ecclesiæ adversarij sunt, seque nimium calicis amantes produnt. Itaque quod summa ratione ab Ecclesia constitutum est (neque enim quicquam sine ratione facere solet) convelli non debet: hoc enim à Synodi constantia alienum fuerit. Catholicos ægrè laturos, si Pontifex Protestantibus, præter veterem Ecclesiæ consuetudinem, calicis communionem indulgeret; maximè quum eorum Præsules hoc minimè expedire asserant. Ac sanè hoc Sacramentum in Missa tantùm sub utraque specie sumi debere: hoc enim de essentia sacrificij esse, ut Christus sub utraque specie offeratur. Porrò vafri isti hæretici (*aiebat*) qui tantopere calicem amant, protinus se causa superiores fuisse iactarent, si eius usus illis permitteretur: atque hoc pacto multos in suos errores pertraherent, sicque indulgentia, quæ illis concederetur, in inclementiam verteretur, palàm voce & scriptis Concilio, tanquam in hoc victo & superato, plausu victores insultarent: indeque consequeretur, ut multò minùs quàm antea componi posset de religione controversia. Postquam enim à nobis in uno articulo iustè eos defecisse constaret, longè ulteriùs progrederentur: Ecclesiaque ab eis unius erroris convicta, ab eadem sibi in alijs plurimis articulis dissentire licere dicerent, idque facilè rudioribus persuaderent. Ex quo eveniret, ut nihil magis incertum nostræ fide, nihilque nostris legibus mutabilius, nihil denique Ecclesiæ statu turbatius futurum esset. Quæ omnia nostra culpa accidisse dicerentur, & verè. At cur à Pontifice calicis communionem non petunt, quum eius concedendæ ius atque potestas non minùs ad ipsum quàm ad Concilium pertineat? Nimirum, quia Christi vicarium debito honore non prosequuntur. Ac sanè quemadmodum à Pontifice calicis usum (cui iam aurium tenus immersi sunt) petere aspernantur, ita nec eum à Concilio recipere dignarentur. Eorum enim Doctores anathemate proscribendos putant eos, qui Concilij authoritate Sacramenti sub utraque specie communionem obtinendam asserunt. Et verissimum est, quod à Ducis Bavariæ legato dictum est, etsi tria hæc capita, indulgentia sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, Protestantibus concederentur, Laicis videlicet usus calicis, Sacerdotibus coniugium, & Clero vita dissoluta, nihilominus tamen neque primarij eorum seductores, neque populi seducti ad Ecclesiam rediret. Scriptis enim publicè editis, apertè se nullum unquam Pontifici obsequium

Tridentini Concilij acta de mutilatione facta.

Hinc ille lachrymæ.

præs

præstituros esse professi sunt. Laudabilem illam priscorum hæreticorum consuetudinem, supplicatores veniæ obtinendæ gratia ad Concilia mittentium, nequaquam imitantur, neque ut, illis concesso calice, cæteri errores sibi condonentur, postulant. Ex quo conijcere est, si ipsi calicis usus permitteretur, eos tantò magis insolentiores futuros, perinde ac si opima spolia ex præclara aliqua victoria referrent. Adde quòd istud esset margaritas porcis, sanguinem Christi pedibus hostium Ecclesiæ proculcandum objicere. Paulus Pontifex tertius charitate paterna motus, suo tempore calicis usum Germanis concedebat, eo maximè nomine, quòd cæteros omnes errores suos se demissuros profiterentur. Verùm astuti homines perfidique in Pontificis contumeliam Calice usi sunt, nec propterea tamen alios errores suos abiecerunt. Itaque, aiebat, per totam Germaniam, Boemiam, Hungariamque aliquot delectos homines mittendos censeo, ad eos qui calicis usum postulant interrogandos, num eo concesso huius Concilij authoritati decretisque sponte se subijcere volent. Quod si id se facturos receperint, æquis conditionibus cum illis transigendum & pacisc endum esse, controversiarumque primarios authores ad promissa observanda iureiurando obstringendos. Sin verò id se facturos negaverint, tum Patres nullo modo accusari poterunt, quòd calicis usum illis denegaverint.

Hæc scilicet fuit præclara hac de re huius Theologi Hispani commentatio, in qua præter id, quod fideles dicit nullam iustam causam habere, ob quam calicis usum petere debeant: quòd eos Ecclesiæ adversarios, & calicis nimium amantes, os impurissimum appellat: id inprimis observandum est, commentationem illam totam eò spectare potissimùm, ut istorum hominum honos retentis mordicus erroribus, stabiliatur, quàm ut Dei laus & gloria, eius Verbo præceptisque parendo, promoveatur. Credidit etiam nimium stupide, de rebus sacris æquè ac de profanis transigi posse.

Ex istorum igitur duorum Oratorum sententia, Concilium in hac Sessione huiusmodi Canones promulgavit: Canon 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. *Canon* 2. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

In his duobus Canonibus Tridentina Synodus tribus potissimùm argumentis sacrilegium in Eucharistia commissum, defendere conatur. Primum *est, Nullum de communione sub utraque specie exstare Dei mandatum: ad hoc verò supra responsum est.* Secundum, *non esse de necessitate salutis, omnes & singulos fideles utramque speciem sumere debere. Sed si ita argumentari licet, totum Sacramentum abrogari poterit, quum aliquos saluos factos legamus, etiamsi neutram speciem perceperint.* Tertium, *est authoritas & potestas Ecclesiæ, quæ possit iustis de causis alteram speciem abrogare. Ad hoc verò respondet Augustinus l.* 2. *c.* 21. *contra Cresconium, ex Paulo, qui Epheſ.* 5. *dicit,* Ecclesia subdita est Christo: Non igitur, *inquit Augustin.* debet Ecclesia se Christo præponere: quum ille semper veracitet iudicet, Ecclesiastici verò iudices, ut homines plerumque fallantur. *Idem Apostolus Gal.* 1. *ait,* Si nos, aut Angelus è cœlo evangelizaverit vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto. *Sed hoc facit Romana Ecclesia prohibitione alterius speciei: ideoque non est audienda.*

His verò Canonibus promulgatis, multorum Regum & Principum Legati interceſſerunt, petierunteque ut usus Dominici Calicis, iuxta institutionem Christi, sublata eius prohibitione, Ecclesiæ restitueretur. Et testatur sanè Cassander in Præfatione Consultationis de Communione Christiani populi sub utraq; specie anno 1564. *edita, Tridentinam Synodum per totam Ætatem anni* 62. *occupatam fuisse disputationibus super hac petitione: & maiorem, potioremque partem Episcoporum laicis calicem concedendam iudicasse: alios verò magna contentione restitisse, ne quid hæc res incommodi Ecclesiæ Rom. adferret: cumque ex una Sessione in aliam resecta esset Concessio, tandem prorsus Synodum Pij* 4. *Pontificis arbitrio rem totam subiecisse: additis tamen his conditionibus, quibus usus Calicis concedendus videretur, si Pontifici ita visum fuisset.*

Primò: ut sub utraque specie communicare volentes, in reliquis omnibus, tam quo ad Sacramentum hoc quàm cætera Sacramenta, item in quacunque materia, quo ad fidem, doctrinam ritumque conueniant corde & oris confessione, cum ijs omnibus quæ à S. Romana Ecclesia sunt recepta: nec non Decreta omnia huius S. Synodi, tam promulgata quàm promulganda, religiosè admittant & obseruent.

Secundò: ut Pastores dictarum nationum, & Concionatores, credant & doceant, consuetudinem ab Ecclesia probatam, & diu obseruatam, videlicet communicandi sub

altera

altera tantùm ſpecie, non eſſe alienam à divinò jure: imò laudabiliter & tanquam legem obſervandam, niſi ab Eccleſia aliter ſtatuatur: quodque aliter pertinaciter ſentientes, hæretici ſint cenſendi: nec aliis dent hanc communionem ſub utraque ſpecie, niſi qui crediderint hanc veritatem, & confeſſi fuerint.

Tertiò: Quod S. Domino noſtro Papæ, ut legitimo univerſalis Eccleſiæ Epiſcopo & paſtori, debeant fideli & ſyncero animo, ut reverentes filii, omnem reverentiam exhibere.

Quartò: Quod Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis ſuis, ſimiliter debitam obedientiam & reverentiam præſtent.

Quintò: ut hic uſus calicis, eis tantùm permittatur qui confeſſi & contriti fuerint, juxta Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem: item ut ordinarii quàm diligentiſſimè omnibus cautionibus provideant, ne in adminiſtratione ſanguinis, aliquod ſacrilegium aut prophanatio admittatur, ſuper quibus omnibus prædictis, eorum conſcientia oneretur.

Audis, quanti Pontifex Rom. uſum Calicis vendat populis? Non auro nec argento, ut indulgentias & diſpenſationes ſuas, ſed, quod multò cariùs eſt, abnegatione veræ doctrinæ, abominationum omnium approbatione, & defectione à veritate & Chriſto, ad hominem peccati & filium perditionis. Caveant igitur fideles, ne tanti emant, quod Chriſtus gratis Eccleſiæ ſuæ dedit.

Concludam hanc diſputationem de prohibitione Calicis in Cœna Domini, Cypriani verbis, quibus etiam abſoluit concluſionem epiſt. 3. lib. 2. Non, *inquit*, hoc idem facere, quod fecerit Dominus, quid aliud eſt, quàm ſermones eius abjicere, & diſciplinam Dominicâ contemnere: nec terrena, ſed ſpiritualia furta, & adulteria committere, dum quis de Evangelica veritate furatur Domini noſtri verba & facta, & corrumpit atque adulterat præcepta divina? Sicut apud Ieremiam ſcriptum eſt: Quid eſt, inquit, paleis ad triticum: propter hoc ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus: qui furantur verba mea unuſquiſque à proximo ſuo, & ſeducunt populum meum in mandaciis ſuis, & in erroribus ſuis.

De aſſervatione & incluſione Euchariſtiæ: ubi & de Origine Ταφείων, hoc eſt, Ciboriorum & Ædicularum Sacramentalium.

De aſſervanda, aut in arcas, thecas & adiculas includenda Euchariſtia, neque Chriſtus, neque Apoſtoli legem ſeu mandatum nullum dederant: ſed Chriſtus panem & vinum Euchariſticum ſimpliciter edere ac bibere juſſit: & Apoſtoli, quod à Domino acceperunt, ſine ullo additamento Eccleſiis fideliter tradiderunt. Poſt tempora verò Apoſtolorum, Cypriani ætate, circa annos Chriſti 250. aliqui in Arculas non quidem in templis, ſed in privatis ædibus, Sanctum Domini, hoc eſt, Euchariſtiam incluſerunt, ut ex eo caſu, quem recitat Cyprianus Serm. 5. de Lapſis, intelligitur. Tertullianus etiam de ſua uxore refert, quòd domi ſuæ Euchariſtiam ſervarit. Gorgonia quoque Nazianzeni ſoror domûs Euchariſtiam deportavit. Et Ambroſius de Satyro fratre indicat, quòd Euchariſtiam collo quaſi viaticum portarit. Ita credibile quoque Presbyterum privatim domi ſuæ Euchariſtiam aſſervaſſe, qui eam nocturno Serapioni animam agenti per puerum miſit. Neque his connumerandum, quòd Iuſtinus in Apologetico teſtatur, per Diaconos ſuo tempore Euchariſtiam etiam ad abſentes delatam fuiſſe. Nihil enim ibi dicit de aſſervatione vel privata vel publica, ſed quòd eo ipſo tempore, quo Cœnæ Domini in publico cœtu celebrata ſit, habita fuerit ratio eorum, qui certis de cauſis abeſſent à cœtu, & ad illos per Diaconos miſſa ſit. Vnâ igitur & eadem fuit hæc actio, & proinde nihil pertinet ad epuli ſacri reſervatas reliquias. Sic etiam credendum Exuperium Toloſanum illum Epiſcopum, corpus Domini in caniſtro, ſanguinem autem in vitro ex cœtu ad abſentes portaſſe. Quòd verò illam privatam aſſervationem in arcis & thecis Euchariſtiæ attinet, illam ita reprehendit Origenes in explicatione 7. cap. Levit. ex ipſis verbis inſtitutionis Cœnæ, ut quamcunque etiam in Templis deteſtetur & abroget: Et author Sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum diſertè ait: Recipitur, non includitur. *Cumque in veteri Eccleſia fuerit valde difficile, cum Chriſtiani ſimul cibum caperent in ſuis Agapis (quod ad multa ſecula, præſertim in concurſu ad Memorias Martyrum viguit) ita dimitti panem & vinum, quæ peculiariter ſacramentali eſui deſtinabantur, quin aliquid plerumque ſupereſſet: ideo varia quoque de illis reliquiis ſtatuta fuerunt, quæ reſervationem & incluſionem nullam probant.*

Interim tamen non diſſimulandum videtur, Anſegiſum canonem ponere, quo jubentur Presbyteri Euchariſtiam ſemper habere paratam, ut ad ægrotos deferatur, ne ſine communione morianturr. Refert etiam Rhenanus in ſuis ad Tertulliani librum de Corona militis Annotationibus, extare apud Burkhardum Wormatienſem Epiſcopum Canonem eiuſmodi Concilij Turonenſis, Vt omnis Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto ſacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur

ad viaticum recedentibus è seculo. *Idem tamen Canon docet simul, Eucharistiam illis temporibus sub altari solitam asservari, non propriis sacellis, ut hodie fieri solet. Nam sequitur*, Semperque sit obserata sub altari, propter mures & nefarios homines. *Neque etiam tamdiu servabatur, ut nunc sit: nam sequitur eodem Canone*, Et de septimo in septimum diem semper muretur, id est, à Presbytero illa sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in locum eius subrogetur, ne fortè diutiùs obserata, muscida, quod absit, fiat. *Caruit igitur Ecclesia Sacellis, Ciboriis & Æiculis sacramentariis, quas Christus Matth. 24.* Ταμεῖα *vocat in Templo suis* 1200. *totos annos à nato Christo, nimirum usque ad Innocentium 3. cujus hac de re decretum in præcedenti capite exstat. Non tamen ædiculæ aut sacella illa ab omnibus statim Ecclesiis approbata & recepta fuerunt, quod ex Honorij decreto intelligi potest, quo Innocentii hujus novam institutionem approbavit, & omnibus Ecclesiis obtrusit. Id lib. 3. Decretalium tit. De celebratione Missarum, ad hunc modum habet*: Ne propter incuriam Sacerdotum divina indignatio graviùs exardescat; districtè præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari mundo, & signato semper honorificè collocata, devotè & fideliter conservetur, &c.

Post receptum verò ab omnibus Ecclesiis Transubstantiationis dogma, cœperunt tum demum in honorem novi sui Dei in Templis maximo sumptu & apparatu ædificare sacella, tabernacula & ædiculas, in quas tanquam in carcerem & custodiam hunc Deum suum incluserunt. Proinde certissimum est, nullam in toto terrarum orbe adiculam sacramentariam demonstrari posse, quæ non intra 350. *annorum spatium extructa sit.*

Prævidit hunc errorem Dominus, & propterea maturè monuit suos in Evangelio ut sibi ab eo caverent, dicens: Si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce ἐν τοῖς ταμείοις, hoc est, in conclavibus, seu penetralibus est, nolite credere: &c. *Quamvis verò hic locus à multis soleat exponi de Iudaicis tantùm calamitatibus, negari tamen non potest, quod & ipse fatetur Hieronymus, eadem opera, totius mundi ad finem usque seculi fata contexi. Concluditur certè hic locus sententia de ultimo Christi in mundum sub diem novissimi judicij adventu prolata in hunc modum*: Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet usque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis. *Præterea negari non potest, simpliciter hic damnari à Domino doctrinam omnem quæ Christum in diversis terrarum locis, in scriniis, penetralibus, adiculis, sacrariis, aut munitis locis præsentem ostendit. Id quod in erectis, à Transubstantiationis authoribus, Corpori Christi claustris, tabernaculis, sacellis & adiculis fieri nemo negarit, quantumuis perfrictæ admodum frontis fuerit. Nam in multis locis hæc verba ejusmodi adiculis sacramentariis inscripta seu insculpta sunt*: HIC DEVM ADORA. *Item*, Flecte genu, lapisbic venerabilis hospite Christo. *Quid est Christum in penetralibus & claustris ostendere, si hoc non est? Atqui Apostolus clarissimè dicit*: Non in manufacta ingressus est Iesus, quæ sunt exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis *Hebræ. 9.*

De Corporis Christi festo, & circumgestatione in eo Eucharistiæ.

POst Honorij tempora annis circiter 40. ab eo usu Eucharistiæ, qui à Christo institutus fuit, longiùs recesserunt, instituto ab Vrbano 4. CORPORIS *Christi festo anniversario.*

Causæ autem motivæ super prima huius festi origine & institutione, non eadem recensentur. Sed hanc, *inquit Balæus*, accipe certiorem esse ex Arnoldo Bostio ac Petro Præmonstratensi. Anno Domini 1264. revelatio, super hoc Sacramenti festo celebrando, cuidam EVÆ fœminæ in terra Leodiensi, in otio superstitioso recluſæ, ac Pontifici ante Papatum familiariter notæ, facta est: quam per suas literas Pontifici significavit, rogans ut festum illud Papali authoritate solennizandum ordinaret, Cui has literas Vrbanus Papa remisit. VRBANVS Episcopus, Servus servorum Dei, dilectæ in Christo Evæ salutem & Apostolicam benedictionem. Scimus, ô filia, quòd magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum Corporis Domini nostri Iesu Christi in Ecclesia Dei institueretur, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideo tibi significamus ad gaudium, quòd nos ad corroborationem catholicæ fidei dignum statuendum duximus, ut de tam mirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipso

Causæ motivæ Corporis Christi festi.

ipſo facit Eccleſia, ſpecialior & ſolennior memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes diem; videlicet feriam quintam, proximam poſt Dominicam feſti Pentecoſtes proximè ſequentem; ut ipſa feria 5. devotæ turbæ fidelium, propter hoc ad Eccleſias affectuosè concurrant. Sicq; dies ille univerſis Chriſticolis nova feſtivitate jucundus, & ampla jucunditate feſtivus, prout in literis Apoſtolicis; quas per univerſum mundum ſuper hoc direximus, plenius continetur. Et ſciat quod nos hujuſmodi feſtum cum omnibus noſtris fratribus Romanæ videlicet Eccleſiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæterisque Eccleſiarum Prælatis, tunc apud ſedem Apoſtolicam commorantibus adhoc, ut videntibus & audientibus de tanti feſti celebritate exemplum præberetur, celebrandum duximus. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exulret ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo: quia viderunt oculi tui ſalutare tuum (*horrendum idolum*) quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare inſuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi deſiderium cordis tui, & voluntate labiorum non fraudavit te cœleſtis gratiæ plenitudo, &c. *Hanc epiſtolam ſe vidiſſe teſtatur Boſius ac legiſſe, epiſtola 6. ad Ioannem Paleonydorum, ut refert Balæus de Script. Britan. Cent. 4. cap. 48.*

Onuphrius Panuinius in ſuis ad Platinam Annotationibus, in vita Vrbani 4. quæ de viſione monialis iſſius Evæ ex Boitio & Petro Pramonſtraten. narravimus, fabulam eſſe dicit. Turpe enim ac valde ignominioſum fore putavit, ſi hoc feſtum, quo Pontificii aliud non habent majus, in unius mulierculæ gratiam inſtitutum diceretur. Itaque ille aliam hujus feſti originem indicat. Dicit enim, propter miraculum quoddam quod Wlfiniis in Diœceſi & ditione Vrbevetana in Eccleſia S. Chriſtianæ accideriť, ab Vrbano 4. inſtitutum fuiſſe. Nam dum ſacrificulus quiſpiam ſacra Miſſarum ſolennia celebraret, ſacramento jam confecto, de panis & vini Tranſubſtantiatione, & Chriſti corpore dubitavit. Vnde ſtatim ex hoſtia, quam in manibus tenebat, vivus ſanguis manare cœpit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Qui miraculo attonitus Pontifex Vrbanus 4. Corporale primùm ad ſe ab Epiſcopo loci cum proceſſione in urbem veterem transferri voluit, & illud ſolennitate inſtituta in Eccleſia Vrbevetana recondidit, ut in ea corpus Chriſti majori honore coleretur, quàm in quotidianis Miſſarum ſolenniis. *Hæc Panvinius. Narrat idem Petrus de Natalibus libro 5. cap. 45. Antoninus tit. 19. cap. 13. §. 1. miraculi quoque hujus mentionem facit, non tamen addit, quòd propter illud feſtum hoc inſtitutum ſit.*

Quod autem ipſam Bullam attinet, cuius in ſuo ſcripto ad Evam ſuam Vrbanus meminit, & quam per univerſum Orbem Chriſtianum direxit, commendat in ea ab initio mirandum in modum Euchariſtiæ Sacramentum, & tandem ad Corporis Chriſti feſtum deſcendens, in hæc verba erumpit: Licet, *inquit*, hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolenniis frequentetur: conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipſo ſemel ſaltem in anno, ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolennior & celebrior habeatur. In die namque Cœnæ Domini, quo die Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, univerſalis Eccleſia pro pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione Chriſmatis adimplet one mandati, circa lotionem pedum, & aliis plurimùm occupata, plenè vacare non poteſt celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa Eccleſia obſervat, ut quamvis in Litaniis & Miſſis & aliis, ipſorum memoriam ſæpius renovemus: nihilominus tamen ipſorum natalitia certis per annum diebus ſolenniùs recolat, feſta propter hoc eiſdem diebus ſpecialia celebrando. Et quia in his feſtis circa ſolennitatem debitum aliquod per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, ſtatuit ipſa mater Eccleſia certum diem, in quo generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipſorum communi celebratione, quicquid in propriis ipſorum feſtivitatibus omiſſum exiſteret, ſolueretur. Potiſſimè igitur exequendum eſt erga hoc vivificum ſacramentum* CORPORIS & SANGVINIS *Ieſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona, ut feſtivitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo quod in aliis Miſſarum officiis circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur: & fideles (feſtivitate ipſa inſtante) intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolenniis ſecularibus forſan agendis impliciti, aut alia ex negligentia vel fragilitate humana minùs plenè geſſerunt, attentè tunc in humilitate ſpiritus & animi puritate reſtaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis (imò mulierculis*

Bulla Vrbani de Corporis Chriſti feſto.

culis mihi familiariter notis) divinitùs revelatum festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum : Nos itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter statuendum duximus, ut de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior ac specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriam 5. proximam post octavam Pentecostes : ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ fidelium, propter hoc ad Ecclesias affectuosè concurrant, & tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant : tunc enim omnium corda & vota, ora, labiaque ; hymnos persoluant lætitiæ salutaris : tunc psallat fides, spes tripudiet : exultet charitas, devotio plaudat : jubilet chorus, puritas iocundetur : tunc singuli alacri animo, pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo tanti festi solennia celebrantes. Et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum qui se dedit pro eis in precium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitæ decursum eis se in præmium largiatur. Idcoque universitatem vestram monemus & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelsum & tam glorioſum festum prædicta quinta feria, singulis annis, devotè ac solenniter celebretis, & faciatis studiosè per universas Ecclesias civitatum vestrarum & diœcesum celebrari : subditos vestros in Dominica dictam quintam feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, ut per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem : attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera, taliter se studeant præparare, quòd hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum : Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum, & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui matutinali festi eiusdem officio in Ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint centum : qui verò Missæ, totidem. Qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum : qui verò in secundis, totidem. Illi verò qui primæ, tertiæ, nonæ, sextæ, & completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis autem qui per Octavas illius festi matutinalibus vespertinis, Missæ, ac prædictarum horarum Officiis interfuerint, centum dies, singulis Octavarum ipsarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli authenticè confisi de invictis sibi pœnitentiis relaxamus. *Exstat in Clement. extra de Reliq. & vener. sanctorum. tit. Transiturus ad Patrem.*

In hoc verò ab Vrbano Papa instituto festo hodie in Processione, Sacramentum seu hostia consecrata circumfertur, & populo in MONSTRANTIA *ostentatur, qua inde nomen habet, videlicet à monstrando seu ostentando panaceo illo Deo, in eam incluso. Græcè* Hierothecam, *vulgus sacerdotum* Portatilem Sacramenti Loculum *vocat, teste Bruschio de Monasteriis. Tum à populo cuncto, flexis genibus etiam adoratur, non secus quam si verus Christus præsens adesset. Ritum verò, pompam & hanc ceremoniam, Thomas Naogeorgus eleganter in Regno suo Pontificio ad hunc modum describit.*

Ritus circumferendi corpus Christi.

Corporis hinc veniunt Christi celebertima festa,
Quorum quis dicat ludos, moremque profanum ?
Namq; sacrum portant panem reverenter, & omni
Divino cultu circum vel templa, vel urbes,
Incluſum fabrefacto argento. Porrò gerentis.
Brachia sustentant duo summi, deque Senatu,
Ornati sertis. Alii de more cadurcum
Sericium gestant suspensum ; ne quid ab alto
Incidat, aut stercus fundat mala desuper ales.
Luditur & Christi personis passio multis.
Vrsula cum iunctis incedit pulchra catervis.
Tuq; Georgi acer crocodylum interficis hasta.
Principis inferni traditur domus : estq; videre
Dæmonas innumeros tetra, turpique figura.
Christophorus puerum gestat per cœrula Christum.
Impletur telis quidam, crebrisq; sagittis.
Incedit gladium portans Catherina, rotamq;
Terribilem : calicem, & sacrum fert Barbara panem.

Hi-

Hiſtoriæque illic in panis aguntur honore.
Multæ aliæ, iucunda rudi ſpectacula plebi.
Quid memorem vexilla, cruces, candelabra longa.
Divûm relliquias, calices, idolaque culta?
Quæ vel ſacrifici geſtant, populúsve tributim.
Ante illum incedit panem Baptiſta, manúque
Monſtrat: eum eſſe Dei, tollentem crimina mundi,
Agnum: quem contra ſpargunt floresque roſasque,
Angelica forma duo: tintinnabula dulci
Multa ſono crepitant, vernant & compita ramis,
Atque plateæ omnes, quaque itur gramine feſto
Sternuntur, redolentque viæ, atque aulæa feneſtris
Hærent: incedunt monachorum agmina multa,
Et monachæ cantu reboant, raſique ſcholæque.
Vltrò nonnulli cithara aut teſtudine ludunt.
Procidit in genua occurrens, & pilea tollit,
Divinoque omni panem veneratur honore.
Nempe Deum eſſe ſuum credunt: non carnis, ut olim,
Sed jam naturam panis ſumpſiſſe minuti.

Apulejus in deſcriptione pompæ Dianæ, hanc ipſam propemodum oculis ſubjicere videtur, qua ſuum hunc Pontificij Deum panaceum hoc feſto venerari conſueverunt. Sic enim inquit lib.11. de Aſino. Ecce pompæ magnæ paulatim præcedunt anteludia, vocibus cujusque ſtudijs exornata pulcherrimè. *Et mox*: Inter has obſectationes ludicras popularium, quæ paſſim vagabantur, jam ſoſpitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido ſplendentes amicimine, varioque lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, qua ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis. *In hac verò pompa, linigeri ſacrificuli, harum mulierum vices gerunt, ſplendentes & ipſi candido amicimine, varioq; geſtantes geſtamine: hoc differunt, quod pro verno coronamine, raſus vertex coronæ formâ refert. Hoc etiam intereſt, quod non ipſi ſibi ſolum, ſed populus florib. & frondib. ſternit. Apuleius pergit:* Magnus, *inquit*, præterea ſexus utriuſque numerus, lucernis, tædis, cereis, & alio genere ficti luminis, ſyderum cœleſtium ſtirpem propiciates. Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtula, tibiaque modulis dulciſſimis perſonãt. Eas amœnus lectiſſimę juventutis, veſte nivea & cataclista, præniteus ſequebatur chorus, carmen venuſtum iterantes. Ibant & dicati magno Serapi tibicines, qui familiarem Templi, Deique modulum frequentabant, & plerique, qui facilem ſacris viam dari prædicarent. *Neque deſunt etiam in hac Papiſtica pompa, ſacri hymni, Deo, cui inſtituta eſt, dedicati, eiusque modulis attemperati: præſertim religioſum illud, Pange lingua, &c. quod magno boatu reſonant. Quod verò mox ſubiicit, apprimè ſacrificuli Papiſticis convenit.* Hi capillum deraſi funditùs vertice prænitentes, magnæ religionis terrena ſydera, & Antiſtites ſacrorum proceres, qui candido linteamine, cinctum pectoralem ad uſque veſtigia ſtrictim iniecti, potentiſſimorum Deûm proferebant inſignes exuvias. *Habes hic rurſum, & raſum capillitium Papiſticorum ſacrificulorum, & ſacrorum ornatum, & ſacras reliquias, quæ ab Apuleio exuuia Deorum nominantur. Vocat præterea ſanctos illos ſacerdotes*, terrena ſydera. *Papiſtici verò, ut ſe gloriantur Apoſtolorum eſſe ſucceſſores & vicarios, ita illorum ſibi titulos & nomina arrogant, voluntque haberi lux mundi. Et paulò pòſt Apulejus ait:* Secundus veſtitu quidem ſimilis, ſed manibus ambabus geſtabat altaria. *Quæ verò ſequuntur, propiùs pertinent ad penetralem illum Deum Papiſticum, qui circumfertur, ejusque delubra, ſacraria, atque pyxides, quibus concluſus tenetur.* Nec mora, *inquit*, quum Dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. Incedit profectò & hic penetralis Deus pedibus humanis. Niſi enim baiularetur, ferreturque humanis pedibus, ne moveri quidem loco poſſet. *Item:* Ferebatur, *ait*, ab alio ciſta ſecretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis. Gerebat alius felici ſuo gremio, ſummi ſui Numinis venerandam effigiem, &c.

Hũ admodum affinia ſunt, quæ de ſolenni Perſicorum Regum Pompa traduntur, qua ipſi quoq; ſacrum ſuum ignem circumferre & venerari ſolebant, eundem & pro Deo colentes, & Oriſmada nuncupantes. Quum enim agmen ſacræ pompæ progredi cœpiſſet, ignis ille ſacer argenteis altaribus præferebatur: hunc inſequebantur Magi: Magos deniq; trecenti ſexaginta juvenes, puniceis velati amiculis, totidem numero, quot dies annus continet. Nam hic ſacer ignis imaginem illis referebat Solis, quem ſub Mythræ nomine venerabantur. Et ne quis putet me injuriam Pontificiis facere, non puduit illos ipſos pompam hujus feſti, ſuamq; idololatriam tanquam Chriſtianam ex his Ethnicorum deliriis probare. Manlius enim tom. 3. Locorum Comm. fol. 28. refert, Epiſcopum quendam, ſtatim poſt

ſuam electionem & confirmationem, in ſua diœceſi mandatum edidiſſe, cuius exordium fuerit. Sicut Regem Perſicum præcedebat equus ignem geſtans, qui à Perſis pro Deo adorabatur: ſic nos præcedet conſecrata hoſtia, quam ut verum corpus Domini coli & adorari ab omnibus noſtris ſubditis, mandamus.

Romæ quoque in aliquibus proceſſionibus, iiſdem ferè Ceremoniis utuntur, quibus Perſæ in ſua olim Pompa uſi fuerunt. Nam in medio Pontificalis pompæ, non longè ante Pontificem, equus albus ducitur, manſuetus & phaleratus, portans Sacramentum, quod ipſi in puluino ornato, & hierotheca incluſum ſacriſta impoſuit. Equus tintinnabulum bene tinniens ad collum habet. Suprà baldachinum, cum inſignibus Papæ portatur. Duodecim familiares Papæ pedites equum præcedunt, rubra veſte induti, portantes duodecim intorcinia ante Sacramentum: Inde duo familiares Sacriſtæ equeſtres, etiam rubro induti, portantes lavernas argenteas cum lumine, ante Sacramentum. Exſtat hæc pompa deſcripta lib. 3. Ceremoniarum Rom. Eccleſiæ, Leoni 10 *inſcripto: nec ſemel in iiſdem repetitur, lib.* 1. *Sect.* 2. *de proceſſione Coronati Pontificis ad Lateranum. Sect.* 5. *de Proceſſione Pontificis, & coronati Cæſaris per urbem. Sect.* 12. *de Ordine, quo modo Papa in urbe, de loco ad locum in ſolenni pompa, vel in Pontificalibus equitat. Et lib.* 3. *de Officio Sacriſtæ.*

Decretū Vrbani de Corporis Chriſti feſto non ab omnibus recepti.

Obſervatu verò dignißimum eſt, quòd ne hæc quidem conſtitutio Vrbani de hoc novo feſto, in ipſo etiam Papatu temporibus illis ab omnibus Eccleſiis approbata & recepta fuit. Vnde poſt annos 50. *Clemens* 5. *Papa anno Chriſti* 1311. *in Viennenſi Concilio, conſtitutionem de feſto illo Vrbani ab omnibus præciſè ſervandam coactus fuit præcipere. Teſtatur hoc etiam Gloſſa in Clementinis, de Reliquiis & Veneratione ſanctorum. Animadvertendum quoque, ab his ipſis Pontificibus hanc feſtivitatem, non eo modo, quo hodie celebratur, inſtitutam fuiſſe. Nulla enim prorſus in Bulla Vrbani mentio ſit Circumgeſtationis & Oſtentationis: nec ullum verbum ibi exſtat, de pane conſecrato per octiduum in Monſtrantiam includendo, circumgeſtando & oſtentando. Neque etiam meminit ibi ſpectaculi alicuius theatrici & pompæ externæ. Sed finis inſtitutionis illius his verbis in Bulla exponitur*, ut ſtudeant ſe taliter præparare, quòd hujus pretioſiſſimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reverenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum. *Propter uſum ergo participationem ſeu communionem ſolenniorem inſtitutum primò fuit illud feſtum: & in illo uſu, in quo debita reverentia & devotio requiritur, gratiæ fuerunt agendæ Chriſto, pro immenſo hoc beneficio, quod corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum tribuit. Hinc colligitur, ea quæ hodie in hoc feſto peraguntur, ne primis quidem ejus authoribus nota fuiſſe: cuiuſmodi eſt Circumgeſtatio, Oſtentatio & Spectatio, ſed longè poſt Vrbanum & Clementem circa Conſtantienſe Concilium, excogitata & introducta, & proinde recentia ſunt. Imò quum Vrbanus celebritatem hanc ſemel tantùm in anno peragendam inſtituerit, ieſuitæ novi & Papæ prudentiores magiſtri ſingulis menſibus hoc ludicrum ſpectaculum populo in Polonia, aliisque in locis exhibent: & quicunque hæc ſacra frequentant, in ſocietatem neſcio quam novam, & prioribus ſeculis inauditam, Fratrū ſcilicet corporis Chriſti aſciſcunt. Ipſa etiam appellatio nova & mutilata eſt. Nam Vrbanus & Clemens, vocant* Feſtum corporis & ſanguinis Chriſti: *& in Reſponſorio illius feſti canitur*, Omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. *Hodie verò tantùm* Corporis Chriſti feſtum *appellatur.*

Novum igitur hoc eſt feſtum: novus quoque eſt ritus in eo circumgeſtandi & oſtentandi Sacramentum. Reſpondet Bellarminus, novitatem feſti non poſſe reprehendi, omnia enim feſta fuiſſe aliquando nova. *Reſpondeo, feſtum hoc propter novitatem non poſſe reprehendi per ſe. Ea eſt enim libertas Eccleſiæ in Novo Teſtamento, ut ſi ex uſu eius eſſet, & neceſſitas poſtularet, ei liceret vel nova inſtituere, vel vetera mutare & in alios dies commodiores transferre, vel etiam omnino abrogare. Hoc autem feſtum ex uſu Eccleſiæ non eſſe, inde poteſt intelligi, quòd eò annis* 1264. *à Chriſto nato caruit. Deinde, ſi pridiè vel perendiè ab Eccleſia inſtitutum eſſet feſtum, propter participationem & communionem ſolenniorem Euchariſtiæ, tolerari utique poſſet: ſed quia inſtituta eſt hæc novitas, propter horribilem abuſum circumgeſtandi & oſtentandi Sacramentum, probari certè nequit. Tertiò, tolerabilis eſſet hæc novitas, ſi libera relinqueretur Eccleſiæ: at verò à Concilio Viennenſi & Tridentino (ut mox audiemus) ſub anathematis pœna obtruditur fidelibus, contra doctrinam Pauli, quì Col.* 2. *ait:* Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti: *Contra morem etiam primitivæ Eccleſiæ, quæ feſtos dies liberos reliquit, & ſub nulla neceſſitate, aut lege aliqua impoſuit, ut Socrates teſtatur lib.* 5. *c.* 22. *hiſt. Eccleſ.*

Rationes Bellarmini pro Corporis Chriſti feſto.

At rationes Bellarminus etiam profert, quibus hanc novitatem probare conatur: prima eſt, ut populus Chriſtianus Deo gratias ſic agat, ob tantum & tam ſingulare beneficium nobis impenſum. *Altera*, ut

populus

populus ſic inſtruatur circa myſteria fidei noſtræ & eorum aſſiduè recordetur. *Reſpondeo, hæc fieri debent, non quomodolibet, & ut Antichriſto Romano placet, ſed ratione à Chriſto præmonſtrata. Ea non eſt, ut in peculiari feſto Sacramentum includatur, cum pompa in proceſſione circumgeſtetur, & oſtendatur tantùm populo: ſed ut deuotè comedamus & bibamus, in commemorationem Domini. Et Paulus* 1.*Co.*11.*explicans hanc commemorationem, diſertè dicit:* Quotieſcunque manducaueritis & biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit. *In feſto verò illo, quæ Chriſtus inſtituit & mandauit, diſtributio, ſumptio, & commemoratio mortis Domini, prætermittuntur: & alius uſus, ſeu alia gratiarum actio ab hominibus ſuperſtitioſis nuper excogitata, cultus præſtantioris opinione ſupponitur. Hoc an liceat hominibus nec ne, Lectori iudicandum relinquo. Et tamen Tridentinum Concilium, etſi quoque fateatur, hoc feſtum non habere teſtimonium vel Scripturæ, vel traditionis Apoſtolicæ, vel veræ Antiquitatis in veteri & puriori Eccleſia, ſed ſerò in Eccleſiam inductum eſſe, nihilominus ſub anathematis pœna omnibus ſeruandum præcipit, can.*6. *de ſacratiſſimo Sacramento.*

Indulgentiæ feſti Chriſti obſeruatoribus datæ.

Pontifices quoque largiſſimas Indulgentias illis promittunt, qui cum reuerentia panis feſtum hoc celebrant. Nam Vrbanus 4. *his qui interſunt officijs huius feſti in veſperis vigiliæ & feſti, & in matutinis, & in Miſſa, centum dies Indulgentiarum conceſſit: pro qualibet dictorum officiorum, & pro qualibet aliarum horarum dies* 40. *& in qualibet die Octauarum pro omnibus horis ſimul dies centum. Martinus autem* 5. *anno Domini* 1400. *Curia Florentiæ reſidente duplicauit Indulgentias conceſſas intereſſentibus diuinis his officijs ab Vrbano: addidit & nouas ieiunantibus vigiliam feſti, ac etiam communicantibus in ipſo feſto centũ dies conceſſit: ſimiliter etiam aſſociantibus proceſſionem, quæ manè cum Sacramento fit: aſſociantibus etiam ſacerdotem cum Sacramentum defert infirmis aliquot Indulgentiarum quoque dies contulit. Verùm & ſucceſſor eius Eugenius* 4. *Florentiæ manens cum Curia dictas Indulgentias à Martino* v. *conceſſas duplicauit: qua de re Eugenij* 4. *Bullam in Tomis Conciliorum vide, & Antoninum tit.*19. *c.*13. *§.*3. *Ex his Iulianus Pomerius hanc ſummam colligit*: Qui, *inquit*, ipſo die feſto interſunt primis vel ſecundis veſperis, vel Miſſæ, vel matutino pro ſingulis Indulgentias 400. dierum. Summa igitur dici feſti aſſurgit ad 16000. indulgentias: infra octauam pro ſingulis 400. dierum ſimul. Summa ſummarum igitur erit, per feſtum & totam octauam eius, 44000. dierum Indulgentiæ. Qui verò illo die communicant, illis 400. dierum indulgentias largiuntur. *Et notet Lector, quòd tantundem indulgentiarum ſpectatori promittitur, quantum ei qui communicat*, 400. *ſcilicet dierum. Si verò tota ſumma in quadrupla proportione colligatur, veneratio Sacramenti extra uſum à Chriſto præſcriptum, ipſam communionem, hoc eſt, uſum diuinitùs inſtitutum excedet. Et addit Pomerius:* Eum, qui illas aſſequi velit, oportere firmũ in fide eſſe: Ja freylich ſo muß er ein gewiſſen haben/ das jhme ein wagen mit hew dardurch möge fahren: *ut ſcilicet credat, tantam apud Eccleſiam poteſtatem eſſe, quòd tot & tales indulgentias poſſit dare: qui enim hanc poteſtatem negant, quod hæretici faciunt, eas non conſequuntur.*

Non ſine cauſa verò à Pontificijs tanti hoc feſtum fit, & pro eo, tanquam pro aris & focis, magna contentione dimicatur. Nam primò, celebratio huius feſti, qualis in Papatu eſt, proponit, confirmat & ſtabilit Euchariſtiæ mutilationem: altera ſiquidem ſpecies tantùm, contra inſtitutionem Chriſti, proponitur. Et credibile eſt, eo ipſo tempore, nouis acceſſionibus deformatum fuiſſe hoc feſtum, quando in Conſtantienſi Synodo hæc mutilatio Eccleſiæ obtruſa fuit.

Ipſum Corporis Chriſti cor in tantæ exiſtimationi

Secundò, *celebratio huius feſti, Euchariſtiam ex uſu diuinitùs inſtituto, transfert in aliam actionem, & quidem longè diuerſam uſum, qui non habet teſtimonium Verbi Dei, Non enim diſtribuitur, non accipitur, non manducatur, ſed circumgeſtatur, oſtentatur & adoratur. Et ad retinendum præcipuum Papatus neruum, quòd nimirum Euchariſtia habeat veram Sacramenti rationem, etiam extra uſum à Chriſto inſtitutum, licèt transformetur in aliam actionem & diuerſum uſum: idcirco tanta contentione de hoc feſto pugnant. Firmiſſimum verò manet illud axioma, Symbola non habere Sacramentorum rationem, extra ſuum uſum, hoc eſt, ſumptionem, & extra actionem his verbis à Domino præſcriptam: Accipite, comedite: Accipite, bibite. Nam ne in naturali quidem alimonia panis habet cibi rationem, niſi in eo qui pane veſcatur. Sed in eo panis hic cœleſtis, id eſt, ad diuinum uſum ſignificandum & præſtandum extra ordinem deſtinatus (ideoque Sacramentum factus) à naturali differt, quòd naturalis vim elementarem ſibi habet à natura ſic inſitam, ut quandiu panis eſt, illa non careat, ſiue quis eo utatur, ſiue non: Panis autem ille cœleſtis ſignificationem tantùm Sacramentum, id eſt, ſpiritualis cibus eſt: idque uſus ipſius reſpectu, nempe eſus & potus: ſicut aqua, quæ in Baptiſmo adhibetur, non eſt Baptiſmi aqua, niſi quis ea, ſicuti Chriſtus inſtituit, tingatur.*

Tertiò, *celebratione huius feſti homines*

perſuadentur, Chriſtum in pane illo, cùm circumgeſtatur & oſtentatur in illa pompa, verè adeſſe: imò hunc panem non amplius panem eſſe, ſed ipſiſſimum Chriſtum: ideoque volunt Chriſtum ibi adorandum eſſe, externo etiam latriæ cultu, cùm tamen probare non poſſint Chriſtum taliter in Sacramento, & in hunc uſum, ut adoretur, adeſſe velle. Et certè horribilis idololatria eſt adoratio panis, quem ipſiſſimum Chriſtum eſſe ſomniant in Sacramento.

Quartò, *per iſtud feſtum homines à crebriori & vero uſu Cœnæ Dominicæ abducuntur: perſuadentur enim ſumptionem Euchariſtiæ cum maximo periculo coniunctam eſſe: cultum verò huius feſti ſine omni periculo multò magis eſſe meritorium.*

Quintò, *Euchariſtiam hanc ob cauſam Chriſtus inſtituit, ut ipſe in ea ſe nobis offerat, donet, applicet, & obſignet beneficia & merita mortis ſuæ. Vrbanus verò huic feſto remiſſionem peccatorum tribuit: in Bulla enim dicit, Seruos debere id in remiſſionem peccaminum. Quibus utique noſtro operi tribuit, ſed magno cum lucro Pontificiæ culinæ, quod ſolius eſt meriti Chriſti.*

Hæc omnia mouerunt etiam Caſſandrum Pontificium, ut hanc pompam & circumgeſtationem Euchariſtiæ, non ſolùm citra ullum damnum, ſed etiam cum lucro & magno emolumento Eccleſiæ omitti poſſe ingenuè confeſſus ſit. Sic enim in Conſultatione ad Ferdinandum & Maximilianum Impp. ſcribit: Conſuetudo qua panis Euchariſtiæ in publica pompa conſpicuus circumfertur, ac paſſim omnium hominum oculis ingeritur, præter Veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inducta & recepta videtur, illi enim hoc myſterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modò ad eius perceptionem, ſed ne inſpectionem quidem admitterent, niſi fideles, quos Chriſti membra & tanti myſterij participatione dignos eſſe exiſtimarant. Quare ante conſecrationem, Catechumeni, Energumeni, pœnitentes, denique non communicantes Diaconi voce, & oſtiariorum miniſterio ſecludebantur. Quare videtur hic circumgeſtationis uſus, citra graue Eccleſiæ damnum, imò cum ipſius lucro (ſi modò id prudenter fiat) omitti poſſe, cùm & recens ſit, & diu ſine ea circumgeſtatione, ſacramento ſuus honos conſtiterit, & hodie conſtare poſſit. Deinde cùm hodie plerumque non deuotioni populi, ſed pompæ magis & oſtentationi ſeruiat, itaque vir ſummi iudicij Albertus Cranzius in ſua Metropoli, Nicolaum Cuſanum legatum per Germaniam laudat, qui abuſum ſacramenti Euchariſtiæ in nimis frequenti eius per ſingulas ferias circumgeſtatione ſuſtulerit, & conſtituit, ut niſi inter octauas feſti ſacramento dedicati in publicum non defertetur, additque idem Albertus memorabilem cauſam, quia, inquit, eius ſacramenti uſus à Cœleſti magiſtro inſtitutus eſt, ad uſum, non oſtentationem de ipſo verò feſto certum eſt illud ab Vrbano, non ad Circumgeſtationem, inſtitutum, ſed ad celebriorem conuentum, ut homines per pietatis opera ita ſe præparent, quo huius precioſi ſacramenti eo die participes fieri, atque ipſum reuerenter ſuſcipere mereantur. Ita enim habent verba decreti, ad quod inſtitutum ſi redeatur, nil puto fore abſurdi.

De Luſtratione Sacramenti.

CEntum annis poſt inſtitutionem feſti Corporis Chriſti, Papiæ cœpit Luſtratio Sacramenti, qua corpus Chriſti in Ferculum fertur. Chron. Boſſij. Atque hinc ad reliquas Occidentis partes manauit, ut corporis Chriſti præſentia preces ſint ardentiores, & fidei publica fieret profeſſio. Genebrardus in Chron.

De Communione ſuiipſius in priuata Miſſa.

TRidentina Synodus *Seſſ. 3. cap. 8. promulgauit*, ſemper in Eccleſia Dei morem fuiſſe, ut Sacerdotes celebrantes, ſeipſos communicarent: ideoque morem hunc, tanquam ex Apoſtolica traditione deſcendentem, iure ac meritò retineri debere. *Et hac de re huiuſmodi Canonem edidit:* Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare, Anathema ſit. *Equidem non pugnat contra ipſam Inſtitutionis Cœnæ ſubſtantiam, ſi miniſter, qui alios communicat, etiam ſeipſum communicet, hoc eſt, ipſe quoque de pane illo edat, & de poculo illo bibat: præſertim quum in veteri Eccleſia idem facilitatum legamus. Et hoc etiamnum in noſtris Eccleſijs citra omnem ſuperſtitionem obſeruatur. Morem autem hunc, tanquam ex Apoſtolica traditione deſcendentem, neceſſario ſemper obſeruandum eſſe probari non poteſt: neque etiam conſcientijs hominum ſub neceſſitatis lege obtrudenda ſunt, quæ expreſſum Dei mandatum non habent. Illud verò prorſus eſt improbandum, quòd Tridentini Patres in hoc Canone inſidioſè agunt: veram nimirum eſſe communionem, inſtitutioni Chriſti conſentientem, etiamſi Sacerdos in priuata Miſſa ſolus communicet. Non enim hoc con-*

conuenit cum Pauli deſcriptione quæ exſtat. 1. Cor. 11. cap. ubi manifeſtè dicit, Cœnam Dominicam non poſſe celebrari, ſi quis priuatam, propriam ſeu peculiarem Cœnam ſumat, quæ cum nemine ipſi communis ſit.

Panis Euchariſticus adhibetur auerruncandis malis.

Pontificij utuntur etiam pane Euchariſtico, eumque oſtentant & circumgeſtant aduerſùs cœli inclementiam, ventos, procellas, tonitrua, fulgura, fulmina, pruinas, rubiginem, & quaſcunque alias tempeſtates: nec non etiam ad extinguenda incendia, & auertenda ſpectra, aliaque mala ſeu infortunia: quin etiam ad depellendos morbos, caritatem, bella & ſimilia. De quo Thomas Naogeorgus in Regno Papiſtico ſic canit.

In vicis equitant circum frumenta coloni
Cum crucibus multis, vexillisque ipſe Sacerdos
Vnà equitat, geſtans panem in pendente crumena,
A collo: inque locis certis deſcendit, & alta
Voce Euangelium canit, Hæc frumenta tuentur,
Scilicet à ventis, pluuia, rubigine certò, &c.

Hoc inde natum videtur, quòd in veteri Eccleſia Sacerdotes Euchariſtiam obtuliſſe dicebantur pro terrarum orbe, pro Epiſcopis, pro Eccleſia, pro Imperatoribus, pro ægrotis & ſanis, pro fructibus terræ, &c. Id verò non intelligebant de ſacrificio reali corporis & ſanguinis Chriſti, ſed de Oratione & precibus, quibus petierunt à Deo, ut ſicut ſymbolis panis & vini in Euchariſtia gratiam ſpiritualem concedat, ita largiatur etiam toti Eccleſiæ gratiam & benedictionem ſuam: vel, ſicut per conſecrationem Eccleſiæ, Chriſti merita exhibeat, & fideles participes eorum faciat, ita etiam alia minora beneficia animæ & corporis ſuæ Eccleſiæ per totum orbem diſperſæ concedat, quemadmodum infra in refutatione Canonis demonſtrabitur. Auguſtinus quidem lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. dicit, in ædibus Heſperij cuiuſdam, quæ à malignis ſpiritibus infeſtabantur, oblatum fuiſſe ſacrificium corporis Chriſti: ſed neque illud fuit reale ſacrificium, quale Pontificij ex Miſſa faciunt, nec oblationi & ſacrificio, ſed Orationi vim omnem tribuit: ſicut infra quoque indicabitur.

Hæc autem ad imitationem Veteris Teſtamenti ab illis facta ſunt. Nam ſacrificia obtulit Iob pro delictis filiorum & amicorum: Aaron pro mitigatione iræ Dei: Dauid pro auertenda peſte, 2. Reg. ultimo: pro vita Darij & filiorum eius, 1. Eſdræ 6. pro ſalute Heliodori Gentilis, 2. Machab. 3.

Progreſſu verò temporis, cùm res in deterius ruerent in Eccleſia, & myſterium iniquitatis non obſcurè ampliùs, ſed palàm operaretur, ſuperſtitiones variæ & horribiles inde natæ ſunt, ut ſuprà quoque indicatum eſt.

Hodie verò Hoſtia, quæ in hunc uſum in adiculis Sacramentalibus aſſeruatur, urbes agroſque circumeunt, & cum ſolennibus ſupplicationibus luſtrant. Quia verò hoc ſingulis diebus, cum ſolenni pompa & ſupplicatione non poſſunt præſtare, luſtrationis alio genere utuntur. Nam Miſſa peracta, Sacerdos prodit extra templum ſacram hoſtiam geſtans in pixide, qua pro foribus templi, terque quaterque in aëre circumducta in crucis formam, additis etiam quibuſdam exorciſmis, in quatuor mundi plagas conuerſus, urbem, vel pagum, agroſque luſtrat, ac unà grandines atque tempeſtates, illo tanquam ſacro amuleto, amoliri & auertere creditur, ut olim grandinum ſpeculatores, ac tempeſtatum procuratores, quos χαλαζοφυλακας appellarunt, & à Cleone inſtituti fuerunt: Et poſt hæc Deum hunc Tutelarem vel Auerruncum in ſuum Sacrarium reportat.

Fiunt autem hæc contra mentem & inſtitutum Chriſti. Is in Sacramenti huius inſtitutione nihil tale fecit, atque diſcipulos docuit: ſed dedit illis panem & vinum ad edendum & bibendum in ſui commemorationem. Paulus etiam Corinthijs ſcribens, ait: Quotieſcunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate. Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum indignè, &c. *Rurſus:* Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo hoc bibat. Nam qui edit ac bibit indignè, &c. *Iubet, ex Chriſti inſtitutione ac mandato, panem & vinum Euchariſticum edere & bibere, non uti ſeu adhibere pro purgando peſtilenti aëre, aut auertendis periculis tempeſtatum, grandinis, ignis, aquæ, & ſimilibus. Neque etiam hic uſus fuit Euchariſtiæ in primitiua Eccleſia. Legimus quidem Chryſoſtomum pro infirmis ſacra feciſſe, & pro terræ, maris, ac uniuerſi orbis fructibus. Sed hic per Sacra non Euchariſtia intelligenda, ſed preces, ut ſenſus ſit, in ſacris & ſolennibus precibus hæc cum Deo commendaſſe.*

Ritus hic damnatur.

Imitantur autem hæc ſuperſtitione Pontificij cùm Iſraëlitas, tum Ethnicos, quemadmodum in alijs omnibus. Sicut enim Iſraëlitæ contra Verbum Domini abutebantur Arca fœderis deferentes eam in caſtra ad debellandos Philiſ-

Philistinos, & ipsi ab hostibus vincebantur: 1. *Sam.6. Ita Papistæ horribiliter & idololatricè abutuntur Eucharistia contra mandatum Christi, circumgestantes eam ad depellendas tempestates & Sathanæ spectra, & auerruncanda omnia infortunia. Romani quoque Sementinas habuere ferias, in quibus rustici circuibant solenni pompa, & sacrificabant Terræ, Cererique frugum parentibus, farre & porca prægnante. Sic enim Ouidius in Fastis.*

Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Telluſque Cereſque.
Farre ſuo, grauidæ viſceribuſque ſuis.

Habuerunt etiam Ambarualia *festa, quæ fiebant non solùm circa sementem, sed etiam paulo ante messem: eaque lustrationes & purgationes aruorum esse putabantur, & plurimùm ad fertilitatem conferre. In ijs unusquisque paterfamilias hostiam deligebat in Cereris sacrificia, quam querneæ corona circa collum posita ornabat, eamque ter circa sata ducebat, quam uniuersa familia querneis ramis coronata, Cererisque laudes canens cum tripudijs comitabatur. Post has lustrationes mulsum & lac offerebatur. De hoc ritu Virgilius lib.1. Georgic. sic canit:*

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho:
Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus, & ſocij comitantur ouantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem ir maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereti torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Celebrarunt quoque Robigalia *&* Floralia: *in quibus Processio fiebat, Flamine Quirinali & populo, albis vestibus amicto, in lucum Robigini consecratum: ibi factis precibus, quibus Robiginem inuocabant, ut segetibus, floribus, & vineis parceret, immolabatur, adhibito mero & thure, canis & ouis, eorumque exta in cineres cremabantur: ut videre licet apud Ouidium lib.4. Fastorum.*

De multarum Missarum Celebratione uno die, & in eodem Templo.

COenam Domini semel tantùm in primitiua Ecclesia in uno die & in eodem templo celebratam esse ex historijs certissimum est. Et Mediolanensis Ecclesiæ morem ætate sua *Ambrosius exponens*, Omni hebdomada, *inquit*, offerendum est: etiamsi non quotidie peregrinis: Incolis tamen vel bis in hebdomada. *His verbis Ambrosius communionem suo tempore semel, aut bis in hebdomada, aut ad summum quotidie semel, si occasio grauior oblata esset, non autem vicies, aut tricies in uno die administratam fuisse testatur. Hanc consuetudinem, in Romana Ecclesia suo adhuc tempore usurpatam, Franciscus Assisinas Monachis suis firmiter tenendam, in Regula his verbis præscripsit*: Moneo & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantùm celebretur Missa in die, secundùm formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Et Græci adhuc unicam tantùm Missam in die celebrant, Thoma Waldensi teste, lib.6. cap.34.*

Leo 1. autem Papa non solùm semel, sed bis, vel ter etiam in una Ecclesia Cœnam administrari posse concedit, sed longè aliam ob causam, quàm hodie fiat in Papatu. Scribit enim ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum epist.79. ut supra quoque libro secundo, capite quinto indicauimus, cauimus, si festivitas solennior conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, ut sacrificij oblatio tunc indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi aduenerint, videantur hi, qui postmodùm confluxerint, non recepti. Plenum enim pietatis atque rationis esse, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur: alioquin pars quædam populi sua deuotione priuaretur, si unius tantùm Missæ more seruato, sacrificium offerre non possent, nisi qui prima diei parte conuenissent. *Et quamuis hæc verba Leonis eiusmodi sint, ut per se clara & dilucida esse videantur, tamen ex aliorum collatione, consideratione que locorum cognitam magis, & exploratam habere eius sententiam licebit. In Concilio Agathensi, quod circa tempora Leonis, anno videlicet 440. celebratum est, sic decretum fuit Ca.21. In* Paschate, Natali Domini, Epiphania, Ascensione,

ſione, Pentecoſte, Natali S. Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in Feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus, aut parochijs Miſſas teneant. *Sic paulò poſt etiam in Aruernenſi Concilio anno* 537. *cap.* 14. *ſancitum fuit*, ut Presbyteri in villulis habitantes, & ciues omnes natu maiores in præcipuis feſtiuitatibus nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo in ciuitate diuina myſteria celebrarent. *Huius conſuetudinis meminit quoque Auguſtinus epiſtola* 118. *ad Ianuarium:* In quibuſdam, *inquit*, locis, ubi maior & frequentior eſt populus Dei, Quinta Sabbati hebdomadæ ultimæ Quadrageſimæ bis offertur, & manè & ad veſperam. *Hoc etiam eſt, quòd Gregorius, ut legitur homilia octaua in Euangelia, ſacram communionem in Natali Domini tribus ſeparatis vicibus obiuit.*

Quapropter inſtitutum cautumque fuit, valde quidem rationi & humanitati conuenienter, ut Cœna vno die bis, aut ter, aut amplius celebraretur: non quo populus Miſſam tantùm ſpectaret, vel audiret, vt nunc fit: verùm vt nulla pars populi à ſacris myſterijs repelleretur, ſed omnis cœtus per partes accederet, eò modo quo commodè recipi Eccleſia poſſet; & ſic tota multitudo communicaret. Cumque, iuxtà hunc ritum, nonnulli Sacerdotes in poſtremâ tantùm Cœnæ celebratione communicarent, in reliquis verò à communione abſtinerent, hanc prauam conſuetudinem publico decreto abrogauit ac vetuit Toletana 12. *ſynodus anno Domini* 680. *habita: Can.* 5. *qui ſic habet:* Relatum eſt nobis, quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in una die videntur offerre: ſed in una die, ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantùm extrema ſacrificij oblatione Communionis ſanctæ gratiam ſumunt. Quaſi non ſit toties illis vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis D.N. Ieſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit: Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Certum eſt, quod hi, qui ſacrificantes, non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti. Quicunque ergo ſacerdotum deinceps diuino altario ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter priuauit, gratia communionis anno uno repulſum ſe nouerit. Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? &c.

Poſt Leonem autem Papam Deusdedit, ſecundam Miſſam in Clero conſtituit circa annos Chriſti 614. *ut in vita eius refertur tom.* 2. *Concil. Petrus autem Vrbeuetanus in ſuis ad eum locum Scholijs ſic ſcribit:* Quia tunc ad inſtar Græcorum, non cantabatur in una Eccleſia, niſi forſan una Miſſa, quòd magis ædificabat ſecundùm Antiquos.

Cùm etiam publica totius cœtus eccleſiaſtici communio magis magisque vileſceret, priuatæ Miſſæ ingruerent, & ſimul Sacerdotum auaritia creſceret; tum quoque numerus Miſſarum creuit. De quo Cochlæus in libro de Sacrificio Miſſæ ſic ſcribit: Quòd olim tam frequentes non fuerint Miſſæ, neque tot Sacerdotes, quòt hodie, inde accidiſſe arbitror, quòd olim omnes tum Sacerdotes, tum Laici, quicunque intererant ſacrificio Miſſæ, peractâ oblatione cum ſacrificante communicabant: ſicut ex canonibus Apoſtolorum, & ex libris atque epiſtolis antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum perſpicuè cognoſcitur. *Tum addit:* Nunc verò, poſtquam communionis ordo à nobis obſervari deſiit, idque propter negligentiam & ſocordiam tam plebis, quàm Sacerdotum, Spiritus ſanctus Miſſas privatas celebrando, pium remedium huic defectui invenit. *Ex hoc teſtimonio intelligimus negligentiam, etiam & remiſſum pietatis ſtudium, tum in populo, tum in Sacerdotibus, fœcundam Miſſarum procreatricem eſſe. Non autem fuit ſufficiens compenſatio, pro frequenti populi communione, numeroſas Miſſas priuatas ſubſtituere.*

Ex hoc fonte & ſcaturigine in magnam & profuſam copiam, paulò ante & poſt Innocentij tertij tempora, Miſſæ euaſerunt: non quidem iam amplius propter frequentiores populi conuentus, ut ab initio, ſed propter priuatarum Miſſarum ſtudium, & lucrum, quod inde percipiebant Sacerdotes uberrimum. Hinc enim inſtituerunt, ut una Miſſa ſit de die, hoc eſt, ordinaria, & præſenti diei debita: altera prò mortuis: tertiò, ut in genere honeſtatis & utilitatis ratio habeatur. Sic enim loquuntur: Cauſa honeſtatis, vel utilitatis: ut ſi dicta Miſſa de die, ſuperueniat aliqua magna perſona, quæ velit audire Miſſam. Has verò ob cauſas ſæpe fit, ut viginti, vel etiam triginta Miſſæ celebrentur vno die & in vno templo. In Salegunſtadienſi verò Concilio anno Chriſti 1023. *habita multitudo hæc Miſſarum ad ternarium numerum reſtricta fuit. Cap.* 5. *Alexander quoque tertius Papa eam improbavit. Sic enim decrevit:* Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere: & valde fœlix eſt, qui unam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen

men pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecunia aut adulationibus secularium una die præsumunt plures facere Missas; non æstimo evadere damnationem: *de Conſ. Diſt.*1. *cap.* 53. *Oxonienſis etiam Synodus an. Chriſti* 1222. *celebrata, cap.*1. *ſancivit:* Ne Sacerdos Missarum solennia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, vel in obsequijs defunctorum, videlicet cùm corpus alicuius in Ecclesia eodem die fuerit tumulandum: & tunc prior Missa de die: posterior verò pro defuncto celebretur. *Et Guilielmus Pariſienſis de Diſp. Miniſt. cap.* 12. In necessitate, *inquit*, permittitur Sacerdoti curato ab Ecclesia in die duas Missas celebrare: sicut unam pro tempore, & aliam pro defunctis vel pro nuptijs. *Et:* Scias, quòd plures Missas, quàm duas, nunquam permissum est Sacerdoti una die, pro quacunque necessitate celebrare, præterquam in die natalis Domini. *Sic etiam in Colonienſi Synodo circa annos Domini* 1280. *celebrata ſancitur,* Vt nullus dicat Missam, nisi unam in die, & præcipuè de die, nisi in casibus à iure permissis, ut hoc faciat necessitate imminente: utpote Missam pro defunctis.

Eucharistia pro Custodia, usurpata.

Benedictus 13. *Papa, circa annum Domini* 1390. *fertur primus Euchariſtiam ante ſe geſtaſſe ad ſui cuſtodiam, ut refert Genebradus in Chronicis. Quinimo omnes Papæ, quoties peregrè proficiſcuntur, Euchariſtiam equo alicui ſtrigoſo & exili impoſitam, cuius ex collo tintinnabulum propendeat, Agaſoni cuidam inter impedimenta, ad ſui cuſtodiam committunt.*

Eucharistia veneno nefariè infecta, & ad necandos homines usurpata.

Vide Viretum de Origine Miniſterij Verbi & Sacram. l.6.c.20.

Evchariſticum panem & vinum ſæpe à ſacrificulis & Monachis veneno infectum, eoque tam clericos quàm laicos necatos fuiſſe, hiſtoria aliquot exempla ſuppeditant. Refert enim Abbas Vrſpergenſis in Henrico tertio Imp. Victori 2. *Papæ Diaconum Bracuti iuſſu, & Hildebrandi, qui poſtea Gregorius ſeptimus appellatus eſt, nutu, in calicem miſiſſe clam venenum, ſed calicem de altari leuare non potuiſſe. Factum anno Domini* 1057. *Legitur etiam apud Balaum in vita huius Victoris. Eandem fortunam ſubijt etiam Victor* 3. *Papa, quem veneno in calicem iniecto à ſuo miniſtro Subdiacono, dum Miſſam celebraret, periiſſe tradunt Hermannus Contractus, Carſulanius, Præmonſtratenſis, Malmesbur. lib.*3. *cap.* 39. *& alij plures authores. Vincentius tamen, ut Platina ſcribit, longè aliter ſentit, quum dyſſenteria interiiſſe eum dicat. Sed id à ſuſpicione dati veneni non eſt alienum. Sæpe enim fit, ut veneno petiti, corruptis inteſtinis, in dyſſenteriam incidant. Factum anno Domini* 1088. *propter hoc ſcelus Papa perpetuò claudit hodie in celebratione calicem in altari. Nauclerus Gener.*36. *Sanctus* Wilhelmus *quoque Archiepiſcopus Eboracenſis Miſſam celebrans, capellani ſui proditione intoxicatus fuit, anno Chriſti* 1154. *ut Balæus narrat Centuria* 2.*cap.* 84. *ex lib.*2. *Chronicorum Rogeri Hoüedeni, & Annalibus Ioannis Everſdeni, ac libro quarto Matthei Pariſij. Similiter Henricus ſeptimus Imp. ſublatus eſt veneno, per infectum panem ſacrum Beneconuenti in Italia, talium artium officina, à Bernardino Monacho Dominicano, qui ad hoc à Florentinis conductus erat: anno Salutis reparatæ* 1313. *Ex eadem Prædicatorum familia, quidam Monachi anno Chriſti* 1507. *Bernæ Helvetiorum, Nouitium fratrem, ne facinora eorum nefaria effutiret adegerunt, ut hoſtiam veneno tinctam deglutiret, quam tamen mox per vomitum reiecit. Ob hoc ſcelus & alia permulta ſacris exauthorati & combuſti ſunt, anno Domini* 1509. *ultima Maij.*

CAPVT VII.

Informationes & Cautelæ non tam superstitiosæ quàm ridiculæ, observandæ Presbytero Missam celebrare volenti.

Prima cautela eſt, ut Sacerdos Miſſam celebraturus, conſcientiam ſuam per puram confeſſionem optimè præparet, Sacramentum vehementer deſideret, & conficere intendat. Notulam de modo agendi officium, memoriter & bene ſciat. Geſtus valdè compoſitos ac devotos habeat. Cùm enim quilibet teneatur Deum diligere, ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus ſuis: hic Deum diligere non probatur, qui in menſa altaris, ubi Rex Regum & Dominus omnium tractatur & ſumitur, irreligioſus, indevotus, impudicus, diſtractus, vagus, aut deſidioſus apparuerit. Attendat igitur unuſquiſque quòd ad menſam magnam ſedeat: cogitet qualiter eum præparari oporteat: ſit cautus & circumſpectus. Stet ere-

erectus, non iacens in altari, cubitos iungat lateribus: manus mediocriter exaltet, ut extremitates digitorum modicum circa humeros videantur, non tamen humeros excedant. Intellectum signis & verbis coaptet: quoniam magna latent in signis, maiora in verbis, maxima in intentione. Tres digitos iungat, quibus signa faciat, reliquos duos in manu componat. Signa faciat directè, non obliquè: altè satis, ne calicem evertat: non circulos pro crucibus faciat. Cùm verò inclinandum erit, non obliquè, sed directè ante altare toto curvatus corpore se inclinet.

II. *Secunda est, ut non putet vel opinetur, sed certò sciat, se debitas materias habere: hoc est, panem triticeum, & vinum cum aquâ modica. De vino & aqua sic poterit certificari. Exigat à ministro, ut gustet tam vinum quàm aquam. Ipse autem Presbyter gustare non debet. Guttam fundat in manum: digito terat, & odoret, sic erit certior. Non credat ampullæ signatæ, non colori: quoniam sæpius fallunt. Videat calicem ne sit fractus. Consideret vinum, si est corruptum, nullo modo celebret: si est acetosum, dissimulet: si nimis aquosum, absolineat, nisi sciat vinum aqua prævalere. Et in omni casu si contingat dubitari vel propter acedinem, vel propter mixturam, vel inlimpiditatem, utrum posit confici, consulimus abstinere: quia in hoc Sacramento nihil sub dubio est agendum, ubi certissimè est dicendum, Hoc est enim corpus meum: & Hic est calix sanguinis mei. Item, hostias oblatas convenientes eligat, & vinum competenter infundat: quia hoc Sacramentum debet sensibus deservire, ad videndum, tangendum, & gustandum, ut sensus reficiantur ex specie & intellectus ex re contenta foveatur. Aqua etiam in parvissima quantitate infundatur, & à vino absorbeatur & saporem vini recipiat: non est enim periculum quantumcunque modicum apponatur de aqua: est autem periculum si multum. Apponitur etiam aqua solùm ad significandum. Sed una gutta tantum significat, quantum mille. Ideo caveat Sacerdos, ne cum impetu infundat, ne nimis cadat.*

III. *Tertia est, ut Canonem morosius legat quàm cætera: & præcipuè ab illo loco, Qui pridie quàm pateretur, accepit. Tunc enim respirans attendere debet, & se totum colligere, si prius non potuit singulis verbis attendens. Et dum dixerit, Accipite & manducate ex hoc omnes, respiret: & uno spiritu tractim dicat, Hoc est enim corpus meum. Si non immiscet se alia cogitatio. Non enim videtur rationabile, discontinuare formam tam brevem, tam arduam, tam efficacem: cuius tota virtus dependet ab ultimo verbo, scilicet Meum, quod in persona Christi dicitur. Vnde non debet cuilibet verbo punctus imponi. Cùm id nulla ratione valeat ut dicatur, Hoc. est. enim. corpus. meum. Sed totum simul proferat. Pari modo, hoc idem in forma consecrationis sanguinis observetur. Item, proferendo verba consecrationis, circa quamlibet materiam sacerdos semper intendat conficere id quod Christus instituit & Ecclesia facit.*

IV. *Quarta est, ut si plures hostias habet consecrare, debet harum unam eleuare, quam sibi deputauerat à principio ad Missam: & teneat illam penes alias, ita quòd intentionem simul ad omnes dirigat, & signando & dicendo, Hoc est enim corpus meum, omnes cogitet quas demonstrat, seu ante se habet. Consulimus quoque, ut Canonem Presbyter memoriter sciat, quia deuotiùs dicitur. Semper tamen liber habeatur, ut ad ipsum si necesse sit recurratur.*

V. *Quinta est, ut sic moderatè calicem sumat, ne propter impetum tussis inopinatæ occurrat: sed caute sumat, ut impedimentum non habeat. Si verò plures hostias debet sumere, ut quando hostia est renouanda, primò sumat eam quam confecit, & sanguinem. Posthæc alias quæ supersunt: suam prius sumat quàm alias, quia de suis credit & scit: de aliis credit & nescit. Demum, de super ablutiones & non priùs.*

VI. *Sexta est, ut paucorum nominibus se adstringat in Canone, seu Memento: nec perpetuò, sed quandiu velit faciat, quando velit omittat: quia Canon de multitudine nominum prolixatur, & per hoc cogitatio distrahitur. Dignum tamen est, ut pater, mater, frater & soror ibi memorentur, & si qui pro tempore commendantur, & specialiter pro quibus Missa celebratur. Non tamen ibi fiat vocalis expressio, sed mentalis.*

VII. *Septima est, ut ante Missam caueat, lauando os vel dentes (quos de facto licitum est lauare) ne fortè aquæ gustum cum saliua immittat. Et si fortè à casu Sacerdos lauando os deglutiat stillam aquæ, potest celebrare secundum Doctores, nisi fecerit ex proposito. Concordat Ricar. in 4. dist. 7. Thomas verò dicit, Verùm nisi traiciatur in magna quantitate. Hùc similiter concordat Angelus de Clauasio, in Summa sua. Post Missam etiam caueat ex creationes quantum potest, donec comederit & biberit: & hoc propter reuerentiam. Et etiam ne forte aliquid inter dentes remâserit in faucibus, quod excreãdo eiceretur.*

VIII. *Quamuis autem Missa deuotissimè sit celebranda, contemplationis causa. est tamen modus habendus, ne protractione nimia, vel acceleratione fiat homo notabilis. Nam acceleratio signum est incuriæ. Protractio est occasio distractionis quandoq; sibi & auditoribus: quos arguit Guilhelmus Parisiensis. in libro Rhetoricæ diuinæ. Sed medio tutissimus ibit. Eo autem affectu est quælibet Missa habenda & dicenda à quocunq; Sacerdote, quasi prima dicatur, & nunquam amplius sit dicenda. Tam magnum enim donum semper debet esse nouum. Habeat itaque Sacerdos*

diligentiam ad conficiendum, reverentiam ad tangendum, & devotionem ad sumendum. Sic sentiendo & agendo dignè tractabitur sacramentum, ritè peragetur officium, atque pericula & scandala euitabuntur.

IX. Item, in Collectis dicendis semper impar numerus obseruetur, si commodè fieri potest, vel nisi exordinario aliter facere oporteret. Vna propter unitatem Deitatis: tres, propter Trinitatem personarum: quinque, propter quinque partium passionem Christi & plagarum eius, septem, propter septiformem gratiam Spiritus sancti. Septenarium numerum excedere non expedit propter multorum obliuionem. Qui autem aliter facere nouerunt in priuatis Missis utique licitum est. Item, in Missis defunctorum, nulla oratio quàm de defunctis dicitur, excepta oratione, Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, eò quòd etiam pro mortuis mentionem facit aqualiter & hoc in Missa priuata. Item, quandocunque oratio dirigitur solum ad Patrem, in fine dicatur per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Si verò dirigitur ad Patrem, & mentio sit Filij in ipsa, in fine dicatur, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Si autem oratio dirigitur solum ad Filium, in fine dicatur, Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Et si mentio Spiritus sancti in quacunque oratione fiat, in fine dicatur, In unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum, Amen.

X. Imprimis, si Sacerdos incipiat agrotare in altari, post consecrationem, aliter quòd nec opus cæptum possit perficere: tum si præsens est alius Sacerdos, & si agrotus potest indicare ubi dimiserit, ibidem debet alius incipere & perficere. Si verò non possit indicare, incipiat ubi ille per certa signa creditur dimisisse. Si autem alius Sacerdos non sit præsens, exspectetur in crastinum, & clericus secundum quod poterit, indicet alij Sacerdoti, ubi debet incipere. Si autem per ministrum suum, vel per quemcunque alium assistentem certificari non possit, & ubi Sacerdos ægrotans dimiserit, penitus ignoraverit, tunc consecrationem repetat, ac devotè perficiat: quoniam tradit authoritas, Non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum. Si Sacerdos deficiat, siue moriatur ante Canonem, non est necesse ut alius Missam compleat. Si tamen alius vult celebrare debet ab initio Missam reincipere, & totum ritè peragere. Si autem in Canone deficiat, factis iam aliquibus signis, tamen ante transsubstantiationem & consecrationem Sacramenti, tunc alius Sacerdos, ab illo loco ubi ille dimisit, debet reincipere, & tantùm illud supplere quod omissum est. Si autem Sacerdos in actu consecrationis deficiat verbis aliquibus iam in parte prolatis sed in toto non completis, secundum Innocentium: alius Sacerdos debet incipere ab illo loco, Qui pridie, &c. Sitamen Sacerdos deficiat consecrato corpore, sed non sanguine, alius Sacerdos compleat consecrationem sanguinis, incipiens ab illo loco, Simili modo.

XI. Si consecrato corpore percipiat vinum non esse in calice, debet hostia mundè reponi in corporali: & calice rite præparate incipiat ab illo loco, Simili modo. Si ante consecrationem sanguinis percipiat aquam non esse in calice, debet statim apponere & conficere. Si autem post consecrationem sanguinis percipiat quòd aqua defit in calice, debet nihilominus procedere, nec debet miscere aquam cum sanguine: quia pro parte sequeretur corruptio Sacramenti, debet tamen Sacerdos dolere & punire. Si post consecrationem sanguinis, percipiat quòd vinum non fuerit positum, sed aqua tantùm in calice (siquidem hoc percipit ante sumptionem corporis) debet aquam deponere & imponere vinum cum aqua, & resumere consecrationem sanguinis ab illo loco, Simili modo. Si percipiat hoc post sumptionem corporis, debet apponere, de novo aliam hostiam iterum cum sanguine consecrandam, secundum Doctores in sacra pagina, debet autem resumere verba consecrationis, ab illo loco, Qui pridie. In fine autem debet iterum sumere hostiam illam ultimò consecratam, non obstante si priùs sumpsit aquam, & etiam illum sanguinem. Innocentius tamen dicit, quòd si ex prolongatione Sacerdos timet scandalum, quod sufficiunt tantùm illa verba, per quæ consecratur sanguis: scilicet, Simili modo, &c. & sic sumere sanguinē. Item si per negligentiam veniret, quòd perfectò Canone & perfectâ consecratione, nec vinum, nec aqua reperiantur in calice, debet statim infundi utrumque, & Sacerdos reiterabit consecrationem, ab illo loco Canonis: scilicet, Simili modo postquam cœnatum est, usque ad finem: ita tamen quod suas duas cruces omittat, quæ separatim fiunt super hostiam. Quid autem faciat quum aquam sumpto corpore iam habet in ore, & iam primò sentit quòd sit aqua, utrum debeat eam deglutire, vel emittere: require in summa Hostiensis, in titulo de consecratione Missæ. Tutius tamen est eam deglutire: & hoc ideo, ne aliqua particula corporis cum aqua exeat.

XII. Item si Sacerdos post consecrationem recordetur se non esse ieiunum, vel commisisse aliquod mortale peccatum, vel esse excommunicatum debet conteri, vel saltem hanc gratiam contritionis expetere, & nihilominus procedere, cum proposito satisfaciendi, & absolutionem impetrandi. Si autem ante consecrationem recordetur prædictorum, tutius est Missam incæptam deserere, & absolutionem petere, nisi inde scandalum oriatur.

XIII. Item, si musca, vel aranea, vel aliquid talium, ante consecrationem in calicem

cecíderit, vel etiam venenum immíssum fore deprehenderit, vinum debet infundi, quod est in calice, & abluto calice: aliud vinum cum aqua poni ad conficiendum. Sed si aliquid horum post consecrationem acciderit, debet musca, vel aranea, vel aliquid talium cautè capi, & in alio calice diligenter inter digitos pluries lauari, & vermis comburi, & ablutio cum cineribus combustis in Sacrario reponi: vel si sine horrore & abominatione fieri potest, sumatur à sacerdote. Sed si probabiliter timeretur quòd species vini essent infecta veneno, vel sacerdos sine vomitu vel horrore nimio sumere non anderet, comburatur, ut supra: quia venenum nullo modo debet sumi, sed cum reliquijs debet sanguis talis, cui venenū est immissum, in vasculo mundo reseruari. Et ne sacramentum maneat imperfectum, debet calicem denuò rite preparare, & resumere consecrationem sanguinis, ab illo loco, Simili modo. Et nota, quòd secundùm Doctores, nihil abominabile sumi debet, occasione huius sacramenti.

XIV. Item, si Sacerdos non recolit se dixisse aliquid horum quæ debuit dicere, non debet mente turbari. Non enim qui multa dicit semper recolit quæ dixit. Etiam si sibi pro certo constat, quòd aliqua omiserit, si talia non sunt de necessitate sacramenti, sicut sunt secreta, vel aliqua verba Canonis: ultra procedat, nec aliquid resumat. Si tamen probabiliter sibi constat, quòd omisit aliquid, quod sit de necessitate sacramenti, sicut forma verborum per quam consecratur: omnia verba consecrationis super suam materiam resumere debet: quia consecratio facta non esset, quod tamen non oportet, si quæ alia prætermissa essent. Coniunctio enim vel alia quæ precedunt, vel sequuntur formam, non sunt de ipsius substantia. Si autem sacerdos dubitaret an aliquod verbum pertinens ad substantiam formæ omisisset, vel non: nullatenus debet seruare formam conditionalem, sed sine temeraria assertione formam totam super suam propriam materiam debet resumere. Cum hac intentione, quòd si consecratio esset facta, nullo modo velit consecrare: sed si consecratio non esset facta, vellet corpus & sanguinem consecrare.

XV. Item, si quis tempore Consecrationis ab actuali intentione, & deuotione distractus fuerit, nihilominus consecrat: dummodo intentio habitualis & virtualis in eo remanserit summo sacerdote, scilicet Christo supplente eius defectum. Si autem per nimiam distractionem habitualis intentio cum actuali tollatur (quod rarò vel nunquam accidit) videtur quòd deberet verba consecrationis cum actuali intentione resumere: sic tamen, quòd nollet consecrare, sic consecratio facta esset.

XVI. Item, si hostia consecrata propter frigus, vel alia de causa labitur sacerdoti in calicem, siue ante diuisionem hostiæ, siue post, non debet eam de sanguine extrahere, nec aliquid propter hoc retterare, vel immutare circa celebrationem sacramenti: sed procedat in signis & in alijs, ac si haberet eam in manibus. Si Eucharistia in terram decideret, locus ubi iacuit radatur, & incineretur per ignem & cinis iuxta altare recondatur.

XVII. Item, si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit super tabulam, quæ terra adhæret, stilla per Sacerdotem cum lingua lambatur, & locus tabulæ radatur & rasura igni comburatur, & cinis iuxta altare cum reliquijs recondatur: & iuxta Canones quadraginta diebus pœniteat sacerdos cui hoc accidit, vel aliàs debitè satisfaciat ad arbitrium Confessoris prudentis. Si verò super altare stillauerit calix, forbeatur stilla, & tribus diebus pœniteat. Si verò super linteum, & ad secundum stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat: si usque ad tertium nouem diebus pœniteat, si usque ad quartum stilla sanguinis peruenerit, viginti diebus pœniteat, & linteamina quæ stilla tetigerit tribus vicibus, lauet sacerdos vel Diaconus calice suppositio: & ablutio cum reliquijs recondatur.

XVIII. Item, si quis aliquo casu gulæ Eucharistiam euomuerit, vomitus ille debet incinerari; & cineres iuxta altare debent recondi. Et si fuerit Clericus, Monachus, Presbyter, vel Diaconus; quadraginta diebus pœniteat: Episcopus, septuaginta: laicus: triginta. Si verò ex infirmitate euomuerit quinque diebus pœniteat: vel aliàs ut supra debitè satisfaciat ad arbitrium Confessoris.

XIX. Qui verò non bene custodit sacramentum, ita quòd mus vel aliud animal comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud, vel pars eius ceciderit, & non fuerit inuenta, triginta diebus pœniteat. Eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam putrefiunt hostia consecratæ. Dicti autem diebus pœnitens debet ieiunare, & à communione & à celebratione abstinere. Pensatis tamen circumstantijs delicti & personæ, potest minui vel augeri pœnitentia prædicta, secundùm arbitrium discreti Confessoris. Hoc tamen tenendum est, quod ubicunque inueniuntur species sacramenti integræ, reuerenter sumendæ sunt. Quòd si sine periculo fieri non potest, sunt tunc pro reliquijs reseruandæ.

XX. Item si hostia, vel pars hostia inuenta fuerit sub palla, vel corporali, & dubitatur si est consecrata vel non, debet eam post sumptionem sanguinis reuerenter sumere: vt in titulo, De celebratione Missæ plenius invenies. Item si corpus Domini infirmo datum, propter infirmitatem, siue per aliam qualemcunque causam reficitur: prous diligentius fieri poterit, recipiatur, & si propter humanam fragilitatem non inuenitur, qui reiectionem illam velit sumere, aut non possit,

comburatur:& combustio in Sacrario reponatur.

XXI. *Item, de Eucharistia inveterata ex Aureliano Concilio,cap 5.Omne sacrificium sordida vetustate perditum,igne comburendum est, & cinis iuxta altare candendus.*

XXII. *Item,si corpus Domini à muribus vel araneis consumptum ad nihilum devenerit, sine multum corrosum fuerit:si integrè vermis in eo inuentus fuerit,comburatur. Si sine horrore residuum prædicto modo corrosum sumi, poterit, utinus est ut sumatur.Similiter,si quis statim post sumptionem passus fuerit nauseam,quamuis non in ventrem,sed in mentem transeat cibus ille, qui est cibus animæ: tamen propter sacramenti reuerentiam,si ibi aliqua pars Eucharistiæ inuenitur,illa cum reuerentia sumatur,& vomitus comburatur,& pulvis cum reliquijs reponatur.*

XXIII. *Item,circa materiam sanguinis, vide ne sit agresta, vel vinum ita debile, quod nullo modo speciem habeat vini:ne sit aqua rubea expressa de pamo intincto in vino rubeo:ne sit acetum,vel vinum omnino corruptum:ne sit claretum,vel vinum de moris, aut malogranatis confectum:quia veram speciem vini non retinent.Conficiens scienter,& non coactus, cum vino quod est in via corruptionis, vel ad corruptionem tendens,grauissimè peccat, licèt conficiat:quoniam non retinet speciem vini. Item, cauendum est ne apponatur nisi modicum de aqua. Quia si tantum poneretur quod speciem vini tolleret,non conficeretur.*

XXIV. *Si ante transsubstantiationem effusa fuerit pars vini aliqua, mutetur palla sub silentio:& si celebrans officium prosequatur. Si totum effusum fuerit,mutatis linteaminibus ministret denuò & reincipiat ab, Hanc igitur oblationem:præmissa tamen confessione.Si post transsubstantiationem effusa fuerit pars sanguinis, nihilominus celebrans officium prosequatur. Si totum,quòd nihil omnino remanserit (quod est valde difficile) ponat super propitiatorium: & ministret denuò panem,& vinum & aquam:& reincipiat ab,Hanc igitur oblationem:confessione præmissa:& sumatur prima hostia à Ministro vel ab infirmo,vel ab alio ad hoc parato.Si sanguis in calice congeletur,debet tàm diu exhalare desuper,donec dissoluatur, vel prunas reuerenter apponere: aut etiam si aliter non valeret, solidum transslutire.*

CAPVT VIII.

Decreta Conciliorum varia,de Cæremonijs in Cœnæ celebratione obseruandis.

Nullus sine lumine ante communicet, ut Missam celebret.

IOANNES *Beleth in Rationali cap. 119. refert in quodam Rituali suo Concilio decretum esse,ut nullus unquam sine lumine aut communicaret,aut Missam celebraret. Balæus etiam in Cent.indicat,circa annum Domini 1201. lumen ante Eucharistiam seruatum esse.*

In Alemanica quadam Synodo anno 1224. habita cap. 6. statuitur, vt Clerici excommunicati vel suspensi diuina celebrantes, de cætero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur. *Tom.3.Concil. Item cap.7.* Vt Clerici coram excommunicatis diuina celebrantes,& ipsi excommunicentur. *Tom. 3.Concil.*

Celebrata est Synodus Coloniæ anno Domini 1260. in qua cap. 7. sancitur, ut Sacerdotes quotiescunque celebraturi sunt Missam, veste camisiali sub Albis non careant, ne Albam,quæ consecrata est vestis, ipsorum tunicæ contingant, nec ipsæ tunicæ compareant.

Clerici excommunicati Missam non celebrent. Missam Sacerdotis in Missali celebrantis, Coloniæ. Sic Synodi verba decreta de Missarum celebratione.

Paulò post,alia Synodus Coloniæ congregata est, circa annos Christi 1280. in qua varia, ad ceremonias & ritus Missæ pertinentia, sancita sunt,præsertim verò cap.7. quod sic habet:

Præcipimus,ut omnes Sacerdotes in vestibus albis sacerdotalibus & benedictis, reuerenter,mundo & contrito corde,& confessi (si commodè fieri potest) accedant ad Missam celebrandam.

Item:Statuimus sub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Missam celebrare audeat,nisi priùs dixerit matutinas & primam de die,ibid.

Item præcipimus,ne aliquis sacerdos sine calceis vel caligis pro celebratione Missæ ad altare accedere valeat,ibid.

Item:diligenter caueant Sacerdotes, ne cum conscientia mortalis peccati accedant ad Missam celebrandam:quòd si taliter manducauerint corpus Domini & biberint eius sanguinem, iudicium æternæ damnationis sibi manducant & bibunt. Cap. 7. Concilij Colonien.

Item præcipimus, ut calix sit integer cum firmo pede, non titubans. Et Sacerdos sine clerico ministrante, celebrare in altari aliquatenus non præsumat, ibidem.

Item: ampullæ vini & aquæ, integræ & mundæ intus & exteriùs obseruentur, & aliquo signo notabili distinguantur, ut vinum ab aqua dignosci possit: & vinum in ampullis ad minus de tertio in tertium diem renouetur,ibid.

Item, Sacerdos sit diligens in delectu hostiæ consecrandæ, ut sit integra, solida, & non nimis vetusta: & in appositione vini & aquæ, discernat Sacerdos per odorem,quid sit vnumquódque.Et de aqua, duæ guttulæ vel tres apponantur,ibid.

Item,

Item præcipimus, ut Sacerdotes attentè, reuerenter & distinctè legant & dicant in Canone, quæ sunt dicenda. Et expediant se, quantò citiùs possunt, propter tædium adstantium, & alia quæ occurrere possent, & faciant signa sua distinctè & reuerenter, ibid.

Item: nullus Sacerdos eleuet hostiam ad ostendendum populo, nisi postquam dixerit hæc verba, Hoc est corpus meum, & pulsetur nola tribus ictibus ex una parte, ut fideles qui audierint, vbicunque fuerint, veniant & adorent, ibid.

Item, Si Sacerdos, cùm venerit ad consecrationem sanguinis, vel etiam ad perceptionem, & nihil in calice inueniat, innuat, ut offeratur ei vinum & aqua: quibus appositis, dicat verba canonis ab illo loco, Simili modo postquam cœnatum est, &c. usque ad finem, & faciat signa quæ fieri solent super sanguinem. Alia autem quæ facta sunt super Euchariſtiam, non reiteret, sed modo consueto transeat. Ille autem, per cuius negligentiam hoc euenerit, tribus diebus in pane & aqua ieiunet, & unum psalterium dicat. Item si per casum mortis, ægritudinis vel passionis, aliquid inopinatum euenerit; & subitaneum coniungat, quòd Sacerdos subitaneum ministerium explere non valeat, licitum sit alteri Sacerdoti exequi & perficere consecrationem officij incœpti: quod ibidem inciplat (si scire poterit) ubi alter destitit: nisi incœpta collecta, necdum perlecta, vel incœptis verbis sacramenti nondum perlectis, prædictus casus contingat. Tunc enim à capite illam collectam vel sacramenti verba reincipiat, ut sic saluti humanæ fragilitatis & sacris mysterijs, ne interrupta vel incompleta remaneant, consulatur. Si autem dubitetur, an hostia à primo Sacerdote casum passo consecrata fuerit, nécne, subſtituturus Sacerdos nouam oblationem offerat, & solito more conficiat, & post Missam primam hostiam sumat. Idem de calice fiat, & de eo quod in calice reperitur, ibid.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos bis in die Missam celebret, nisi in casu urgentis & maximæ necessitatis, & in quibus ius permittit. Et tunc in prima Missa post perceptionem sanguinis non utatur ablutione vini & aquæ: sed referuet in tuto ac honesto loco, ut eam accipiat in secunda Missa, vel det honestæ personæ ieiunæ, quam nouerit ad hoc esse paratam, ibidem.

Item, Si quid de sanguine vel corpore Domini ceciderit super pallam altaris; illa pars abscindatur & comburatur, & cinis in sacrum locum vel piscinam reponatur. Et si pars corporalis intincta fuerit sanguine, ter diligenter abluatur: & aqua ablutionis à Presbytero, vel alia persona religiosa & ieiuna sumatur. Et poterit dicto panno post ablutionem uti sicut priùs, ibid.

Item, Si gutta sanguinis super vestimentum ceciderit, illa pars abscindatur & comburatur, & cinis in sacrum locum reponatur. Si supra lignum, vel lapidem, aut terram solidam sanguis ceciderit, illa pars (si commodè fieri potest) ablingatur à Sacerdote, & postmodum radatur, & illa rasura in sacrum locum, vel sacram piscinam reponatur, ibid.

Item, Si in sanguinem, musca vel aranea, vel aliquod abominabile ceciderit; quod vix sine vomitu & periculo corporis sumi possit, cautè extrahatur: & super patenam vel calicem alium abluatur cum vino, & post sanguinis sumptionem & ablutionem, illa lotio in piscinam mittatur, & bestia vel vermis super piscinam comburatur, & cinis in piscinam siue lauatorium mittatur.

Item, statuimus ut pixis, in qua corpus Domini reseruatur, vel ad infirmos deferatur, sit aurea, argentea, eburnea, vel ad minus cuprea bene elimata: & semper lineus pannus albus & mundus intra pixidem ponatur, supra quem corpus Domini in pixide collocetur, ibid.

Item præcipimus, ut cùm aliquis infirmus communicare voluerit, quòd Sacerdos (si commodè fieri poterit) priùs eum visitet sine corpore Domini, & diligenter confessionem infirmi audiat: & post ad Ecclesiam redeat, ad communicandum infirmum, corpus Domini allaturus: & eat Sacerdos dicendo septem Psalmos, & si via fuerit longior, addat Litaniam & alias orationes. Incedat autem Sacerdos ad communicandum infirmum cum campanula, & lucerna, vel candela præcedente. Et fideles qui pro deuotione occurrere voluerint, expectent ante ostium infirmi, donec communicatus fuerit: & redeant ad Ecclesiam post Sacerdotem, orando reuerenter. Quilibet autem fidelis, si deuotè fecerit hanc processionem, decem dies indulgentiæ pro eundo & redeundo habeat. Cùm autem Sacerdos corpus Domini de nocte portauerit, mulieres ipsum aliquatenus non sequantur. Qui autem hanc

processionem turbauerit, vel minùs reuerenter in ea se habuerit, per censuram Ecclesiasticam compescatur, ibidem.

Item præcipimus, ut Sacerdotes venerabiliter & sublimiter, superpositio decenti cooperculo supra vas, in quo corpus Domini defertur, deferant ad infirmum. Si infirmus frequenter, & ex leui causa vomitum patiatur nullatenus ei corpus Domini conferatur: sed credat, & sufficit quod spiritualiter accipit.

Item præcipimus, quòd quilibet Sacerdos, antequàm communicet infirmum, interroget eum, si credat quòd sub illa forma & specie panis sit corpus Domini, natum de Virgine, passum in cruce, & tertia die resuscitatum. Quod si infirmus fuerit confessus verbo vel euidenti signo, communicet eum Sacerdos, si alia causa non obsistat, ibid.

Item, si communicaturus euomuerit, partes diligenter & cautè, quæ reperiri poterunt, colligantur: & contritæ cum vino, ab aliquo fideli sumantur: residuum verò vomitus comburatur: & reponatur in terram iuxta altare vel alibi, ubi commodè fieri poterit, ibid.

Item, cùm corpus Domini defertur, fideles coram quibus defertur, si commodè fieri potest, genua flectant, pectora sua tundant, & inclinato capite, iunctis manibus & leuatis, reuerenter adorent. Equitantes verò non dedignentur descendere de equis suis ad adorandum eum, qui pro eis descendit de cœlis, ibidem.

Item præcipimus, ut Eucharistia seruata pro infirmis singulis quindenis renouetur, & corpus Domini super altare in honesto loco clausum, cum claue solicitè & diligenter custodiatur, ibid.

Item præcipimus, ut Sacerdotes subditos suos doceant, ut cùm venerint ad communicandum vel alias, ieiuni, deuoti, & confessi accedant. Et caueant Sacerdotes, ne alienum vel extraneum parrochianum communicent, nisi sit viator & peregrinus: vel nisi communicandus, licentiam sui proprij Sacerdotis habeat: quam licentiam quilibet viator vel peregrinus petere debet à proprio Sacerdote in suo recessu: quòd si non fecerit, propter hoc ei communio nequaquam denegetur, sed pro negligentia ei pœnitentia iniungatur. Item nullus fidelis arcendus vel remouendus esse à communione, nisi fuerit publicè excommunicatus, vel interdictus, vel aliquo notorio crimine notatus, ibid.

Item præcipimus, ut sumpta Eucharistia, Sacerdos habeat calicem præparatum cum vino & aqua, de quo sumant communicantes.

In Concilio Basileensi anno 1431. *incheato Sess.* 21. *sancitur*, Si quis in Missa Symbolum Apostolorum, non completè usque ad finem cantet, aut Præfationem seu Orationem Dominicam omittat, vel in Ecclesiis cantilenas seculares cantet, seu Missam etiam priuatam sine Ministro aut per secretas orationes ita submissa voce dicat, ut à circumstantibus audiri non possit, à suo superiore castigetur. *Pœna Sacerdotis si quædam Missæ celebrationem omiserit.*

CAPVT IX.

De ruina & interitu sanæ Doctrinæ de sacrosancta Cœna Domini: deque maxima opinionum vanitate simul ac varietate, & à veteris Ecclesiæ doctrina toto cœlo remotissima, qua Scholastici Doctores de Cœna Dominica disputaré cœperunt.

POST *Lateranense Concilium, & confirmatum in eo Transsubstantiationis dogma, quo traditur, Christum sub speciebus, seu accidentibus panis, quæ sola maneant reliqua, sublata panis substantia, verè ac realiter contineri, densissimæ tenebræ, ceu nubes quædam atræ, totum undique cœlum occupantes, in Ecclesia exortæ sunt, quæ præteritorum seculorum doctrinam puram prorsus obscurarunt, vt ab hominibus nec cerni, nec intelligi amplius posset.*

Ad hunc extremum sanæ doctrinæ de Cœna, imò totius veræ ac orthodoxæ Religionis Christianæ interitum, quem omnes Sancti hodie syncero corde deplorant, peruentum est maximè Scholasticorum Doctorum tempore. Vt autem Lector cognoscat tristissimum Ecclesiæ statum, in quo proximis quadringentis elapsis annis versata est, & quàm crassis, toto illo temporis spacio, occultata & circumfusa tenebris vera Religio, & doctrina de Cœna latuerit, quantasque gratias omnes, ob discussas densissimas has nebulas & obscurissimas tenebras, accensamque, in hac extrema mundi senecta, lucem Euangelij, Deo Opt. Max. agere debeamus, pauca ex Libro nostro de Origine Templorum, &c. de Initio ac progressu Scholastica Theologiæ hic repetam, id enim præsenti causæ maximam lucem afferet.

De origine & progressu Scholasticæ Theologiæ, qua Orthodoxa Religio & vera doctrina de sacra Cœna Domini prorsus obscurata & euersa est.

VERBI *Dei & D. Augustini sententia ac doctrina cùm in alijs articulis, tum verò de* *Scholastica Theologia prima.*

de Cœna Domini Sacramento, inter Christianos quoſque doctiſſimos ad annum uſque Domini 1020. *obtinuerat*, *ut ſuprà demonſtrauimus. Circa ea verò tempora myſterium illud iniquitatis palàm operari, & horrendum illum de Tranſſubſtantiatione errorem, ſontem aliorum infinitorum, parturire cæpit. Et verò, ut diximus, ſe conſtantiſſimè Berengarius oppoſuit Andegauenſium Archidiaconus, vir eo tempore eruditiſſimus, & Verbi Dei ſaniorumque Patrum ea de re ſententiam ſumma ope defendit. Hunc autem acerrimè impugnauit Lanfrancus Italus, ac facilè, quoniam fatale illud tempus aderat, quo cuncta in Eccleſia in peius ruere debebant, ſua ſuorumque aſſeclarum authoritate effecit, ut non ſolùm purior illa ſententia prætermitteretur negligereturque, ſed & Berengarius ſuam reuocare & Palinodiam immani Nicolai Papæ tyrannide canere in Concilio Vercellenſi cogereiur. Quod adeò hominum animos perculſi, ut inde omnes, Verbo Dei ſpreto & orthodoxorum Patrum ſcriptis neglectis, aut eatenus probatis, quatenus opinionibus iam vulgò receptis ſuffragarentur, in eam doctrinam iurarent, quæ Pontificum Rom. decreta, placita & ritus in Eccleſia receptos, defendebat. Ex hoc fonte innumerabiles diſputationes mox ortæ, intricatæ quæſtiones motæ, & tandem de his ipſis rebus extra & contra Verbum Dei regulæ, veluti Dei ipſius oracula traditæ, libri conſcripti, & contentiones ſuſceptæ ſunt. Ne verò hæc nupera, ſeu noua viderentur, Verbum Dei veterumque Patrum ſcripta ad ea quoque ratione quacunque accommodata fuerunt. Hoc modo nata, conſtata & conſtituta eſt Scholaſtica Theologia, & ſola pro vera habita fuit. Contigerunt hæc ab anno Domini* 1020. *ad annos uſque* 1126. *quo tempore Irnerius ſummæ authoritatis vir author fuerat Lothario Imp. ut præciperet ius Romanum, quod vulgò Ius Ciuile vocant, & quo ante Longobardorum aduentum Italia ſemper uſa fuerat, proferri rurſus, & ex eo cauſas dijudicari, curaret item Romæ & Bononiæ, ſicut Conſtantinopoli idem publicè prælegi. Feruere igitur cæpit recens excitatum ſtudium Iuris Ciuilis, certatim in id incumbentibus Italicis & Germanicis ingenijs. Hoc pacto factum eſt, ut Theologiæ ſtudium, quale tum erat, à pleriſque negligeretur, nec fere alij, quàm pauci Monachi eſi inhærerent: deinde quia Leges Romanæ Imperatoriam Maieſtatem muniebant atque armabant, videbatur ea res ingentem cladem, ac tantùm non ruinam non ſolùm Theologiæ nouæ, ſed etiam recenti, necdum ſatis confirmatæ Rom. Pontificum tyrannidi minitari.*

Gratiani decretum.

Gratianus igitur Monachus his afflictis ſuæ partis rebus opem laturus, ex aduerſo Legum Pontificiarum volumen congeſſit, circa annos Chriſti 1150. *quod* Decretorum Opus *nominatur, & hodie pro prima parte Iuris Canonici habetur. In eo hierarchiam & tyrannidem Rom. Pontificis propugnandam ſuſceperat ex Canonum decretis, non minori contentione quàm cæteri Imperatoriam poteſtatem ex ſacris Literis & iure Romano tuebantur. In hunc finem excerpti ſunt Canones in hoc volumine ex quatuor potiſſimùm ſcriptorum generibus: atque alij quidem ex Conciliis & Synodis: alij verò ex Reſponſis ſiue Epiſtolis Decretalibus Pontificum: alij deinde ex Commentarijs & ſcriptis Patrum, videlicet Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij & ſimilium: alij denique ex hiſtorijs Eccleſiaſticis: aſpergit alicubi nonnulla, ſed parcius, ex legibus Imperatorijs. Hæc verò omnia ea fide facit Gratianus, ut magno cum iudicio legenda ſint: multa ſiquidem falſa, commentitia & notha recitat, tum vera impudenter, malitioſè, falliciter & impiè corrumpit: ſæpenumerò turpiter errat in authorum & librorum inſcriptionibus, Hieronymo adſcribit, quod Auguſtino tribuendum erat, aut contrà: ex uno aliquo Concilio profert Canonem, qui tamen alterius eſt: titulum facit de Epiſtola decretali alicui Pontificis, in cuius tamen reſcriptis aut mandatis nihil tale legitur. Inuenias interdum ex argumentis propoſitis, alia manifeſtam continere abſurditatem, alia diuerſum quidàm à ſubiecti Canonis ſententia continere, &c. Et tamen tanto applauſu acceptum approbatumque fuit à Romanis Pontificibus, ut mox Eugenius* 3. *circa annos Domini* 1150 *ſecundùm Gratiani Decretorum Canones in Conſiſtorijs iudicare præceperit: unde etiam liber hic nouis Iuriſconſultorum Italicorum Summis tanquam locupletiſſimus theſaurus illuſtratus, & omnibus alijs Scriptoribus præfatus eſt.*

Petrus Comeſtor.

Sequutus mox eſt Gratianum Petrus Lombardus, itemque Comeſtor: quorum hic quidem utriuſque Teſtamenti hiſtoriam Eccleſiaſticam conſarcinauit, eamque gloſis eius ætatis, tum falſiſſimis tum inſuliſſimis referciuit, quæ tamen ita tum ubique obtinuit, ut ipſi Scripturæ ſacræ penè præferretur: ille verò Gratiani exemplum imitari voluit, licèt in diſſimili planè argumento. Nam in Theologia verſari ipſe maluit, quàm in forenſibus litigioſiſque quæſtionibus. Scholaſticæ itaque Theologiæ, qualis tum erat, fundamenta in quatuor libros, qui Sententiarum dicuntur, *congeſſit. Hi quatuor libri, non ex viua Verbi Dei ſcaturigine, ſed Patrum duntaxat lacunis, & operibus quæ D. Auguſtino falsò ſunt attributa, conſcripti, fuerunt poſtea totius Scholaſticæ doctrinæ baſis & fundamentum: unde ipſe etiam Magiſter Sententiarum vulgò in Scholis appellari cæpit.*

Petrus Lombardus.

Sententiarum libri.

Hugonis Summa.

Circa annos etiam 1120. *Hugo de S. Victore, habitus tum doctiſſimus primum librum edidit, quem* Summam *ſuarum ſententiarum inſcripſit.*

Hinc Summæ, & Summarum Theologicarum libri, & Summistæ Theologi originem habent.

Guilielmus S. Theodorici Abbas. Liber Sententiarum fidei.

Paulo post Guilielmus Abbas Sancti Theodorici primus scripsit Sententiarum fidei librum circa annos Domini 1140. Hinc Sententiæ, & Sententiarum libri, & Sententiarij Theologi exorti sunt. Et hæc quidem fuerunt initia primæ Scholasticæ Theologiæ, ab anno Domini 1020. usque ad annum 1220. quo temporis spatio Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate fœdare cœpit, ut Trithemius ait: Nam Aristotelis scripta, præsertim verò Metaphysicorum libros in Scholis Theologiæ candidatis simul proposuerunt & Verbo Dei coniunxerunt. Confirmat hæc omnia, quæ hucusque de Scholasticæ Theologiæ initio & prima origine diximus, recens quidam Pontificiorum scriptor Sixtus Senensis, qui haud obscurè quoque profitetur, eam ex Theologia sacra & Philosophia Peripatetica conflatam, isfloque consilio inuentam, ut quia præ studijs Legum sub Lothario 2. Imp. florescentibus, sacra Scripturæ cognitio frigescere & contemni cœpisset, Monachi quidam & Clerici ad commendandum studium Theologicum, hanc rationem Philosophicam tractandarum Scripturarum inuenerint, qua commendabilem Theologiam Scholis redderent. At verò illa ad splendorem sacrarum Literarum adeò nihil attulit, ut potiùs omnem earum dignitatem obscurauerit, & pro mentibus hominum pietate informandis importuna loquacitate & impotenti quadam rixandi cupiditate omnes instruxerit.

Scholastica Theologia media. Albertus Magnus

Sequitur iam Media Scholastica priore illa longè deterior, quæ durauit ab anno Christi 1220. ad annum usque 1330. & habuit Albertum Magnum veluti parentem & authorem. Is Philosophiam humanam imprimisque Aristotelicam in ipsa adyta Scholarum Theologicarum & penetralia Ecclesiarum intromisit, & in supremo ibi controuersarum quæstionum diiudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Reginam quādam collocauit. Superior enim Scholastica Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat scripta & dicta Verbo Dei exæquauit: hæc verò ulteriùs progressa Aristotelis etiam scripta aequalissimis sacrarum Literarum arcanis non dico comparauit, sed longè prætulit: ipsosque adeò Pontifices Rom. cum suo Aristotele veluti Prophetas & Apostolos coluit: nec eximij, Angelici aut etiā Seraphici Theologi gloriam merebatur, nisi qui Pont. Max. decreta, Aristotelem, aut etiam aliorū hominum placita & scripta plenis, quod dicitur, buccis, in Theologorum Scholis sonare & crepare posset: vt quæ vestigia exiguæ illius ergà Dei Verbum reuerentiæ in Theologorum Scholis adhuc restarent, ab hac penitus deleta & conculcata fuerint. Cùm enim errores & abusus vel recepti consuetudine, vel à Pontificibus approbati defendi non possent, si ad Verbi Dei lydium lapidem examinarentur: alia fuerunt quærenda præsidia, & humanis somnijs straminea substrata sunt fundamenta. In hac igitur non Prophetarū, non Christi, non Apostolorum, non denique Augustini, Hieronymi, Ambrosii & similium, sed Aristotelis tantum mentio fit, ejus nomen primo semper loco ponitur, ejusq. scripta pro apodicticis, Verbum autem Dei pro opinione probabili habetur, vt ex Occami Centiloquio apparet. Hinc factū, vt qui illis temporibus pro insigni Theologo seu Doctore haberi cuperet, non in sacras Literas, sed Aristot. lib. Commentaria scriberet. Hoc primus fecit Albertus Magnus, & eum sequutus Thomas Aquinas, aliique non pauci: quo tempore simul farragines de unitate formæ & intellectus, de Vniuersalibus, de Entitate, deque Ideis sunt consutæ. Quæstiones quoque partim absurdæ, partim verò impiæ ac blasphemæ de religionis articulis, & præsertim corpore & sanguine Domini in sacrosancta Cœna motæ atque propositæ sunt. Et hæc quidem istorum temporum Theologia fuit, in qua excolenda mirè hominum ingenia sudarunt.

Canonistæ.

Interea verò temporis non cessarunt Canonistæ etiam, sed in euchenda Pontif. Rom. authoritate, ad Gratiani exemplum strenuè laborarunt. Raimundus enim Barcinonensis quidam Monachus Hispanus circa annos 1230. Gregorij 9. iussu DECRETALES *edidit: in quibus ne. verbum quidem exstat de veteris Ecclesiæ institutis, nihil in ijs habetur ex sacra Scriptura, nihil ex antiquis historijs, nihil ex sanctorum Patrum libris, sed noua planè omnia sunt, nec Theologis & Ecclesiarum ministris, sed leguleis & causidicis ad propugnandam Pont. Rom. immanem tyrannidem accommodata. Hos etiā Decretales in Scholis publicè prælegi & explicari præcepit idem Gregorius. Vidit enim homo vaferrimus, Imper. Romam infensis animis renitentibus, Pontificatum suum ægrè confirmatum iri, nisi legibus latis, ac his quoque cum authoritate promulgatis, & in Scholas & iudicia introductis. Vnde in Præfatione,* Volentes, *inquit,* vt hac tantùm compilatione vniuersi vtantur, in iudicijs & scholis, distinctiusque prohibemus ne quis præsumat aliam facere absque authoritate sedis Apostolicæ.

Decretales Gregorij. Raimundus.

Sixtus Decret.

Hinc Bonifacius 8. anno 1295. in Concilio Lugdunensi SEXTVM DECRETALIVM *confirmauit suo iussu à tribus doctis viris, ut Platina habet, compilatum, eundemque mandauit etiam paſsim in scholis prælegi & explicari: est autem eiusdem cum superiore monetæ.*

Clementinæ.

Clemens 5. superaddidit anno 1308. in Concilio Viennensi librum CLEMENTINARVM *à se compositum, qui quartam partem Iuris Pontificij efficit, ac in scholis similiter prælegendum exhibuit, ut Trithemius in Chron. Hirsaugien. refert. Auentinus tamen lib. 7. Annalium & Naucle-*

rus

Nauclerus indicant, Clementem hunc librum, quòd multa, quæ simplicitati Christianæ, & libertati religionis imponerent, in eo continerentur, publicare supersedisse, atque animam agentem comburi mandasse. Sequutus enim Gregorium 9. & Bonifacium 8. multas in eo tulit oligarchicas leges contra Imperatorem Rom. aliosque Magistratus. Ioannes 22. autem eum approbauit & publicauit.

Extrauagantes

His omnibus postremo loco quasi appendix annexa est cum à diuersis Pontificibus, tum verò maximè à Ioanne 22. anno 1320. series quædam Constitutionum quæ EXTRAVAGANTES *vocant. Hac ratione ex Canonum exigua scaturigine à Gratiano collectorum, in vastum quendam Oceanum, ius Canonicum accessione temporis inundauit. In eo quo longiùs progredimur, eò offendimus canones à pietate & sincera religione longiùs degenerantes.*

Quodlibetorum origo.

Edidit etiam in hac secunda Scholastica, Gualterus Pictauiensis Episcopus primus QVODLIBETORVM *librum, magna omnium admiratione, circa annos Christi 1240. Hinc Quodlibeta & Quodlibetariæ quæstiones natæ sunt. Sunt autem* Quodlibeta *libri, in quibus eorum authores in utramque partem, Academicorum more, de quolibet etiam apice Theologico pro & contra disputant: ut nihil sit apud eos tam certum & definitum, quod non in dubium reuocari possit, contrariasque rationes habeat. Et qui hoc præstare possunt optimi & excellentissimi demum Doctores habentur.*

Quodlibet quid.

Eodem tempore Alexander de Ales quoque, primus in quatuor libros Sententiarum commentari cœpit, quem imitati sunt mox quàm plurimi.

Ex eadem hac Schola etiam prodierunt qui Determinationes, Quæstiones Superquæstiones, Partes, Speculæ, Legendas, Marialia, Deuotionalia, Miraculorum & Exemplorum promptuaria, Fidei fortalitia, Fodinas cœli, Bigas Salutis *& sexcenta huius generis alia ab Innocentij 4. temporibus scripserunt.*

Scholastica Theologia nulla.

Vltimum Scholasticæ Theologiæ genus ab anno Christi 1330. ad annum 1515. duranit, fuitque longè deterrimum impudentissimumque: modestia enim, quæ in prioribus duobus generibus remanserat, ista ætate penitus sublata est. Quæ enim in Media etiam Scholastica adhuc in quadam deliberatione & quæstione posita fuerant, de his iam certa quædam definire seu determinare cœperunt, suasque definitiones pro articulis fidei haberi voluerunt: denique nihil tam fuit superioribus visum seculis impium, blasphemum, ineptum & erroneum, quod hac Scholastica Theologia suis subtilitatibus, argutijs, distinctionibus, sophismatis, exceptionibus & oppositionibus non ausa sit palàm propugnare ac defendere.

Hanc autem Scholasticam doctrinam nocentissimam pestem fuisse, non solùm totius Christianæ Religionis, sed in primis sanæ doctrinæ de Cœna Domini, quippe qua eam magna opinionum vanitate simul ac varietate, itemque quæstionibus non tam inutilibus, quàm palam impijs & pernitiosis, vehementer obscurarunt, in sequentibus manifestissimum faciam.

Scholasticorum Doctorum contrariæ de Transsubstantiatione sententiæ, ac impiæ absurdæque de Cœna Dominica quæstiones.

Sacerdotes malos & non malos posse conficere Eucharistiam.

DE Sacerdote Panem transsubstantiante in corpus, & vinum in sanguinem Christi, pugnantes Scholasticorum sunt sententiæ & opiniones. Plarique docent, corpus Christi consecrari etiam ab improbissimo & sceleratissimo Sacerdote posse. Imò Thomas 3. q. 64. art. 2. scribit, etiam ad veneficia consecrari posse corpus Christi. Alij contrarium affirmant, videlicet Sacerdotes adulteros, Simoniacos, & similes non posse conficere corpus Christi. Hanc sententiam probat Lombardus lib. 4. Sent. dist. 13. vbi dicit, Angelos non adesse quum tales Sacerdotes sacrificant: sine Angelis autem consecrationem fieri non posse. Hanc etiam sententiam confirmat quod Gregorius Syagrio Episcopo Augustodunensi scribit libro 7. epistola 110. Quicunque studet pretij datione sacrum ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Item: Quicunque sacros ordines vendunt, aut emunt, sacerdotes esse non possunt. Vade scriptum est (anathema danti, anathema accipienti, hoc est simoniaca hæresis.) Quomodo ergo, si anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? & cùm in Christi corpore non sunt, quomodo Christi corpus tradere, vel accipere possunt? Qui maledictus est, benedicere quomodo potest? Et: Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinauerit que per pecuniam Episcopum, chorEpiscopum, presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerantur in clero, aut promouerit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quenquam omnino, qui subiectus est regulæ, pro suo turpissimi lucri commodo; is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta,

facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate, vel solicitudine, quam pecunijs acquisiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis, vel acceptis extiterit: & ipse, siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat: si verò laicus, aut Monachus, anathematizetur. *Hæc autem sententia, siquidem vera est, nullus locus relinquitur hodie Transsubstantiationi, etiam inter ipsos Pontificios.*

Intentio, an Sacerdotis necessaria in consecratione.

11. *Quærunt etiam Scholastici, An necesse sit Sacerdoti intentionem, vt vocant, adhibere ut consecret. Lombardus libro 4. distinct. 13. docuit, intentionem omnino esse necessariam: astipulatur etiam Thomas Op. 59. cap. 1. & Scotus in Repor. d. 8. q. 1. Sed si Transsubstantiatio pendet ab intentione & mente Sacerdotis, quæ nulli mortalium cognita est, sequitur, aut nullam adhibendam esse Eucharistiæ adorationem, (quam tamen Scholastici maximè requirunt) aut adorationem absque fide fieri posse: quod tamen falsum est. Nam certum est dubios & perplexos hærere quicunque ab intentione Sacerdotis dependent. Multi enim sunt hodie inter Sacerdotes, qui vel ipsa verba consecrantia non intelligant, nedum ad abstrusos illos Scholasticorum recessus penetrare queant. Quod si verò Sacerdos verba consecrationis ore quidem pronunciet, aliud autem voluat in animo, transsubstantiationis effectus, iuxta hanc sententiam, omnino perijt. Non iniuria ergo queri ab ijs posset, quare tanti momenti rem, ab hominis leuissima cogitatione dependere velint?*

Verba Christi, Hoc est corpus meum: non satis esse consecratiua, non sanctificare, & non consecratiua.

111. *Quod autem ad verba Christi attinet, Hoc est corpus meum: non satis inter Scholasticos constat, An ea sint verba consecratiua, quibus videlicet Christus consecrarit. Lombardus enim & Glossa in c. Virum. Verba Canonis,* lubet hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum, &c. *ad Transsubstantiationem referunt. Oratio verò illa Canonis sequitur post verba, Hoc est corpus meum: vnde quidam existimant, propriè in cælo, non in terra, aut certè Angelorum ministerio consecrationem fieri. Sunt alij, vt Durandus indicat in Ration. libro 4. cap. 41. qui dicunt, Christum consecrasse verbo,* Benedixit: *vt alia tollatur repugnantia, cùm Christus fregisse dicatur panem antequam eiusmodi verba pronunciaret, contrà verò Sacerdotes priùs ea pronuncient verba quàm hostiam frangant. Thomas 3. quæst. 78. art. 1. incertus quid dicere debeat,* Euangelistas, *ait,* non eo ordine recitare quo gesta sit. *Communis itaque opinio vim consecrandi & transsubstantiandi illis verbis attribuit.*

Quot verba requirantur ad consecrationem.

1V. *Non consentiunt etiam quot verba præcisè requirantur ad formam consecrationis: pleriquæ putant totidem requiri verba, quot in Missa Canone exstant. Alij verò contrà: vt est videre apud Lombardum lib. 4. Sent. d. 8. & Thomam Op. 59. c. 3. q. 78. art. 1. Multùm quoque laborant in concilianda Græca cum Latina Ecclesia, quoniam Græci non ijsdem verbis vtuntur in consecratione quibus Latini. Scotus in Repor. de 8. q. 2. ad ignorantiam suam recurrit: sic enim inquit,* Est ignorantia licita, ignorare quot verba requirantur præcisè ad formam consecrationis, ideo qui credit se scire errat. *Item:* Græci non habent hanc formam consecrationis sanguinis, & tamen non negamus eos conficere corpus Christi: unde in multis discordant à nobis quantùm ad sanguinem, & quantùm ad corpus. *Ex quibus intelligimus Scotum à Thoma dissidere, ut etiam Caietanus annotat in Commentarijs Thomisticis.*

V. *Disputant etiam, an seorsum panis vinumque consecrentur, an verò coniunctè: nec definire possunt, & unde incipiat, & ubi desinat Transsubstantiatio.*

Pronomen Hoc quid demonstret.

V1. *Non minus certant de expositione pronominis* HOC, *quid videlicet demonstret. Gerson contra Florentum lib.* 4. Dicendum est, *inquit,* quòd, HOC, demonstrat substantiam panis. *Gardinerus etiam in suo de Sacramento libro, sic habet:* Christus perspicuè loquutus est, quum diceret, Hoc est corpus meum, demonstrans panem. *Turrianus Tract.* 1. c. 22. *fol.* 139. *ait:* Cùm ergo dixit Tertull. Hoc est corpus meum, Hoc est figura corporis mei, non est interpretatus illud, Corpus meum: sed potiùs interpretatus est HOC, quod substantiam panis demonstrabat: *Idem repetit fol.* 140. *Hinc verò necessariò sequitur, ipsam panis substantiam verum fuisse Christi corpus. Hoc enim posito, eam esse verborum sensum sententiam, atque sensum oportet, iuxta Pontificios. Occamus ait in 4. Senten. dist.* 13. HOC refertur ad corpus Christi: *Secundùm hanc sententiam corpus Christi est corpus Christi. Petrus autem Alliacensis in 4. Senten. dist.* 13. *sic habet:* HOC, demonstrat corpus Christi: aliquì falsa est propositio. *Thomas Aquinas, cuius ferè vulgò recepta est sententia, arguè & subtiliter causam explicans, ad indiuiduum quoddam vagum confugit & hanc interpretationem ponit:* HOC, id est, contentum sub his speciebus, aut signatum per hoc, vel ens, quod sub hoc sensibili signo latet & continetur: aut hoc, quod in illud transmutatur & conuertitur, est corpus meum: *In 4. Sent. dist.* 8. *art.* 16. *Verùm istæ omnes interpretationes nonnihil difficultatis ostendere videntur: ex his enim colligi posset, panem transsubstantiari, atque, vt illi fingunt, Christi corpus ante verba consecrationis præsens fieri. Ioannes de Burgo igitur de forma verb. requisc. c. 4. disputationem induxit, vt huic absurdo succurreret, hoc modo:*

Vide Vrsinum Orig. Missæ, superius.

Sacramenti lib. 7. 2. & 3.

Fol. Quæstionum Com. fol. 141.

Hoc

Hoc ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum, eſt corpus meum. *Horum omnium Doctorum ſententijs, Chriſti verborum hic ſenſus eſt*, Corpus meum eſt, aut erit corpus meum.

Quitmundus ſic Pronomen HOC, *explicari debere cenſet*: HOC, videlicet iam non panis, eſt corpus meum. Non enim *inquit*, Pronomen, HOC, ad prædicta, id eſt, panem, quem accepit, fregit, & dedit diſcipulis Chriſtus, eſt relatiuum, ſed tantùm demonſtratiuum.

Alij per Pronomen, HOC, *accidentia panis demonſtrari, ac perinde eſſe volunt, ac ſi dixiſſet Chriſtus*, HOC, *id eſt, hic ſub accidentibus panis latet corpus meum.*

Bonauentura, Guilelmus Widefrodus Anglus contra Wicleſum, & alij. Panem quidem per Pronomen HOC *demonſtrari concedunt, ſed copulam*, EST, *præcisè & effectiuè, pro ſubſtantialiter ſit & conuertitur, intelligendam eſſe volunt.*

Durandus libro quarto, cùm ex his difficultatibus ſe explicare non poſſet, ad extremum ſic ſtatuit: Super hoc dicunt quidam, quòd per Pronomen, HOC, nihil ſignificatur: ſed illud materialiter ponitur. *Si verò Pronomen*, HOC, *nihil omnino demonſtrat, nullam certè ad efficiendam conſecrationem vim habet.*

Innocentius, ipſum corpus Chriſti, quod per verbum Benedixit, *ſtatim ex pane factum fuiſſe, comminiſcitur demonſtrari, aut ὕστερον πρότερον, propter non bene ab Euangeliſtis obſeruatum rei in Dominica Cœna geſtæ ordinem, ponendum, atque ſic verba legenda eſſe contendit*: Hoc eſt corpus meum, accipite, edite. *Hoc verò prauiſſimum commentum, quo tamen in Lateranenſi Concilio per ipſum introducta nititur Tranſſubſtantiatio, multis & accuratè refutat Richardus Mediauillenſis: qui tamen ſe nihil aliud probabilius habere, quod dicat, fatetur, niſi quòd iſte ſit ſenſus*: HOC, id eſt, aliquid ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum, eſt corpus meum. *At hanc autem turſus, ut vocant, poſitionem Ioannes de Baſſolis, Scotiſta, non minùs ſolidè & accuratè refutat.*

Scotus, cùm in iſtorum omnium opinionibus nihil firmitatis eſſe videret, eò deuenit, ut per Pronomen, HOC, *pro tempore prolationis verborum Cœnæ, nihil prorſus, ſed demum poſtquam tota oratio completè enuntiata fuerit, ipſum Chriſti corpus demonſtrari vult. Ex quo errore idem ſtatui oportet de his verbis: Accipite, edite.*

Itaque Rupertus Holcotus in 4. Sent. quæ. 3. horum omnium expoſitiones, ut pueriles, inanes, phantaſticas & ineptas deridet, & dicit, per pronomen, HOC, ſignificari quiddam utrique termino commune, & termino à quo, & termino ad quem: *quod eiuſmodi eſt, ut etiam nunc, ſi reuiuiſcerent, vix ipſi intellecturi eſſent Prophetæ & Apoſtoli.*

Gabriel Biel in Canonem Miſſæ Lect. 48. has ipſas, & adhuc alias quoque opiniones, ſeu poſitiones Scholaſticorum Theologorum recenſet, & tandem quid ipſe ſentiat, indicat. Verba eius integra adſcribam, ut clariùs intelligat Lector, quanta & quàm abſurda opinionum varietate, inconſtantia & incertitudine, qua ſibi mutuò illuſerunt Scholaſtici, vel unica illa vocula HOC, *ab ijs explicata ſit.*

Prima, *inquit Gabriel*, opinio tenet, quòd dum hæc verba proferuntur à Sacerdote, per HOC nihil demonſtratur: nam non profert illa verba ſignificatiuè, ſed recitatiuè, tanquam à Chriſto dicta. Non ergo intendit per pronomen HOC, rem demonſtrare, ſed duntaxat recitare facta Chriſti quæ geſſit, & quæ verba dixit, dum corpus ſuum conſecrauit. Sicut cùm dico: Chriſtus dixit Petro, Tu es Petrus: per pronomen TV, non demonſtrando perſonam cuiuſcunque, ſed dico Chriſtum hanc propoſitionem dixiſſe, Tu es Petrus. In qua Chriſti propoſitione, Tu, demonſtratiuè accipiebatur: ſed in propoſitione quam ego profero, Tu, accipitur materialiter, & non ſignificatiuè vel perſonaliter, & ita nihil demonſtrat. Sic in propoſito cùm Sacerdos dicit, Hoc eſt corpus meum, per HOC, non demonſtrat corpus Chriſti, nec aliquid aliud: ſed recitat Chriſtum dixiſſe hanc propoſitionem, cùm ipſe conſecrauit ac diſcipulis ſuis dedit. Et ſecundùm hoc, præfata oratio non eſt conſecratiua, ut ſignificatiua veri vel falſi: ſed data eſt nobis tanquam ſignum ut cognoſcamus, quòd illa oratione prolata à Sacerdote corpus Chriſti realiter ſit præſens per diuinum beneplacitum. Et hæc videtur eſſe intentio Innocentij de Miſſæ officio parte 3. cap. 56. Hanc opinionem videtur etiam tenere Gloſſa in cap. Qui ſceleratè. de Conſec. diſt. 2. Vbi quæritur, quid demonſtretur per pronomen HOC? & reſpondetur: per hanc dictionem HOC, nihil demonſtratur, nam ipſa materialiter ponitur. Pro hac etiam opinione videntur ſonare verba Canonis. Vnde Sacerdos volens conſecrare, de Chriſto loquens ait, in ſua, non in perſona Chriſti: Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias agens fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: accipite & manducate, HOC eſt corpus meum. Et præterea quod non loquatur in perſona Chriſti, ſed in perſona ſua referens facta & verba Chriſti, colligi videtur ex verbis Canonis quæ ſequuntur

quuntur formam consecrationis sanguinis, quibus de sanguine Christi dicitur, Qui pro multis effundetur. Constat autem quod in posterum sanguis Christi non effundetur. Si loquitur significatiuè, oratio erit falsa. Ideo probabile videtur, quod Sacerdos duntaxat recitatiuè loquitur, recitando verba Christi quæ ipse protulit de sanguine suo.

Hanc verò opinionem Innocentij & Glossæ, Doctores communiter non approbant: & contra eam arguunt Alexander Alensis parte 4. quæst. 33. & post eum Thomas, & alij pluribus medijs, quorum duo magis ponderantur. Primum: quia si verba illius formæ acciperentur materialiter & non significatiuè, tunc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem in corpus Christi conuertendam, plus quamcunque aliam, imò ad nullam, quod nullam significarent, & ita per ipsum non conficeretur sacramentum: quòd secundùm Augustinum super Iohannem, eo quòd verbum accedit ad elementum, fit sacramentum: non autem accedunt verba ad elementum, nisi significando ipsum. Secundum: quòd per illam positionem non euaditur difficultas quæstionis: quòd quamuis Sacerdos sic loquendo nihil demonstret, tamen Christus qui his verbis consecrauit, aliquid in Cœna per pronomen HOC, demonstrauit: non enim Christus ea recitatiuè protulit, quasi ab alio dicta, sed significatiuè, & indicatiuè, tanquam à se primò prolata. Et ideo HOC, accipitur demonstratiuè, & per consequens aliquid demonstrat: & redit eadem difficultas quæ prius. Similiter si Christus modò esset viator, per illa verba posset consecrare, non recitatiuè accepta, sed significatiuè. Sed volens sustinere opinionem Innocentij, facilè respondent ad has rationes. Nam ad primam diceret, quòd non obstante, quòd verba ista materialiter accipiuntur, nihilominus accedit verbum ad elementum, ut fiat sacramentum. Accedit ad elementum, non quòd materiam vel elementum aut aliquid aliud demonstret, sed accedit per intentionem Sacerdotis verba illa ad elementum applicantis. Intendit enim Sacerdos per verba illa Christi quæ recitat, materiam panis in conspectu suo existentem consecrare. Cui recitationi assistit Deus conuertendo panem in corpus Christi, ipsum præsens faciendo speciebus panis: unde secundùm hoc ordinauit Christus, quòd quandocunque Sacerdos cum intentione consecrandi super materiam debitam sua verba recitat, tunc infallibiliter & efficaciter vult causare præsentiam sui corporis in ultimo instanti prolationis. Et secundùm hoc accedit verbum ad elementum, non tantùm ex intentione ministri volentis per eorum recitationem consecrare, sed etiam ex ordinatione Christi instituentis, ut ad eorum legitimam recitationem præfatus consequatur effectus, &c. Ad secundam diceret cum Innocentio, quòd Christus per illa verba in Cœna non consecrauit, unde Christus dicens: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, per HOC, demonstravit corpus suum iam præsens factum speciebus panis quas manu tenebat, non ad prolationem horum verborum, sed ex consecratione ante horum verborum prolationem à Christo facta, qui secundùm Innocentium non verbis, sed sua virtute diuina in Cœna consecrauit. Cui etiam Franciscus Maronis consentire videtur, quantùm ad hoc, quòd Christus sine verbis consecrauit. Consentit & Durandus, quantùm ad hoc, quòd verba illa à Sacerdote prolata tenentur materialiter: quod etiam probabile reputat Robertus Holcot, & quidem alij. Verùm ad illud quod addirur: Si Christus modò esset Viator, his verbis consecrare posset in ultimo instanti prolationis eorundem, effectum scilicet transsubstantiationem causando, qui profert illa verba non recitatiuè sed significatiuè. Et tum stat difficultas, quomodo illa sit vera, Hoc est corpus meum sic significatiuè à Christo prolata: difficiliùs est respondere. Similiter non videtur quòd Christus alia forma sit usus, quàm ea quam discipulis suis tradidit. Nam secundùm Ambrosium in libro de Sacramen. Sacerdos consecrat in verbis Christi. Sed si verba accipiuntur materialiter, iam non sunt verba Christi qui ista protulit significatiuè. Non enim sunt eadem verba quæ non idem significant, & si voces forent similes. Item, formæ sacramentales sunt efficaces, quæ efficiunt quod significant. Si ergo verba accipiuntur materialiter, & non significatiuè, nihil significant: non ergo efficiunt quod significant.

Propter illa duo & similia, licèt solui possent, est alia opinio quòd verba illa accipiuntur non materialiter sed significatiuè, & proferuntur à Sacerdote non recitatiuè, sed enunciatiuè: non autem in persona Sacerdotis ea proferentis, sed in persona Christi. Sed statim occurrit dubium, quomodo Sacerdos hæc verba non proferat recitando facta & verba Christi, cùm

loquens

loquens in persona sua, Qui pridie quàm pateretur, &c. recitat acta quæ Christus in hujus sacramenti institutione gessit: in cujus signum Christum exprimit in tertia persona, cùm dicit: Qui scilicet Christus pridie quàm pateretur accepit panem, &c. Et cùm pervenit ad verba Christi, ut indicet illa recitativè dicere, præmittit verbum Dicens: quod verbum restringit terminum à se transitivè rectum ad suppositionem materialem. Ad quod dicendum est secundùm hanc secundam opinionem, quòd Sacerdos recitativè loquitur, recitans actus Christi, & etiam verba illa, Accipite & manducate ex hoc omnes, quæ restringuntur ad suppositionem materialem, per verbum Dicens, quod præmittitur usque ad verba consecrationis: nam usque ad illa loquitur in persona sua propria. Dum autem proferenda sunt verba consecrationis, cessat loqui in persona sua, & assumit personam Christi, tanquam ejus procurator aut vicarius ad hoc officium per eum institutus proferendo verba illa, Hoc est corpus meum, significativè, sicut Christus ea proferret, si in persona propria præsens loqueretur, & sicut in Cœna ultima ea creditur protulisse.

Sed tunc videndum quomodo propositio illa sit vera, & quid per HOC, demonstretur: an demonstretur ad sensum quod in prospectu est: vel ad intellectum id quod ibi nondum est: hoc est, an demonstretur panis, vel ejus species, aut corpus Christi? & quidem hic variæ sunt Doctorum opiniones. Sunt qui dicunt, quòd HOC, demonstret panem, sed verbum EST, non capitur substantivè, sed ut valet tantùm, id est, significat. Ut sit sensus: Hoc est corpus meum; id est, panis significat corpus meum. Et ita Sacerdos proferens hanc propositionem in persona Christi verum dicit. Verùm si sic dicentes negent corpus Christi verè & realiter contineri in sacramento, & panem transsubstantiari in corpus Christi, scilicet Christum tantùm figurativè loquutum esse, cùm dixit: Accipite, hoc est corpus meum: ad instar hujus locutionis, Ego sum vitis vera: corpusque Christi non esse in sacramento nisi tanquam in signo, hæretica est.

Alii, ut Richardus de Sancto Victore in libro de Trinit. tenet, quòd in hac oratione, Hoc est meum, est demonstratio mixta, partim ad sensum, partim ad intellectum: ut sit sensus orationis, illud in quod panis divina virtute est transmutandus, est corpus meum. Et ad hanc positionem videtur etiam declinare Richardus de Mediavilla distinct. 8. 4. Quod hìc est demonstratio partim ad sensum, partim ad intellectum, sic intelligendo quod demonstratur hìc aliquid quod est obiectum sensus, & aliquid quod est obiectum intellectus: primùm in obliquo, secundùm in recto: ut sit sensus; HOC, id est, aliquid sub hac specie sensibili est corpus meum. Et hoc verum est; non restringendo illud ad aliquam differentiam temporis. Vnde secundùm eum, pronomen HOC, supponit pro illo quod actu continetur: vel de proximo continebitur in futuro sub hac sensibili specie: quæ disiunctiva vera est pro secunda ejus parte, & ex hoc dicit consequenter, quòd corpus Christi esse sub sacramento non est causa veritatis hujus propositionis, Hoc est corpus meum: sed corpus Christi statim fore sub istis speciebus est causa veritatis præfatæ locutionis. Vnde sensus est: Hoc est corpus meum; id est, illud quod statim erit præsens sub hac specie sensibili quæ videtur, est corpus meum.

Alexander Alensis par. 4. q. 33. Post aliorum reprobationem dicit, quòd hæc oratio: Hoc est corpus meum, est significativa & operativa. Significativa ex prima sui impositione: operativa ex formæ sacramentalis institutione. Ratione qua est significativa, Hoc, demonstrat signatum per signum. Ratione qua est operativa, insinuatur aliquid in aliud convertendum, vnde est hic demonstratio signati per signum in signatum convertendum. Signum est panis: signatum est corpus Christi, in quod panis est convertendus. Hoc ergo demonstrat ad intellectum corpus Christi, quod est signatum panis convertendi in ipsum. Vnde sensus hujus, Hoc est corpus meum, est, signatum hoc signo quod est panis transsubstantiandus in corpus meum est corpus meum.

Guilielmus Antisiodorensis in Summa sua dicit, quòd pronomen HOC, habet vagam demonstrationem, ut sit sensus hujus orationis: HOC, id est, existens sub hac forma panis, est corpus meum. Vt cùm dicitur, Tu aperi: Tu, habet indeterminatam demonstrationem. Ille enim qui extra domum est dicit, Tu aperi, nesciens quis sit intus, nihil determinatè demonstrans per Tu. Ita in proposito, HOC, demonstrat existens sub forma illa, non determinando illud particulariter. Huic positioni videtur favere Durandus, dicens: quod in proposito sit demonstratio ad intellectum, non quidem alicuius individui signati, sed solummodo individui vagi: ut sit sensus, HOC, id est, contentum sub hoc, id est, sub speciebus, loquendo in generali;

nerali, non in speciali de pane vel corpore, est corpus meum.

Thomas par. 3. q. 78. art. 5. & redit in idem, dicit, quod hæc locutio, Hoc est corpus meum, resolvitur in illam, id est, contentum sub hoc, est corpus meum. Contentum dicit indeterminatè, non determinando ad panem, quòd sic locutio esset falsa. Nec ad corpus Christi: quòd sic significaretur quòd corpus Christi esset corpus Christi. Et hæc dicit quare cum pronomine HOC, non ponitur nomen à parte subjecti, ne scilicet eius demonstratio ad aliquam certam speciem substantiæ determinaretur, sed indeterminatè demonstret contentum sub speciebus, quod commune est & substantiæ panis & corpori Christi, quæ ambo successivè continentur sub speciebus panis. Huic positioni consonat etiam Ægidius Theo. 42. item Glossa interlinearis Matth. 6. dicit, quod est demonstratio ad sensum quasi ad intellectum talem: Hoc est corpus meum, id est, illud quod sub illa specie visibili videtur, est corpus meum: ad similitudinem qua diceremus viso Angelo sub specie humana, hoc est Angelus.

Bonaventura in libro quarto Sentent. Dist. 8. post recitationem & reprobationem multarum opinionum dicit, quòd HOC, demonstrat substantiam panis sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt, quæ est terminus à quo conversionis: EST verò, est operativum: & non dicit inhærentiam vel identitatem extremorum, sed conversionem. Et hoc est speciale in ista oratione. Vnde cùm dicitur, Hoc est corpus meum, non significatur, quòd panis sit corpus, sed quòd ad prolationem hujus verbi, panis transit in corpus. Valet ergo EST tantùm, id est, transit vel convertitur. Illa opinio differt à prioribus in duobus. Primò, quòd dicit, quòd HOC, non demonstrat corpus Christi, sed panis substantiam sub accidentibus oculis apparentibus. Secundò dicit, quòd EST non accipitur substantivè, ut dicit rei existentiam, sed conversivè, ut importat conversionem alicuius in aliud: unde tantùm valet, id est, transit vel convertitur. Oppositum utriusque dicunt aliæ opiniones: scilicet quod HOC, demonstrat corpus Christi, & EST, accipitur substantivè.

Tandem enumeratis his omnibus sententiis, quamvis fateatur difficile esse explicare, quomodo hæc verba consecrationis: Hoc est corpus meum, *& vera sint, & simul etiam panis in corpus Christi conversus, sic tamen sentiendum esse ipsa contendit,* Quia pronomen demonstrativum tantùm est significativum ex intentione proferentis, in cuius potestate est, rem vel sic, vel aliter demonstrare: Ideo in verbis Christi per pronomen HOC, demonstrari ad intellectum corpus Christi, non absolutè, sed quatenus panis in ipsum est convertendus. Hoc enim, in quod convertendus est panis, esse corpus Christi. *Verba ejus hæc sunt:* Hoc, demonstrat corpus Christi, in quod convertendus est panis speciebus visibilibus subjectus. EST, significat præsens tempus prolationem hujus vocalis cum instanti terminante ipsum: quod est primum instans non esse ejus: quod est instans conversionis, ut valeat tantùm hæc oratio: Hoc est corpus meum, id est, hoc contentum in quod convertendus est panis, in aliqua parte temporis includentis prolationem, & instans terminans, est corpus meum.

Hæ verò opiniones Scholasticorum de sensu verborum Christi, Hoc est corpus meum, non solùm cum Verbi Dei doctrina, & orthodoxorum Patrum sententia, suprà à nobis commemorata, prorsus non consentiunt, sed neq; sic perpetuò, etiam ab ipsis Pontificiis, & quidem initio erroris intellecta fuisse certò certius est.

Quæ cùm ita sint, non mirum est, quòd fatentur Scholastici, Transsubstantiationem ex Scripturis & Patrum scriptis non posse probari, sed alium esse sensum verborum, quibus utuntur sacræ Literæ & Patres, & alium Pontificia Transsubstantiationis modum. Scotus enim libro quarto Sent. Dist. 11. q. 3. & Occam, apertè docent, neque dictis Scripturæ, neque Patrum sententiis nos adigi, ut transsubstantiationem statuamus. *Imò mirum esse scribit ingenuè Scotus,* cur in hoc uno articulo, qui tamen non sit principalis articulus fidei, ejusmodi intellectus receptus sit, credi & asseri debeat, propter quem fides Christiana contemptui sit exposita omnibus, qui ratione utuntur: præsertim cùm nullæ nos urgeant Scripturæ, nec veterum Patrum sententia cogat, ad statuendam istam panis & vini Transsubstantiationem. *Fatetur itaque* ex solo Romanæ Ecclesiæ decreto (cui in hac re stari oporteat) esse introductam. Alioquin nisi Romanæ Ecclesiæ obstaret authoritas & determinatio, verba Christi longè simpliciùs, planiùs, & verius: sicut & ipsos Patres aliter intelligi & explicari posse. Nec abs re dicit, homini philosopho, & ratione utenti, minùs absurdum esse articulum de Incarnatione Christi, quàm dogma de Transsubstantiatione. *Cardinalis etiam Cajetanus in tertia parte Thomæ q. 75. art. 14. fatetur,* præsentiam illam in Sacramento, quam Romana tenet

Transsubstantiationem ex Verbo Dei probari non posse ipsius quasi Scholastici confessione.

tenet Ecclesia, ex ipsis verbis Christi; Hoc est corpus meum; non posse demonstrari, nisi etiam accesserit Rom. Ecclesiæ interpretatio: Si quidem optimo jure alium sensum admittere possit, non secus ac hæc Apostoli verba: Petra erat Christus. *Durandus quoque fatetur*, non posse objectionibus, quæ huic commento objiciuntur, satisfieri, nisi ad Ecclesiæ Romanæ determinationem confugiatur. *Hù etiam adstipulatur Gabriel Biel, qui Lect. 41. in Canonem Missæ*, istum difficilem intellectum verborum Christi, de Transsubstantiatione, tenendum esse dicit, propter solam Ecclesiæ determinationem, non obstante, quòd Scripturæ possint salvari, & exponi secundùm intellectum faciliorem.

Quomodo autem aliqua determinatio Romanæ Ecclesiæ esse potest in hac causa, cùm præcipua ejus membra, videlicet Scholastici Doctores, tam discrepantibus inter sese variarint sententiis, & pugnarint interpretationibus quatuor solummodo verborum istorum, Hoc est corpus meum: eorumque ne hodie quidem in Romana Ecclesia certa & expedita sit intelligentiæ ratio?

Corpus Christi quod pendit in cruce comeditur & non comeditur in Eucharistia.

VII. *Quærunt etiam, utrum verum Christi corpus, quod pependit in cruce, in Eucharistia comedatur? Affirmant hoc Lombardus & Gratianus, ac plerique Scholasticorum. Huic tamen sententiæ renuntiare videtur Lombardus libro quarto Sent. dist. 8 ubi dicit: Quatuor fuisse figuras hujus Sacramenti: Sacrificium Melchisedech, Manna, Agnum Paschalem, & Sanguinem qui profluxit de latere Christi. Hanc sententiam amplectitur Astesanus in Sum. 1. part. l. 4. tit. 8. art. 3. & multi alii. Hinc igitur sequitur, nisi figuram cum re ipsa confundat, quod illi faciunt, eam Christi sanguinem, qui de ipsius latere profluxit, alium à Lombardo iam constitui, ab eo quem in Sacramento contentum percipi existimant: quod etiam apertè libro quarto Senten. dist. 9. asserit:* Sacramentaliter, *inquit*, sumitur proprium Christi corpus: Spiritualiter sumitur spiritualis Christi caro. *Vbi proprium corpus à spirituali secernit: adeoque duo propria corpora Christo tribuit: unum proprium, alterum spirituale: Nisi forte corpus Christi aliud faciat, quàmsit ipsius caro.*

Corpus Christi reale ore corporis editur & non editur.

VIII. *Pugnant etiam & contendunt Scholastici, utrum corpus Christi in Eucharistia contentum ore corporis sumatur, & in ventriculum dejiciatur: an vero sola fide & mente percipiatur? Fide tantùm percipiendum esse Gratianus docet de Consecrat. Dist. 2. cap. Quia corpus. Qui manducant. Vt quid. Credere. Tunc eis. Christi panis, &c. Et Caietanus tom. 2. tract. at. 2. capite tertio.* Falsissimum est, *inquit*, corpus Christi corporaliter sumi: quoniam spiritualiter, & non percipiendo, sed credendo dicunt Theologi sumi in Eucharistia. *Et ea. quinto:* Manducatio corporalis non masticat Christi corpus: quamvis conterat Sacramentales species: sed spiritualis manducatio quæ per animam fit, ad Christi carnem in Sacramento existentem pertingit,

Alii verò docent, corpus Christi ore quidè percipi, sed non in ventriculu dèlici. Sic enim Glossa apud Gratianum in Ca. Tribus. in verè miscere. de Consec. Dist. 2. & in Can. Non item. Quàm citò species dentibus atteritur tam citò in cœlu rapitur corpus Christi. *Et Durandus libr. 4. cap. 41.* Corpus Christi de ore transit ad cor: & tunc desinit præsentia corporalis, remanente spirituali.

Contrà verò alii docent, corpus Christi etiam in ventriculum descendere, modò tamen species in ore non fuerit immutata.

Alii denique existimant & asseverant, corpus Christi omnino dèlici in ventriculum: & ibi tam diu manere, quamdiu species permanent. Vide Richard. 4. Dist. 9. q. 1. Thom. 3. 80. art. 3. & Glossam ad Ca. Si quis per ebrietatem. Dist. 2.

Corpus Christi ab impiis editur & non editur.

IX. *Disputant quoque Scholastici, An impij & infideles corpus Christi in Eucharistia manducent. Lombardus affirmat libro quarto Sentent. Dist. 9. Alii negant: & probat Gratianus de Consec. dist. 2. cap. Qui discordat. Christus. Qui manducat. Quia passus.* Hùc etiam facit quòd alibi Scholastici docent; solos fideles corpus Christi accipere. *Item*: Spiritualem manducationem quæ fit per fidem piis convenire. *Nonnulli in hunc modum distinguunt*: si quis infidelis nullam habet intentionem illud sumendi tanquam Sacramentum aliquod Ecclesiæ, non sumit Sacramentaliter, quia sumit ut signum: Intentio est necessaria, & necessarium ut illa intentio dirigatur secundùm fidem quæ est in ipso, vel in altero: & oportet quòd saltem sumere intendat; quod alios credere æstimat, licèt ipse non credat, sive quia existimat alios credere. *Astesanus in Summa 1. par. l. 4. tit. 17.*

Panis substantia incorporata manet & non manet.

X. *Quærunt etiam Scholastici: Vtrum in Eucharistia substantia panis maneat. Scotus in Repor. de. 2. & 3.* Prima, *inquit*, opinio fuit, quòd substantia Panis manet: Alia opinio, quòd non manet substantia Panis, sed vel annihilatur: *hanc sententiam Glossator probat, à qua tamen Ecclesiam abhorrere dicit Scotus*: Vel iuxta alios resolvitur in materiam primam. Alia, quòd substantia panis convertitur in corpus Christi. *Item*: Dico quòd licèt substantia panis manerèt, non auferret venerationem, neque esset occasio ido-

lolatriæ & quòd ſubſtantia panis magis repræſentat corpus Chriſti quàm accidentia tantùm, quum major ſit convenientia ſubſtantiæ ad ſubſtantiam, quàm ad Accidens. *Petrus Aliacenſis in 4. Sent. q. 6. ait:* Ille modus qui ponit ſubſtantiam panis remanere, nec repugnat rationi, nec authoritati Bibliæ: imò eſt facilior ad intelligendum & rationabilior, & non ponit accidentia ſine ſubjecto, quòd eſt unum de difficilibus quæ hîc ponuntur. *Sic de Conſec. Diſt. 2. cap. Non oportet ex Martino Papa citatur:* In Sacramento offertur aqua, vinum & panis, quæ in typo Chriſti benedicuntur, &c. *Vulgò autem creduntur ſubſtantiam panis converti in ſubſtantiam corporis Chriſti. Sic enim legitur de Conſec. Diſt. 2. ca. Qui manducant. Panis eſt corpus Chriſti. Scotus autem*, Quæ-libet, *ait*, talis propoſitio eſt falſa: Panis eſt corpus Chriſti; Panis fit corpus Chriſti. Et ita dicendum eſt, De Pane fit corpus Chriſti. *Hoc verò Gloſſator rurſus improbat apud Gratianum in Can. Quia corpus. de Conſec. Diſt. 2.*

Mures corpus Chriſti edere, & rũ oderet. Vide Virum de Origine Myſterii Verbi & ſacram. lib. 6. c. 19.

XI. *Quærunt quoque, An mures Euchariſtiam conſecratam arrodentes vel comedentes, corpus Chriſti arrodant vel comedant? Quidam affirmant: Vnde Thomas par. 3. de Euchar. q. 79 art. hoc negantes derogare dicit veritati hujus Sacramenti. Ioannes de Burgo de cuſtodia Euchar. ca. 10. inquit*, Mus comedens hoſtiam, ſuſcipit corpus Chriſti. *Alexander Alenſis parte 4. quæſt. 45. m. 1. ait:* Quidam dicunt, ubicunque ponantur ſpecies, ſive in mundo loco, ſive in immundo, ſive in ventre muris; ibi eſt corpus Chriſti. Et in hoc non derogatur corpori Chriſti, nec Sacramento. *Rurſus*: Si canis vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam integram, non video, quare corpus Domini non ſimul trajiceretur in ventrem canis, vel porci. *Gerſon lib. 4. contra Floretum ſcribit*: Brutum ſumit corpus Chriſti per accidens, quia ſumit illud, in quo eſt. *Itaque murem, ſi quando Deum hunc arrodit, vel omnino conſumit, crudeliter laniant, & in partes diſſectum flammis adurunt, in cineres ſq; redactum, in ſacrarium recondunt. Sic enim Durandus lib. 4. in partem 7. Canonis*: Si, *inquit*, cuſtodis negligentia incuriáue, à muribus aut vermib. aliisq; id genus beſtiolis, eroſum ſanctificum cruſtulum aut exeſum fuerit, ac deprehendi beſtiola poterit, quæ ipſum eroſerit, exederitvè, corpus ipſius incidunto, inciſæ beſtiolæ ore & inteſtinis diligenter exploratis, ſi quæ inveniantur cibi reliquiæ, eaſdem extrahunto, extractas pariter reliquias recolligunto, & in ſacrarium cum exuſtæ beſtiolæ cinere reponunto. *Et Antoninus de defectibus Miſſa 3. par. Sum. 3.* Si mus, aut aliud animal Sacramentum comederit, debet capi, & comburi, & cinis juxta altare poni. *Sed Petrus de Palude dicit*, quòd mus exenterari debet (& mus quidem comburi, & cinis in piſcinam projici) pars autem hoſtiæ, ſi homo eam horret ſumere, debet in tabernaculo reverenter poni, & tamdiu ibi dimitti, quouſque naturaliter conſumetur. Ipſa autem hoſtia nequaquam debet in piſcinam projici: ſicut fecit quidam Sacerdos, de muſca reperta poſt conſecrationem in calice. Et ſi quidem homo eſſet tanti fervoris, quod hujuſmodi non horreret, ſed ſumeret, commendandus eſſet, ſi tamen eſſet jejunus. Sic Beatus Hugo Cluniacenſis commendavit Goderanum, ſumendo portiunculas hoſtiæ, quas leproſus cum viliſſimo ſputo evomuerat, dicens eratioulam Laurentii fuiſſe tolerabiliorem. *Hactenus Antoninus.*

Quæ cerìè tam impia ſunt & blaſphema, ut propter eam, qua Chriſti glorioſum corpus colo, reverentiam, referre vix poſſim, quin totus exhorream.

Gratianus igitur contrariam opinionem tuetur de Conſecrat. Diſt. ſecunda: cap. Qui bene. Vt quæ honeſtati, & rationi magis conveniat: Nemo, *inquit*, illam carnem manducat, niſi qui adoraverit. *Et Bonaventura in quart. Sentent. Diſt. 13. quæſt. prima.* Hæc, *ait*, opinio eſt honeſtior & rationabilior, *Sic etiam ſentit Aſteſanus & alij plerique. Quidam hûc redeunt, ut dicant miraculoſè ſubſtantiam panis reverti. Alij novam materiam creari, quos omnes Thomas confutat. Petrus Lombardus, quando ad hanc cauſam accedit, hæret totus, & quid dicere debeat neſcit. Sic enim ſcribit libro quarto Sentent. Diſt. decima tertia.* Quid igitur ſumit mus, vel quid manducat? Deus novit. *Ita tamen ad extremum ſtatuit:* Sanè dici poteſt, quòd corpus Chriſti à brutis animalibus non ſumitur: *quæ tamen ſententia à Sorbona Pariſienſi non pro catholica judicatur: Sic enim de ea judicium interpoſuit:* Hic magiſter non tenetur.

Muris arrodentis corpus Chriſti ſupplicium.

Vnde vermes in Euchariſtia naſcantur.

Ignorant etiam unde-nam exiſtant illi vermes, qui in Euchariſtia gigni ſolent. Quidam putant eos naſci ex aëre circumſtante, alij, quibus tranſſubſtantiatio diſplicet, ex ipſa panis ſubſtantia. Thomas ex quantitate dimenſiva, atque id per miraculum fieri opinatur, cùm potiùs miraculum eſſet, ſi nulli inde vermes gignerentur.

Panis ſpecies cum ſanguine eſſe & non eſſe. Conciliantur auctores.

XII. *Quærunt inſuper Scholaſtici, utrum ſpecies panis ſit ſignum corporis abſque ſanguine? an verò includentis humores & ſpiritus, atque adeò ſanguinem quoque. Thomas Opuſc. 58. Ca. 13. affirmat, ſanguinem adeſſe corpori. Atque ut*

ut hanc suam opinionem facilius defendere posset, id per connexionem & concomitantiam quandam fieri primus docuit, adeoque Connexionis & Concomitantiæ parens exstitit. Vnde etiam Hardingus contra Iuellum artic. 8. Scholastici, *inquit*, Theologi illud verbum, Concomitantia, utiliter excogitarunt, docentes in hoc Sacramento post consecrationem, sub panis specie adesse Christi corpus, sub specie vini sanguinem, ex vi Sacramenti: Vnà etiam corpore sub specie panis adesse sanguinem, animam, & Divinitatem Christi: cum sanguine quoque sub specie vini corpus, & animam & Divinitatem adesse ex Concomitantia. *Quæ opinio à pluribus recepta fuit: Scotus autem dubias ac suspensas rationes habet.* Non est, *inquit*, certum. Nam utrumque potest sustineri, & neutrum probari. *Hanc tamen Concomitantiam, quam ne Scholastici quidem Doctores omnes approbarunt, nobis obtrudunt, quum agitur de communione sub utraque specie, quam solis Sacerdotibus convenire Concilium Constantiense decrevit. Nam Tridentinum Concilium Sess. 13. capite tertio docet apertè*, vi verborum non esse in specie panis nisi corpus, animam autem, & Divinitatem, & sanguinem per concomitantiam. *Bellarminus, quoque libro quarto de Eucharistia, capite vigesimo primo, &c. persuadere nobis conatur, Concomitantiam corporis Domini cum sanguine in calice, & sanguinis cum corpore in pane, sen panis specie. Dicit etiam*, Non esse istam veritatem inventum Scholasticorum, ut hæretici mentiuntur. *In quo apertè Hardingo contradicit, eumq; inter hæreticos quoq; numerat.*

Accidentia panis & vini sine subjecto.

XIII. *Quærunt item: An accidentia Panis & Vini in Eucharistia sine subjecto sint. Scotus enim in Repor. Dist. decima, quæst. prima, sic dicit: Tenetur quod ibi est corpus Christi, sive accidentia sint ibi in pane ut in subiecto, sive sine subjecto. Alij statuunt accidentia fundari in aëre. Lombardus dicit libro quarto, Distinct. duodecima, esse sine subjecto. Hanc sententiam etiam Thomas amplectitur Opusc. quinquagesimo nono & tertio, quæst. septuagesima nona, sic tamen ut accidentia possint hominem nutrire: & ita rursus accidentia in substantiam mutat.*

An aqua transubstantietur in sanguinem, vel vinum, & de vtrumq; Origine Mirab. Verbi & Sacram. lib. 7. c. 10.

XIV. *Disputant item Scholastici, An aqua etiam cum vino transubstantietur in sanguinem. Affirmat Thomas tert. quæst. 74. art. 8. Dicit enim*, Aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem. *Ex quo infert parùm aquæ vino admiscendum esse in Missa celebratione: ne videlicet nimia aquæ copia vinum ordine præpostero in aquam convertatur. Alij docent*, transsubstantiari aquam unà cum vino in sanguinem. *Nonnulli* aquam in nihilum redigi volunt. *Quidam opinantur*, converti in vitalem Christi humorem. *Timidior est Durandus libro quarto capite quadragesimo secundo.* Quis, *inquit*, audeat definire? *Vide Glossam de Consecratione Distinct. secunda in Ca. Non oportet. Item: cum Martha §. Verum de celebr. Miss.*

Num in odore & fumo sit Christi sanguis.

XV. *Quia ex consecrato vino odor & fumus exhalat, si igni admoveatur, quæsiverunt, num in eo odore & fumo sit Christi sanguis an non? Affirmarunt nonnulli: quòd in calice nulla alia sit substantia, ex qua odor, aut fumus oriri possit, nisi Christi. Alij negarunt, quòd eis absurdum videbatur, homines posse naso percipere Cœnam Dominicam. Disputarunt præterea, undenam fumi & odores illi gignantur. Et quia absurdum visum est dicere, eos ex solis vini accidentibus existere, aut ex Christi immortali ac glorioso corpore, dixerunt ea à Deo miraculosè de nihilo creari, esseque penès Sacerdotem efficere ut à Deo perpetua fiant miracula, tantum igni admovendo calicem in quo est vinum consecratum, & efficiendo ut miraculo fumet.*

Christus vbi in hostia caput & pedes habeat.

XVI. *Disputarunt quoque: Vbinam Christus in hostia caput aut pedes habeat: ne fortè Sacerdos imprudens eum aliquando versis sursum pedibus teneat: & responderunt nonnulli, eum semper capite sursum, pedibus deorsum versis esse, ut licet Sacerdos hostiam in orbem vertat, nulla tamen status mutatione facta, semper surrectus sit. Cumque hæsitarent, qua parte frons, qua item tergum esset, responderunt eum semper esse fronte ad Sacerdotem versa ob reverentiam, nisi cum Sacerdos hominibus hostiam porrigit: tunc enim citra ullam mutationem eum tergum vertere Sacerdoti, fronte ad communicantes conversa.*

Christus quo agat in hostia.

XVII. *Dubitarunt quoque, utrum Christus in hostia videat, audiat, sentiat, agat quicquid in cœlo videt, audit, sentit, agit, an secus? fuerunt qui hoc affirmarunt, quòd in pane sit idem ille Christus, qui est in cœlo, nec minùs perfectus. Alij contrà censuerunt, eum in pane esse cæcum, surdum, mutum, stupidum & immobilem, ut ipsi nugantur.*

Christus in hostia circumscriptus, nec ne.

XVIII. *Præterea cùm Christum & in cœlo, & in omnibus consecratis hostiis esse docerens, disputarunt, num ibi sit immensus, an positis terminis circumscriptus, & ea qua fuit in cruce magnitudine? statuerunt quæ licet reviviscendo qualitatem mutasset, quippe gloriosus: naturam tamen & quantitatem non mutasse: idcoque & in cœlo, & in hostiis eandem prorsus esse magnitudine, qua fuerit in cruce. Alij verò quia animadverterunt, ex hac opinione multa absurda & pugnantia sequi, dixerunt rem esse omnium quæ unquam in toto orbe fuerunt stultissimam, dicere videlicet Christi corpus immensum esse.*

Chriſtus an nudus vel veſtitus in hoſtia.

XIX. *De illo quoque contenderunt, utrum nudus an veſtitus ſit in hoſtia Chriſtus. Et fuerunt qui dicerent veſtitum ineſſe, quia ſic in cœlum aſcenderit. Alij nudum dixerunt, quòd abſurdum videbatur non ſolum ipſum corpus, ſed etiam eius veſtimenta in Cœna comedi.*

Denique tot tantaque ſunt, non dico ineptiæ, ſed blaſphemiæ, quas de hoc Sacramento in publicis Scholis diſputarunt, in ſellis docuerunt, in ſuggeſtis profeſſi ſunt, & profidei capitibus ad ſalutem neceſſariis haberi voluerunt, ut ſine horrore nec referri, nec legi poſſint: Tantum etiam à Verbo Dei atque etiam à ſeipſis diſſident Scholaſtici in Euchariſtiæ quæſtione, ut cui parti adhærere & credere debeas, nulla prorſus ratione poſſis diiudicare. Hæc omnia, Bellarminus & Socii eius quæ iam per aliquot capita ordine recenſuimus, diligenter expendere debuiſſent, & proinde deſinere Noſtris obiicere diſſenſiones, quas in omnibus ſuis ſcriptis mirum in modum aggerant, exclamationibus amplificant, falſis & ementitis ſuppoſitionibus & erroribus quos Noſtris affingunt, augent & exacerbant, cùm inter ipſos, multò plures diſſenſiones de hac ipſa Sacramentaria diſputatione exiſtant. Ædibus in propriis, quæ prava, & quæ recta gerantur, erant ipſis priùs obſervanda, quàm in Noſtros tantopere debaccharentur.

CAPVT X.

Canonis Latini falſa & quidem nova Scholaſticorum interpretatio, ejuſque violenta ad Tranſſubſtantiationis dogma detorſio.

Preces ſuper oblationes fidelium ſa. Eccl. ad reale[m] corpus Chriſti detorte.

Libro tertio capite octavo, prolixè demonſtravimus ſuprà, in Euchariſtiæ celebratione à fideli populo Oblationes factas eſſe, præſertim panis & vini, de quibus partem ſumebant, quam ad communionem ſufficere putabant. Super has Oblationes populi, Preces omnes, quæ ab initio Latini Canonis & veteris Ordinis Romani habentur, olim dicebantur, ac poſtulabatur, partim ut Deus hæc Sacrificia & Oblationes à fidelibus ex pio mentis affectu allata, benigno vultu reſpicere, & grata acceptaque habere velit: partim verò virtute & operatione Spiritus ſancti efficere, ut panis & vinum, quæ ad communionem ſeparata ac deſtinata ex his oblationibus, in corporis & ſanguinis Filii ſui Sacramentum tranſeant. Poſt invectum verò & confirmatum Tranſſubſtantiationis dogma, abrogata eſt illa oblationum conſuetudo: & in ejus locum ſubſtituta numularia quædam ſeu rotunda hoſtia, de qua docuerunt, quòd ſub Hoſtiæ ſeu Panis ejus accidentibus verum corpus Chriſti realiter contineatur, & in Sacrificium pro vivorum & defunctorum peccatis Deo Patri à Sacerdote offeratur: & nihilominus tamen Preces ac Orationes iſtæ, quæ olim ſuper oblationes populi tantùm dicebantur, retentæ in Canone, & ad Miſſaticum hoc Sacrificium detortæ & accommodatæ ſunt. Sublato verò hoc publicæ fidelis populi oblationis & communionis ritu, negari non poteſt, has Latini Canonis preces ſeu orationes, ſuo vero & proprio, quo primùm conceptæ, & ad uſitatam in Eccleſia ſacra Synaxis actionem accommodatæ fuerunt, ſenſu, fine & effectu, propterea veras non eſſe, ſed falſas & inanes, quia res, de quibus loquuntur, non ſunt vera. Ideoque rectiſſimè fatetur Nannetenſis Synodi decretum, Rhegino & alii, manifeſtum erroris abuſum in hoc neglecto publicæ oblationis & communionis ritu verſari, neq; verba Canonis ſine ipſo probè & decenter recitari poſſe. Ex quibus etiam illud conſtat, aliud eſſe veteris Eccleſiæ Sacrificium: aliud verò hodierni temporis Miſſam Pontificiam. Quemadmodum enim numularia illa Oblata ſeu Hoſtia, reipſa non eſt illa Eccleſiæ Oblatio, quæ in veteri Eccleſia fiebat, & ad quam accommodata eſt Latini Canonis precatio, ſed nomen ipſius tantùm ex privatarum Miſſarum abuſu accepit: ita quoque nomen tantùm ejus Miſſæ, quæ olim fuit, nec quicquam præterea, remanſit. Hæc autem ita ſeſe habere percurrendo & examinando textum Canonis manifeſtiſſimum faciam.

Aliud veteris Eccleſiæ ſacrificii, & aliud Miſſa Pontificia.

In veteri Eccleſia, ut diximus, ſuper munera panis & vini, quæ ad menſam offerebantur, partim ad Euchariſtiam, partim ad pauperum ſuſtentationem, hæc Oratio dicebatur: Te igitur clementiſſime Pater, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ſupplices rogamus & petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. *Pontificij autem Scholaſtici, ut hodie quoque Ieſuita faciunt, ſuper Sacrificio & oblatione Filij Dei & veri corporis Chriſti hæc verba recitanda, ijſque petendum eſſe docent, ut acceptum habeat Deus & benedicat hoc ſacrificium illibatum. Magna autem eſt impietas, Sacerdotem, hominem miſerum, deprecatorem apud Deum eſſe pro Filio ipſius & orare, ut hunc acceptum & gratum Pater habeat, propter quem ſolum, nos miſeri peccatores grati & accepti Deo ſumus. Nobis igitur interceſſione apud Deum, non ipſi noſtra deprecatione apud eundem opus eſt. Similis impietas ineſt verbo* Benedicendi. *Quaſi verò propter Sacrificuli interceſſionem, Deus Pater benedicat Filium ſuum, qui eſt benedictus in ſecula. Ac*

2. Canonis prima partis depravatio.

quaſi

quasi nostra Oratione Christus opus habeat, ut à Patre benedicatur, & non potius nos, totumque genus humanum per ipsum & in ipso benedictionem consequamur, secundùm apertissima, notissimaque dicta: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. *Item*: In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Vt de hoc nihil dicam, quòd benedictionem illam signo Crucis perfici à se Sacrificulus opinatur, quod planè magicum & idololatricum est.*

Deinde, in eadem parte dicunt, Se offerre hoc Sacrificium pro Ecclesia Dei catholica: *Hæc verba etiam in veteri Ecclesia de sacrificijs spiritualibus intelligebantur, & quidem ante consecrationem panis & vini, eaque pro Ecclesia Deo Patri hac prece offerebantur. Hodie verò intelliguntur de Sacrificio veri corporis Christi, idque se offerre dicunt Sacrificuli pro Ecclesia, &c. At verò hæc est maxima in Christum contumelia: ac si oblatio illius unica ad Ecclesiam sanctificandam & liberandam non sufficiat, nisi noua Sacerdotis accedat oblatio: cùm tamen Paulus apertissimè dicat*: Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi SEMEL factam: *Hebr.*10. *Rursus ibidem*: VNA oblatione consecrauit in sempiternum eos qui sanctificantur.

*Bellarminus verò lib.*2.*de Missa cap.*21.*Orationem hanc & verba primæ huius partis ad panem refert, & dicit*, Panem rectè dici offerri pro Ecclesia. *Quid audio? Panisne & vinum rectè offeruntur pro Ecclesia? Est hæc insignis contumelia in Christum, cuius unius oblatione & sanguine redempta, & Deo reconciliata est Ecclesia, eiusdemque intercessione perpetua colligitur, regitur ac conservatur. Sed dicit Iesuita*: Panis rectè dicitur offerri pro Ecclesia, non quòd ista oblatio sit propriè sacrificium propitiatorium, sed quia est dedicatio rei ex qua faciendum est sacrificium propitiatorium. Quare cùm dicimus, nos offerre panem Deo pro Ecclesia, sensus est, nos offerre Deo panem consecrandum, & ex quo per consecrationem verum sacrificium Deo immolandum est pro Ecclesia. Neque alienum est hoc à modo loquendi Scripturæ diuinæ, siquidem Leuit.4.5.6. & alibi, iubentur singuli quique de populo offerre agnum, vel aliud eiusmodi in sacrificium pro peccato, & tamen non quilibet de populo propriè sacrificabat: id enim erat solius Sacerdotis munus: sed dicebantur illi offerre sacrificium pro peccato, quia offerebant materiam, ex qua sacrificium pro peccato faciendum erat. *Respondeo: Pronominis demonstratiui tam crebra repetitio*, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, *eam requirit oblationem, quæ est re, non spe. Verbum etiam*, Offerimus, *præsentis, non futuri est temporis, ideoque ad hostiam mox consecrandam non potest referri: ut sit sensus, Offerimus, id est, mox offeremus. Adhæc, materia præparatio non est Sacerdotis propria: sed populo & pro quibus offertur communis est, ut docent exempla quæ ex Leuitico affert. Hoc loco autem Canon Sacerdotis Orationem continet in oblatione sacerdotali, quæ non per manus populi, sed per manus Sacerdotis; reipsa Deo offertur. Est enim hæc Oratio iam sanctificatoria, non materiæ præparatoria.*

Denique in hac parte insignem insuper fraudem commiserant post abrogatum in Ecclesia hunc oblationis ritum, ad quem primæ preces Canonis respiciunt. Verba enim hæc, Inprimis quæ tibi offerimus, *expunxerunt in aliquibus Missalibus, & pro ijs substituerunt*, Inprimis quæ tibi offero; *ut iam ad Sacerdotem solum referatur, quod prius ei cum populo erat commune. Non autem sic leguntur in antiquioribus & manuscriptis etiam Missalibus: neque sic exstant in Ordine Romano, neque apud Alcuinum & Micrologum: neque etiam consentiunt cum contexto. Subiungitur enim*: Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. *Item*: Communicantes & memoriam venerantes: *Et*: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine ut placatus accipias, &c. *Et infra*: Vnde & memores Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta, &c. Offerimus præclaræ tuæ Maiestati de tuis donis ac datis. *Postremò ad finem Canonis, verba illa*: Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem susceperimus: *non unius hominis, sed Ecclesiæ sunt, quæ cum Sacerdote, ipsomet Canone testante, communicauit & obtulit. Vt illa verba*, Quæ tibi offero, *omnino supposititia sint in Canone. Nam etiam Lombardus dist.*13. *lib.*4. *palàm in Canone innuit, suo adhuc tempore lectum esse*, Quæ tibi offerimus, *ut serò mutatum hunc locum constet.*

Secundæ quoque partis Canonis oratio, sublata veteri consuetudine offerendi in Ecclesia, post inuectum Transsubstantiationis dogma, planè alium; & quidem diuersissimum ab eo, qui ab initio fuit, consecuta est sensum. Cùm enim in veteri Ecclesia tum munera illa oblata in usus pauperum, tum homines ipsi, qui illa obtulissent, Deo commendarentur, isque rogaretur, benedictionem suam largiatur, ut & rerum oblatarum usus pauperibus salubris esset: & pietatis quoque ac beneficentiæ suæ præmia, iuxta promissiones Dei, haberent ij, qui munera seu dona illa attulissent, inepte admodum

Secundæ partis Canonis deprauatio.

precatio ista ad oblationem hostiolæ rotundæ posterioribus seculis referri cœpit. Quum tamen errorem hunc ipsa verba partis huius apertissimè refutent. Disertè enim dicitur, Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt: *quibus verbis fatetur Sacerdos, se non solùm ipsorum nomine, Deo in usus pauperum hæc munera offerre, sed ipsos quoque fideles simul offerre. Vbi tamen egregiam, ad imposituram simplicioribus faciendam, excogitarunt glossam Sophistæ quasi nimirum Pontificiæ Missæ assistens populus, licèt non offerat, nec communicet, spiritu tamen & devotione tantùm Sacerdoti in offerendo cooperetur.* Tantum enim, *inquit Biel Lect.* 33. voto concurrit populus ad hanc oblationem, pro quanto Sacerdos personam totius Ecclesiæ, cuius ipsi membra sunt, repræsentat.

Deinde *verba etiam illa*, Tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, &c. *impiè ad Sacrificium Missæ propitiatorium detorserunt, quo redemptio animarum sit impetranda & promerenda: Cùm ab initio, ut lib. 3. cap. 8. indicauimus, de spirituali sacrificio laudis & gratiarum actionis dicta hæc fuerint, quo hæc dona offerebant pro redemptione animarum, facta scilicet in Cruce per Christum: & Præpositio* PRO *accepta sit pro Causa, siue Propter. Sensus igitur istorum verborum alienissimus est hodie ab eo, qui olim fuit: Non enim pro beneficio Redemptionis à Christo ipso nobis præstito, unde spem omnem salutis habemus, gratias agunt Sacrificuli, & redemptionem animarum iam antè per Crucem Christi acquisitam celebrant: sed nouum sacrificium corporis Christi in Hostiola latentis pro animarum liberatione scelerate instituunt.*

Tertiò, *non amplius, ut olim, offerentium, sed tantùm ementium Missas, & quorumcunque viuorum voluerit Sacerdos, nomina in hac parte Canonis recitantur: quo ipso etiam sensus Orationis corrumpitur & depranatur.*

Denique, *in eadem parte Canonis, veteres fideles vota sua reddebant Deo, hoc est, vouebant & sanctè promittebant, se uni & soli Christo vera fide adhærere, & beneficium redemptionis eius in cruce præstitum publicè & solenniter celebrare velle: Sequentibus verò temporibus Pontificij hanc votorum redditionem ad Missas votiuas retulerunt, in quibus annumerata certa pecuniæ summa, petit aliquis pro se & suis omnibus Missam, quam in periculo constitutus promisit, si liberaretur, celebrari.*

Verbum quartæ

Verba etiam quartæ partis de fidelium oblationibus intelligenda esse, ex Ordine Romano intelligitur. Scribit etiam Gregorius M. hanc Orationem Canoni insertam fuisse, ut diceretur super oblationem populi, atque Deo in sacrificium laudis & memoriæ cultum oblatio commendaretur & consecraretur per Sacerdotem. In Ordine Romano quum celebraretur officium in die Cœnæ Domini, sic dici hæc verba Canonis solebant: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster Iesus Christus tradidit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus Domine ut placatus accipias, &c. *Hodie verò hæc Oratio, ex falsa Pontificiorum interpretatione, ad ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ paulò post per transsubstantiationem panis & vini, in locum & sub speciebus eorum successura finguntur, accommodatur. Hæc autem non sunt ista fidelium in memoria & gratiarum actionis cultum facta oblatio, de qua tamen hæc verba Canonis & Ordo Romanus loquuntur. Vnde sublato veteri illo oblationum ritu, alium, & quidem falsissimum horum verborum sensum nasci & existere necesse est: nimirum, ut oblationem veri corporis & sanguinis Christi placatus accipiat: quum tamen non possit non esse gratissimus atque charissimus Patri unigenitus Filius, qui est in sinu eius.* Filius, *inquam*, dilectus, in quo beneplacitum est illi: Et ut propter hanc oblationem Filij sui, dies nostros in pace disponat, atque ab æterna damnatione nos eripiat, & in electorum suorum iubeat grege numerari. *Hæc verò omnia credentibus contingunt propter illam oblationem Filij Dei, quæ semel facta est in cruce, & æternam nobis liberationem acquisiuit.*

Verborum quintæ partis hæc fuit ante inuectum Transsubstantiationis dogma, vera ac genuina sententia; nimirum, ut hæc oblatio, seu donum hoc panis & vini à fideli populo oblatum, sic benedictum, ratum, rationabile & acceptabile reddatur, verbo scilicet Creatoris, & operatione Spiritus sancti, ut fiat Iesus Christi corpus & sanguis, id est, Sacramentum corporis & sanguinis Christi, non per Transsubstantiationem, sed per Dei ordinationem: ut quod prius erat vulgaris panis & nudum vinum, Dei ordinatione fiat Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Græcus enim Canon, unde hæc verba desumpta sunt sic habet: Πόσιον ἄρτον τοῦτον τῷ σώματί σου χρῖσαι σε: *id est*, Fac Panem hunc pretiosum corpus Christi tui. *Loquitur ergo de Pane, non ut sit oblatio pro peccatis hominum, sed corpus Christi fiat; quemadmodum & Augustinus inquit,* Sacerdotem petere, ut verbo Creatoris, & virtute Spiritus sancti, ex pane & vino fiat cor-

Partis Canonis depravatio.

V. Quintæ partis Canonis depravatio.

corpus & ſanguis Chriſti, *non quidem, ut diximus, per Transſubſtantiationem, quæ prorſus ignota fuit Vetuſtati, ſed per ſacramentalem mutationem; & reſpectu hominis, cui panis ille & vinum in uſu legitimo, congruente cum verbis inſtitutionis, Spiritu ſancto in nobis fidem operante, eſt corpus & ſanguis Domini, id eſt, ut Paulus loquitur, communio corporis & ſanguinis Chriſti. Pontificij verò Scholaſtici hæc omnia ad realem oblationem corporis & ſanguinis Domini in ſuæ Miſſæ ſacrificio detorſerunt; & hanc dicunt ipſi eſſe oblationem* adſcriptam, *per quam in cœlo adſcribimur*: acceptabilem, *per quam & propter quam Deo accepti ſimus*: ratam, *per quam rata ſit noſtri cum Deo reconciliatio.*

Hæc verò interpretatio primò pugnat cum ipſis verbis Canonis, quibus petitur, ut oblatio panis & vini nobis fiat corpus & ſanguis Chriſti. Nam oblatio panis & vini, ſi propriè loquamur, non hoc fieri rectè dici & intelligi poteſt, cuius cum eo, quod ſit, non eſt commune ſubiectum: ſed quæ per transſubſtantiationem eſſe deſinit. Neque enim quod priùs non fuit corpus Chriſti, nunc primùm hoc fieri & eſſe incipere poteſt. Fatetur hoc etiam Biel Lect. 49. qui in Expoſitione Canonis, hanc Ambroſij ſententiam, Quomodo poteſt, qui panis eſt, eſſe corpus Chriſti? *ſimpliciter de verborum rigore impoſſibilem propoſitionem eſſe dicit. Illa etiam Auguſtini verba,* Non omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit corpus Chriſti: *ſiue propriè, ſiue impropriè intelligantur, iuxta vim verborum negat eſſe vera, niſi aliam recipiant interpretationem. Sic enim ait*: Quia nec nunc, nec in poſterum aliquando, quod panis eſt, poteſt eſſe corpus Chriſti, ideo nec ſimul, nec ſucceſſiuè panis & corpus Chriſti pro eodem ſupponunt. Nec pars panis aliquando erit pars corporis Chriſti, quia in conuerſione panis totus eſſe deſinit, nec aliquid eius fit, vel intrat in corpus Chriſti. Vnde omnes iſtæ loquutiones ſimpliciter falſæ ſunt: Panis eſt, ſeu fit corpus Chriſti: Panis factus eſt, aut fiet corpus Chriſti: ſeu, Quod erat panis & vinum, poſt conſecrationem eſt corpus & ſanguis Chriſti. *Huc uſque Gabriel. Idem ante illum quoque ſcripſit Bonauentura lib. 4. diſt. 11. quæſt. 6. Hinc verò ſequitur, non in vero, genuino & proprio ſenſu, verba hæc Canonis in quem ab initio concepta fuerunt, uſurpari hodie à Pontificijs.*

Hæc, quam ita ſe habeant, quid obſecro dicturi fuiſſent Transſubſtantiationis propugnatores ad iſta Cyrilli Hieroſolymit. verba, quæ in Catecheſibus eius leguntur de myſtico, non de reali ſymbolorum mutationis modo? Quemadmodum, *inquit*, panis & vinum Euchariſtiæ, ante ſacram inuocationem, adorandæ Trinitatis panis erat & vinum merum: peracta verò inuocatione; panis quidem fit corpus Chriſti, vinum autem ſanguis Chriſti. *Item*: Quemadmodum panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus inuocationem, non ampliùs eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti: Sic & ſanctum hoc Chriſma ſeu unguentum non ampliùs eſt nudum aut commune, ſed eſt chriſma Chriſti, quod aduentu Spiritus ſancti per Diuinitatem ipſius energiam habet. *Fatetur hîc Cyrillus, panem Euchariſticum poſt ſancti Spiritus inuocationem, eſſe quidem panem, ſed non amplius communem panem, verùm Chriſti corpus, ſacramentali videlicet modo. Similiter Damaſcenus collatione à Baptiſmo facta,* Sicut, *ait*, aqua Baptiſmi lauacrum regenerationis: ita quoque panis & vinum, corpus & ſanguis Chriſti, Diuinitatis & gratiæ coniunctione fiunt. *Ex quibus intelligimus hæc Canonis verba in veteri Eccleſia abſque ulla ſubſtantiali ſymbolorum in res ipſas mutatione, intellecta ſemper fuiſſe.*

Secundò, *ſi vera eſt Bellarmini interpretatio, quâ dicit,* petì à Deo in hac parte Canonis, ut ipſe oblationem noſtram conſecrando benedictam ex profana efficiat: *ſequitur, ſacrificium laudis, quod Transſubſtantiatores de vero corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificio intelligunt, profanum eſſe, & petere Sacerdotem, ut Deus ex profano corpore Chriſti, ſacrum Chriſti corpus per conſecrationem efficiat: ô blaſphemiam! Si verò panis & vinum per laudis ſacrificium intelligatur, non eſt abſurdum, ſi quis Deum roget, ut ex profano pane & vino, quantum ad uſum, ſacrum faciat.*

Tertiò, *ſi hactenus non panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti, Sacerdos ſe Deo obtuliſſe putat, cur nunc tandem orat, ut corpus & ſanguis Chriſti fiat? Cur formandis crucibus occupatus eſt, quarum virtute exiſtimat panem & vinum tranſmutari in corpus & ſanguinem Filij Dei? Cur poſtea demum verba Conſecrationis recitat? Aut quid tandem vel crucibus iſtis, vel conſecrationi ſequenti opus eſt, ſi iam antè corpus & ſanguinem Chriſti in manibus ſuis habuit, & Deo Patri, tum in ſuperiori actione obtulit, tum his etiam verbis denuò offert?*

Sexta parris deprauatio.

Pontificij etiam vi quinque verborum iſtorum, Hoc enim eſt corpus meum, *Hic eſt calix ſanguinis mei, conſecrationem, hoc eſt, ut ipſi interpretantur, conuerſionem & mutationem ſubſtantialem, ſeu transſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti fieri intelligunt. Sic enim Innocentius 3. lib. 4. de Miſſæ myſterio cap. 7. ſcribit*: Cùm, *inquit*, Sacer-

Sacerdos illa verba Christi pronuntiat, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, panis & vinum in carnem & ſanguinem conuertuntur. *Et in eandem ſententiam Titellmannus in Expoſitione Canonis*, Per virtutem, *inquit*, verborum, quæ ſuper oblationem panis & vini, per Sacerdotem proferuntur, diuina virtute inuiſibiliter operante, ſubſtantialis fit tranſmutatio: primùm quidem panis in corpus Domini, dicendo, Hoc eſt corpus meum. Deinde vini in ſanguinem, dicendo: Hic eſt calix ſanguinis mei. *Vnde etiam iſta verba nominant* OPERATORIA, *quod nimirum per illorum pronuntiationem operentur & efficiant, ſeu creent corpus Chriſti: Ex quo natæ ſunt blaſphemæ illæ voces*, Sacerdos eſt creator ſui Creatoris. *Item*, Qui creauit me ſine me, nunc creatur mediante me. *Vt autem verba illa magis ſint efficacia, aſſumunt Coniunctionem* ENIM, *ut ſint verba quinque: nempe*, HOC, EST, ENIM, CORPVS, MEVM. *Vim autem operandi ſeu efficiendi hoc ipſorum myſterium quinque illis verbis inceſſe putant: quia ratione pari, Maria virgo quinque verborum vi miraculosè conceperit Chriſtum, dicendo ad Angelum*, FIAT, MIHI, SECVNDVM, VERBVM, TVVM. *Quaſi verò Maria conceperit vi verborum iſtorum: ac non potiùs vi fidei, quam illis verbis profeſſa eſt, ſicut ei dicebat Eliſabeth*, Beata tu quæ credidiſti. *Aut ſi maximè Maria vi verborum illorum concepiſſet, ſequeretur Sacerdotem vi alterorum quinque verborum ex pane creare corpus Chriſti. Quin & illud planè ridiculum eſt, quòd nonnulli huc accommodarunt dictum Pauli* 1. *Cor.* 14. Malo in Eccleſia quinque verba loqui: *nam ibi Apoſtolus nihil de Cœna agit, ſed docet, præſtare pauciſſima verba in cœtu fidelium loqui lingua cognita, quàm magnam verborum copiam profundere lingua peregrina.*

Verba Cœnæ non dicta ſuper panem. Vide P. Vireti lib 6 c. 22. 23. 24. 25. & c. de Origine Miniſt. Verbi & Sacram.

Sed contra: rebus vel ceremoniis, non à Deo præceptis, tribuere aut alligare diuinos effectus, manifeſta & horribilis idololatria eſt, iuxta illud, Fruſtra me colunt mandatis hominum. *At neque Chriſtus verba inſtitutionis Cœnæ ſuper panem ſiue ad panem pronuntiauit, ſed ea de pane ad diſcipulos ſuos loquutus eſt, ut eos doceret, cur hunc panem eis manducandum daret: neque verba ſiue hæc, ſiue alia ſuper panem aut ad panem pronuntiari unquam inſſit, ſed panem hunc, quemadmodum ipſe quoque fecerat, frangi, diſtribui, & manducari præcepit, ad mortem & beneficiorum ſuorum commemorationem: quæ ut rite obſeruentur, non ad panem, ſed ad Eccleſiam quæ Cœnam Domini celebrat, verba inſtitutionis hodie quoque dicenda ſunt, ut ex iis diſcat & commoneſiat, quomodo & quam ob cauſam Chriſtus Cœnam inſtituerit. Pontificiorum igitur conſecratio hæc, qua Sacrificuli certis quibuſdam ritibus, verba inſtitutionis ad panem conuerſi ſuper eum demurmurant, magicis incantationibus quàm Chriſti inſtituto ſimilior eſt. Hoc ut melius intelligat Lector, cogitet, aquam Baptiſmi nec minùs eſſe ſacram, nec minus certum diuinæ gratiæ ſymbolum, quàm panem & vinum Euchariſticum: nec tamen aut Ioannem Baptiſtam, aut alios ſuper ea certa quædam verba pronuntiaſſe antequam eam ad Baptiſmum adhiberent: neque nos rectè facturos, ſi non ſanctificari eam putemus, ut ſit ſymbolum & pignus remiſſionis peccatorum, niſi priùs concepta quædam verba ſuper eam vel ad eam prolata ſint: nihil enim tale unquam vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis mandatum eſt, ſed eam tantùm adhibere ad baptizandos homines in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti, inſſit ſumus.*

Secundò, *Pontificij verborum recitationi tribuunt aut alligant vim efficiendi Sacramentum, contra certiſſimam regulam: Nullam rem poſſe Sacramentum fieri, extra uſum diuinitus inſtitutum. Non enim efficiunt verba quod ſignificant, ſiue ſuper rem, ſiue de re aliqua pronuntiata, niſi Chriſtus ſe per ea hoc effectiurum diſertè promiſerit. Panem autem nobis Sacramentum traditi pro nobis in mortem & nobis in cibum dati ſui corporis fore, ſi hæc vel illa verba ſuper eum, ſine de eo recitentur, non promiſit: ſed tunc demum nobis vult Sacramentum eſſe, cùm frangitur, diſtribuitur & manducatur ad ſui recordationem. Fit igitur panis corpus, vel ſignum corporis Chriſti, non verborum recitatione, ſed uſu quem Chriſtus inſtituit. Nec rectè faciunt Pontificij & alij in hoc quoque, quòd promiſſionem Chriſti, toti ceremoniæ additam, ad partem tantùm eius reſtringunt: & panem ſtatuunt ſacramentum eſſe, pronuntiatis verbis, etiam antequam edatur. Etiamſi enim verba inſtitutionis Baptiſmi, aut quæcunque alia ſuper aquam pronuntientur, non tamen ea Sacramentum erit, nec à communi aqua differet, niſi aliquis iuxta Chriſti inſtitutionem ea baptizetur. Sic Ioannes in Iordane, & Philippo ad aquas obuias in itinere Eunuchum Candaces baptizante, nec verba illi certa ante baptiſmum ſuper aquam pronuntiabant, ſed ex inſtitutione diuina ad Sacramentum ea ſanctificabatur, quàm primùm Baptiſmo adhibebatur: & illa tantum pars aquæ ſanctificabatur, ut eſſet ſymbolum diuinæ gratiæ, qua perfundebantur baptizati: reliqua verò aqua fluminis, nullam rationem Sacramenti habebat: & aqua etiam illa ipſa, qua quis baptizatur, tantiſper Sacramentum eſt, dum ritui adhibetur, quo peracto à communi aqua nihil differt.*

Non verborum pronunciatio, ſed uſus legitimus Sacramentum facit. Vide Vireton de Origine Miniſt. Verbi & Sacram. lib. 6 c. 22. 23 & 24.

Tertiò,

Res externæ Sacramenta fiunt solis fidelibus.

Tertiò, *Ne illud quidem ſimpliciter verum eſt, verba Chriſti ab hominibus pronunciata efficere quod ſignificant. Neque enim vis efficiendi in verbis ſiue ſonis eſt, qui eduntur ab hominibus, ſed ipſe Chriſtus ſuo Spiritu per verba tanquam inſtrumentum operatur. Neque vis ea & operatio Chriſti & Spiritus ſancti verborum Recitationi, aut externo ſacramentorum ritui alligata eſt, ſed liberrimè ſe erga electos exerit. Alioquin omnes conuerterentur & ſalui fierent, quibuſcunque Euangelium annuntiatur. Ideoque, ut effectus ille, quem verba promittunt, ſequatur, ea non tantùm auribus percipi: ſed animo etiam & corde credi oportet. Promiſsio enim gratiæ ſemper annexam habet conditionem fidei. Ideoque panis Euchariſticus illis tantùm ſacramentum, vel communicati corporis Chriſti teſtimonium eſt, qui huic promiſsioni credunt, ſe tam certò corpore Chriſti paſci ſpiritualiter, quàm certò panem hunc edunt corporaliter. Vnde etiam Auguſtinus dicit Tract.* 80. *in Ioan.* Vnde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & abluat, niſi faciente verbo? NON QVIA DICITVR, SED QVIA CREDITVR.

Pontificiis non conuenit de verbis conſecrationis Beſſarionis. Vide Victorum de Græcis Alienſibus & Sacram. lib. 7. c. 3. §. 6.

SED *quid multa? Ne inter ipſos quidem Pontificios de hac ſua ipſorum conſecratione conuenit. Sic enim Cardinalis Beſſarion Thuſculanus Epiſcopus ſcribit in libro de Sacramento Euchariſtiæ:* Latini Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium ſecuti, illa Domini verba conſecrationem facere manifeſtiſſimè aſſeuerant, Hoc eſt corpus meum. Græci verò cum Iacobo, Baſilio & Chryſoſtomo ſentientes, non illis Saluatoris noſtri verbis Chriſti corpus & ſanguinem confici putant, ſed quibuſdam, quæ ſequuntur precibus Sacerdotum.

Gabriel Biel.

Gabriel Biel Lect. 36. *in Canonem ex Alexandro Alenſi par.* 4. *q.* 33. *quatuor hac de re diſcrepantes ſententias recitat.* Prima *eſt, quòd Chriſtus conſecrârit, priuſquam illa verba protulerit,* Hoc eſt corpus meum, *idque virtute diuina: Sacerdotibus autem iſtis verbis præſcripſiſſe formam certam qua conſecrare debeant, ut ſic differentia in conſecrando inter miniſtros & ſacramenti authorem appareret. Vnde Innocentius,* Chriſtus, *inquit,* virtute diuina confecit, & priùs formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit: nos autem illa virtute quam verbis indidit. *Hæc ille. Et qui in hac ſententia ſunt, tali ratione utuntur: Si Chriſti corpus non fuiſſet ſub ſacramento ante illorum verborum prolationem, non verè dixiſſet Chriſtus,* Hoc eſt corpus meum. *Oportuit ergo Chriſti corpus in ſacramento ante fuiſſe, quàm dixit,* Hoc eſt corpus meum, *ut vera eſſet oratio. Præeſſit ergo, aiunt, aliqua benedictio conſecratiua, de qua Euangeliſta loquitur, dicens:* Benedixit, *id eſt, conſecrauit. In hac ſententia videtur fuiſſe Franciſcus Maronis, qui vult, Chriſtum hæc verba protuliſſe indicatiuè, Sacerdotes verò recitatiuè.*

Alij *verò, eſſi non dubitârint Chriſtum ſola virtute, ſine verbis & ſignis potuiſſe panem in corpus ſuum conuertere, hoc tamen ita feciſſe nulla vel ratione, vel authoritate probari poſſe dixerunt, ideoque ipſi ſenſerunt, quòd Chriſtus accipiens panem benedixerit & conſecrârit illum benedictione quadam ſecreta & nobis incognita, ad quam facta ſit transſubſtantiatio: poſtea fregiſſe & dediſſe diſcipulis, dicendo:* Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum: *& in enuntiatione horum verborum contuliſſe eis poteſtatem & vim conuertendi in poſterum panem in corpus Chriſti.*

Tertia *opinio eſt, Chriſtum quidem conſecraſſe his verbis,* Hoc eſt corpus meum: *ſed illa verba his loquutum eſſe, licèt ſemel tantùm apud Euangeliſtas poſita legantur: primò apud ſe tacitè, & tunc conſecraſſe, idque omiſiſſe Euangeliſtas: ſecundò apertè, ut eum intelligerent Apoſtoli.*

Quarta *opinio fuit Alenſis, Alberti, Thomæ & aliorum Scholaſticorum, nimirum quòd Chriſtus in ultima Cœna conſecrârit per hæc ipſa verba, per quæ adhuc hodie conficiatur corpus & ſanguis Domini: & illa verba ſemel tantùm pronuntiaſſe, non tamen eodem ordine quo apud Euangeliſtas & hîc in Canone poſita ſint: Non enim Euangeliſtis curæ fuiſſe ſeruare ordinem verborum quo prolata ſint à Domino. Ordinem autem hunc obſeruatum fuiſſe à Chriſto in Cœnæ prima inſtitutione:* Accepiſſe panem & benedixiſſe dicendo: Hoc eſt corpus meum; *tum demum fregiſſe & dediſſe diſcipulis ſuis, dicendo:* Accipite, comedite.

Eſt autem hæc manifeſta & blaſphema deprauatio ſacræ Scripturæ, & horribilis iniuria, qua non tantùm Apoſtoli, ſed ipſe quoque Spiritus ſanctus afficitur: ex quo intelligimus, veriſſimam Dialecticorum eſſe regulam, Vno inconuenienti dato, plura alia ſequi. *Cùm autem omnes Euangeliſtæ & Paulus, uno eodemque perpetuo & conſtanti ordine ponant hæc verba, potiùs credendum eo fuiſſe à Chriſto prolata, quàm illo, quo à Scholaſticis temerè & impudenter ponuntur, tantùm ut transſubſtantionis ſuæ monſtrum defendere poſſint: Hoc igitur animaduertentes alij, eſſi ſenſerunt, quòd Chriſtus his verbis,* Hoc eſt corpus meum, *ſemel prolatis, conſecrârit, tamen aſſeuerarunt, quòd ea poſt fractionem demum protulerit. Ne autem Romanæ Eccleſiæ contrarij eſſe videantur, quæ priùs conſecrat quàm*

quàm frangit, aliutam quidem, sed elumbem distinctionem fractionis excogitarunt. Dicunt enim, quòd duplex sit fractio Sacramenti, una ad figurandum, altera ad distribuendum: Illam, quæ fiat ad figurandum; fieri à Sacerdote in altari post consecrationem: alteram verò quæ fiat ad distribuendum multis, qui sacramentum sint percepturi, posse præcedere consecrationem. Sed quia absque ulla authoritate Scripturæ hæc dicuntur, eadem facilitate reijciuntur, qua proferuntur.

Bellarminus quoque lib. 4. de Eucharistia cap. 13. docet, consecrationem Eucharistiæ, & per consequens transsubstantiationem fieri solis illis verbis Domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: *& quòd insserit ea à Sacerdotibus dici: quodque his verbis à Sacerdotibus pronuntiatis fiat mox consecratio, vel transubstantiatio: Primùm probat tribus rationibus, quas ipse urgentissimas nominat.* Prima *hæc est:* Si Dominus alio modo consecrâsset, & alio nos consecrare vellet, non dixisset: Hoc facite. *Respondeo: Ratio hæc minimè est urgens: nititur enim falsa interpretatione illorum verborum*, Hoc facite: *quasi illis insserit verbis istis*, Hoc est corpus meum, *consecrare, & sic quidem, ut simul naturæ & substantias rerum destruant & aboleant.* Secunda *ratio est:* Sacerdos, *inquit*, in persona Christi consecrat: & ideo non dicit, Hoc est corpus Christi: sed, Hoc est corpus meum. Et nihil est aliud nostra consecratio, quàm repetitio illius primæ quæ à Christo facta est. At quomodo in persona Christi id facimus, & quomodo ista est illius primæ repetitio, si Christus sola voluntate, nos verbis consecramus? *Respondeo: Est petitio principij: nam pro certo assumit, quod illi erat probandum: nimirum Sacerdotis consecrationem istis verbis*, Hoc est corpus meum, *fieri in persona Christi, & esse repetitionem primæ illius consecrationis Christi.* Tertia, Denique, *inquit*, omnes conueniunt, Dominum instituisse sacramentum Eucharistiæ, quum ipse primus Eucharistiam consecrauit. Ergo oportuit eum non solùm consecrare, sed etiam consecrare ritu sacramentali, & illo ipso ritu, quo deinceps nos uti debemus, *Respondeo: Est fallacia à non consequente: Non enim sequitur, Christus sacramentali ritu consecrauit: illo igitur ritu consecrauit quo hodie Sacerdotes consecrant.*

Secundò, *quòd Christus insserit hæc verba*, Hoc est corpus meum, *à Sacerdotibus in consecrando dici, probat similiter illis verbis*, Hoc facite. Nam illud, *inquit*, iubet ut totam actionem Christi imitemur. Christus autem non benedixit & fregit panem sine ulla prolatione verborum, sed dicendo, Hoc est corpus meum. *Hic primò recurrit falsa expositio verborum Christi*, Hoc facite: *de qua suprà dictum est. Deinde falsum est, Christum benedicendo & frangendo panem, hæc verba pronuntiasse*, Hoc est corpus meum. *Nam ex narratione Institutionis Cœnæ Dominicæ manifestum est, Christum illa verba pronuntiasse demum post benedictionem & fractionem panis, tum nimirum, quum panem iam benedictum & fractum discipulis dedit. Hinc etiam aliud colligi potest, nempe, Christum hæc verba non ad panem, neque in aërem dixisse, sed ad discipulos, & quidem clara voce eruditendi gratia: cum quo nihil simile habet Sacerdotum missificantium ritus, qui verba hæc non pronuntiant ad populum præsentem, sed ad panem, vel etiam in aërem. Deinde, non pronuntiant illa verba clara voce, sed rauco murmure, non populum eruditendi, sed panem mutandi, vel transsubstantiandi in corpus Christi gratia: quod ipsis Eucharistiam consecrare significat. Quæ quum ita sint, qua fronte exemplum Christi pro sua consecratione proferunt?*

Tertiò, *quòd post verba illa:* Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, *à Sacerdote pronuntiata, statim adsit corpus & sanguis Christi, per transsubstantiationem, & proinde illorum verborum fiat consecratio, sic probat Iesuita*, Quia, *inquit*, alioqui verba essent falsa, si differretur præsentia corporis Domini, usque ad aliorum verborum recitationem, ut Græci volunt: Non enim dixit Dominus, Hoc erit: sed, Hoc est corpus meum. Vnde etiam suprà in disputatione de Transsubstantiatione ostendimus, illa verba Domini non posse defendi ut vera, nisi per illa fiat transmutatio panis & vini in corpus & sanguinem Domini. *Respondeo: vera sunt verba Christi, sed falsa est vestra interpretatio, qua illa propriè sine tropo accipitis. Deinde, propositum Iesuitæ euertit hæc probatio. Si enim hæc verba non nisi propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν intellecta vera sunt, sequitur, panem illum fuisse corpus Christi antequam illa verba pronuntiarentur à Sacerdote. Dicit enim Christus*, Hoc est corpus meum: Cùm autem Deus, qui mentiri non potest, dicit aliquid esse, necesse est ut illud sit: *verba sunt Bellarmini lib 1. de Eucharistia cap. 11. Vnde porrò efficitur, non fieri demum per illa verba transmutationem panis in corpus Christi. Et sic Scotus quoque sensit, qui in 4. Sentent. dist. 8. quæst. 3. sic scribit:* Hæc propositio, Hoc est corpus meum, non est consecratiua: Putat igitur ille, sicut alij nonnulli, consecrationem verbo Benedixit, confici.

Expe-

II.

Expedita quæstione de panis conversione in corpus Christi, ipsius verbis, Hoc est corpus meum, *mox alia quæstio & dubitatio ex harum partium Canonis Pontificiorum interpretatione exoritur, de sanguine Christi, qui ab eius corpore vivo non potest separari. Si verò his verbis prolatis, Hoc est corpus meum, panis conversus, seu transsubstantiatus est in corpus Christi: tunc vel exangue corpus Christi esse necesse est, aut non antè panis in corpus transelementatus est, quàm & vinum in sanguinem sit mutatum. Si hoc detur, & nondum facta est panis in corpus transsubstantiatio, certè populo artolatriæ authores sunt, quum illi hostiam consecratam adorandam in sublime elevant. Scio effugium Thomæ, & post eum Innocentij 3. qui lib. 4. de Missæ myst. cap. 17.* Licèt, *inquit*, ad prolationem præcedentium verborum panis à natura mutetur in corpus, & ad prolationem sequentium vinum mutetur in sanguinem, nunquam tamen est corpus sine sanguine, vel sanguis sine corpore, sed sub forma panis sanguis existit in corpore per mutationem panis in corpus, & è converso. Non quòd panis in sanguinem, vel vinum mutetur in corpus, sed quia neutrum potest existere sine reliquo. Est ergo sanguis sub speciebus panis, non ex vi sacramenti, sed ex naturali cõcomitantia. *Hæc tamen non satis nodum hunc dissoluunt. Nam si sanguis Christi ejusdem corpore continetur, ut verè continetur: certè aut naturali & corporeo modo non continetur sua ipsius substantia in poculo sub vini accidentibus, aut si continetur, à Christi corpore ita separatum esse oportet, ut à se invicem utriusq; symbola separata sunt.*

III. Vide Victorem de Origine Missæ. & Sacram. l. 7 c. 20.

Tertiò *hic quæritur, Virum aqua vino mixta, ad pronuntiationem illorum verborum*, Hic est calix sanguinis mei, *in Christi sanguinem convertatur etiam. Scotus docuit, non converti eam in sanguinem, nisi prius in vinum conversa fuerit. Alij, ita duplicem ille statuit transsubstantiationem aquæ: primam in vinum, secundam ex vino in sanguinem. Eam ob causam idem author, sicut etiam Thomas, Petrus de Alliaco & reliqui Scholastici modicum aquam misceendam esse censent, præsertim si vinum fuerit infirmius ad convertendam in se aquam, idque tempestivè, ut ad hanc conversionem satis longam habeat moram. Alij asserunt, quia ex Christi latere sanguis & aqua effluxerit, vinum in sanguinem, aquam verò in illam converti, quæ ex Christi latere effluxit. Alij omnino immutari negant, sed in sua permanere substantia, accidentibus tamen vini circumtegi. Thomas verò horum sententias reiicit, in 1. Corinth. 11. cap. nec multum dissentit à Scoto qui aquæ mixtionem simpliciter necessariam esse negat. Dicit quidem, peccare Sacerdotem, qui vinum aqua miscere contempserit, quod Ecclesiæ præceptum sic violet, & quod verisimile sit, Christum pro more regionis, vinum aqua temperasse. Clemens Papa Decret. lib. 3. scribit, fuisse qui affirmarint, aquam in phlegma per consecrationem mutari.*

Quem autem non pudeat tantarum ineptiarum? aut quis in tanta sententiarum diversitate certi aliquid statuere posset? Vnde etiam Innocentius 3. lib. 4. de Missæ myst. cap. 19. quum diversas ac discrepantes hac de re sententias commemorasset, sibi q; met ipsi objecisset, nihil certè omnino statuit ipse, sed exclamat: Quis hoc audeat definire?

Post institutionis Cœnæ historiam, quæ Consecrationis verba Pontificij vocant, octava pars Canonis sequitur: cujus priora verba ex Græco Canone desumpta sunt. Ea verò Scholastici non ad preces & gratiarum actiones, quæ Græci Canonis sententia est, sed ad Filium Dei retulerunt, eumq; corporaliter seu realiter offerri docuerunt his verbis: De tuis donis ac datis, tibi offerimus: *Cùm juxta Græcum Canonem ab initio verba ista, ex more veteris Ecclesiæ, quo ex eleemosynis à populo oblatis pars aliqua in usum Eucharisticum destinabatur, desumpta ad gratiarum actionem disertè relata fuerint. Sic enim Basilij Canon habet:* Tua ex tuis tibi offerentes in omnibus & per omnia te glorificamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Domine, & deprecamur te Deus noster: *Id est, Ex his donis, quæ primùm per te sunt creata & data, jamq; à pijs in pauperum usus oblata, offerimus tibi, hoc est, gratias agimus, quòd illa nobis larga manu ad hanc corporalem vitam sustentandam suppeditas. Offerimus item, id est, gratias agimus, pro donata nobis ad vitam æternam passione, morte, resurrectione & ascensione gloriosa Filij tui. Hæc oblatio, hoc est gratiarum actio, ab initio Canonis non solius Sacerdotis fuit, sed totius quoq; populi, ut hæc quoq; verba aperte testantur:* Nos servi tui, sed & plebs tua sancta. *Pontificij autem Scholastici oblationem hic fingunt faciendam à Sacrificulo, cui uni hoc jus & potestatem attribuunt, per characteres crucis, & demurmurationem verborum Consecrationis, conficiendi ex pane & vino corpus & sanguinem Christi, eademque offerendi æterno Patri pro peccatis hominum. Cui oblationi hanc vim tribuunt, ut nisi ea accedat, Christi ipsius oblationem in cruce factam non sufficere doceant. Quæ horribilis est blasphemia in passionem, mortem, resurrectionem Christi, pro qua gratias agere se Deo simulant, cùm non majore contumelia eam afficere possint.*

Octava pars Canonis de gratiarum actione.

Nona pars Canonis de precibus.

In veteri Ecclesia super munera panis & vini, quæ à fideli populo offerebantur, orabat Sacer-

dos, ut Dominus super hoc incruentum sacrificium propitio ac sereno vultu respicere dignetur, & acceptum habere, sicut habere dignatus est munera Abel, sacrificium Nohæ, holocaustum Abrahæ. *Sic enim in Basilii Liturgia legitur:* Respice super nos ô Deus, super hunc cultum nostrum, & accipe hunc, sicut accepisti munera Abel & sacrificia Nohæ, &c. *Intelligit autem per* Cultum *preces, gratiarum actiones, laudes, eleemosynas & oblationes munerum ad aram, totamque illam Eucharisticam actionem. In Secreta etiam, quæ Dominica 7. post Pentecosten legitur, sic orat Sacerdos super munera populi,* ut petat pari benedictione, sicut munera Abel, sanctificari. *Scholastici autem post consecrationem referunt hæc ad ipsum corpus & sanguinem Christi: atq; ita non de oblationibus seu muneribus panis & vini, aut de precibus & gratiarum actione, quæ ad istas oblationes fiebat; sed de pane & vino conversis in corpus & sanguinem Christi interpretantur. Hæc verò sua interpretatione duobus modis horribiliter peccant,* Primò, *quòd petere docent, ut Deus Pater unigenito suo Filio, qui solus peccatum non fecit, & in cujus ore dolus inventus non fuit tanquam misero peccatori propitius esse velit, eumq; sereno vultu respicere. Sic enim Gabriel Biel interpretatur:* Super quæ, id est, *inquit,* super corpus & sanguinem Christi Filii tui, propitio ac sereno vultu respicere digneris.

Secundò, *impietas est, Deum rogare, ut corpus & sanguinem Filij sui accepta habere dignetur, sicut Abelis, Nohæ, & Abrahami bruta pecora, Melchisedechi cibarium panem & vinum. Nam si Christi sacrificium non est alio loco apud Deum Patrem, quàm quo typica illa sacrificia fuerunt, actum est de totius mundi salute. Proinde inexplicabilis est hæc sacrificiorum collatio apud Innocentium, Albertum & Gabrielem Scholasticos, & ad illa verba Canonis obstupescunt, quibus rogatur Deus,* ut propitio ac sereno vultu respicere, & acceptam habere dignetur hanc hostiam, sicut acceptа habere dignatus est munera pueri sui Abel, & sacrificium Abrahami Patriarchæ: *eò quòd Filium Dei in Missæ sacrificio sub speciebus panis & vini velatum, offerri, horribili blasphemia imaginantur. Vehementer enim metuunt, si accuratiùs in hæc verba Canonis inquiratur, alterum ex his duobus concedi omnino oportere: aut tot jam seculis maxima cum impietate & blasphemia, in Romana Ecclesia, sacrificium corporis & sanguinis Christi in Missa, execrandis precibus petitum fuisse, sic gratum & acceptum à Deo Patre haberi, & propitio vultu respici, sicut munera & sacrificia Abel, Nohæ, & Abrahæ, id est, carnales brutorum & irrationalium animalium hostias: Aut, si hæc impia, blasphema & execranda collatio ferenda non sit, ipsum quoque Filium Dei, in sacrificio realiter non offerri. Vt igitur hunc scopulum evitent, quum nihil habeant, quod respondeant, ad profunditatem inexplicabilis mysterij, quod hisce verbis teneatur, confugiunt. In quibus tamen, si ex veteribus Liturgijs rectè intelligantur, nulla per se erroris absurditas, vel impietas est. Nam sic etiam apud Augustinum in lib. de Fide, cap. 19. hæc Veteris & Novi Testamenti sacrificia conferuntur.* In illis, *inquit,* carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato, erat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorũ nostrorum: In isto autem sacrificio gratiarum actio & commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem Christus pro nobis effudit. In illo ergo sacrificio, quid nobis esset donandum, figuratè significabatur: in hoc autem sacrificio, quid nobis donatum sit, evidenter ostenditur. *Ex qua sacrificiorum collatione apparet, ipsam carnis Christi, quasi in sacrificio oblatæ veritatem, cum carnalibus brutorum animalium victimis non conferri: Ergo nec ipsa quoque carnis Christi in pane existentia, est illud sacrificium, quod in veteribus Liturgiis sic gratum, acceptumq; à Deo haberi petitur, sicut munera Abel, & sacrificium Nohæ.*

Decimæ partis depravatio.

Hujus partis verba de pane & vino in corpus & sanguinem Christi realiter conversis, atq; adeò de ipso Dei Filio Iesu Christo intelligunt & interpretantur Scholastici, alijq; Pontificii Doctores, quem petunt Sacerdotes, perferri per manus sanctorum Angelorum in sublime altare Dei, in conspectu divinæ Majestatis, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii Dei corpus & sanguinem sumpserint, omni benedictione cœlesti & gratia repleantur. *Ex his autem verbis & eorundem interpretatione tria absurdissima sequuntur.* Primum *est, Altare esse corporale & externum in cœlo. Nam hostia & sacrificium corporale, quale Missaticum est Pontificiis, requirit etiam corporale & sensibile altare.* Secundum, *Christum Filium Dei, eius q. corpus per manus Angelorum nunc demum deferri in cœlum, & ante conspectum Patris sisti, qui tamen una oblata hostia, in sempiternum sedet ad dexteram Dei: Semel quoq; ingressus est per proprium sanguinem in Sacrarium, &c.* Hebr. 9. Tertium, *quòd petitur, ut jubeat Deus hoc sacrificium corporis & sanguinis Christi, deferri in cœlum: & tamen additur, Vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, &c. Ergo, quod defertur in cœlum, potest etiam consumi in terris.*

Respon-

Respondet ad primum & tertium Bellarmi-nus lib. 2. de Missa c. 24. inquiens; Non tam crassè hæc intelligenda sunt, ut existimemus in cœlo altare aliquod corporale, & sensibile erectum esse, atque ad illud reipsa, & corporaliter Sacramentum corporis Domini manibus Angelorum oportere deferri: altare tamen aliquod, spirituale videlicet, in cœlo esse, ut etiam Tabernaculum, Thronum, Incensum, Tubas, Coronas, Palmas, & alia id genus, nemo negare potest, qui Scripturas negare noluerit, &c. *Respondeo, si non tam crasse intelligi vult hæc verba Canonis, quòd contra ipsum facerent: cur igitur crassissimè intelligit verba Christi*, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus? *Si dicat, Hæc esse verba Testamenti: Respondeo, Illa esse verba Canonis, qui parem apud Pontificios cum verbis Testamenti authoritatem habet. Quod si igitur altare in cœlo spirituale est, & spiritualiter illuc Angeli nostras oblationes perferunt, certè à Sacramentis, tropi & figuratæ loquutiones non sunt etiam prorsus excludendæ.*

Secùdò dicit Iesuita, altare istud cœleste, vel Christũ ipsum significat, per quem ad Deum orationes, & oblationes nostræ ascendunt: vel certè altare dicitur esse in cœlo, quia in cœlo recipiuntur sacrificia, quæ Deo vero immolantur in terris. Deferri autem sacrificia nostra ad Deum per manus Angeli, nihil est aliud, nisi Angelorum intercessione iuuari, & commendari Deo nostro obsequium, & cultum, quem illi immolando exhibere desideramus. Neque dissimile est, quod legimus Tobiæ 12. & Apoc. 8. orationes nostras ab Angelis deferri ad Deum: neque enim Angeli voces, & verba nostra corporalia sursum deferunt, sed vota, & desideria nostra intercessione sua Deo commendant. *Respondeo, Si altare cœleste Christum significat, petit ergo Sacerdos, ut Christus in altari terrestri factus, Christo in cœlis ad dexteram Dei sedenti, per manus Angelorum præsentetur: & hac ratione alius erit Christus in terris, per manus Angelorum in cœlum deferendus: & alius in cœlo regnans, ad quem hæc oblatio est deferenda: Sicque Christus Christo est deferendus. Deinde, Si sacrificia nostra ad Deum per manus Angeli deferre, nihil est aliud, quàm Angelorum intercessione iuuari, & commendari: Sequitur inde Christi sacrificium non propter se, sed propter intercessionem & preces Angelorũ Deo gratum acceptumq; esse.*

Hæc igitur absurda esse, etiam inter ipsos Pontificios, qui oculatiores sunt, viderunt. Sed quia communi errore decepti ac fascinati omnes fuerunt, hæc mysteria esse, de quibus disputare, vel inquirere nefas sit, existimarunt. Et Innocentius lib. 5. de Missæ myst. c. 6. exclamat, tantæ profunditatis hæc verba esse, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare. *Libenter autem ab eo quærerem, quare in verbis ab homine inuentis, adeò profundum & inexplicabile mysterium esse debeat, cuius quæ ratio sit, & quid sibi velit, tam ardua apud omnes intelligendi difficultas, qualis ne in ipsis quidem Cœnæ Dominicæ verbis inest? Certè quale mysterium Christus in verbis & ritu, instituta, & ab Apostolis commendata sua Cœna sancire voluit, eiusmodi etiam hominum inuentis introduci in Ecclesiam nulla ratione debuit.*

In veteri autem Ecclesia hæc de precibus & gratiarum actione, figurata loquendi forma intelligebantur, postulabaturque, ut precibus suis impetrarent, grata ac rata haberi in cœlis apud Deum, quæ in terris ab Ecclesia ex Filij sui institutione peragebantur: quæ de vide plura supra fol. 237.

Verba undecimæ partis Canonis, de memoria eorum, qui in somno pacis dormiunt, & de omnibus ijs, qui in Christo requieſcunt, & ut locum refrigerij, lucis & pacis Deus eis indulgeat, non habentur in libris antiquis manuscriptis Romanæ Missæ, sed postea demum Canoni addita sunt ab ijs, qui preces pro defunctis instituerunt, non eo tamen sensu quo hodie accipiuntur: videlicet, sacrificium Missæ, seu theatricam illam corporis & sanguinis Christi oblationem, propitiatoriam esse pro peccatis defunctorum, eaque ex pœnis & flammis Purgatorij liberari posse: quod etiam verba Secretæ ostendunt in Missa pro omnibus defunctis: Propitiare quæsumus, Domine, animabus famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi HOSTIAS placationis offerimus: Et quia in hac luce, in fide mansérunt Catholica, in futura vita eis retributio condonetur æterna. *Et alterius Secretæ*: Annue nobis Domine, ut animabus famulorum, famularumque tuarum hæc profit oblatio, quam immolando totius Mundi tribuisti relaxari delicta. *Verba autem Canonis pro Babilienda hac doctrina & interpretatione nihil prorsus faciunt, ut supra l. 2. c. 7. prolixè indicauimus. Adhæc, ne una quidem syllaba in hac parte Canonis exstat, quæ tormentis & cruciatibus eorum accommodari possit, quos ex igne purgatorio se liberare Sacrificuli dicunt. Nam eos tantùm* Deo *commendant, qui se cum signo fidei præeſſerunt, iamq; dormiunt in somno pacis, quiq; in Christo quieſcunt. At dormire in somno Pacis & quieſcere in Christo, non significat in Purgatorio cruciari. Vel si, qui in Purgatorio sunt, dormiunt in somno pacis, & quieſcunt in Christo, cur dicunt Sacrificuli, ignes Purgatorij nõ multò tolerabiliores esse infernali igne?*

Vide dicta ante parin de gratiarum

De ima tertiæ partis depravatio.

Quis verborum tertiædecimæ partis Canonis in primitiva Ecclesia sensus fuerit supra fol. 239. exposuimus: Eis verò progresſu temporis longè diversum planeq; contrarium affinxerunt. Carnutensis enim huo post Berengarij damnationem, ea sic est interpretatus in lib. de Divinis Officiis: Per quem hæc omnia bona creas, id est, in aliam essentiam & efficientiam mutas, quàm eorum prima conditio habeat, & visus ostendat. Sanctificas & vivificas, id est, sanctitatis & vitæ Sacramenta efficis. *Quæ aliquo modo ferri possent, si per vitæ & sanctitatis Sacramenta, & in aliam essentiam mutationem, non intelligat luo realem successionem corporis & sanguinis Christi sub speciebus transsubstantiati panis & vini, quam non solùm author Canonis, sed etiam vetustiores Interpretes prorsus ignorarunt. Innocentius lib. 5. de Missæ mysteriis cap. 9. sic interpretatur:* Creas condendo naturam, & sanctificas consecrando materiam: vivificas transsubstantiando creaturam, & accumulando gratiam benedicis. *Et paulò post.* Vivificas, ut in carnem & sanguinem transeant: &c. *Postea verò Scholastici Alexander Alensis, Albertus M. Gabriel Biel, & alii Canonis Interpretes, mirandum in modum in horum verborum explicatione sudarunt. Intellexerunt enim, nisi ista verba,* Hæc omnia bona semper creas, *de ipsomet per transsubstantiationem facto corpore Christi intelligantur, neque etiam præcedentia illa;* Offerimus præclaræ Majestati tuæ, de donis & datis tuis, *de ejusdem vera & reali oblatione exponi posse. Tripliciter igitur in explicatione verborum istorum variarunt atque errarunt. Putarunt enim in verbis istis,* Hæc omnia bona, *per Pronomen* HAEC, *vel panis & vini substantiam, quatenus hæc quidem jam antea Sacramenti materia fuit, nunc verò per transsubstantiationem esse desiit: vel etiam ipsum sub speciebus transsubstantiatum corpus & sanguinem Christi: vel denique mysticum Ecclesiæ Christi corpus demonstrari. Vnde etiam pro diversitate rerum hoc Pronomine demonstratarum, non similiter sequentia illa verba,* Creas, benedicis & præstas nobis, *interpretantur. Nam Gabriel Biel Lect. 60.* Creas, *inquit,* scilicet condendo naturam panis & vini: Sanctificas, consecrando materiam: vivificas, transsubstantiando creaturam in vivam Christi carnem. Et juxta hunc intelligendi modum, quæ per Pronomen, HAEC, demonstrantur, nunc non sunt, sed fuerunt præsentia. Vel aliter, & secundò, de ipsomet corpore & sanguine Christi, Creas, scilicet ipsa in sacramentum adducendo: Sanctificas, sacris velamentis obtegendo: Vivificas, increatæ vitæ uniendo: Benedicis, spiritualibus donis & beneficiis implendo. Et præstas nobis, misericorditer largiendo. *Hæc ille. Ista verò* DONA *seu* BONA, *ex relatione ad præcedentia Canonis verba demonstrata intelligi omnino oportet, alia per naturæ veritatem ex donis & datis Dei sunt, & per sequentia verba esse declarantur, ut semper nimirum adhuc creata. Non igitur species tantùm & accidentia rerum, quæ antè fuerunt, quia non sunt illa de donis & datis Dei, quæ in hostiam puram & immaculatam offeruntur: multoq; minùs ipsum verùm corpus & sanguis Christi (quæ nec creantur denuò, nec sanctificantur) per ea demonstrata intelligi possunt: nisi quis, juxta communem Orthodoxorum loquendi morem, Dominicum corpus, pro ipso corporis Christi Sacramento & mysterio intelligat: quo sensu à Cypriano, in Sermone, qui ei adscribitur, de Cœna, etiam usurpatum fuit.*

ERROR

Qui committitur circa fractionem hostiæ.

Diversitas Vocum & Pontificarum fictitiarum circa

QVòd frangunt hostiam Sacrificuli in Missa, longè alio consilio id fit ab ipsis, quàm factum fuerit in prima institutione Cœnæ à Christo. Hic enim fractionem adhibuit, partim distributionis causa, partim verò ad significandum crucifixionem, passionem & mortem acerbissimam, quæ instabat. Nam, sicut in sententiis Prosperi legitur, dum frangitur hostia, dum sanguis è calice in ora fidelium funditur, nihil aliud, quàm Dominici corporis in cruce oblatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur. *Isti verò frangunt in Missa panem, non distributionis gratia, nec ad designandum dolores, quos in cruce passus est Christus, sed divisionis Christi & Ecclesiæ causa. Nam, ut Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 15. ex Chrysostomi homil. 24. in 1. Corinth. citat, atque etiam probat,* Christus in altari confractionem patitur, quam in cruce pati noluit. *Hoc verò sine blasphemia & impietate dici non potest. Confractio enim Christi ejus passionem, divisionem & mortem præsupponit.* Christus autem non dividitur, nec ei mors illi amplius dominatur: *Rom. 6. Vnde etiam Thomas de Aquino hanc sententiam obliquè redarguit part. 3. quæst. 83. art. 5. ubi dicit:* fractionem hostiæ significare tantùm divisionem, confractionem Christi, quæ facta sit in cruce. *Deinde, fractionem, qua Ecclesia distinguatur, Christus non instituit sua fractione: alioquin fregisset in tres partes: fregisse autem panem pro numero discipulorum discumbentium, illud tetigit.* Dedit discipulis suis, dicens, Edite, &c. *quæ verba etiam in Canone recitantur, & illam distinctionem mystici corporis prorsus evertunt.*

1. Cor. 3.

ERROR

ERROR

Circa Immissionem Panis in calicem.

CEremonia hæc neq; à Christo, neq; ab Apostolis, sed ab aliis post Apostolorum tempora introducta est, in hunc finem, ut tincta particula ejusq; manducatio symbolum esset proditionis Iudæ. Sic enim Thomas part. 3. quæst. 83. art. 5. Notandum est, *inquit*, quòd pars in calicem missa, non debet populo dari in supplementum communionis: quia panem intinctum non porrexit Christus nisi Iudæ proditori. *Si verò hostia in calicem missa non debet ob dictam causam populo dari, cur eandem non etiam respuunt Sacrificuli, ne pro Christi proditoribus habeantur?*

ERROR

Orationis quâ utitur Sacerdos in commixtione corporis & sanguinis Dominici.

ORATIO hæc, Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam, *neque exemplum neque mandatum habet in Verbo Dei, sed ex diametro pugnat cum eo. Nam primò, Christus unus & indivisus est: ergo non potest commisceri. Consequentia est necessaria: negat igitur Bellarminus antecedens libro secundo de Missa, capite vigesimo septimo.* Non, *inquit*, intelligunt Catholici corpus & sanguinem in propria specie commisceri. Id enim fieri non posse sciunt, nisi Christus iterum vulneretur, sed in specie panis & vini. Quemadmodum enim ratione specierum dicitur videri, tangi & frangi, ita etiam ratione earundem dici potest commisceri. *Respondeo, Si hæc commixtio non fit in propria specie, sed tantùm in speciebus panis & vini, non rectè orat Sacerdos*, ut fiat accipientibus in vitam æternam: *nam hoc non tribuunt Pontificii speciebus panis & vini, sed reali corpori & sanguini Christi. Ergo secundùm Pontificios hæc commixtio non est tantùm ratione specierum. Christus enim est sub qualibet specie totus. Igitur post hanc commixtionem, vel in ipsa commixtione vel sunt duo tota, vel non. Si in calice duo sunt tota, ergo sunt ibi duo corpora Christi: duæ animæ, & duæ hypostases divinæ: quum in utraque specie sit totus Christus. Sin minùs, & in calice unum tantùm est corpus, una anima & una Divinitas, ergo Christus in specie aliena commiscetur.*

Secundò, *etiam illud absurdum est, quòd orat Sacerdos*, ut cum ista commixtione fiat consecratio, *quum jam antea per verba Domini facta sit consecratio. Quæ ratio absque dubio movit Amalarium lib. 3. cap. 31. Et Innocentium lib. 6. cap. 2. de Missæ myst. ut verbum istud.* Consecratio, *huic orationi non inserierint, sed solùm habeant*, fiat commixtio corporis, &c. *Bellarminus autem respondet*, non habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur: non enim petimus, ut nunc fiat consecratio, sed ut consecratio antea facta, sit nobis ad vitam æternam salutaris. *Respondeo, quum commixtio & consecratio in hac oratione conjungantur, & cõmixtio nunc demum fiat, etiam per consecrationem, non quæ jam pridem facta sit, sed quæ iam demum fiat: intelligendam esse. Deinde non opus est, denùo oretur, ut consecratio antè facta, sit ad vitam æternam salutaris: Nam orationes Canonis jam absolutæ sunt, in quibus salutaris usus Eucharistiæ petebatur. Hoc animadvertens Iesuita*, Potest, *inquit*, fortasse commodè responderi, agi hoc loco de nova quadam consecratione, quæ ex commixtione nunc primùm exurgit. Nam in Liturgia Iacobi, ubi fit ceremonia commixtionis, leguntur hæc verba: Vnitum est, & sanctificatum. *Respondeo, Si nova hæc est consecratio, his ergo corpus & sanguis Christi consecratur. Hoc verò non concedit Iesuita libro secundo de Missa ca. 22. Dicit enim ibi:* Non oramus pro Eucharistia consecrata, sed pro pane & vino consecrando: neque petimus ut Deus benedicat & sanctificet corpus & sanguinem Christi, sed ut sanctificet & benedicat panem & vinum, ut per eam benedictionem & sanctificationem fiat corpus & sanguis Christi. *Quod Liturgiam Iacobi attinet, ipsemet Iesuita fatetur in disputatione Græcos, multa post mortem Apostolorum ei fuisse addita.*

Nova impugnatio consecrationis mysterium.

Porrò Bellarminus in hac nova consecratione magnum ostendit mysterium. Hæc, *inquit* consecratio nihil aliud est: nisi nova quædam significatio Sacramentalis: ut enim consecrari dicitur quod acquirit Sacramentalem significationem; ita etiam dicitur iterum consecrari, quod acquirit aliam significationem Sacramentalem. Significatur autem per illam commixtionem, resurrectio Domini, ut Amalarius libro tertio cap. 31. & omnes alij scribunt: nam in resurrectione iterum carò Domini cum sanguine suo coniuncta fuit. Itaque in illa commixtione, nova fit consecratio, dum species illæ, quæ divisæ, Christi mortem repræsentabant, nunc inter se coniunctæ,

III. Missam ex opere Operato, aliquam peccatorum partem tollere posse.

Opus operatum quid.

TErtiò, *Scholastici docere cæperunt in hac Classe*, Missam ex opere operato conferre gratiam & peccata tollere posse. *Intelligunt autem per* opus operatum, *ipsam externam actionem vel ceremoniam Missæ: ut sit sententia eorum, Virtutem Missæ in ipso opere, quo Missa vel celebratur, vel suscipitur, consistere: ita ut Missa dicatur conferre gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exercet, vel is, qui celebrat, vel qui suscipit, etiamsi fide & bono motu cordis careat.*

Pontificiorum aliqui negant se docere opus operatum.

Negat autem Hardingus contra Iuellum artic. 20. hanc Pontificiorum doctrinam de Opere operato esse. Re quidem, *inquit*, vera, dogma in hoc articulo proditum, & falsum est, & de Christi Servatoris gloria multùm detrahit. Sic enim dignitas sacrificij Christi, quo semel pro peccatis omnium satisfecit, ad Sacerdotis opus transferetur, quod & summi sceleris esset, & detestandæ blasphemiæ: Itaque non exigemus ab Iuello, vt cedat hac in causa, atque isti articulo subscribat. Fatemur enim hanc nunquam pro sana doctrina habitam esse intra sexcentos à Christi ascensione annos, nec ita habitum unquam iri, intra sex mille ab eadem annos à quoquam sanæ fidei. Neque sanè fuit illa unquam in Ecclesia catholica tradita, utcunque nostris adversarijs Doctores scholasticos eiusdem falsò & malèdicè accusare libeat. Christus enim solus nec quisquam præterea peccata nostra tollere potest: quod etiam fecit per sacrificium corporis sui, semel in cruce immolati. Cuius sacrificij semel in cruce, cum sanguinis effusione peracti, hoc increuentum Altaris sacrificium, quod est quotidianum Ecclesiæ sacrificium, vulgò autem Missa appellatur, exemplar est & commemoratio, in quo illud ipsum corpus habemus, quod in cruce pependit. Neque verò exemplar duntaxat & commemoratio est, sed idem ipsum sacrificium est, quod in cruce oblatum fuit: exemplar & commemoratio respectu ipsius modi, quia sine sanguinis effusione fit: idem ipsum, quandoquidem id, quod offertur, hoc ipsum est, quod in cruce oblatum fuerat: quandoquidem etiam ipsi à nobis nihil habemus Deo iucundum quod offeramus, hoc Filij sui corpus tanquam gratissimum Sacrificium offerimus, rogantes illum, ut non nostram dignitatem, nostram actionem, nostrum opus respiciat, sed faciem Christi sui dilectissimi Filij intueatur, propterque illum nostri misereatur. Hoc autem respectu, minimè dubitamus, quin hoc sacrosanctum Missæ sacrificium valeat, efficaxque sit ex opere operato, non quemadmodum Iuellus interpretatur, quia Missa dicitur; & fit, in quo Opus operatum ad ipsam Sacerdotis actionem refert: minimè sic: sed propter ipsum opus, quod Deus ipse operatur, per Sacerdotis ministerium; nullo ad eius meritum atque opus habito respectu, quod est corpus & sanguis Christi, cuius fractio atque effusio in hoc mystico sacrificio, quoufque homini sanctus Spiritus expedire iudicavit, repræsentatur, ostenditur, memoriæque mandatur. Quod corpus atque sanguis; quando, juxta eius mandatum Deo offertur, non nostri operis ratione; sed propter se, propterque sacram unigeniti Filij sui institutionem, gratissimum illi est sacrificium; pro viuis simul & mortuis, si nullum is, qui sumit, obicem posuerit. *Negat hoc quoque Bellarminus lib. 2. de Sacramentorum effectu c. 1.*

Scholastici aliqui fatentur se docere opus operatum.

Apertissimè autem affirmant Scholastici, aliique Pontificij Doctores. Gabriel Biel, Lect. 27. in Canonem, Ex opere, *inquit*, operato: id est, ex ipsa consecratione, & oblatione, & sumptione venerabilis Eucharistiæ. *Hæc absque dubio à Scoto mutuatus est: nam ii Quodlib. art. secundo*, Opus operatum esse dicit consecrationem, oblationem & perceptionem Sacramenti. *In Manipulo Curatorum, qui liber superiori seculo, omnibus Ecclesiarum Rectoribus admodum necessarius visus est esse, ut qui universam Ecclesiæ Dei ad salutem necessariam doctrinam complecteretur, sic scribitur*: Opus operatum est actus exercitatus circa Sacramentum: sicut opus operatum in Baptismo, est insperfio vel immersio aquæ, & prolatio verborum. *Hanc ob causam etiam, Cardinalis Caietanus Augustæ Vindelicorum, cùm Lutherum urgeret, ut de hoc articulo Palinodiam caneret, sic dixit*: Fides non est necessaria accessuro ad Eucharistiam: *ut legitur in Vrspergen. Paralip. sub anno* 1518. *folio* 471. *Sensit igitur Caietanus, ipsum Sacramentum ex eo duntaxat, quòd procuraretur, seu celebraretur, satis esse, licèt is qui sumit omni prorsus fide careat. Vnde Tridentinum quoque Concilium ad hunc modum sancivit*: Si quis dixerit, per Sacramenta novæ Legis non conferri gratiam ex opere operato, sed fidem solam divinæ promissionis sufficere ad gratiam consequendam, anathema sit. *His concedit quidem Concilium, fidem aliquid facere ad consequendam gratiam, verùm non solam: sed ipsam quo-*

quoque externam Sacramentorum actionem. Similiter Biel in Canonem: Hoc sacrificium in illis, pro quibus offertur, non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia. Neque verò hoc Augustini verbis repugnat: Quis offeret corpus Christi, nisi pro ijs duntaxat, qui sunt membra Christi? Sic enim statuimus, oblationem fieri pro membris Christi, quando pro illis fit, qui esse membra Christi possunt. *Inde verò Cardinalis Caietanus, licèt in publico Colloquio contra Lutherum, atque in contrariam sententiam egisset, tamen errorem in eo sui temporis agnouit generalem. Sic enim scribit in Quodlib. de usu Spiritualium quæst. tertia.* Vnde in hoc videtur communis multorum error, quòd putant hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum, vel certam satisfactionem, quæ applicatur huic vel illi.

Hæc fuit superiori seculo, non tantùm vulgi, sed etiam Scholasticorum quorundam, de Opere operato à se excogitato, sententia, quam hodie Bellarminus cum sociis præ pudore, novo quodam & peregrino fuco illinere conantur. Sic Augustinus de Ciuitate Dei, libro vigesimo primo, capite decimo nono, nonnullos exilitisse scribit, qui non solùm ipsi crederent, sed etiam populum docerent, si quis Baptismum semel percepisset, & communionem sumpsisset, etiamsi postea scelerate viueret, & hæreses, falsaque dogmata vel spargeret ipse, vel ab alijs sparsa defenderet, eum tamen damnari non posse, quandoquidem baptizatus esset, & Eucharistiam sumpsisset. Id verò hodie Opus operatum nominant. Chrysostomus etiam docet Homil. vigesima ad populum Antiochenum, & Homil. 43. in 1. Corinth. suo tempore mulieres & puellos pro magna custodia ad collum suspendisse Evangelia: arbitrantes, ipsum Evangelium per se, eos ab omni periculo defendere posse, non quòd illi crederent, sed quòd ad collum, tanquam amuletum, suspenderent. Hoc etiam opus operatum dicitur. Similiter apud Veteres, vt ex Hieronymo in Matth. libro 4. c. 23. & Concilij Carthag. 3. Canone 6. intelligitur, nonnulli ex mera superstitione demortuis communionem præbuerunt, & Eucharistiam in os illorum ingesserunt, vt suprà multis à nobis demonstratum est: ipsum duntaxat externam ceremoniam, fide, interioque pietatis sensu carentem, nonnihil ei profuturam existimantes. Atque hoc itidem Opus operatum *hodie appellatur. Imò ipso adeò Paulo superstite, quidam consimili superstitione inducti mortuos baptizare cæperunt: quæ prava consuetudo longo tempore duravit, vt ex Ca. 6. Carthaginen. Concilij intelligitur. Arbitrabantur enim ipsam Baptismi externam actionem, & ex eo solummodò quòd adhiberetur, sine vlla mentis instinctu, ad peccatorum conciliandam remissionem, sufficientem esse. Hunc antiquum errorem Scholastici Doctores proximè elapsis seculis renouarunt, & eorum successores Catholicum fecerunt: populoque persuaserunt, Missam ex Opere operato per se tantummodò, quia celebratur, ad peccatorum promerendam veniam permultum valere.*

Hanc autem doctrinam, quæ non ita pridem in Scholis & Ecclesijs Pontificijs altissimas radices egit, in primitiua Ecclesia pro Orthodoxa non fuisse habitam ex Origene intelligitur, qui in 15. cap. Matthæi ad hunc modum scribit: Quod sanctificatur per Verbum Dei, & per obsecrationem, NON suapte natura sanctificat vtentem. Nam id si esset, sanctificaret etiam illum, qui comedit indignè Domino. *Idem in Matth. tract. 25.* Assiduitas, *inquit*, communicationis, & alia similia, non ipsæ sunt iustitiæ, sed condituræ habentur iustitiarum. Res autem spirituales, quæ ex seipsis iustitiæ sunt, dicuntur iudicium, misericordia & fides. *In eadem sententiam Hieronymus quoque in 1. Corinth.* 10. Ne quis, *ait*, confidat in eo solo, quòd baptizatus est: aut in esca spirituali, vel potu putet Deum sibi parcere, si peccauerit. *Et Augustinus in Ioannem tract.* 80. Non, *ait*, mundi estis propter Baptisma, quo loti estis: sed propter verbum, quod loquutus sum vobis. *Rursus tract.* 10. Felix venter qui te portauit. Et ille: imò felices, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Hoc est dicere, & mater mea, quam appellastis felicem, inde felix, quia Verbum Dei custodiuit. *Et de Sancta Virginitate*, Materna, *inquit*, propinquitas nihil matri profuisset, nisi felicius Christum in corde, quàm in carne gestasset.

Doctrina de opere operato non fundata in Verbo Dei.

IV. Eucharistiam etiam extra vsum Diuinitus institutum, rationem Sacramenti habere.

DE *hoc c. 3. Tridentini Concilij sic habet:* Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem. Verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur. At in Eucharistia ipsa, sanctitatis author ante vsum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè

verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbeat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima & Diuinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, Diuinitatem porrò, propter admirabilem illam, eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub altera specie, atque sub vtraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.

Quibus huiusmodi Canonem addiderunt Patres istius Concilij: Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantùm in vsu dum sumitur: non autem antè vel pòst & in hostijs seu particulis consecratis, quæ post communicationem reseruantur vel supersunt, non remanere corpus verum Domini, anathema sit.

CAPVT XII.

Signa & Miracula falsa & mendacia, pro confirmanda Missa & Transsubstantiatione Pontificia.

Vide P. Martyrem in Tract. de Cœna Dom. per 11. cap. 1. Cor. fol. 206.

VT autem plebem simplicem in his erroribus, quos hactenus enumerauimus, facilius detinerent, magisque confirmarent, multa ac varia instituerunt miracula. Exstat apud Nauclerum insigne Pontificiorum figmentum, pro Missæ & Cœlibatus patrocinio, de Henr. Imp. cui, cum pro more nocturnis horis precandi gratia, Templum D. Mariæ sacrum Romæ ingressus fuisset, visus sit Christus Pontificalibus indutus procedere, Missam celebraturus: quem sequebatur S. Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius. Post hos, virgo Dei genitrix, cum multitudine virginum & Angelorum: dehinc Iohannes Baptista, cum Patriarchis & Prophetis: post hos, Petrus & Iohannes: cum cæteris Apostolis & Euangelistis: S. Stephanus cum Martyribus: S. Martinus, cum Confessoribus. Angeli incœperunt Introitum, Suscepimus Deus misericordiam, & dum cantaretur, Dextera tua plena est iustitia: omnes Christum & beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Post Euangelium, inedicibili inbilo Angelus librum deosculatum à Christo præsentauit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet, & cum præ nimio gaudio raptus, nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in nerno tangens, dicens: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei, propter tuam castitatem & iustitiam, & exinde vsque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus est Henricus Claudus. Generat. 34. author verò Bambergensis historiæ, se apud obscuros scriptores hoc reperisse testatur. Præterea de Henrici luxata coxa, alia probatorum authorum sententia est, vt ex Crantzio lib. 4. ca. 32. Saxoni apparet. Vide etiam librum nostrum de Origine Monachatus.

Anno Domini 1199. *Rhetiæ Augustæ, cùm quædam mulier communicare debuisset, corpus Dominicum in ore reseruauit, quod postea ceræ circumdedit, & apud se domi retinuit, nescio quid tentatura. Postea pœnitentia ducta, ad quendam Presbyterum religiosum accessit, & ei peccatum suum indicauit, qui nullam ei pœnitentiam iniungere voluit, quin priùs corpus Domini redderet. Abijt illa & hostiam vt erat in cera Presbytero dedit. Qui assumptis secum multis alijs fidelibus honorificè illud recepit, & aperiens ceram, inuenit panem mysticum in veram carnis & sanguinis mutatam esse substantiam. Fragmentum historiæ Germaniæ parte secunda, ab Vrstisio editum.*

Ciuis Lucensis nobilis, ad Iohannem Cœnobij Cassinensis Decanum misit Legatos, oratum, vt pro vxore sua iam triduum voce & mente destituta intercederet dignaretur. Tum ille sacris indutus vestibus, salutarem pro illa hostiam Domino litaturus, accessit altare. Cumque ad eum Canonis locum peruenisset, vbi viuorum solent recenseri nomina, ac cum multa deuotione specialiter & nominatim Domino decumbentem mulierem commendaret; illa domi suæ vocem Sacerdotis suum nomen exprimentis audiuit, eique lectulo (vt videbatur) astanti, graui quasi excita somno respondit. Obstupefacti qui aderant, solicitè quidnam diceret, vel cui responderet, inquirere cœperunt? illa vero ait: Nunquid venerabilem Iohannem hic non videtis? nec vocem eius me inclamantis percipitis? Et compertum est, quòd eâdem horâ pro ea celebrasset Missam. Chron. Cas. libro 2. capite 94.

Cùm Armeniorum Episcoporum eorumque Metropolitani, Legati sacro altari, Eugenio Romano Pontifice Missam celebrante Viterbij, astarent intenti, unus ex eis, Pontificali digni-

tate

tate præditus, sicut postmodum in plena Curia retulit, in B. Martini octaua, quando dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari solet, splendido fulgore radium solis super caput Pontificis coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transunderetur, inueniret, Deificum hoc esse cognoscens, & ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At Romanus Pontifex non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat, vt videlicet Ecclesia à qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem, veritatis luce perfusam, cognosceret, & deinceps quali ea reuerentia ac forma tractare deberet, addisceret. Otto Frisingensis lib. 7. c. 32.

Anno 1200. apud Roseum in Brya, in Missa vinum in sanguinem, panis in carnem transmutatus dicitur, Erphurd. c. 92.

In Carinthia in castro Stein panem azymum in manu Wolberti cuiusdam Sacerdotis in sanguinolentam carnem transmutatum, anno 1228. Chronicon Martini nugatur.

Vbi sacrificulus in Missa hostiam, ut vocant, eleuauit, sæpe Maria de Oegnies, speciosum puerum in manibus eius vidit, Angelosque non paucos cum luminaribus. Si quando uteretur digne, ipsum Dominum animam eius occupare vidit, eamque mirabili claritate illustrare: sin indigne, Dominum recedere conspexit, anima relicta obscura, & caliginosa. Fides sit penes authores. Vincent. lib. 30. c. 37. ex Iacobo de Vitriaco.

Sacrificulus quispiam Missam celebrabat pro Maria de Oegnies, quæ præsens aderat. Missa finita, adiens illa Sacrificulum, dixit: Missa illa mea fuit, hodie enim Filium pro me Patri obtulisti. Ille cum miraretur, unde hoc sciret, siquidem nemini hominum, præterquam ipsi soli, hoc constabat: respondit Maria, Se vidisse pulcherrimam columbam ipsius capiti insidentem, quæ alas ad se extenderat. Hinc se scire, Missam pro se factam esse. Quoties Sacrificuli Missas digne celebrarent, Angelos vidit eadem mulier sedulò cooperantes, Sacrificulos benigno vultu intuentes, & deuotè venerantes, vt Vincentius l. 30. c. 32. somniat.

F. Bertrandus Dominicanus, & Prouinciæ Prouincialis Prior, solebat ferè quotidie Missam pro peccatis celebrare. Scisciante autem ex eo F. Benedicto, cur rarò pro defunctis, sæpissimè pro peccatis sacrificaret, ille respondit: Vita defuncti, de sua salute certi sunt: nos in periculis fluctuamus. Ait illi F. Benedictus: Si sint duo mendici, alter sanis membris, alter ijs carens: utri potissimum opitulaberis? Respondit: illi sane, qui se minus iuuare potest. Tum Benedictus: Nimirum, inquit, ij sunt defuncti, quibus nec os est ad confitendum, nec manus ad operandum: sed nostram opem postulant. Viui autem peccatores & os & manus habent, & possunt ijs sibi consulere. Sed cum à sententia sua non deduceretur Bertrandus, sequenti nocte quidam terribilis defunctus ei apparuit, & fasce lignorum mirè eum compressit, atque decies & eo amplius illa nocte eum excitans perterruit & vexauit. Prodeunte igitur aurora F. Benedictum ad se vocat, narrat totius noctis historiam: inde religiosè & lachrymabundus ad aram accedens, pro defunctis sacrificium obtulit, idemque deinceps sæpius fecit.

Narrat etiam Iacobus de Vitriaco c. 54. propter miracula quæ anno Domini 1213. circa Eucharistiam facta sint, à procumbentibus deinceps honoratam & adoratam parataſque ei adiculas esse.

Commemorant etiam plurima miracula de Sacramento lanceolis perfosso, indeque emisso sanguine, & similia, quibus Lectori molestus esse nolo. Legat, qui eiusmodi fabulis ac nugis delectatur, Guilielmum à Gent Neomagum: is enim edidit librum Miraculorum in S. Eucharistia & corporis Dominici Hostia editorum.

Miracula vel fassunt pro transubstantiatione.

Non autem sequitur, in Missa multa sunt miracula facta, ergo Transsubstantiationis dogma est verum, &c. Ea enim miracula omnia vel ab hominibus superstitiosis conficta, vel sunt falsa, & ad decipiendos simplices edita. Sic Henricus Tocken, Archiepiscopi Magdeburgensis ad Concilium Basiliense Legatus, Episcopum diligenter monuit, sanguini Christi Wessynaci adimere reuerentiam. Ei cum Episcopus parere vellet, Marchio Brandenburgensis, & Episcopus Hauelburgensis, impetrata à Pontifice Romano Bulla confirmationis, hostiam aliam consecratam supposuerunt.

Ita quoque Bruxellenses Canonici in Brabantia, miraculosum suum Sacramentum ex eburnea hostia, rubro minio, cocco, aut alio colore formata à pictore, qui moriturus scelus magna cum pœnitentia deplorauit, addita alia hostia consecrata confinxerunt.

Similem impostūram Fridericus Comes Palatinus Elector, cum Religionem Christianam in ditione sua restitueret, deprehendit.

Memorabilem etiam fraudem admiserunt cum Hostia, Bernæ Heluetiorum quatuor Dominicani Monachi anno Domini 1506. qua opinionem suam de D. Virginis conceptione stabilire conati sunt. Post varias enim apparitiones, simplici Laico Ordinis sui persuaserunt sub persona Barbaræ, & D. Virginis, schedulam in Ciborio inuentam iri sanguine Christi signatam, quam accensis, vt mentiebantur, ultrò candelis omnibus in summum altare retulerunt. Alio quodam tempore Maria Laico apparebat,

vebat, quæ filius inſiſſet recitans: nempe, Iulium Papam ſanctum illum virum eſſe, qui duos Ordines inter ſe conciliare, & feſtum polluta conceptionis Mariæ inſtituere deberet. Se enim Papæ illi crucem quatuor guttis ſanguinis Filij ſui ſignatam, miſſuram, in teſtimonium, quòd in peccato Originali concepta ſit: aliam crucem quinque guttis ſanguinis ſignatam in Ciborio reperiendam, & ſimilia. Hæc eadem Maria quoque in fidem horum, clavum ferreum adegit per manum Fratris dicens: Hoc vulnus, die quo Filius meus crucifixus eſt, & in feſto corporis Filii mei, renovabitur. Deinde encauſticam aquam, magicis artibus paravit, qua ſenſum illis adimentes, alia vulnera quatuor illi impreſſerunt: cumque ſenſum recepiſſet, dicebant circa ipſum neſcio quid ſancti apparuiſſe. Multis autem ex tota urbe ad eum confluentibus, inſtruebant ipſum quo pacto ſe gerere deberet. Frater autem agnita voce apparentium ſibi, omnia cæpit ſuſpecta habere; & arrepto cultro, perſonatos illos ſpiritus, vulneris inflictione fugavit. Ne igitur ignominia Ordo afficeretur, ſi Frater hæc manifeſtaret, cibis venenò infectis ei inſidiabantur, & ut hoſtiam venenò tinctam deglutiret adigebant, variisque modis excarnificabant, adeo ut auffugeret, & rem omnem populo detegeret. Monachi igitur cum Fratre tormentis ſubjecti, rem omnem detexerunt; & ob has fraudes ac ſcelera cremati ſunt. Ex quâ hiſtoria manifeſtiſſimè liquet, multa miraculâ frande, doliſ ac impoſturis Monachorum olim edita fuiſſe.

Vide de hujuſmodi miraculo Tract. de Cœna Martyris ſup. 11. cap. 1. Cor. ex Vita Gregorij M. fol. 109. Edit. in 8. Tigur.

Vel denique miracula illa verè eduntur, ſed ope & auxilio Diaboli: qualia à Pharaonis Magis multa edita fuiſſe legimus: Antichriſtum quoq́, alios q́, falſos Prophetas multa miracula edituros Chriſtus & Paulus prædixerunt, Matth. 24. & 2. Theſſ. 2. cap. Apud Irenæum lib. 1. legimus de quodam Marco impoſtore & hæretico, quòd in hoc ipſo Euchariſtiæ Sacramento mirificè illuſerit ſimplicibus. Nam vinî colorem immutabat, ut prorſus appareret cruor, & parùm vini ſic excreſcebat ejus præſtigiis, ut totum poculum impleretur, ac redundaret. Cumq́, afferretur denuò calix amplior & capacior, is quoque ſine adjectione liquoris, ad ſummum uſque implebatur. At inquies, Diabolum hæc non poſſe facere, niſi Deus voluerit, eiq́, conceſſerit. Fateor: Quare autem Deus interdum hoc velit, duæ cauſæ in Scriptura aſſeruntur. Earum altera in Deuteron. habetur, nempe, ut nos tentet Deus, evidenterque appareat, quanti Verbum ejus faciamus, & an ob hujuſmodi præſtigias ab ipſo deficere velimus: Altera eſt, ut hoc pacto incredulos puniat, Vnde Paulus ad Theſſ. quoque, Quia, inquit, dilectionem veritatis non receperunt, ideo præſtigiis & diabolicis miraculis tradunturilludendi.

Denique ſi abſque Scriptura, & contra Scripturam, ex ſolis Miraculis ac prodigiis de Miſſa Pontificia, Tranſſubſtantiatione, aliiſque erroribus ſtatuendum eſſet, jam dudum viciſſet Ethnica Religio, in qua apud Imagines, & toto reliquo cultu, ſimilia, aut multò majora etiam miracula acciderunt, ſicut Ethnici authores ea magno numero proferunt: de quâ vide Librum noſtrum de Origine Templorum, &c.

CAPVT XIII.

Tranſſubſtantiationis & Miſſæ Pontificiæ Doctrinam, ne in hac quidem ultima Claſſe, ab omnibus approbatam & receptam fuiſſe.

ETſi vera ac ſana doctrina de Cœna Domini in hac ultima Claſſe, horribiliter, ut indicatum eſt, à Scholaſticis Theologis obſcurata, ac tantùm non extincta ſit, ſcintillæ tamen quædam de ea reliquæ in multorum animis manſerunt; at vel non tam craſſe de Tranſſubſtantiatione; ſicut alii, docerent; vel eam prorſus recipere & approbare nollent.

Bonavent. ur.

Ad primum genus non immeritò referendus eſt Bonaventura, qui claruit circa annos Chriſti 1280. Is Sacramenti eſſentialem rationem in ſignificando conſiſtere apertiſſimè docet, in libro quarto Sent. diſtinct. 1. q. 2. & diſtinct. 11. q. 13. Dicit enim Sacramentum eſſe corporale, vel materiale elementum, ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignans, quod offerendo ſe ſenſibus; facit aliud in cognitionem venire. Non eſſe purum elementum corporale, ſed cum hoc ſignificare aliquid ſpirituale, quod uniatur; ſecundùm intentionem inſtituentis: Hanc autem unionem non eſſe aliam, quàm ſigni, & rei ſignatæ: ideoque hinc ſequi, quòd vera Sacramenti ratio ſit ſignificatio. Porrò hanc aliter conſiderari, ex ipſo inſtitutionis fine, ſecundùm quem ſemper vera ſit ſignificatio, aliter ex uſu docet. Nam etſi tunc quoque ex parte ſua, ſive dantis, per ſe vera ſit: tamen ex parte ſuſcipientis, fieri poſſe, ut quando falſus vel fictus eſt, qui accedit, ipſi non verè & effectualiter ſignificet hoc: ad quod eſt inſtitutum. Inde verò Sacramentum non efficit falſum.

Idem docet quia res ſignificata uniuntur ſigno, ſecundùm intentionem inſtituentis: inde non eſſe conſequens, ut ubi præſens eſt ſignum, ibi & ejuſdem loci præſentia adſit res ſignata. Quoniam, *inquit*, ſignorum intentio ex mente

institutentis, non ponit aut requirit rem signatam: nisi animæ esse præsentem. Ideoque visibilis & exterior Sacramenti species, & interna res, seu virtus, non concurrunt, & conjunguntur, ut constituant unum per naturam, sed unum sacramentum, quod est mysticè & relativè, *inquit*, per ordinem & respectum signi ad rem signatam, qui ex efficaci voluntate Dei, in Verbo, causam habet, & in ijs fit, qui hunc recto fine & usu, in fide observant & amplectuntur. Sacramentorum enim res, seu dona per Verbum promissionis, quod ijs est additum offeruntur, sub conditione fidei & ritus, secundùm mentem institutentis legitimè servati.

Rectè etiam fatetur Bonaventura lib. 3. distin. 11. art. 2. q. 1. 2. 3. Et si Christus caput nostrum, à membris suis perpetuò sit indivisus, inde tamen non sequi, nullam esse corporis & membrorum localem distantiam, ipsorúmque inter se corporum separationem.

Rectiùs etiam quàm omnes alii Scholastici, docet lib. 4. distinct. 1. q. 3. 4. 5. Nullam esse in sacramentis causæ efficientis, vel dispositis ad gratiam rationem, quæ sit tanquam virtus vel qualitas eorum absoluta: sed gratiam sacramentis ex ordinatione & divina pactione adesse, sub modo & conditione legitimi usus. Atque inde, quod habent efficacem ordinationem Dei ad gratiam, illius respectu posse dici quod habeant in se quandam virtutem, non tamen ut qualitatem nativam, vel essentiam aliquam ipsi Sacramento cohærentem vel communicatam. *Ac licèt hæc eius sententia cum Veterum doctrina de Sacramentis consentiens, à Bonaventura non per omnia rectè explicetur: propter communem ejus temporis de opere operato errorem, & malè persuasum inter Veteris & Novi Testamenti Sacramenta discrimen: non malè tamen exempla quæ adducit, congruunt. Inter alia hoc etiam affert:* Quemadmodum, *inquiens*, diploma vel literæ Regis, sigillo ipsius signatæ, magnæ dicuntur esse virtutis & efficaciæ, in faciendis & præstandis, quæ iis continentur, quamvis propria quædam, seu absoluta virtus in iis nulla sit, sed sola ordinatio per assistentiam regiæ potestatis: *Sic etiam fieri docet in Sacramentis*, in quibus relatio fundatur in institutione & ordinatione Dei, nullo modo iis adveniente nova aliqua proprietate, sicut quando nummus fit arrha, cui per hoc nihil de novo accedit. *Virtus igitur quam Sacramenta habere dicuntur in conferenda gratia, nil aliud est Bonaventuræ, quàm efficax quædam ordinatio ad gratiam, ex pactione divina, consequendam. Quamvis igitur probè hanc causam Bonaventura intellexisse videatur, tamen veritati facto præjudicio, post transsubstantiationis dogma stabilitum, valde fuit impeditus, ut sensum orthodoxum verborum Cœnæ per omnia assequi non potuerit.*

Ex Scoto etiam paulò antè intelleximus, fuisse ejus tempore nonnullos qui sentirent, substantiam panis in Eucharistia manere: quod etiam apertissimis rationibus probat. Petrum quoq; de Alliaco affirmantem audivimus, Illum modum, qui ponit subsstantiam panis remanere, nec rationi repugnare, nec authoritati Scripturæ: imò esse faciliorem ad intelligendum & rationabiliorem, & non ponere accidentia sine subjecto, quòd sit unum ex difficilibus. Scotus. Petrus de Alliaco.

Quinetiam Scotus, Cameracensis, Occam & alij ut suprà quoque monuimus, diserte fatentur, nec verbis Scripturæ, nec symbolis fidei, nec Veterum sententijs cogi nos ad transsubstantiationis dogma: & mirum esse *dicunt*, quòd in hoc unico articulo, qui tamen non sit principalis: ejusmodi intellectus sit receptus, & ad credendum Ecclesiæ obtrusus, propter quem fides Christiana omnibus ratione utentibus contemptui exposita sit. *Apertè etiam dicunt*, ex solo Romanæ Ecclesiæ decreto transsubstantiationem introductam esse. Et alio modo Patres intelligi posse, nisi illius Ecclesiæ authoritas obstaret. *Rectius autem, quod ad hanc excusationem attinet, Alphonsus à Castro Minorita lib. 1. de Hær. c. 8. scribit*, nulla omnino definitione effici posse, quòd olim Catholicum & orthodoxum non fuit, pro Catholico & orthodoxo aliquando habendum esse. *Gerson etiam Lect. 2. coral. 7. de vita spirituali disputat*, majorem hac in re fuisse authoritatem primitivæ Ecclesiæ, quàm modernæ. *Et addit:* Non est in potestate Papæ, aut Concilii, aut Ecclesiæ, immutare Traditiones ab Evangelistis & Apostolis profectas, sicut quidam delirant. Nec habent parem authoritatem, ut faciant aliquid purè de fide. Scotus, Cameracensis, Occam. Alphonsus à Castro. Gerson.

Andradius denique, Transsubstantiationem quoque collocat inter illas res, quæ nullis Scripturæ sacræ testimoniis apertè definitæ & explicatæ sunt, *Verissimum est autem axioma, Nihil pro fidei articulo Ecclesia proponendum esse, quod non ex manifestis, certis & firmis immotisq; Scripturæ testimonijs, apertè ostendi & probari possit.* Andradius.

Et tamen Concilium Tridentinum decernere non dubitavit: Si quis dixerit, in sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento, remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore

pore & sanguine Domini nostri Iesu Christi : negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus , & totius substantiæ vini in sanguinem , manentibus duntaxat speciebus panis & vini : quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat , anathema sit.

Florentinum Concilium. Vide P. Martyrem in Tract. de Cœna fol. 289. sup. 11. & 12. Cor.

Ad alterum genus referendum est primo loco Florentinum Concilium anno Domini 1439. *propter Orientalium seu Græcorum, & Occidentalium seu Latinorum unionem celebratum. Nam ex literis unionis , quibus in hoc Concilio Græca Ecclesia Romanæ reconciliata atque unita fuit in reliquis ferè omnibus articulis , liquido constat, quòd ne tum quidem , vel maximè hoc vrgente Eugenio Papa, recipere Transsubstantiationem & formulæ consensus inseri voluerint, qui aduenerant Patriarcha Constantinopolitanus , & Orientales Episcopi : verùm ne id fieret ; seriò præcaverunt , aperte se quæstionem de Transsubstantiatione panis , sine totius Orientalis Ecclesiæ authoritate, tractare posse negantes: quod tamen cùm de conjungenda, in quorundam articulorum dissidio, Ecclesia Græca cum Latina ageretur , non factum fuissent , sicut nec prorsus opus fuisset hanc quæstionem movere, si eadem fuisset tunc Græcæ Ecclesiæ, quæ Romanæ, de Transsubstantiatione sententia. Quinimò Nicephorus Gregoras lib.* 5. *Hist. nullum in Græca Ecclesia, ne ad sua quidem usque tempora, Liturgiam ad Romani Pontificis rationem & placitum celebrasse scribit.*

Isidorus Ruſſorũ Episcopus.

Isidorus etiam Russorum Episcopus postquam domum à Concilio Florentia reversus , consensum quendam opinionum atque rituum cùm in sacre, tum in cæteris etiam rebus omnibus inter suam & Romanam Ecclesiam inducere & stabilire tentasset, officio & munere suo abdicatus est, atque à Clero suo prorsus desertus : adeò illi novum hoc Transsubstantiationis figmentum improbarunt.

Almaricus Parisiensis Doct.

Claruit circa annos Domini 1203. *Almaricus Parisiensis Doctor, qui Imagines, Altaria, Invocationem Sanctorum idololatriam esse docuit: Transsubstantiationem quoque , & corporalem illam Christi in Missa præsentiam apertè negavit : fideig. suæ confessionem vita & sanguine suo confirmavit.*

Ioannes Taulerus

Ioannes Taulerus Theologus & Dominicanus Colonienſis circa annos Domini 1300. *in Cœnæ mysterijs spiritualiter & mysticè explicandis, veterum Patrum vestigia diligenter sequutus est. In festo Vener. Sacram. Serm.* 1. Sicut, *inquit*, cibus corporalis in comedentis transit substantiam , sic quisquis dignè hoc percipit sacramentum , transmutatur in illud, quemadmodum Dominus Augustino dicit: Non tu me in te mutabis , sicut cibum carnis tuæ , sed tu mutaberis in me ; cunctasque venas intimi fundi illius penetrat. Dicit enim S. Bernhardus , quòd sicut cibum corporalem manducamus , ita nos à Domino manducamur. *Docet deinde quando & quomodo nos Deus manducet, nimirum:* cùm defectus & peccata nos facit agnoscere , perfectamque in nobis operatur vitæ conversionem. *Quomodo autem quis agnoscere debeat , quòd à Deo comestus & deglutitus sit , sic docet :* Attendendum, an homo sit in Deo , & an Deum in se sentiat , & an se nusquam nisi in Deo , aut aliquid in se præter Deum , inveniat. Ipse namque dicit: Qui manducat meam carnem , & bibit sanguinem meum , in me manet , & ego in eo. *Ea denig. omnia quæ idem Taulerus Serm.* 3. *Dominica* 7. *post Trinitatis : in tract. de Virtutibus , & præparatione ad Eucharistiæ dignam perceptionem , scribit , Epitome quædam sunt, eorũ quæ primitivæ Ecclesiæ Patres de Cœnæ mysteriis docuisse suprà multis commonstravimus.*

Arnoldus Iugdunensis Archiepiscop.

Circa eadem tempora, ut Hugo Platina, Sabellicus & Trithemius narrant , Arnolphus quidam Archiepiscopus Lugdunensis , magna nominis celebritate , magnoq. mortalium concursu Verbum Dei per Gallias , Italiam, & tandem quoque Romæ prædicavit : ac inter alia laceratione seu mutilatione communionis Cœnæ , ejusdemque depravationem damnavit. *Propter hoc verò , & quòd lasciviam, libidinem, avaritiam, fastum, aliaque scelera Clericorum reprehenderet , & paupertatem Christi & Apostolorum , sanctissimamque vitam ad imitationem omnibus proponeret, captus eorum insidijs atq. submersus est : Sabellicus tamen & Platina eum suspensum esse affirmant : quibus ego , tanquam rerum Romanarum magis gnaris, potiùs fidem adhibendum esse arbitror.*

Senaldus Archiepiscopus Eboracensis.

Senaldus Archiepiscopus Eboracensis Breviloquio ad Papam plerosq. cùm alios , tum Missæ abusus, ac depravationem exagitavit.

Petrus Cantor.

Isidem temporibus vixit etiam Petrus Cantor Parisiensis, à Comestore diversus, qui scripsit prolixum & eruditum librum titulo Verbum abbreviatum , *in quo gravissimè inter alia multa Pontificiæ Missæ idolomaniam & abusus, ac præsertim eius nimiam multiplicationem & prophanationem damnat.*

Prodiit eodem tempore , Fabularum Æsopi exemplar, quod etiam nunc hodie in Fuldensi Bibliotheca exstat, in quo picturis & imaginibus, Papatus & Missæ turpitudo, adeò artificiosè delineatur, ut Wicelius *ille Apostata affirmet, non potuisse vel ipsum Lutherum turpius Romanæ Religionis capita perstringere.*

Pauperes de Lugdu & Waldenſis.

Circa annum D. 1160. fuerunt Lugduni aliquot primarii Viri unà congregati, conſententes de variis rebus. Ibi dum ſermones cedunt, accidit ut ſubitò unus, ſpectantib. aliis omnib. mortuus corrueret. Eo tam triſti exemplo fragilitatis humanæ divinaq; irâ perterritus ac commotus unus ex illis nomine Valdus honeſtus, dives & in ea urbe clarus vir, cæpit cogitare de emendanda vita, Deoq; placando, ac vera pietate aliquanto magis ſerio colenda, quàm antè fecerat. Cæpit igitur & eleemoſynas liberaliùs diſtribuere, ſuamque familiam, & eos qui ipſum interdum quacunq; occaſione conveniebant, docere & admonere de pœnitentia, ſincero Dei cultu, & vera pietate. Progrediente paulatim tum liberalitate, tum beneficentia ejus in pauperes, tum ipſius ſtudio docendi, aliorumq; diſcendi, mox etiam frequentior cœtus ad eum confluere cæpit, & ipſe eis non ſuas aliquas regulas, ſuiq; capitis ſomnia dictare, ſed ſacras Literas tum explicando declarare, tum in vernaculam linguam Gallicam transferre. Epiſcopus verò ejus loci aliiq; Prælati, ægerrimè ferentes hominem laicum & ſecularem, quamvis pium, doctum & eruditum ſacras Literas in vulgarem ſermonem vertere, docendo explicare, imò etiam cœtus domi ſuæ habere: primùm monuerunt eum ejuſq; ſectatores, ut ab inſtituto deſiſterent, additâ etiam excommunicationis pœnâ. Reſpondebant autem, Deo magis quàm hominibus obediendum eſſe. Quare negligentiis Prælatorum mandatis, cæpit etiam diligentiùs eſurientes fideles non tantùm re familiari, quæ nimia largitate paulatim minuebatur, ſed etiam Verbo Dei ſalutaribusq; monitis ac documentis paſcere. Data quoque hinc fuit Valdo occaſio, Prælatorum hypocriſin, faſtum, dolos, fraudes & falſam doctrinam magis magisq; detegendi & taxandi. Eodem quoque tempore collegit Valdus Patrum teſtimonia vulgari ſermone, ut ſuos non tantùm Verbo Dei, ſed primitivæ & veteris etiam Eccleſiæ teſtimoniis contra adverſarios Veritatis communiret. Cernentes itaque Epiſcopus alijq; Prælati, Valdi ejusq; ſectatorum in docendo ac diſcendo Verbo Dei conſtantiam: dolentes etiam ſuas fraudes manifeſtari & taxari, ſimul omnes eos excommunicârunt. Sed cùm illos ne excommunicatione quidem moveri viderent, ut à ſuo propoſito deſiſterent, carceribus etiam, ferro ac igne crudeliſſimè eos perſequi cœperunt. Tandem Lugduno quoque diſcedere coacti ſunt: unde in varias regiones ac provincias diffugerunt & dilapſi ſunt. Mutius in Chronico Germaniæ ſcribit, plerosq; hujus Religionis circa Alſatiam confeciſſe. Cranzius lib. 8 cap 78. Metrop. teſtatur, Halæ Suevorum ſub Friderico II. Imperat. contra Papam & Monachos, Religionem ſuam publicis concionibus Waldenſes propugnâſſe. Fatentur quoque Inquiſitiones quæ in manibus ſunt, eos in Pomerania, Marchia & Saxonia ſuas ſedes fixiſſe: itemque in Lombardia, Bohemia, Gallia ciſalpina, & ſub Alpibus, Luceræ publicum Religionis exercitium habuiſſe. Circa Maſſiliam etiam in Merindolis & vicinis civitatibus, ſuos miniſtros & uſum publicum Chriſtianæ Religionis, uſq; ad annum Domini 1545. ſervaverunt, quo tempore immani & pluſquam Turcicâ tyrannide, Papæ & ſatellitibus eius apud Regem Galliarum Franciſcum inſtantibus, trucidati & ferè extincti ſunt.

Inter alia verò Religionis ſuæ capita, veram doctrinam de Sacramentis & Cœna Domini, Apoſtolorum, totiusq; primitivæ Eccleſiæ, quam ſupra multis commemoravimus, conſtantiſſimè retinuerunt & docuerunt: omnes verò Miſſas, præſertim autem eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, ideoque abolendas penitus eſſe affirmarunt. Waldenſium Confeſſio extat in fine Conſiderationis Vrſini fol. 806. & ſeq. ut eſt ab eis exhibita Regi Hungariæ Vladiſlao, anno 1508.

Waldenſes, ſuam de Cœna Domini veritatem docentes.

Hanc etiam doctrinam Waldenſium circa annos Chriſti 1250. Helias Eubeus Tripolanienſis ſeptem libris ſub titulo Semidialium, Bernardus Weſtenodius, Gilbertus Monachus, Probus Epiſcopus Tollenſis, & Ioannes Argentinenſis Concionator, omnes contra Pontificios errores accuratè propugnarunt.

Vixit Herbipoli Conradus Hager, circa annum Domini 1340. is ut ex Bulla Ottonis Epiſcopi Herbipolenſis patet, confeſſus eſt. ſe annis 24. ſenſiſſe & docuiſſe, Miſſam nullo modo Sacrificium eſſe, aut cuiquam vel vivo vel mortuo prodeſſe: & propterea à nemine celebrandam. *Dixit*, ſe, ſi haberet hypocauſtum plenum aureis, ne unicum quidem daturum pro Miſſis. *Dixit etiam*, pecuniam, quæ à morientibus pro Miſſis relinquatur, veluti furta & ſacrilegia quædam Sacerdotum eſſe, quæ illi pauperibus impiè ſubtrahant. *Affirmavit quoq;* ſe putare propterea populum à Miſſis abhorrere, quod ipſe multos id facere docuerit. *Abhorruiſſe autem incolas eorum locorum tunc à Miſſis, ex alio ejuſdem Epiſcopi mandato apparet, in quo ſeveriter ſubditis præcipitur, ut ea perſoluant, quæ à ſuis Maioribus pro ſtatis Miſſis teſtamento legata fuerant. Ob hanc verò doctrinam, bonus ille vir damnatus, & in carcerem detruſus eſt, quem verò vitæ finem ſortitus ſit dubitatur.*

Conradus Hagſer.

Eodem tempore claruit Ioannes Wiclevus, vir magno & excellenti plane ingenio præditus, cujus miniſterio & libris non ſolùm Oxonium, ſed & Angliam, Bohemiam, aliaſque nationes, Dominus cognitione ſui Verbi & veritatis illuſtravit, docuit, panis ſubſtantiam peracta conſecratione non evaneſcere: verba Cœnæ non propriè, ſed figuratè exponenda: & ſub utraque ſpecie communicandum eſſe.

Ioannes Wiclevus.

Sicut

Sicut Anglis duobus popularibus Guitmundo & Lanfranco accusantibus condemnatus fuit Berengarius, ita Anglus hic tertius Wicleuus veritatem in Berengario damnatam in Ecclesiam revocavit & reduxit.

Militzius & Iacobus de Theramo.

Circa annum Domini 1360. *Militzius Bohemus, & Iacobus de Theramo, non obstante Pontificia tyrannide orthodoxam de Cœna Domini sententiam & doctrinam, à superstitionibus Pontificiis vindicarunt.*

Ioannes Hus.

Ioannes Hus sub utraque specie communicandum, authoritate Scripturæ, Patrum, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gelasii, Gregorii, Cypriani & aliorum probat. In ejus carmine de Cœna Domini nihil prorsus continetur, quod aliquam redoleat superstitionem, aut illi sit simile, quod in Germanico corrupte canitur: Verborgen in dem Brot ſo Klein/ &c.

Dominicus Calderinus.

Dominicus Calderinus, cujus Ludovicus Vives meminit, Missam in universum damnavit: *& cum forte ab amico urgeretur, vel amicitia jure cogeretur ad Missam ire,* Eamus *inquit,* ad communem errorem.

Hieronymus Savanorola.

Hieronymus Savanorola Dominicanus Florentinus, communionem sub utraque specie ex instituto Christi defendit, & Missarum nundinationem cum multis Papatus erroribus, detexit & reprehendit. *Eum Picus Mirandulæ Comes Prophetam vocat, & contra Papam defendit. Marsilius Ficinus eum magnificè celebrat. Philippus Cominæus historicus Gallicus, qui cum eo locutus est, testatur, eum virum sanctum fuisse, & planè prophetici spiritus.*

Ex Asino pœnitentiario, Invectiva in monstrum Babylonis, Revelationibus Brigittæ, Mechthildis, Ioannis de Rupe scissa, Roberti Galli, Colloquio Petri & Pauli intelligitur etiam, contra Papatum & Missarum abominationem passim pugnatum esse.

Stephanus Brulliser, Parisiensis Doctor propter Veritatis defensionem & Missæ improbationem proscriptus, Moguntiæ docuit: Ejus discipulus Paulus Scriptoris dum Tubingæ Scotum explicaret, Pontificium Transsubstantiationem apertè negavit, omnem interpretationem fidei articulis & Verbo Dei analogam esse debere affirmans. Hujus discipuli fuerunt Augustiniani & alij, quorum vitam & Religionem Staupitius ille Provincialis moderabatur, inter quos etiam fuit Conradus Pellicanus sacræ sanctæ & reformatæ postea Theologiæ in Schola Tigurina Professor.

LIBER QVINTVS.

IN quatuor præcedentibus Libris, Historiam integram de Ritibus, Cæremoniis & Doctrina sacrosanctæ Cœnæ, à Christo Servatore nostro unico, ad annos usque Domini 1500. *ex Verbo Dei, Patribus, aliisque probatis Authoribus bona fide recensuimus: Superest, ut in hoc quinto Libro ea refutemus, quæ Bellarminus Iesuita, & Socii, ad ea quæ diximus respondent, iisque profanationem & corruptelas sacratissimæ Cœnæ Dominicæ, post annos demum Christi mille ortas, confirmatas, & longè lateque propagatas, defendere conantur.*

CAPVT I.

In verbis Christi, Hoc est corpus meum, Pronomen HOC, quid demonstret?

SVpra folio 9. *&* 10. *satis probatum arbitror, Christum in Cœna suæ institutione particula* HOC, *nihil aliud quàm panem, quem manibus tenebat, frangebat & discipulis edendum porrigebat, demonstrasse. Vide etiam lib.* 2. *cap.* 1. *itemque lib.* 4. *cap.* 9. *quæ Patrum omnium Primitivæ Ecclesiæ, & Scholasticorum nonnullorum hac de re sententia & doctrina fuerit.*

Primum argumentum Bellarmini, quod HOC non demonstret panem.

Bellarminus verò id negat. Vtitur autem duobus argumentis: Primum est, quod inquit, Pronomen HOC, accipitur vel adjectivè, vel substantivè. Si adjectivè, debet concordare cum substantivo: quare non potest demonstrare panem, sed corpus. *Respondeo, Pronomina Demonstrativa & Relativa, tam apud Græcos, quàm Latinos, non semper juxta regulam cum sequente Substantivo, sed interdum etiam cum antecedente, & contrà, non semper cum antecedente, sed etiam cum sequente sæpe convenire. Sic Paulus Galat.* 3. *dicit:* καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι Χριστός. 1. *Tim.* 3. Ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος. *Sic etiam Vergilius lib.* 1. *Æneid. quum de Carthagine verba fecisset, tandem subjicit,* Hoc regnum Dea gentibus esse, &c. HOC, *id est, hanc urbem, Carthaginem, regnum seu caput esse voluit Iuno gentibus. Et Terentius in Eunucho,* Qui habet salem, quod in te est: *id est, qui sal in te est. Rursus ibidem:* Ego quoque unà perco, quod mihi charius est: *Quod, hoc est, qui mihi charior sum. Et in Adelphis:* In eo me oblecto:

solum id est charum *mihi. Solum id, id est, solus ú filius mihi charus est. Vocant Grammatici hanc loquendi formam* ἀλλοίωσιν, ἐτέρωσιν, ἀλλ' ἀγλεῦ, *mutationem, seu permutationem, & variationem partium orationis per accidentia sua, quæ fit contra legitimam structuram.*

Si verò Pronomen HOC, substantivè accipitur, *ait Bellarminus*, tunc sensus erit, HOC, id est, hæc res est corpus meum. Si autem hoc de pane dicatur, absurdissima propositio erit: non enim potest dici, HOC, de quæ cernitur, nisi sit generis neutri res illa. *Ad hoc argumentum respondeo ex ipsius Iesuitæ verbis, qua subijcit. Si enim res, quæ cernitur, nota est in particulari, non debet efferri per nomen universale: quum autè non est nota, nisi in universali, efferri debet per nomen universale. Exempli gratia: Vident duo imaginem Cæsaris; alter scit cuius imago sit, alter nescit: cernit quidem universaliter quòd sit imago, cujus autem sit, aut quem referat, ignorat: tunc ille rectè huic dicit, Hoc est Cæsar: id est, imago quam vides Cæsarem refert. Imò sæpe in quacunque lingua sic loquimur, etiam de ijs rebus quæ in particulari sunt notæ. Cùm igitur discipuli Christi universaliter scirent, panem, quem Christus manibus tenebat, esse quidem panem, nescirent autem in particulari qualis esset panis revera, communisne & vulgaris, an verò cœlestis, sanctificatus, typicus & mysticus, hoc est, Sacramentum, vel signum, symbolum & figura corporis Dominici: Christus verò id sciret, rectè, non absurdè dixit, ut Iesuita vult*, Hoc est corpus meum: *id est, panis hic, quem accepi, benedixi, fregi & vobis porrexi, non est iam communis & profanus panis amplius, ut videtur; sed Sacramentalis, & symbolum corporis mei, quod pro vobis traditur, ut aliud quippiam animo concіperent, & crederent, quàm id quod videbant, & hactenus norant;* τὴν ἐν τῷ χλευασμῷ γιγνομένην μεταβολήν, *ut Theodoretus inquit. De hoc igitur eos instituі oportuit, sicut nec Dominus panem declaravit esse panem, sed corpus suum de pane illo dixit. Huc etiam pertinet, quòd mox subjicit*, Hoc facite in mei recordationem. *Viderunt equidem discipuli universaliter quid fecisset Dominus accipiendo, benedicendo, frangendo & distribuendo panem: non intellexerunt autem in particulari, in quem usum & finem id fecisset: ideo universaliter dicit,* HOC, *quod scilicet me vidistis facere, & vos deinceps facite, in recordationem mei.*

His adde, quòd Iesuita videtur hoc & alio loco sibi ipsi contradicere. Nam in hac solutione argumentum sic concludit: Cùm ergo discipuli panem viderent, & panem esse non ignorarent, absurdissima fuisset locutio, si de illo pane Dominus dixisset: Hoc est corpus meum: quum debuisset dicere, Hic panis est corpus meum. Non igitur potest fieri, ut illud, HOC, demonstret panem tanquam subiectum propositionis. *Libro autem 1. de Sacramentis, cap. 18. hæc habet*: Verba, respectu rei consecratæ, non sunt pars essentialis, sed principium productiuum. Pars enim essentialis manet cum ipsa, verba autem non manent cum re consecrata, imò tunc primùm incipit esse res consecrata, cùm verba desinunt esse. *At verò si absurdissima est loquutio, de pane Christum dixisse*, Hoc est corpus meum, *quomodo verba hæc consecrationis sunt principium productiuum? Quomodo tunc primùm incipit esse res consecrata, cùm verba esse desinunt, si Pronomen*, HOC, *demonstravit corpus nondum ex panis substantia factum? Aut si res consecrata tunc primùm incipit esse cùm verba esse desinunt: quomodo Pronomen*, HOC, *demonstrabit corpus, quod nondum, neque in manibus Christi, neque in specie panis erat.*

Alterum argumentum sumit Iesuita ex altera enunciatione, & dicit: Si τοῦτο in prima enuntiatione demonstraret panem, similiter etiam in altera demonstraret vinum. *Hoc nos affirmamus.* Sed, *inquit*, repugnat Lucas, qui cap. 22. sic ait: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hæc verba, *ait Bellarminus*, si constructionem spectes, non ad sanguinem, sed ad poculum pertinent: neque tamen de vino, nedum de poculo, intelligi possunt, sed de sanguine: non enim poculum, aut vinum, sed sanguis effusus est: monstravit igitur sanguinem, non vinum aut poculum. *Ad hoc responsum est jam antea à nostris, aut solœcismum esse commissum à Luca: neque id mirum, quum Hebraicè potiùs quàm Græcè sacri illi Scriptores sæpe loquantur: & de Paulo, quamvis satis durè, Hieronymus scripsit*, Paulus solœcismos loquitur. *Similis Solœcismi aut anomaliæ exemplum extat Apocal. 1. v. 1.* καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς: *pro* τοῦ μάρτυρος τοῦ πιστοῦ. *Item*: τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς: *pro* τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. *Rursus ab initio ver. 6.* καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς: *pro* καὶ ποιήσαντος ἡμᾶς. *Vel si hoc impium & blasphemum videtur, dicere in Luca esse solœcophanes aliquod, respondetur, hanc particulam*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *ex Marco insertam esse in Luca contextum: vel casum perperam à librariis, quamvis consentiant exemplaria, mutatum. Illius conjecturæ has afferunt rationes: Primò, quòd in manuscripto codice Gracolatino, in Monasterio, quod Irenæi dicitur, Lugduni reperto, adeò vetusto, ut ipsius Irenæi fuisse videri possit, in quo totum istud non legitur quod*

Secundus argumentum Bellarmini, quòd Hic non demonstret panem.

apud Lucam de poculo posterioriloco dicitur. Deinde, quòd apud Paulum, qui probabiliter putatur hunc ex Luca locum totum desumpsisse, illa particula tota omittitur, quæ ratio maximi esse videtur momenti. Cur enim Apostolus hoc omisisset? & vel unica Oratio Dominica, quàm in veteribus codicibus legebatur apud Lucam, ostendit multa ex Euangelistis fuisse (nulla tamen sensus iniuria) interiecta, quæ probabile tamen est ex margine in contextum irrepsisse. Tertiò, Basilius hanc particulam in Ethicis sic legit, τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

Sed ad argumentum Bellarmini simpliciter respondeo, Lucam hoc loco tropicè, seu Metonymicè attribuisse symbolo seu sigillo, quod propriè conueniebat bono legato, videlicet sanguini Iesu Christi, qui non erat in poculo, in specie vini absconditus, sed adhuc in palpabili corpore Christi in prima Cœna continebatur, qui postea in passione erat effundendus. Agnoscit hoc etiam alio loco Bellarminus: nam lib.4. de Eucharistia c.19. sic scribit: Illa verba, quæ dicuntur in Institutione, Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: non significant, bibi sanguinem in remissionem peccatorum, sed effusum fuisse in remissionem peccatorum, & hoc per Eucharistiam repræsentari. Eucharistia enim, quia est signum & repræsentatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis Testatoris, & omnium bonorum nobis promissorum, atque adeò etiam remissionis peccatorum. *Hic manifestè fatetur, verbum,* Fundendi, *ad sanguinem Crucis, non ad poculum Cœnæ referendum. Alioquin, si iam tum in illo poculo veri sanguinis materia & substantia continebatur, vt vult Iesuita, certè intra corpus, & corporis Christi venas non erat. Bis itaque esset effusus, primò in Cœna, secundò in cruce, ac proinde bis passus Christus, semel in institutione Cœnæ, ac denuò postridie in cruce. Denique, si sanguinem suum verum ac realem monstrauit Dominus in poculo, sensus verborum eius erit,* Hic sanguis est Nouum Testamentum in sanguine meo. *Quod quàm ineptum esset, omnes intelligunt. Et rursus, quid ineptius esset, quàm Testamentum propriè & sine tropo dici velle Testatoris sanguinem, aut id quo Testamentum sancitur.*

Verba Christi figuratè accipienda.

Ex his igitur verbis quoque Domini, figuratè accipienda verba institutionis euincitur. Inest enim eis non simplex, sed geminus tropus. Nam per Synechdochen poculum sumitur pro vino in poculo, continens pro contento: & per Metonymiam sacramentalem proprius effectus rei significatæ tribuitur signo. Non potest enim poculum ligneum, vitreum vel aureum, propriè dici Nouum Testamentum, nisi figuratè, quate-

nus nimirum est Noui Testamenti signum, reconciliationem cum Deo, & coniunctionem cum Christo per eius sanguinem nobis obsignans. Respondet Bellarminus, se non negare in verbo, poculum, tropum esse, sed tropum ibidem clarissimè explicatum. Ait enim Dominus, Accipite, bibite, hic est calix: at non bibitur vas, sed liquor in eo contentus. Apud Lucam additur, Qui pro vobis effunditur: at vas non effunditur, sed liquor. Denique, quod Lucas & Paulus dicunt, Hic est calix, pro eo Matthæus & Marcus dixerunt, Hic est sanguis: sic verò tropus non explicatur in voce, Corpus. *Respondeo: Manifesta est contradictio apud Iesuitam: hic admittit tropum aliquem in verbis institutionis, quem tamen ab ijs prorsus excludit lib.1.c.9. de Eucharistia. Deinde, non est hæc lex perpetua, vt si quid explicetur in vna re, etiam in alia simili declaretur.*

CAPVT II.

Verba Christi, hoc est corpus meum: figuratè, non propriè interpretanda.

Vide Pezelium parte 5. Philippicarum fol.217.

Respondetur argumentis Iesuitæ, quibus probare vult verba Christi propriè accipienda. Sacramenta V. & N. Test. figuratis verbis instituta.

Nvnc respondendum argumentis & rationibus Bellarmini Iesuitæ, quibus probare conatur Tomo 2. Disputat. de Eucharistia lib.1. c.9. verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. *propriè, non figuratè explicanda esse. Adducit autem quatuor potissimùm. Primum sumit à Materia de qua agimus:* Ea est Sacramentum, Testamentum; Pactum, Lex, & Dogma: Hæc omnia, *inquit,* requirunt propriam, non figuratam loquutionem. At Christus hic instituit Sacramentum, Testamentum, &c. Ergo in hac institutione non figuratè, sed propriè loquutus est. *Negatur Maior. Sed eam probat Iesuita primò Sacramentis veteris ac nouæ Legis,* quæ, *dicit,* Deum proprijs non figuratis verbis instituisse. *Falsum. Nam in Circumcisionis institutione, vocat eam Deus Fœdus suum.* Hoc est fœdus meum, *inquit,* quod obseruabitis inter me & vos, denique inter semen tuum post te. Circumcidatur vobis omnis mas. *Genes.17. Similiter agni Paschalis ceremoniam instituens,* Transitum *eam appellauit, Exod. 12.ca. Sacrificia omnia* purgationes *vel* expiationes *nominantur, Exod. 37. In Nouo Testamento, Baptismus dicitur* Ablutio peccatorum, *Act. 22.* Lauacrum regenerationis, *&* Renouatio Spiritualis, *Tit. 3. In Baptismo dicitur indui Christus, & nos ei commori ac sepeliri dicimur, Rom.6. Gal.3. Coloss. 2.ca. Quæ certè omnia non propriè, sed figuratè*

dicuntur. Et tamen Iesuitam non pudet scribere, in his omnibus vix vnam aliquam figuratam vocem occurrere.

In Testamentis figuratæ Phrases usitatæ.

Eadem est ratio Testamentorum, in quibus, contrà quàm vult Bellarminus, figuratæ loquutiones sunt usitatissimæ, quod ἐμφασιν καὶ δυνάμιν quandam secum adferant. Consideremus nobile illud Testamentum Iacobi Patriarchæ, quod etiam Iesuita, sed truncatè, & proinde mala fide citat, & inveniemus in eo tot propemodum figuras, quot verba. De tribu Iuda, *inquit*, non recedet sceptrum, neque dux de fœmore eius, donec veniat Siloh. *Hic sceptrum pro regno μετωνυμικῶς ponitur: Siloh verò, quod aliqui Secundinam interpretantur, pro fœtu συνεκδοχικῶς. De Issachar dicit*, Issachar asinus fortis recubans inter duas sarcinas. *De Dan*, Erit Dan serpens iuxta viam. *De Simeon & Leui*, Simeon & Leui vasa iniquitatis. *De Beniamin*, Beniamin lupus rapax. *Ipse quoque Christus eo tempore quo mortis hora instabat, & quidem post institutam Cœnam multis figuris utitur, in monte Olivarum, quum iam esset capiendus, petit calicem à se auferri. Adhuc morti vicinior, sic matrem & Ioannem alloquitur*: Mulier, ecce filius tuus, Discipule, ecce mater tua. *Et iam iam moriturus*, In manus tuas, *ait*, commendo spiritum meum. *Hoc quid aliud est quàm testamentum hominis de suis soliciti, & iam iam animam effaturi? Et tamen figuratæ loquutiones in eo inveniuntur. Ipsi quoque adversarij confitentur, in hoc ipso Testamento Christi figuram esse, quum dicit*, Hoc poculum Novum est Testamentum in sanguine meo.

In pactis & fœderibus locum habere figuratæ locutiones.

Quod pacta & fœdera attinet, in his etiam locum non habere dicit figuras. Sed & hoc falsissimum est. Quis enim nescit signa contractuum solennia penè omnia, sæpenumero nomina ipsa contractuum sortiri? Ita dicimus porrectam glebam esse missionem in agrum, virgultam in manum ludicis traditam esse mancipij desertionem, pileum libertatis donationem. Hoc etiam locum habet in solenni fœderum sanctione, in quibus vel phratria, vel communio aliqua atque societas iniri solet. Ita enim rectè de Vellere aureo ac propriè dicitur, Hic est Ordo equestris phratriæ Burgundicæ: *quum insigne tantùm eius sit. Sic annulus, qui solet conjugibus in matrimonio contrahendo dari, plerumque ipsius matrimonij nomine insignitur.*

Leges & præcepta quædam figuratè enunciata.

Sic etiam leges, cohortationes & præcepta quædam inveniuntur figuratè enuntiata. Cuiusmodi est illud, Attendite à fermento Pharisæorum: *Matth.* 16. Circumcidite præputium cordis vestri, *Deut.* 10. *Ierem.* 4. Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ: innovate vobis novale. *Hos.* 10. Solvite nodos iniquitatis. Scindite corda, non vestimenta, *inquiunt Prophetæ*. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consperſio, *ait Paulus*. Assumite iugum meum super vos, *inquit Christus. Adde quæ dicuntur de oculo eruendo, de abscindenda dextera, & tollenda cruce, & alia id genus. Et tamen Iesuitam dicere non pudet*, In præceptis & Legibus tropos & figuras nullas inveniri. *Eadem quoque est ratio dogmatum. Deus in Paradiso ad serpentem de semine benedicto dixit*: Ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. *Est hæc figurata loquutio: & tamen est dogma, de eversione regni Satanici & liberatione humani generis per mortem Christi.*

Denique ipsemet Iesuita ca. 10. *eiusdem libri sibi ex diametro contradicens, duplicem Metonymiam in verbis Cœnæ constituit*: Calix effunditur pro vobis, *id est, species vini in calice*: Et species vini effunditur, *id est*, sanguis *in specie vini absconditus. Etsi enim hæc verba non expresè dicat Bellarminus, tamen huiusmodi tropicas propositiones confirmat, & ca.* 9. *in Testamento Filij Dei tropos esse negat.*

Secundum argumentum sumit Iesuita à personis, cum quibus Dominus loquebatur quum diceret, Hoc est corpus meum: nam loquebatur cum solis Apostolis. His autem omnia vel clarissimè proponebat, vel obscuriùs dicta, continuò exponebat. Nullum autem vestigium explicationis horum verborum exstat apud Evangelistas. Argumentum Bellarmini sic formari potest. Hæc verba Christi, Hoc est, corpus meum &c. *aut sunt obscura, aut clara & perspicua. Si obscura, explicuisset ea Apostolis. Sed non explicuit. Ergo sunt perspicua, & proinde non figurata. Negatur consequentia. Non enim sequitur, Figuratum est, ideo non est perspicuum: vel contra, perspicuum est, ideirco non figuratum. Alioquin obscurassent Prophetæ Oracula Dei, apud quos figuratæ loquutiones sunt usitatissimæ. Et Rhetores docent, sæpe significantiorem esse figuratè, quàm propriè dicta. Rectiùs sic concluderetur, Christus apertè & perspicuè loquutus est, Ergo de Transsubstantiatione loquutus non est, neque de Consubstantiatione. Hæc enim duo commenta adeò difficilia sunt & obscura, ut ne illis quidem, qui ea progenuerunt, sint cognita. Contrà, Christi verba perspicua sunt, ergo sunt intelligenda modo Sacramentali, quo nomen rei significatæ signo tribuitur. Hoc enim sacramentale genus loquendi perspicuum & facile est, & in omnibus Sacramentis usurpatur. Sin autem in hoc Sacramento, & in his Christi verbis est aliquid singulare, quod in reliquis Sacramentis observatum non sit, ut volunt Pontificij & alij, certè verba Christi non erunt perspicua: Quod enim præter morem & ordi-*

nem

nem sit, id per se nobis obscurum videtur. Rectiùs etiam sic concluderemus, Verba Christi sunt perspicua, ergo figurata. Figuram enim, siue tropum intelligimus, non aliquid falsum aut commentitium, sed eiusmodi loquendi genus, quo res, de qua agitur, faciliùs & significantiùs exprimitur, ex ipsius rei natura. Nam alioquin, si verba Christi, ut sonant, intelligas, nihil difficilius excogitari possit. Testes sunt Capernaitæ his verbis, Durus est hic sermo: quis potest eum audire? *Quin etiam Pontificij, ut hæc verba posint exponere, necessario ad miraculum: & Consubstantiatores ad rationem supernaturalem, incognitam & incomprehensibilem, tanquam ad sacram anchoram refugiunt: & utrique obijciunt omnipotentiam Dei, quæ in rebus perspicuis, manifestis & intellectu facilibus urgeri non solet. Atque etiam illijpsi, ut perspicua reddant hæc verba Christi de Calice*, Hic est sanguis meus, *dicunt nomine Calicis, contentum in calice significari, quam locutionem figuratam esse quivis intelligit.*

Tertiò, probat hoc Bellarminus ex consensu Interpretum, quorum nullum unquam tropicè hæc verba Christi intelligenda dixisse *affirmat. Sed hoc falsissimum esse ex manifestissimis Patrum testimonijs intelligimus, quæ suprà enumeravimus.*

Quartò, probare vult Iesuita suam sententiam ex communi regula explicandæ Scripturæ: ea est, ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius Ecclesiæ explicatione. At in verbis Christi, Hoc est corpus meum, non cogunt nos recedere à proprio verborum sensu, vel Scripturæ alia loca, vel articulus aliquis fidei, vel communis Ecclesiæ explicatio: Ergo. *Negatur minor. Primò enim cogunt nos hoc facere multa alia Scripturæ loca. Huius generis sunt*, Pauperes semper habetis vobiscum, me non semper habetis: *Ioan.* 12. *Item*, Adhuc modicum tempus vobiscum sum: *Ioan.* 13. *Et*, Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt: *Ioan.* 6. Relinquo mundum & vado ad Patrem: *Ioan.* 16. *Ad hæc loca Augustinus in Ioannem Tract.* 50. Secundùm carnem, *inquit*, quam Verbum assumpsit, non est nobiscum. *Et Vigilius*, Dei Filius secundùm humanitatem recessit à nobis. *Idem cogit nos facere, articulus fidei de Ascensione. Christus enim verè ascendit ad cœlos, unde venturus demum est ad iudicandum viuos & mortuos. Cogit nos etiam in his verbis Christi figuram agnoscere, explicatio communis Ecclesiæ, non Pontificia seu Romana, sed Christi: in quâ floruerunt Irenæus, Tertullianus, Origenes, Iustinus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Hilarius, Basilius, Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Theodoretus, Dionysius, Nazianzenus, Hesychius, Macarius, Leo Rom. Gelasius, Beda, Bertramus & alij, qui omnes verba Christi non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed κατὰ διάνοιαν exposuerunt, ut suprà indicatum est.*

Oppono etiam huic Regulæ Bellarmini, aliam quæ apud Augustinum reperitur libro tertio c. 10. de doctrina Christiana: Iste, *inquit*, omnino modus est inveniendæ loquutionis, propriane an figurata sit, ut quidquid in sermone divino neq; ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri poterit, figuratam esse cognoscas. *Huius regulæ Augustinus eodem loco ca.* 16. *manducationem carnis Christi pro exemplo adducit, inquiens*: Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: Facinus vel flagitium videtur iubere. FIGVRA est ergo, præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suaviter ac utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

Iesuitæ ipsi tropum in verbis Christi agnoscunt.

Denique figuratam interpretationem verborum Christi Bellarminus cum socijs ex nostra parte damnant, sicut etiam Lutherani Synusiastæ, seu Consubstantiatores, cùm tamen ipsi in septem verbis Cœnæ figuram ponant, & ponere cogantur. I. HOC: *In Pronomine* HOC, *statuitur ab illis Synechdoche, qua ponitur continens pro contento.* II. *Voce* CORPORIS *non solùm carnem, sed sanguinem quoque & animam Christi, imò totum Christum, ex sua Concomitantia, necessariò intelligunt, itidem* σωικδοχικῶς, *parte pro toto posita, vel ex una pluribus intellectis.* III. *Verbum* EDENDI, *non accipiunt corporis respectu de actione naturali ac sensibili, sicut propriè usurpatur, sed de insensibili & præternaturali, qualis nulla alia, quàm simili modo fiat, ostendi potest. Illud im propriè dicitur manducari, quod ore sensibiliter percipitur, & in ventriculum traijcitur & in nostrorum corporum substantiam transit.* IV. *De voce* CALICIS, *rursus est Synecdoche, continente videlicet posito pro contento, poculo pro vino,* V. VINVM *ponitur pro sanguine in vino contento, rursus per Synecdochen.* VI. NOVVM TESTAMENTVM *prædicatur de calice, vel, ut Consubstantiatores volunt, de sanguine in calice præsenti, per Metonymiam,* VII. *Vocabulum* BIBENDI *rursus impropriè, & contra usitatam ac simplicem significationem intelligunt, de supernaturali aut insensibili quodam corporeæ actionis modo, quo san-*

guis

quis revera quidem, sed ἀναφανδὸν percipiatur.

Præterea, si verba Cœnæ ita præcisè sunt urgenda, ut nulla prorsus mitigatio vel interpretatio commoda admittenda sit, quæro ex ipsis, cur Fractionem Panis ex Cœna sustulerint, contra manifestum Christi præceptum, qui iubet nos facere, quod ipse primus in Cœnæ institutione fecit? An non magna est in istis hominibus iniquitas, quòd in nobis damnant figuratam verborum Christi explicationem, ne facinus vel flagitium iuxta Augustinum, nos Christus iussisse videatur: ipsi verò ritum à Christo institutum & mandatum, prorsus à Cœna tollunt.

CAPVT III.

De aquæ mixtione cum vino.

OMnes ferè Ecclesiæ post Apostolorum tempora non merum vinum in Cœna sacrosanctâ retinuerunt, sed aquâ id miscuerunt. Qui ritus adhuc hodie à Pontificijs accuratè servatur, & credunt ita necessarium esse aquæ vinum in Eucharistia misceri, ut non possit id sine gravi peccato omitti: imo non posse calicem Domini esse, si vinum solum sumatur. Qua verò ratione hoc probant? Quia Christus sic consecrârit: inde nos quoque idem facere debere concludunt. Vnde Patres Concilij Tridentini Sess. 22. Can. nono, ita decreverunt: Si quis dixerit, aquam non miscendam vino, in calice offerendo, quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

Vnde verò probant Christum in prima Cœna sic consecrasse? Primò *ex mera coniectura. Nam quia in Syria fortissima vina habuerunt, inde credibile esse aiunt, Christum & in hac sacra Cœna, & in alijs vinum aquâ miscuisse. Hac ratione vtitur Thomas 3. q. 74. d. 6. sed quid hoc ad eos qui tam fortia vina in suis regionibus non habent? nonne est κενοζηλία? Deinde ex Scriptura probari hoc non potest vt Thomas fatetur par. 3. q. 74. ar. 6. Ad hæc, Christus hac mixtione vel vsus est, vel non: Si non vsus est, tum concidit præcipuum Papistarum argumentum. Si verò vsus est, id fecit vel propter Sacramentum, vel propter loci consuetudinem. Si propter Sacramentum, aqua ad Sacramenti substantiam pertinet, tanquam elementum, ad quod verbum & Significatio accesserunt, vt Papistæ volunt. Atqui ad substantiam Sacramenti non pertinet, ijsdem testibus, aliquin Euangelistæ id non omisissent. Sin verò fecit ex consuetudine loci, vt Thomas vult, Bellarminus autem pernegat, adiaphorum est quod neminem ligat.*

Secundò, *ex Traditione. Sic enim Bellarminus Iesuita libro quarto capite decimo de Eucharistia scribit:* Quid, *inquit*, in calice fuerit ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mixtum, an sicera, an aqua sola, ex Scriptura expressè non habetur, sed ex eorum traditione, qui ab Apostolis, & eorum discipulis hæc mysteria didicerunt. Traditio autem habet, fuisse vinum aquâ mixtum: ergo ita certò credendum est, aut nihil certi de materia calicis habemus. *Hic verò Iesuita manifestè blasphemiæ convincitur in Spiritum sanctum qui per negligentiam, iuxta Bellarminum, omisit indicare quid Christus in calice consecrârit, nec id aliunde quàm ex incerta traditione constat.*

Vtrumque verò vanissimum est. Nam quòd Christus vinum in calice consecrârit, Euangelistæ ipsissimis Christi verbis indicant, qui post datum discipulis in cœna poculum, dixit, Non bibiturum se amplius de germine VITIS, donec novum cum suis bibat in Regno Dei. *Vbi significanter non vinum, sed* Vitis fructum *dixit, ne ullam hic comminisceremur mixturam: nam vinum aquâ mixtum non vitis fructus dici potest. Respondet Bellarminus,* hæc Christi verba non pertinere ad calicem Eucharistiæ, sed ad calicem qui datus fuit post, agni Paschalis manducationem. *Si dicamus, hæc verba Christi à Matthæo & Marco recitari post Eucharisticum poculum discipulis porrectum: respondet,* hos Evangelistas non recitasse hæc suo loco, *& Lucam obijcit*, qui duorum poculorum meminit, unius ante, & alterius post consecrationem: de priore *ait*, Christus dicit, Non bibam amplius de hoc germine vitis: *de posteriore verò: Hic est sanguis vel*, Testamentum in sanguine: *vide locum. Respondeo ex Augustino qui li. 3. de Conse. Evangelist. ca. 1. dicit*, Lucam non narrasse historiam loco suo, sed per anticipationem id narrasse, quod suo loco Matthæus & Marcus narrârint. *Sed dicit Bellarminus*, Augustinum hunc locum non diligenter expendisse. *Quasi verò Iesuita diligentius Augustino hunc locum expenderit, & sese ab hac difficultate expedierit. Deinde suprà respondit Bellarminus*, Matthæum & Marcum hæc suo loco non narrasse: *At potiùs credendum unum id fecisse, quàm duos. Ad hæc sensus verborum Christi satis arguit, ea non de poculo paschali ejus intelligenda esse, id enim tunc abrogavit, nec amplius celebrare voluit: sed potiùs de calice Eucharistico: adeoque significare voluit, sacram hanc sibi in terris postremam fore Cœnam, instare enim iam mortis suæ horam cuius merito Regnum cœlorum acquisiturus sit, in quo vera ambrosia & beatæ immortalitatis nectare æternùm olim frui debeant. Præterea hac*

Christus vinum in calice consecravit. Matth. 26. Luc. 22.

Hæc ita manifesta sunt, ut etiam Durandus lib. 4. cap. 42. Rational. ex his Christi verbis probet, Dominum in calice vinum consecrasse. Postremò, ordinis Melchisedechici ratio, Christum in calice vinum, non etiam aquam, consecrâsse, luculenter evincit. Secundò etiam illud falsum est, mixtionem vini cum aqua in Eucharistia traditionem esse. Vnde enim est ista traditio? utrumne de Dominica, & Evangelica authoritate descendès, an de Apostolorum mandatis atque literis veniens? Ea enim faciendæ esse quæ scripta sunt, Deus testatur. Respondent Iesuitæ, traditionem esse Dominicam, & eorum qui ab Apostolis eorumque discipulis hæc mysteria didicerint. Sed falsum hoc esse Durandus in Rationali divinorum libro quarto cap. 30. indicat, ubi hoc institutum manifestè ad Alexandrum 1. Roma. Episcopum refert, qui Romanæ Ecclesiæ circa annum Domini 120. præfuit. Et meminerunt eius rei alij quoque Pontificij scriptores. Vnde Thomas parte tertia, quæst. 74. art. 6. non pro traditione Dominica agnoscit, sed tantùm dicit, Prababiliter creditur, quòd Dominus instituerit hoc Sacramentum in vino aquâ permixto, secundùm morem istius terræ. *Quod autem probabiliter creditur, non habet determinatam veritatem. Rofensis Episcopus quoque contra Captiuit. Babyl. refert,* ut aqua vino admisceatur, neque exemplum habere in Cœna Dominica, neque in traditione. *Ac si maximè traditio esset, Christum in ultima Cœna, non merum bibisse, sed mixtum aqua vinum: quia tamen in tota historia institutionis Cœnæ Dominicæ, nulla prorsus huius rei mentio fit, sed tantùm de vitis germine, non est quòd magnopere de ea soliciti simus. Tuìò enim negligere possumus, quæ Verbo Dei nec expressa, nec mandata sunt: contrà verò non usque adeò tutum est ijs quæ mandata sunt, aliquid addere, aut alia pro nostro arbitratu comminisci & statuere.*

Mixtio aquæ cum vino non est ex traditione Apostolica.

Tertiò, *si aqua tam esset necessaria, ut sine ea Eucharistia non sit Sacramentum, tum malè Thomas parte tertia quæst. 74. art. 6. negavit,* aquam esse de necessitate huius Sacramenti. *Nam si Christus aquè instituit aquam & vinum atque panem, tum aqua erit de necessitate Sacramenti, non minùs quàm panis & vinum.*

Laici etiam illi quos Cyprianus libro secundo epistolæ tertia citat ex sacris Literis pro defensione huius mistionis, nihil prorsus huc faciunt: velut Ioan. 15. Ego sum vitis vera. *Genes. 19.* de Noah inebriato: *item,* de Melchisedecho, qui panem & vinum protulisse scribitur. *Et Genes. 49.* Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum. *Et Psalm. 23.* Calix meus inebrians quàm optimus est. *Et Ioannis secundo de* Vino ex aqua facto. *Hæc enim nihil aliud probant, quam non aquam in Eucharistia solam offerri debere: & proinde contra Aquarios vir sanctus rectiùs produxisset ea, quàm contra eos, qui solo vino in Cœna Dominica calice utuntur.*

Cypriani verba ad hanc quæstionem non faciunt.

Eiusdem pretij est quod adducitur de Consecrat. Dist. 2. ca. In Sacramentorum, debere vinum & aquam permista in calice offerri, quia utrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legatur. *Idem habet Canon ex Concilio Martini Bracharensis eadem Dist. Non oportet. Hanc historiam quidam Rom. Pontifices & recentiores authores, ut Emissenus & alij, ad hanc mixtionem torquere cæperunt. Sed quæro, ubi scriptum sit, quod ex Christi latere utrumq;, vinum scilicet & aqua profluxerit? De sanguine & aqua legimus quidem, de vino & aqua verò nihil. Rectiùs vetusti Patres omnes, ipsemet quoq; Cyrillus in Iohan. lib. 12. c. 29. Augustinus Tract. 9. in Iohan. lib. 2. c. 6. de Symb. Damascenus lib. 4. c. 10. de fide, Cyprianus, ex posterioribus quoque Magister Sententiarum libro quarto Dist. tertia & duodecima hanc historiam tractantes, accommodant eam ad genuina Ecclesiæ Sacramenta: & per Aquam, Baptismum: per Sanguinem, Eucharistiam intelligunt, Chrysostomus Homil. 84. in Ioannem capite decimo nono, inquit,* Exivit sanguis & aqua. Non casu & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati sanguine & carne nutriti. Hinc mysteria orium habent; ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens, accedas. *Augustinus Sermone 119. de tempore ait,* Si crucem vides, attende & cruorem. Si vides quod pendet, attende quod fuit. Lancea perforatum est latus Christi & manavit pretium nostrum. Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua ubi tingimini, & quasi per mare rubrum transitis. *Quæ interpretatio non male convenit cum eo, quod 1. Ioan. 5. legitur, de Christo ad nos veniente per aquam & sanguinem. Adhæc, non conuenit hoc signum cum ritu signati. In Cœna aqua & vinum miscenda simul. ut ex latere Christi impermixta effluxerunt. Hinc Iesuita etiam Suarez in 3. Thom. part. 3. q. 51. art. 3. disp. 41. §. 2.* Dicendum, est, *inquit,* sine dubio, in passione Christi, sanguinem & aquam exiisse impermixta & loco separata, quia non potuisset alias aqua a sanguine discerni.

Hæc etiam pertinet ad locum quem ex Apo-

calyps.

calypsi citatur de Consecrat. Dist. 2. capite. Cùm omne. Vbi sic legitur: Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò Christi sanguinem ostendi. Ergo cùm in calice vino aquâ misceatur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut mistio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. *Sed infirmissima est hæc probatio. Dicit quidem Bellarminus, istam adunationem repræsentari mistione illa: sed Canon dicto loco, ipsi mistioni tribuit. Christus in usu Cœnæ sese applicat, & suis membris coniungit, verùm non mixtione aquæ & vini, sed exhibitione corporis & sanguinis sui. Et si illa allegoria urgeatur, quia aquæ multæ sunt populi multi, plus sumendum esset de aqua quàm de vino. Vnum enim est caput, membra verò multa sunt: & parùm aquæ, valdè parùm de populo adunaret Christo. Imò si allegoriis liberet ludere, mistio aquæ cum vino, de adulteratione Cœnæ Dominicæ exponi posset. Notum enim est, quid Isaias intelligat, quando inquit*: vinum tuum mixtum est aquâ.

Vanitas nihil pertinaciter erroris.

Postremò obijcit Bellarminus Vetustatem, & contexit longum catalogum Patrum omnium regionum Syriæ, Italiæ, Africæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Germaniæ & Gratiæ, qui huius ritus mentionem faciant, nec eum improbent. Respondeo verbis Cypriani, qua libro secundo epistola tertia leguntur. Ab Evangelicis, *inquit*, præceptis omnino recedendum non esse & eadem quæ Magister docuit & fecit, discipulos quoque observare & facere debere, constantiùs & fortiùs alio in loco Apostolus docet, dicens: Miror quòd tam citò demutamini ab eo qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos perturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licèt nos aut Angelus de cœlo alitet annunciet, præterquàm quod annunciavimus vobis, anathema sit. Cùm ergo neque ipse Apostolus, neque Angelus de cœlo annunciare posset aliter aut docere, præterquam quod semel Christus docuit, & Apostoli eius annunciaverunt, miror satis undenam hoc usurpatum sit. Non est quod aliquis existimet, sequendam esse quorundam consuetudinem, Quærendum enim est ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos quoque audire & facere oportet, quod Christus fecit & faciendum esse mandavit. Et quod Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cœlo contestatur. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum esse putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: cùm apud Isaiam dicat, *Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes*, Et Dominus in Evangelio, Reijcitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Sed & alio loco dicit, Qui solverit unum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum. Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantò magis tam magna; tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum est, humana traditione mutare? &c. *Et ad Iubaianum de hæreticis baptizandis*, Victi, *inquit*, ratione, opponunt consuetudinem: quasi consuetudo sit maior veritate. Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. *Consuetudo igitur, licèt antiquissima, Verbo Dei corrigatur, & Patrum exempla non præiudicent exemplo Christi.*

Rituū improbatur ex Patrum exemplo.

Quæ cùm ita sint, Aurelianense Concilium 4. anno Christi 550. celebratum, hanc consuetudinem non iniuria abrogasse dicitur. Sic enim habet Canon 4. Decernimus observandum, ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum, offerre præsumat: quia sacrilegium iudicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit. *Recensèt hunc Canonem Surius tom. 2. Conciliorum in hunc modum*: Nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, aquâ mixtum, offerre præsumat: *&c. Sed hic non est verus Canonis sensus: Aqua enim non speratur ex fructu vineæ. Deinde, ut vinum aqua misceatur, Christus non instituit, qui igitur hoc facit, sacrilegium, iuxta Synodum committit.*

Rituū improbatur ex Concilio.

A Scholasticis.

Aliqui etiam ex Scholasticis Doctoribus ingenuè fatentur, non esse necessarium præceptum, de aqua vino admiscenda, sed esse decorum & honestum. Nam de Consec. Dist. 2. Can. Sicut. Glossa sic habet: Dicunt aquam esse admiscendam in calice DE HONESTATE TANTVM *Thomas Aquinas super 4. Dist. 11. quæst. 2. inquit*: Aqua debet apponi vino propter institutionem, quia Dominus appo-

appositisse probabiliter creditur, ex more illius patriæ: quia vinum ibi sine aqua nunquam bibitur propter vini fortitudinem. Quamvis de aqua in Evangelio mentio non fiat: quia non est principalis materia in hoc Sacramento. *Bonaventura super 4. Dist. 11. q. 3.* Non apponentes, *inquit*, aquam possunt se excusare per ignorantiam facti, quia Dominum hoc fecisse nesciebant, quum non haberatur ex Scriptura. *Ibidem:* aliqui dicunt, quòd aqua convertatur in Sacramento, sed teneat semper rationem aquæ; & est ibi propter significationem solùm. *Richardus super 4. Dist. 11. articulo 3.* Ostendo, *ait*, quòd aqua non sit vino apponenda, quia non legimus Dominum aquam appositisse. *Et mox ferè sui oblitus*: Dominus, *inquit*, appositit aquam, non tamen tanquam de Sacramenti necessitate, sed congruitate. *Ioannes Scotus etiam in 4. Sentent. Dist. 11. q. 6. & Innocentius de Officio Missæ par. 3. cap. 4. testantur*, in Ecclesia Græcorum suo tempore hanc consuetudinem nullum locum habuisse. *Et de illius necessitate Scotus disertè ait*: Huic vino apponere aquam non est simpliciter necessarium de necessitate Sacramenti. *Tolletus Iesuita quoque lib. 2. de Instrucl. Sacerd. c. 25. §. Rursus, apertè fatetur*, Consecrationem validam esse cum solo vino.

Et sanè qui ab hac superstitione sunt immunes, multis se eximunt quæstionib. & difficultatib. valdè inanibus & ridiculis, in quas Pontificij se se conjiciunt: Vtrum scilicet aqua cum vino in sanguinem convertatur? si non convertatur, ubi post consecrationem existat? Quomodo à vino, cui admiscetur, separetur? An Iejunus habendus sit, & ad alia sacra tractanda idoneus, qui hanc hauserit? An forte in Sacramentum ablutionis mutetur, sicut vinum in Sacramentum redemptionis? An in pituitam convertatur? An cum vino ratione commistionis in sanguinem transeat? Vtrum censeri debeat irritum sacrificium si aqua aut præmittatur, aut omittatur, aut non à vino superetur? &c.

CAPVT IV.

De Mutilatione Eucharistiæ & ablatione alterius speciei.

Eucharistiam mutilatam, & alteram speciem, vinum videlicet, inde ablatam, contra Christi, Apostolorum, Primitivæ Ecclesiæ, totiusque Antiquitatis exemplum & doctrinam lib. 4. cap. 6. pluribus indicavimus.

Bellarminus tamen ad tuendum hoc sacrilegium PRIMO, *varia adducit loca ex Verbo Dei tome 2. Disputat. libro quarto cap. 24. de Eucharistia.* Primò, *Ioannis 6. Christus unius tantùm speciei, & quidem panis, quater meminit.* Qui manducat me, vivet propter me. 2. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. 3. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. 4. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. *Hinc concludit*, Christum docere voluisse, unam speciem sufficere ad salutem. *Respondeo, Si hæc Dialectica valet, sequitur etiam, Sacerdotem debere una specie panis communicare, quod tamen Pontificii Institutioni Christi adversari dicunt. Deinde eodem modo colligitur, Scriptura aliquibus in locis de homine loquens, solius animæ, non corporis meminit, veluti Genes. 14. Rom. 13. &c. Ergo homo potest esse sine corpore. Adhæc insufficienter enumerat Iesuita ex hoc capite verba Christi. Nam quater etiam carnis & sanguinis simul meminit, quum inquit*: 1. Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 2. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in ultimo die. 3. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. 4. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in ipso. *Est etiam usitata Synecdoche, qua manducatio ponitur pro sumptione cibi & potus. Et quid ineptius fingi posset, quàm si quis ex simili dicto Ioan. 4.* Qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, *colligere velit, in Cœna Dominica nõ edendum, sed bibendum tantùm esse?*

Secundò, *adducit locum ex cap. 24. Luc. ubi Christus dicitur* in Cœna Emauntina panem accepisse, benedixisse, fregisse, & duobus discipulis dedisse, qui ipsum ex fractione panis agnoverint: In qua tota narratione poculi nulla fit mentio. *Respondetur, Panem, quem Christus Emaunte fregit, non sacramentum, sed panem cibarium, & in mensis communibus usitatum fuisse. Testari videtur hoc non obscurè Gregorius in Evang. homil. 3. ubi sic dicit*: Mensam igitur ponunt, panes cibosque offerunt, & Deum, quem in Scripturarum expositione non cognoverunt, in panis fractione cognoscunt. *Ergo panis & cibus, & apparatus ille universus Emaunte ab hospite factus, non fuit Sacramenti administratio. Hanc sententiam etiam sequitur Beda, & Lyranus, qui multis annis ante Constantiense Concilium, historiam hanc, non de Eucharistia, sed de vulgari panis fractione interpretatur: Guilielmus Wideford quoq;, qui circa annos Christi 1395. contra Wicleffi Articulos scripsit, apertissimè docet*:

cit: nec ex textu, nec ex gloſſa, nec ex antiqu's Doctoribus poſſe probari per fractionem panis Luc. 24. Euchariſtiam intelligi. *Et Alfonſus de Caſtro lib. 6. contra Hæreſes, quum diu multumque de hac hiſtoria diſputaſſet, tandem concludit*, ſe hac de re nihil definire velle. *Dionyſius Carthuſianus in 24. cap. Lucæ, ſic ſcribit:* Accepit panem, & benedixit, non tamen in ſuum corpus convertit, ſicut in Cœna, ſed, ut moris eſt benedicere cibum. *Et Antonius Iulianus in Poſtilla majori inquit*, Accepit panem, benedixit, fregit, & porrigebat illis, ſicut conſueverat ante paſſionem. *Veram autem eſſe hanc ſententiam, inde quoq; poteſt colligi, quod in Cœna Emauntica non uſus eſt ea forma, qua uſus legitur in prima Cœnæ inſtitutione, & qua uti ipſemet iuſſit uſq; ad cõſummationem ſeculi. Accepit quidem panem, benedixit, & fractum dedit eis: Non autem addidit, quod eſt potiſſimum in Cœna Dominica*, Hoc eſt corpus meum, &c. *Hoc facite, &c. Auguſtinus quidem de Conſenſu Evangeliſt. lib. 3. cap. 25. ſcribit*, Illo Sacramento panis unitate corporis participata removeri impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſet agnoſci. *Lyranus autem docet, hæc verba myſticè eſſe interpretanda, non de Sacramento, nec de naturali corpore Chriſti, ſed de ejus myſtico corpore, quod eſt Eccleſia: qui hujus corporis eſt particeps, vel membrum eius, Chriſtum agnoſcit. Hunc ſenſum habet Lyranus ex ipſomet Auguſtino, qui eodem loco ſic ſcribit:* Nec quiſquam Chriſtum ſe agnoviſſe arbitretur, ſi eius corporis particeps non eſt, id eſt, Eccleſiæ, cujus unitatem in Sacramento panis Apoſtolus commendat, dicens, Vnus panis, unum corpus multi ſumus. *Eccleſia igitur corpus illud erat, cujus facti ſunt duo diſcipuli participes & membra, unde ad Chriſti agnitionem peruenerunt. Adeò autem incertum eſt, an hiſtoria illa de Euchariſtiæ diſpenſatione loquatur, ut nec olim Conſtantienſe & Baſilienſe, neque nuper Tridentinum Concilium, pro defenſione unius ſpeciei teſtimonium illud auſum fuerit proferre: ut mirum ſit, Ieſuitam illud non potuiſſe obſervare.*

Sed inſtant: duo illi diſcipuli in fractione panis cum agnoverunt, ergo Cœnam adminiſtravit. *Negatur conſequentia: nam fractionem panis ſacram communionem hic ſignificare, non poterunt probare, quum hæc vox etiam ad cibum vulgarem in ſacris Literis ſæpè referatur. Et quod illi diſcipuli ſumendo communem cibum potuerint Chriſtum agnoſcere, mirum non eſt. Nam cùm ille, ut piè creditur, peculiares preces & gratiarum actiones habuerit, facilè inde agnoſci potuit. Lyranus dicit*, agnitum inde fuiſſe à diſcipulis Chriſtum, quòd panem tam æqualiter frangeret, quàm ſi cultro incideret.

Sed demus maximè, quòd Chriſtus Cœnam ſacram hic adminiſtrârit, nõ tamẽ inde ne ſic quidem unius ſpeciei uſus colligi poteſt, quoniam in fractione panis per Synecdochen totum Sacramentum cum utraque ſpecie intelligitur: quia: trita eſt, atque uſitatiſſima Scripturis loquendi formula. At, *inquit Bellarminus*, hiſtoria ita conjungit eò loco diſtributionem panis benedicti cum Domini receſſu, ut nullum relinquat locum benedicendo, vel diſtribuendo calici. *Reſpondeo, ex Bellarmini igitur ſententia ſequitur, quòd univerſa Cohors Sacrificulorum & Monachorum nequaquam concedit. Dicit, Chriſtum conſecrâſſe hîc Sacramentum ſub una tantùm ſpecie: atqui nulli Sacerdoti hoc licere ipſimet Pontificii omnes fatentur. Demus etiam hoc Chriſtum unam tantummodò Sacramenti partem dediſſe, non tamen ſequitur, nobis quoq; idem licere. Non enim abrogavit eo facto ſuum generale mandatum, quod in Cœnæ inſtitutione nobis dedit, & Literis Evangeliſtarum atq; Pauli poſtea confirmatum eſt. Deus præcepit ſemel Abrahamo, ut filium ſuum ſacrificaret, neq; tamen ex eo quidquam detraxit de ſuo generali præcepto.* Non occides. *Iuſſit etiam Iſraelitis, ut omnis generis vaſa Ægyptiorum aſportarent, nihilominus voluit ſalvum mandatum ſuum,* Ne fureris.

Tertiò, *citat locum ex 2. cap. Act. ubi hæc leguntur*, Addita ſunt Eccleſiæ die illo capita quaſi ter mille, erantque perdurantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. *Loquitur hic Evangeliſta de Euchariſtia: at nullam facit poculi mentionem: hinc ergo colligit Ieſuita*, fideles eo non uſos, ſed alterâ tantùm ſpecie contentos fuiſſe. *Reſpondeo, per fractionem panis totum ſacramentum ſynecdochicè intelligi: ſin minùs hanc figuram admittere vult, pari ratione colligam, panè tantùm uſi ſunt: ergo non etiam corpore & ſanguine. Similiter concludam, Apoſtolos Cœnam ſacram panis duntaxat, non etiam calicis confecrationem celebrâſſe. Hoc verò Ieſuita nullo modo concedunt. Neque verò elabi poteſt Bellarminus, quòd eodem loco dicit*, Lucam non deſcribere ibi quid Apoſtoli, ſed quid populus faceret, quum dicit, eos perſeverâſſe in doctrina Apoſtolorum, in cõmunicatione, fractione panis, &c. Apoſtolos enim in utraq; ſpecie Euchariſtiam adminiſtrâſſe, ſed populo in una ſpecie miniſtrâſſe. *Nam Paulus Act. 20. dicitur panem fregiſſe & guſtâſſe: de poculo ne verbum quidem habetur. Fuit igitur tùc conficiens, ut loquuntur, qui fregit panem. Coguntur ergo Ieſuita, velint nolint, concedere, per fractionem panis totum ſacramẽtum, id eſt, utranq; ſpeciem intelli-*

intelligendam per synecdochen : vel Paulus sacrilegium commisit , quòd sacramentum non utraque specie consecravit.

II. *His Scripturæ locis subjicit* SECVNDO *Bellarminus rationes ex testimonio veteris Ecclesiæ desumptas, quam tribus modis testari affirmat , Communionem sub una specie esse licitam.* Primò , *quia hanc Communionem nunquam reprehenderit , aut damnârit , quum tamen non ignoraret , Manichæos nunquam communicâsse, nisi sub specie panis. Respondeo, Manichæos tantùm sub una specie panis communicâsse, verum est: arbitrabantur enim vinum esse fel draconis : ac proinde intelligit Lector, à quibus hoc sacrilegium primò fuerit admissum , & quos in eo Pontificii imitentur , non Christi Ecclesiam , sed Manichæos hæreticos. Eos autem propterea veterem Ecclesiam non reprehendisse, aut damnâsse , mendacium est. Audiat enim Iesuita Leonem Episcopum Rom. Serm. 4. de Quadragesima ita loquentem de Manichæis:* Cùm ad tegendam infidelitatem , nostris Manichæi audeant interesse mysteriis , ita Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno corpus Christi accipiunt : sanguinem verò redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo scire volumus vestram sanctitatem , ut hujusmodi homines vobis , & his manifestentur indiciis , & quorum deprehensa fuerit SACRILEGA SIMVLATIO, notatis & proditi, à sanctorum societate , sacerdotali authoritate pellantur. *His verbis Leo gravissimè hunc Manichæorum errorem damnat, & sacrilegam vocat simulationem à sacrato calice abstinentiam. Quid obsecro de prohibitione dicturus fuisset? Audiat etiam Gelasium* I. *Papam sic loquentem*: Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quia nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra Sacramenta percipiant , aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio nequit provenire: *de Consec. dist. 2. Comperimus.*

Secundò, *testimoniùm veteris Ecclesiæ petit ex duobus exemplis hæreticorum fraudum. De primo scribit Sozomenus lib. 8. cap. 5. & Nicephorus lib. 13. cap. 7.* Fœminam quandam hæreticam Macedonianam quum vellet tegere suam hæresim , & se Catholicam simulare , accepisse inter sacra è Chrysostomi manibus , panem Eucharistiæ , tanquam paulò post illam manducaturam : sed eâm dedisse illum ancillæ, & ab ea sumpsisse panem profanum, quem ex domo adferri iusserat , ut illum comederet loco Eucharistiæ : sed eum panem continuò in lapidem esse conversum. *Ex hoc exemplo colligit Iesuita*, morem fuisse, ut acciperent , qui vellent , Eucharistiam sub una tantùm specie. Nam si omnes coacti fuissent bibere de calice Domini , mulier hæc nullo modo simulare potuisset , & pro calice aliquid aliud sumere : calicem enim non datum in manus laïcis , sed manu Diaconorum admotum fuisse ori. *Ad hoc testimonium variè responderi potest : sed paucis rem expediam.* Primò , *narratur hæc historia non à Chrysostomo, qui proculdubio eam silentio non præteriisset, si quid tale in ejus conspectu accidisset: Sed narratur à Sozomeno & Nicephoro, qui in suis historiis multa falsa pro veris referunt. Hanc autem historiam esse ficlam, conjecturâ non levi probari potest. Si enim mulier hæc, in re tam periculosa simulatione uti voluit , quid ei opus fuit panem de manu ancillæ sumere, præsertim eo tempore, eo in loco , & in oculis totius populi : aut cur non ipsa secum suis manibus , vel linteo involutum attulit? hoc enim modo erat illi simulare promptius : aut qui potuit ab ancilla tam palàm accipere, ut in suspicionem nullam veniret?* Deinde, *frigida est conclusio Iesuitæ, ex muliebris tantùm ingenii solertia & calliditate pendens. Nam eadem ratione , quâ virum in pane sumendo fefellit , etiam in bibendo calice potuit uti. Aut quid prohibuit sumpto poculo se bibere simulare, nec tamen bibere? hæc certè simulatio in poculo faciliùs, quàm in pane perfici potest, sive in manus communicantium detur, sive ori à Diaconis admoveatur. In iis autem Ecclesiis, in quibus panis datus fuit in manus laïcorum, poculum similiter datum fuisse, suo loco indicabitur.* Tertiò , *morem fuisse, in una & eadem Ecclesia , accipere vel non qui vellent, Eucharistiam sub una tantùm specie, falsum est , nec Iesuita testimonio aliquo vero probare poterit.* Quartò , *mutilationem Eucharistiæ in Ecclesia Constantinopolitana Chrysostomi ætate fuisse nullam, ex hoc Patre supra multis demonstratum est.*

Alterum *exemplum citat Iesuita ex Leonis Serm. 4. de Quadrag. ubi Leo dicit* , Manichæos panem Eucharisticum quidem sumere solitos fuisse cum Catholicis , non tamen calicem bibere. *Hinc colligit Iesuita*, si Romæ non fuisset libera Communio sub utraque specie , sed omnino semper sumere debuissent sub utraque, non potuisse ullo modo Manichæos latere , qui sanguinem Domini nunquam sumpserint. *Imò contrà Bellarmine , non fuisse liberam Romæ Communionem sub utrâq. specie, ex verbis Leonis paulò antè citatis intelligitur , in quibus sacrilegium vocat à sacrato calice abstinentiam. Deinde si libera fuisset Communio sub utrâq. specie, vel altera prohibita, ut hodie, tutissimè latuissent, nec*

hæresis eorum unquam deprehendi potuisset. Quòd igitur Romæ Leonis tempore, abstinentia à poculo Dominico, ceu signo vel tessera aliqua, & quasi nova ac insolita temeritate, Manichæos agnoscere debuerunt, argumentum est certissimum, Communionem sub utraq; specie non fuisse liberam, multò minus prohibitam, sed usitatam ac necessariam.

Tertiam rationem ex testimonio veteris Ecclesiæ desumptam, quâ probare conatur Iesuita unius tantùm speciei usum, petit ex variis ritibus ejusdem, Assertione nimirum Sacramenti, Communicatione domestica, communicatione infantium, communicatione ægrotorum, communione laica, & communione ex præsanctificatis. At verò in his omnibus, si non semper, tamen plerunque utriusque speciei usus fuit, ut ex iis intelligi poterit, quæ paulò infrà de his singulis referemus. Et si maximè in his casibus omnibus una tantùm species adhibita fuisset, non tamen id multùm contra nos faceret. Nam in disputatione præsenti, non quæritur de casibus necessitatis & extraordinariis, nec etiam quid unus aut alter privatim fecerit, sed quid in legitimis, ordinariis, publicis & solennibus celebrationibus Eucharistiæ, factum, administratum & dispensatum fuerit, Sicut autem ab initio hujus libri demonstravimus, ita etiam paulò post probabimus, in legitima & ordinaria administratione Cœnæ veteris Ecclesiæ, communionem sub utraque specie usitatam fuisse. Neque ullum ex tota Antiquitate exemplum proferre possunt, quo contrarium probare queant.

III. TERTIO, probat ex Incommodis Communionem sub una specie, quæ sequuntur ex usu utriusque. 1. Primum est incommodum, Multitudo populi, cui non facile in frequentissimis pagis Eucharistia sub utraque specie ab uno Sacerdote administrari potest. 2. Secundum est: Irreverentia Sacramenti, quæ committitur, quando vinum in terram effunditur. 3. Tertium, Quòd multi abhorrent à vino, ut abstemij. 4. Quartum, Penuria vini. Perinde hic agunt Iesuitæ & Pontificii objiciendis his Incommodis, ad excludendos laicos à Communione sanguinis, ut exploratores à Mose missi, ad explorandum terram Chanaan. Hi enim reversi, exaggerabant mirandum in modum difficultates & pericula. Ita Pontificii ibi trepidant timore, ubi non est timor: Psal. 53. ubi verò summum periculum est, ibi intrepidè perrumpunt. Hoc enim summum est periculum, relinquere Verbum Dei, ac sectari suas opiniones. Maledicti, inquit, qui declinant à mandatis tuis: Psal. 119. Sed hoc periculum non metuunt Iesuitæ. Quantacunq; ergo sint pericula, Verbum Domini semper manere debet, etiamsi cœlum & terra transeant.

Sed respondeamus ad argumentum Iesuitæ. Inest ei fallacia à non causa ut causa: sunt enim hæc incommoda non αἴτια sed tantum παρεπόμενα; hoc est, non vera ac justa causa, sed tantum inanes prætextus. Prævidit enim hæc incommoda omnia Christus, & tamen ea tanti non judicavit, quàm ut Eucharistiam sub utraq; specie institueret. Respondet ad hoc Bellarminus, Christum quidem sub duplici specie instituisse hoc Sacramentum, sed non sub duplici iussisse dare: Sed hoc falsum esse, in recitatione nostrorum argumentorum pro utraq; specie, mox demonstrabo. Deinde hæc incommoda omnia habuit etiam vetus Ecclesia, nec tamen abolitione aut mutilatione Sacramenti ea correxit, sed id sub utraque specie administravit. Respondet Iesuita, hoc factum, quum Christiani adhuc essent pauci. Hoc autem falsum esse inde colligitur, quòd sub Imperatoribus Christianis in frequentissimis Ecclesiis Augustarum urbium, viventibus Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Gelasio, & c. earum Episcopis, utriusq; speciei usus fuit. Deinde in primitiva Ecclesia plebs ad sacramenta longè frequentiùs confluebat, quàm hodie. Adhæc, Iesuitæ responsio ad unum tantùm Incommodum pertinet, quum plura enumerârit, quæ vetus Ecclesia quoq; habuit, & tamen non obstantibus iis Sacramentum integrum retinuit.

An propter quædam incommoda Cœna mutilanda.

Expendamus autem singula pericula quæ enumerat, tanti-ne sint momenti, ut vel abolitione totius Sacramenti, vel saltem mutilatione sint corrigenda. Primum est, multitudo populi, cui non facilè in frequentissimis pagis Eucharistia sub utraque specie ab uno Sacerdote dari potest. *Quasi verò ad præcavendum hoc Incommodum, laicis non venia concedi possit suis ipsorum manibus poculum de mensa Domini reverenter sumere & bibere, si Sacerdotes plures non adsint, qui ipsis porrigant. Audiat Iesuita quid Leo 1. Rom. Episcopus in simili casu fieri iusserit*: Quum, *scribit Dioscuro*, solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, ut sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodùm confluxerint, non recepti: quum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur, alioquin necesse esset, ut quædâ pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possent, nisi prima diei parte convenerint. *Voluit ergo Leo, Eucharistiam potiùs iterandam, & quidem uno eodemque die,*

die, ſi major frequentia populi adſit, quàm partem aliquam ſua devotione privandam.

Alterum periculum eſt, metus effuſionis. *Sed hæc effuſio non fit per ſe, ut quotidiana docet experientia: & ſi maximè fieret, tamen quia Chriſtus calicis uſum inſtituit & præcepit, non eſſet abolendus. Fit igitur per accidens & ut plurimùm. Quæ autem ſic fiunt, rei naturam & verum uſum non tollunt. Neque enim vinum, quia immodicè eo utentes inebriat, tollendum & damnandum eſt. Deinde, fieri poteſt, Auguſtino teſte, ut etiam in terram panis cadat, non tamen propterea ejus uſum excludendum Ieſuitæ cenſent. Infantibus in veteri Eccleſia poculum datum fuiſſe ex hiſtoriis notum eſt; at licèt ejectum ab eis interdum per vomitum fuerit, non tamen propterea abrogatum fuit. Apud Cyprianum legimus in Serm. de Lapſis, puellæ obſeſſæ & vehementer reluctanti Diaconum de Sacramento calicis infudiſſe, ac mox ſanctificatum in Domini ſanguine potum de pollutis viſceribus erupiſſe, nec tamen propter hunc vel ſimilem caſum poculum in ea Eccleſia prohibitum fuit. Imò Pius 1. inſtituit*, ut gutta vini, quæ in terram fortè cecidiſſet, raderetur: tabula verò, in quam decidiſſet, raderetur, ſi verò tabula non eſſet, ut locus corroderetur, & igne conſumeretur; cinere intra altare recondito. *Et Toletanum 2. Concilium Can. 2. decrevit*; Si quis vel propter infirmam valetudinem: vel propter aliam aliquam naturæ imbecillitatem, Sacramentum aut repudiaret, aut non in ſtomachum ingereret, aut evomeret atque reiiceret inuitus, hoc ei fraudi non eſſe: tam abſuit, ut propter hæc incommoda alteram ſpeciem, vel Sacramentum totum Eccleſiæ ſubtrahendum judicarent. *Quemadmodum igitur ſumma cautio adhibenda eſt, ut omnia devotè, diſcretè ac religioſè fiant, nec aliquid effundatur: ita ſi maximè fiat effuſio, ea tamen non pro inexpiabili flagitio ac ſcelere, ſed pro errore contra τὸ πρέπον commiſſo habenda eſt. Neque enim, quod diligenter advertendum, id quod cadit in terram amplius Sacramenti rationem habet: Etſi enim potum ſpiritualem ex petra biberunt Patres, iumenta tamen omnia ex eodem profluente potari ſolita, Sacramentum aut potum ſpiritualem minimè biberunt. Tertiò, obiicit* Abſtemios: *quartò*, penuriam vini. *Reſpondeo, hæc ſingularia eſſe, & proinde generali regulæ, à Chriſto inſtitutæ, non poſſe derogare. Rectiùs ſic concluderet Ieſuita, Ergo aut abſtinendum eſt abſtemiis à Cœna Domini, qua natura ipſos privavit, aut potus uſitatus ijs in locis, ubi vinum prorſus haberi nequit, adhibendus eſt. Aliqui etiam Sacerdotes quum ægrotant, nauſea quadam vinum faſtidiunt: Iidem in quibuſdam regionibus vinum difficulter cuſtodire poſſunt. Cur igitur non omnes etiam Sacerdotes Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie accipiunt? Aut cur Sacerdotibus in Norvegia, Volaterrano teſte, conceſſum eſt ab Innocentio 8. Papa, neceſſitate id exigente*, ut calicem Dominicum ſine vino conſecrarent ex muſto, quia vinum in illam regionem importatum ob immenſum frigus citò corrumpitur? *Et quod de vini penuria apud gentes quaſdam obiicitur, id etiam ad alteram partem Sacramenti referri poteſt. Nam & Arrianus lib. 8. & Strabo in Geograph. ſcribunt*, multas gentes & nationes eſſe, quæ pane prorſus careant. *Num igitur ob hos paucos homines tota Eccleſia pane Euchariſtico privanda erit? Aut ſi hoc iniquum Pontificiis videtur, cur ſimili iniquitate in prohibitione univerſali alterius ſpeciei utuntur.*

IV. De Concomitantia.

QVARTO *probat Bellarminus unius tantùm ſpeciei uſum in Eccleſia, per* Concomitantiam. *Ac docet*, Totum eſſe Chriſtum ſub utraque ſpecie: ubi enim corpus vivum, ibi quoq; ſanguis adeſt & anima, & propter unionem hypoſtaticam, etiam Divinitas. *Reſpondeo* primò, *Nititur hac tota diſputatio Ieſuita falſo fundamento de vera & reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, de qua eſt controverſia: & proinde, eſt petitio principij.*

Deinde ſententia hæc de Concomitantia, ex ratione humana deprompta eſt, contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem, quæ ſic reformatur, mutatur & mutilatur, quum potiùs ei firmiter inhærere, & præſcriptum Chriſti ſimpliciter contra humanam ſapientiam ſequi deberemus. Inſtituit autem Chriſtus duas diſtinctas ſpecies in Cœna, panem & vinum: Nec de vino, ſed de pane dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. *Similiter non de pane, ſed de vino dixit*, Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum, *vel*, Hoc eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine. *Nec Paulus dixit, Panis quem frangimus communio corporis & ſanguinis Chriſti eſt: Sed diſtinctè loquutus eſt*, Poculum benedictionis, cui benedicimus, communio ſanguinis Chriſti eſt: Panis, quem frangimus, communio corporis Chriſti eſt. *Medium igitur, quo nos participes vult facere corporis ſui, eſt panis: & medium, quo nos vult participes reddere ſui ſanguinis, eſt ſpecies vini. Quod ſi ſpernamus & abjiciamus hac media, vel ea pro noſtro arbitrio mutemus, non poſſumus nobis polliceri participationem Chriſti. Quamobrem mediis iſtis utamur, & ita quidem, ut ab ipſo Chriſto præſcripta, inſtituta & ordinata ſunt: nec propter humanas cogitationes de connexione partium in re ſignata, faciamus*

divulſionem, ſeu diviſionem partium in externo ritu vel ceremonia.

Tertiò, *quemadmodum per immiſſionem particulæ panis, vel Hoſtiæ in Calicem, ſanguis Chriſti pro nobis fuſus, in myſterio monſtratur cum corpore ipſius pro nobis mortuo, ad priſtinam vivi hominis ſubſtantiam rediiſſe, juxta hæc verba Sacerdotis:* Fiat commixtio corporis & ſanguinis Domini: *item & ſecundum hæc verba Amalarii lib. 3. de Officiis Eccleſ.* In iſto officio (*immiſſionis videlicet panis in vinum*) monſtratur ſanguinem fuſum pro noſtra anima, & carnem mortuam pro noſtro corpore, redire ad propriam ſubſtantiam, atque ſpiritu vivificari, &c. *Sic quoque per ſeparatum panem à vino eodem inſinuatur myſterio, corpus à ſanguine in hoc memoriali, quod offertur, paſſionis ac mortis Chriſti ſacrificio, velut ſeparatum eſſe, atque ut ſeparata hæc à ſe invicem conſiderari & tractari, dum in hoc myſterium agitur corporis, ut in mortem traditi, & ſanguinis, ut pro nobis effuſi: quod olim ex receptiſſimo hujus myſterii in Eccleſia ſenſu hoc modo intellectum fuiſſe, teſtantur etiam ipſi quondam Romani Epiſcopi. De Manichæis enim, qui inter Chriſtianos Catholicos per ſimulationem ſe communioni miſcebant, ſic ſcribit Leo 1. in Serm. Quadrag.* In Sacramentorum communione ita ſe temperant, ut ore indigno corpus Chriſti accipiant, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinent. *Quod ſi Concomitantiæ figmentum Leonis tempore in Romana Eccleſia exiſtitiſſet, ut hodie exiſtit, non rectè dixiſſet, ſanguinem redemptionis à Manichæis omnino declinari. Senſit igitur Leo ſanguinem redemptionis, quatenus in myſterio, ut effuſus, ore hauritur ex calice, non realiter contineri in corpore, quia ſic non eſt ſanguis redemptionis, ac ideo etiam realiter cum corpore non ſumi. Hinc etiam Cyprianus inquit:* Vbi vinum non eſt in calice, ſanguis Chriſti non poteſt exprimi: quia ſanguis in vino intelligitur, ſicut populus fidelium in aqua. *In eandem ſententiam Geläſius quoque ſcribit, ut habetur de Conſec. diſt. 2. c. comperimus.* Quòd qui ſumpta tantummodò ſacri corporis portione à calice ſacrati cruoris abſtinent, ſacrilegam unius eiuſdemque myſterii diviſionem inducant, eaque propter aut integra Sacramenta percipere, aut ab integris arceri debeant. *Hæc non, ut fingunt Pontificii, de Sacerdotibus ſacrificantibus tantùm; ſed ut Micrologus cap. 19. & alii rectè cenſent, de plena fidelis populi communione qualis tunc, ut omnes Liturgiæ, omniumq. Conciliorum Canones teſtantur, paſſim adhuc in Eccleſia fuit, decreta, apertiſſimè teſtantur, ſi ſacri tantummodò corporis portio, abſq. ſacrati cruoris & ſanguinis communione ſeparatim ſumi poteſt: ac proinde, niſi utrúq. ſimul ſumatur, unius ejuſdemq. myſterii, in corpore tradito & ſanguine fuſo, diviſionem fieri, adeoq. ſacrilegium committi neceſſe eſt, non poſſe hæc deveri atq. naturalis corporis & ſanguinis, per ſealem Concomitantiam, indiviſa ſub ſpecie panis & vini exiſtentia intelligi.*

Quartò, *ſi ita liceret ex Concomitantia argumentari contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem, in univerſum abrogari poterit Cœna Domini. Docent enim ſacræ Literæ,* fide nos participes fieri totius Chriſti, ita ut totus & integer maneat in credentibus, & credentes in ipſo. *Paulus etiam teſtatur Galat. 3.* nos in Baptiſmo Chriſtum induere. *Ad quid igitur Cœna Domini inſtituta eſt, ſi ſic Chriſti participes reddimur?*

Quintò, *Si concedamus Concomitantiam, ſequetur, etiam Sacerdotibus non neceſſe eſſe, ut de poculo bibant, quum iam antea ſub ſpecie panis, una cum corpore etiam ſanguinem Chriſti acceperint. Sic tandem ſequeretur, Chriſtum poculum ſanguinis ſui, tanquam ſupernacaneum quiddam inſtituiſſe, quòd neque Sacerdotibus, neque Laicis ſit neceſſarium.*

Sextò, *pars non dicitur comitari totum, ſed eſſe in toto. Sanguis autem eſt pars corporis viventis: igitur illi ineſt ipſius natura virtute, non tanquam adventitia aut extranea res.*

Valdè denique hoc Pontificiorum figmentum de Concomitantia Tranſſubſtantiationis dogma labefactat. Nam ſi corpus Chriſti habet ſanguinem ex Concomitantia, habet igitur oſſa & carnem eodem modo. Nihil igitur eorum ex quibus conſtat corpus Chriſti vi Tranſubſtantiationis adeſt in Euchariſtia, ſed per Concomitantiam, ac proinde nulla eſt Tranſſubſtantiatio. Aut oſtende rationem, ob quam, vi Tranſſubſtantiationis, panis potiùs convertatur in carnem & oſſa, quàm ſanguinem? itemque ſi ſanguis per Concomitantiam adſit, cur non ob eandem etiam caro & oſſa adeſſe poſſint?

Vlterius etiam progreditur Ieſuita, & non ſolum ſanguinem Chriſti, ſed ejuſdem Divinitatem & animam quoq. per Concomitantiam in Euchariſtia eſſe docet. Quod quàm parùm ὑγιὲς ἀδόξως ab eo dicatur, quivis intelligit. Nã quod Deitatem attinet, quum dicit, eam humanam naturam comitari, ſatis ſeſe prodit quòd neſciat, quæ vis ſit ἑνοσαρκώσεως, & unionis hypoſtaticæ. Quod ad animam pertinet, ſic ex Verbo Dei ſtatuendum eſt, Chriſtum habere animam & corpus, quia eſt verus homo: at propterea animam Chriſti non concomitari corpus ipſius, quaſi aliquid externum & adventitium, ſed eſſe in ipſo corpore, non beneficio Concomitantiæ, ſed veritate naturæ. Adde, quòd anima in uno eodéq. corpore non poteſt eſſe variis modis, & quidem repugnantibus. Quum autem anima Chriſti

in

in eius corpore, quod in cœlis est, non sit per concomitantiam, ut in eo quod est in Eucharistia: aut non est idem corpus, aut anima in eodem corpore est modis repugnantibus: quod tolleret veritatem humanæ naturæ Christi.

Quemadmodum autem res ipsa, sic etiam nomen nouum & à Scholasticis demum excogitatum est, ipso quoque Hardingo teste, qui contra Iuellum art. 8. sect. 17. sic scribit: Scholastici Theologi illud verbum, Concomitantia, utiliter excogitârunt, docentes, unà cum corpore sub specie panis adesse sanguinem, animam & Diuinitatem Christi: cum sanguine quoque sub specie vini, corpus, & animam, & Diuinitatem adesse, ex Concomitantia, &c.

QVINTO *dicit Iesuita*, non maiorem utilitatem ex utraque specie sumi, quàm ex una. *Respondeo* primò, *Mirum est Iesuitam hoc potuisse intelligere, Christum non potuisse, qui utramque speciem instituit. Aut si intellexit, cur suam ipse institutionem non rescidit, ne superfluum aut superuacaneum aliquid Ecclesiæ relinqueret, ab hominibus tandem, ipso prudentioribus, post multa secula corrigendum?* Secundò, *Si seriò hoc dicit Iesuita, non maiorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quàm sub una: Cur Sacerdotes etiam non contenti sunt una tantùm specie? cur putant, suam dignitatem augeri utriusque speciei participatione?* Tertiò, *Bellarmini figmento oppono Ambrosium, qui super Epistolam 2. ad Corinthios sic scribit de utriusque speciei sumptione:* Valet ad tuitionem corporis & animæ, quod percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra offertur. Sed tamen sub utraque specie sumitur, quòd ad utrumque valet, quia sub utraque sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantùm sumeretur, ad alterius tantùm, id est, animæ vel corporis, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur, &c.

Scholastici etiam Doctores contrarium docuerunt: nempe, communionem sub utraque specie perfectiorem, completiorem & maioris efficaciæ esse, quàm sub una tantùm. *Nam Alexander Alensis quæst. 32. membro 1. cap. 2. inquit:* Sumpto hoc Sacramento dignè in utraque specie, maior est effectus unius corporis mystici cum capite, quàm sumpta sub altera. *Idem Quæst. 53.* Licet, *inquit*, illa sumptio quæ est in accipiendo sub una specie, sufficiat: illa tamen quæ sub duabus, est maioris meriti, tum ratione augmentationis, tum ratione fidei, dilarationis actualis, tum ratione sumptionis completioris. *Rursus:* Sumptio sub utraque specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est maioris efficaciæ & complementi. *Quæst. 31. dicit,* eum qui accipiat Sacramentum sub specie panis, non accipere perfectè Sacramentum, quantum ad sacramentalem sumptionem. *Albertus Magnus in 4. Sentent. dist. 8. artic. 13. ait*, duplicem esse in hoc Sacramento perfectionem: Christi ipsius, & Sacramenti, secundùm quod veniat in usum fidelium. *Priore modo dicit* verum esse, Christum esse perfectum sub utraque specie. *Secundo modo* videri sibi falsum: quia non perfectè signetur & caufetur usus fidelium, & unitas corporis mystici, nisi duplici signo: & ideo virtute Sacramenti, oportere utrumque habere. *Thomas 3. Summæ, quæst. 66. art. 2. docet,* Quamuis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra utramque sumi. *Nam primò, ait*, hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis à corpore separatus. *Secundò*, hoc est conueniens usui huius Sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. *Idem contra Gentiles lib. 4. cap. 61.* Quia, *inquit*, complementum nostræ salutis factum est per passionem Christi & mortem, per quam eius sanguis à carne separatus est, separatim nobis traditur Sacramentum corporis eius sub pane, & sanguis eius sub specie vini: ut sic in hoc Sacramento passionis Dominicæ memoria & repræsentatio habeatur, & secundùm hoc impleatur, quod Dominus dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Nec potest obijci, hæc omnia de Sacrificiorum sumptione dici, nam expressè loquitur Thomas de exhibitione quæ fit fidelibus. Petrus de Palude dist. 11. artic. 1. dicit*, duplicem debere esse materiam huius Sacramenti, nempe cibi & potus materiam: & effectum Sacramenti debere perfectè repræsentari per materiam: Sacramenta enim efficere quod figurent. Huius autem Sacramenti effectum, esse perfectam animi refectionem, ergo materiam repræsentantem, debere esse perfectam corporis refectionem, quæ non sit nisi per cibum & potum. *In hanc etiam sententiam Bonauentura dist. 8. quæst. 2. docet*, in hoc Sacramento ex duobus signis unum & perfectum resultare Sacramentum, cuius integritatis ratio dispositiuè veniat à natura, quia nec panis sit per se plenè reficiens, nec vinum, sed utrumque sit una plena perfectio: completiuè verò veniat ab institutione diuina, quæ institutio hæc duo signa ordinârit, ad significandum unam perfectam refectionem. *Hæc propterea adscribere placuit, quòd præcipui ex Scholasticis, non solùm contra thesin*

theſin Bellarmini aperiè docent, ſed etiam rationes, quibus eam probare conatur, refutant.

Argumenta contra huiuſmodi ſententiam Cæna.

Refutatis igitur argumentis & rationibus Bellarmini pro Communione ſub una tantùm ſpecie, reliquum eſt ut noſtram ſententiam pro utraque rationibus & argumentis confirmemus. Sumemus autem quædam ex inſtitutione Cænæ, quòd illa rectiſſima & optima regula ſit adminiſtrandi, diſpenſandi & uſurpandi hoc Sacramentum. Vnde etiam Cyprianum pronunciaſſe ſupra audiuimus, Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum eſſe putauerit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.

I. PRIMVM *autem argumentum hoc ſit. Quicquid Chriſtus in Cænæ inſtitutione coniunxit, id ſeparare homo non debet. Atqui panem & poculum, Corpus ſuum & ſanguinem ſimul coniunxit: Ergo nemo hominum ea ab invicem ſeparare debet.*

II. ALTERVM *argumentum eſt: Quicquid Chriſtus in Cœnæ inſtitutione inſtituit, id toti Eccleſiæ inſtituit. Sed panem & vinum in Cœna inſtituit: ergo has duas ſpecies toti Eccleſiæ inſtituit. Probatur Maior* primò *ex epulo Paſchali, in cuius locum Cœna Dominica ſucceſſit. Id verò non à ſolis Sacerdotibus ſed ab vniuerſo populo Iſraelitico ſumebatur.* Secundò, *ex Baptiſmi inſtitutione, quæ ad totam Eccleſiam pertinet.* Tertiò, *ex verbis Chriſti; qui dixit de pane*, Accipite, Comedite: *& de poculo*, Ac-

Bibite ex hoc omnes, an ad ſolos Apoſtolos dictum.

cipite, Bibite ex hoc OMNES. *Reſpondet ad hanc poſtremam probationem Bellarminus, hæc verba*, Bibite ex hoc omnes, dicta fuiſſe ad ſolos Apoſtolos, qui tum ad menſam cum Chriſto ſoli ſedebant. *Reſpondeo, Chriſtus quidem in Cœna ſua ultima tantùm Apoſtolos ſecum habuit, ſed ij tunc fuerunt typus totius Eccleſiæ, hoc eſt, tam Laicorum, quàm Clericorum: quemadmodum aliàs ſæpe. Hinc etiam Hieronymus in* 1.*Cor.*11. *ſic colligit:* Dominica Cœna omnibus debet eſſe communis, quia ille omnibus diſcipulis ſuis, qui aderant, æqualiter tradidit Sacramenta. *Niſi cui libeat cum Eccio dicere*, Diſcipulos ante Aſcenſionem Chriſti Cardinales tantùm fuiſſe: *In Enchiridio tit. de Cardinalibus. Deinde, ad quos de pane dixit*, Accipite, comedite: *ad eoſdem de Poculo dixit*, Accipite, bibite ex eo omnes. *Vel igitur totum Sacramentum Sacerdotibus tantùm à Chriſto inſtitutum eſt: vel quo iure ad laicos pertinet*, Accipite, edite: *eadem etiam ad eos pertinet alterum*, Accipite, bibite, omnes. *Reſpondet Ieſuita, Chriſtum quidem non dediſſe panem laicis, non tamen prohibuiſſe à nobis dari: Imò alibi inſiſtit dari, quum ait;* Hoc facite. *Reſpondeo, non etiam prohibuit ſed potiùs præcepit laicis dari poculum, dicendo de eodem*, Hoc facite, *de quo paulo poſt dicemus. Ne verò putes Ieſuita, nos ſolos ita ſentire, audiat de hoc loco iudicium Gerardi Lorichij ſuæ factionis acerrimi & Tranſubſtantiationis, & Primatus Papæ, & Miſſæ propugnatoris. Is in libro de Miſſa publica proroganda, ſic ſcribit:* Sunt pſeudocatholici, qui reformationem Eccleſiæ quoquo modo remorari non verentur. Hi ne laicis altera ſpecies reſtituatur, nullis parcunt blaſphemijs. Dicunt enim Chriſtum, ſolis Apoſtolis dixiſſe, Bibite ex eo omnes. Atqui verba Canonis habent, Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hic, dicant, oro, num & hoc dictum ſit ad ſolos Apoſtolos. Ergo Laicis & à ſpecie panis eſt abſtinendum: Quod dicere eſt hæreſis, & blaſphemia peſtilens, & execrabilis. Conſequitur ergo, VTRVM QVE VERBVM DICTVM ESSE AD OMNEM ECCLESIAM. *Hæc Lorichius.*

Inſpiciamus tamen rationem, qua Bellarminus probare conatur, verba Chriſti, Bibite ex hoc omnes, *ad ſolos Apoſtolos pertinere.* Particula, *inquit*, Omnes, non ſemper in Scriptura accipitur vniuerſaliſſimè pro omnibus hominibus, ſed ſæpe pro omnibus certi alicuius generis. Et ſic hoc quoque particula hæc accipienda eſt: alioquin ſequeretur. Turcis, Iudæis, Ethnicis & ſimilibus hoc Sacramentum dandum eſſe. *Reſpondeo: Concedimus totum argumentum. Ab initio enim huius argumenti diximus, quibus hoc Sacramentum inſtituerit Chriſtus: nempe, non omnibus cuiuſcunque ſint Religionis hominibus, ſed tantùm ſuæ Eccleſiæ: Ac proinde excluduntur Iudæi, Turcæ & ſimiles. Imò in ipſa quoq; Eccleſia reſtringenda eſt hæc particula ad certum etiam genus hominum: nimirum, ad fideles adultos. Sed obijcit Bellarminus*, Non poſſe hoc à nobis probari. *Reſpondeo: probatur primò ex Inſtitutione Chriſti, dixit ille*, Accipite, edite, & bibite, *his tantùm qui poſſunt in Eccleſia hoc præſtare: at ſoli adulti poſſunt. Deinde probatur ex Paulo, qui* 1.*Cor.*11. *inquit*, Quotieſcunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate. *Item*, Quiſquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem homo ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. *Mortem autem Domini annuntiare: dignè de pane hoc edere, & de poculo bibere: probare ſeipſum, nullus poteſt niſi fidelis adultus. Ad hos, inquam*, Omnes, *cuiuſcunq; ſint ſtatus, conditionis, ac generis, Chriſtus dicit*, Accipite, edite, bibite omnes: *proinde etiam in ipſa Eccleſia ab Euchariſtia ſumptione exclu-*

excluduntur infantes. Quod verò obijcit hic de abſtemijs adultis fidelibus: Reſpondeo ex Pomponio Iuriſconſulto, qui dixit: Leges attingunt ea, quæ communiter, & ut plerunq; contingunt, non quæ paucis, & rarò.

III. TERTIVM *argumentum pro utraq; ſpecie ſumitur à mandato Chriſti. Nam in inſtitutione Cœnæ, Chriſtus uſus eſt eiuſmodi loquendi forma, quæ expreſſum habet præceptum & mandatum. Dixit enim*, Accipite, comedite: Accipite bibite ex hoc omnes. *Quid eſt mandare ac præcipere, ſi hoc non eſt? Et tamen hoc non contentus, ſubijcit,* Hoc facite. *Quaſi diceret, Hoc ipſum quod ego & vos iam fecimus, etiam in poſterum diligenter obſeruate & cuſtodite. Quid fecit Chriſtus? Conſecrauit ſumpſit, diſtribuit omnibus præſentibus utramq; ſpeciem, panem & vinum. Debent igitur Apoſtoli & omnes Eccleſiarum Miniſtri, non tantùm conſecrare & ſumere, ſed etiam omnibus præſentibus dare ſpeciem utramque. Quid fecerunt Apoſtoli? Acceperunt panem & comederunt: ſimiliter & poculum acceperunt, & biberunt ex eo omnes. Idem igitur omnes fideles facere debent. Sic mandatum*, Hoc facite, *Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. & Damaſcenus lib. 4. de Fide, c. 14. ad Chriſti actionem referunt. Ad actionem verò diſcipulorum refert Baſilius in lib. Regularum moralium, reg. 21. Cyrillus Alexandrinus lib. 12 in Ioan. cap. 58. præſertim verò Apoſtolus Paulus 1. Cor. 11. inquiens*: Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, &c.

Ad illud mandatum Chriſti, Hoc facite, *Bellarminus reſpondet*, Lucam ad poſuiſſe poſt datum Sacramentum ſub ſpecie panis: poſt datum autem calicem non repetiſſe, ut intelligeremus, iuſſiſſe Dominum, ut ſub ſpecie panis omnibus diſtribueretur Sacramentum, ſub ſpecie autem vini non item. *Reſpondeo: De utraq; ſpecie hoc mandatum dediſſe Chriſtum ex Paulo Chriſti interprete optimo clariſſimè intelligitur. Is enim 1. Cor. 11. ſic ſcribit:* Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Dominum Ieſum ea nocte qua proditus eſt, accepiſſe panem, & gratijs actis fregiſſe, ac dixiſſe, Accipite, edite: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hoc facite ad mei recordationem. Similiter & poculum, poſtquam cœnaſſet, dicendo: Hoc poculum, eſt Nouum illud Teſtamentum per meum ſanguinem: Hoc facite quotieſcunq; biberitis, ad mei recordationem. *Hæc dicit Paulus ſe à Domino accepiſſe, & Dominum hæc omnia & ſingula feciſſe ea nocte qua proditus eſt: ergo de utraq; ſpecie dixit,* Hoc facite. *Nuſquam verò legimus, Dominum dixiſſe*, Vobis ipſis uno modo, cæteris alio miniſtrate, *Vel ſic*, vos utramque ſpeciem ſumite, laici non niſi alteram ſumant.

In verbis igitur inſtitutionis Cœnæ Dominicæ expreſſum, clarum & manifeſtum habemus Mandatum & præceptum Chriſti, de conſecrando, accipiendo & diſtribuendo omnibus pane & vino, Agnouit hoc etiam Cyprianus qui lib. 2. Epiſt. 3. Inueniemus, *inquit*, non obſeruâri à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoq; faciamus. *Et in Serm. de Cœna*, Lex, *ait*, eſum ſanguinis prohibuit, Euangelium præcepit ut bibatur. *At ubi Euangelium hoc præcepit? Nuſquam ſanè, niſi quum Chriſtus diceret*, Accipite, edite, bibite ex hoc omnes, Hoc facite, &c. *Quocirca mirandum eſt, Bellarminum adeò pudorem omnem abieciſſe, ut non ſemel, ſed ſæpius dicere audeat*, Nullum præceptum à Chriſto datum de utraq; ſumenda ſpecie: *tomo 2. de Euchariſtia lib. 4. ca. 24. Item ca. 26.* Populum Chriſtianum habere quidem in uſu, ſed non in præcepto, bibere ſanguinem Domini. *Ibidem*, Negamus iure diuino mandatum, ut detur utraq; ſpecies laicis. *Eodem cap. col. 932.* Non præcepit, Chriſtus, an ſub una, vel ſub utraq; ſpecie Euchariſtia ſumi debeat. *Deteſtanda quoq; eſt audacia Tridentini Concilij, quod anathematizare auſum eſt eos, qui dicunt*, ex Dei præcepto omnes & ſingulos Chriſti fideles utramq; ſpeciem ſumere debere.

IV. QVARTVM *argumentum ſumitur à iure Teſtamentorum. Teſtamento hominis nihil licet, ſi confirmatum ſit, vel addere, vel demere, multo minùs Teſtamento Dei. Gal. 3. Eſt autem Calix Nouum Teſtamentum in ſanguine Chriſti. Ergo huic Teſtamento nihil licet addere vel detrahere: quod factum illi, qui uſum Calicis maiori parti Eccleſiæ eripiunt.*

V. QVINTA *ratio ſumitur à Traditione Apoſtolica: Ea ſine dubio omnes obligat. Tradidit autem Paulus, omnibus utramq; ſpeciem eſſe ſumendam, 1. Cor. 11. nam toti Eccleſiæ Corinthiacæ id tradidit, non tantùm Clericis. Ac licèt quadam in ea Epiſtola extent quæ non ex æquo ad omnes pertineant, ut obijcit Bellarminus: hanc tamen formam Cœnæ omnibus in ea Eccleſia tradidit, & ad eam adſtrinxit, non tantùm tradidit & hiſtoricè recitauit, ut impudentiſſimè Ieſuita cauillatur. Et quidem multis verbis ſignificat Paulus, ſanguinem Chriſti ſeorſim & peculiariter ex calice omnes debere bibere. Cùm enim Dominus diſcipulis calicem præbuerit, Apoſtolus ſexies mentionem facit* Bibendi. *Primò inquit:* Hoc facite quotieſcunq; biberitis. *Secundò*, Quotieſcunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis. *Tertiò*, Quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè. *Quartò*, Probet autem homo ſeipſum,

& ſic

& ſic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. *Quintò*, Qui edit & bibit indignè. *Sextò*, Iudicium ſibijpſi edit ac bibit.

VI. SEXTA *ratio, eſt Conuenientia Sacramentorum veterum cum noſtris. Ex veteribus autem Sacramentis ſine diſcrimine omnes participarunt, tam Laici, quàm Sacerdotes. De agno Paſchali hoc certum eſt, de Manna itidem, & de aqua ex petra. Vnde etiam Paulus* 1.*Cor.*10. *c.ſic ſcribit*: Nolim vos ignorare fratres, patres noſtros omnes ſub illa nube fuiſſe, & omnes per mare tranſijſſe, & omnes in Moſe baptizatos eſſe nube & mari, & omnes eandem eſcam ſpititualem ediſſe, & omnes eundem potum ſpirirualem bibiſſe. *Atqui hodie gratia Dei non eſt reſtrictior erga Eccleſiam, quàm fuerit olim. Reſpondet Bellarminus*, bibiſſe quidem eos aquam de petra, & comediſſe ſpiritualem cibum, ſed diuerſo loco & tempore. *Reſpondeo, Eodem loco & tempore Man & aquam ex petra comederunt & biberunt, ut legenti hiſtoriam patebit, Num.*20. *Nam non tantùm in Syn, ſed etiam in Raphidim data fuit Iſraelitis Manna. Vnde etiam Chryſoſtomus homil.*23.*in* 1.*Corinth. inquit*, Illis Mannam & aquam, tibi corpus & ſanguinem dedit.

VII. SEPTIMVM *argumentum ſumitur à Rationibus. De quo vide Viretum de Orig. Miniſt. & Sacram.l.*16.*c.*8.

VIII. OCTAVA *ratio ſit Authoritas Pontificiorum nonnullorum authorum, qui & ipſi mutilationem hanc Cœnæ, & ſacrilegium in eo commiſſum improbárunt. De Lorichio paulo antè diximus. Sic etiam Caſſander in Conſultatione ad Ferdinandum & Maximilianum Impp. ſcribit*: De adminiſtratione ſactoſanctí ſacramenti Eucharistiæ ſatis compertum eſt, univerſalem Chriſti Eccleſiam in hunc uſq; diem: Occidentalem verò ſeu Romanam mille amplius à CHRISTO annis in ſolenni præſertim & ordinaria huius ſacramenti diſpenſatione utramq; panis & vini ſpeciem omnibus Eccleſiæ Chriſti membris exhibuiſſe, id quod ex innumeris veterum Scriptorum tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimonijs manifeſtum eſt, atq; ut ita facerent inductos fuiſſe, primùm inſtituto, exemploq; Chriſti, qui hoc ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, duobus hiſce, panis & vini ſymbolis, diſcipulis ſuis fidelium communicantium perſonam repræſentantibus præbuit, tum quia in ſacramento ſanguis peculiarem quandam virtutem & gratiam hoc vini ſymbolo ſignificatum eſſe credebant, tum ob rationes myſticas huius inſtituti, quæ à Veteribus variè adducuntur, videlicet ad repræſentandam memoriam paſſionis CHRISTI in oblatione corporis, & effuſione ſanguinis iuxta illud Pauli: Quotieſcunq; comederitis panem hunc & calicem Domini biberitis, mortem Domini annuntiate, donec veniat. Item, ad ſignificandam integram refectionem ſiue nutritionem, quæ cibo & potu conſtat, quomodo CHRISTVS inquit, Caro mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c. Item, ad deſignandam redemptionem & tuitionem corporis & animæ, ut corpus pro ſalute corporis, & ſanguis pro ſalute animæ, quæ in ſanguine eſt, dari intelligatur, ad ſignificandum quoque CHRISTVM utramq; naturam aſſumpſiſſe, corporis videlicet & animæ, ut utramq; redimeret. Quare hæc conſuetudo in Eccleſia quoq; Latina, mille amplius annis tenuit, ut tam populo quàm clero, in celebratione Miſſarum, poſt myſteriorum conſecrationem, ſeorſum corpus & ſeorſum ſanguis Domini præberetur, atq; ad effuſionis periculum euitandum, in pleriſq; locis calicibus (qui miniſteriales vocabantur) argenteæ ſiſtulæ inſerebantur, poſtea tamen huius periculi metus efficit, ut intinctus in ſanguinem Domini panis Dominicus, vulgò exhiberetur, qui mos huc uſq; per Græciam & Armeniam obtinet. Poſtea ad omiſſionem alterius ſpeciei in aliquibus locis ventum eſt, ſic tamen, ut in utraq; ſpecie communio non prorſus abolita ſit, ſed in quibuſdam locis, præſertim in Monaſterijs ſit retenta, idq; uſque ad annum amplius M.CCC. donec hæc conſuetudo in altera ſpecie communicandi populi totam Eccleſiam Latinam penè inuaſit. Quæ conſuetudo, cùm eam nonnulli ut ſacrilegam nefariam condemnarent, à Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi probata & ſancita fuit, ita tamen ut Bohemis, certis intercedentibus conditionibus & pactis utriuſq; ſpeciei uſus conceſſus fuerit. Neq; tamen hac ſanctione communionem utriuſq; ſpeciei à populo totam ſublatam, ſed ob certas & graues cauſas ad tempus intermiſſam, & ſuſpenſam voluerunt, ſic ut alijs cauſis urgentibus eam reſtituere, & in uſum reuocare Eccleſiæ liberum ſit. Quare non temerè eſt, quod optimi quiq; etiam Catholicæ profeſſionis in diuinorum & Eccleſiaſticorum Scriptorum lectione verſati, & his quas ſuprà diximus rationibus incitati, ſummo deſiderio potiundi Dominici calicis incenduntur, omnibusq; modis contendunt, ut hoc ſalutare ſacramentum ſanguinis CHRISTI, unà cum ſacramento corporis iuxta veterem & multis ſeculis perpetuam uniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem in uſum reducatur, vel certè libertas, quæ ducentis

Caſſander contra mutilationem Cœnæ.

centis ab hinc annis adhuc valuit, in una vel utraque ſpecie communicandi reſtituatur. Itaq; non modò nil Eccleſiaſticæ authoritati contrarium: imò verò Eccleſiaſticæ pacì, & vnitati conueniens & propè neceſſarium futurum puto, ſi vel illi penès quos Eccleſiæ gubernatio eſt, priſcum hunc communicandi morem reſtituant, vel Eccleſiæ paulatim, quod citra grauem perturbationem fiat, ad eum, quem initio habuerunt, longoq; tempore retinuerunt, morem redeant. Nequeo ſanè ſatis mirati Ioannem Eccium virum alioquin, & inſigni memoria præditum, qui in Apologia Principum Catholicorum ſcribat, ſe non meminiſſe legere in Eccleſia Romana, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie communicatam Laicis, niſi quod argumentum ſumi poſſit ex vita S. Laurentij. Mirum, ſi non meminerit calicum miniſterialium in Eccleſijs urbis Romanæ quorum in libro Pontificali ſubinde fit mentio, quos ita vocatos fuiſſe, quòd ex ijs populo ſanguis Dominicus miniſtraretur, vel ex ſuo Caietano recognoſcere potuiſſet. An ignotum illi eſſe potuit, quòd in Decretis quoque legitur ex Sotero Papa, in Cœna Domini pœnitentes, ad percipienda corporis & ſanguinis Domini ſacramenta reconciliari? Quid? annon meminerat Gregorij Pontificis Romani (ut eius anteceſſores taceamus) qui in 4. Dialogorum ſcribit, Chriſti ſanguinem, non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium fundi? Et in Homilia Sabbati Paſchalis apud populum differens. Quid ſit, inquit, ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis? Quem morem ſanguinis Dominici porrigendi, & antiqua Sacramentaria B. Gregorij, & libellus Ordinis Romani apertè teſtantur, & Romani Pontifices in ſolenni officio conſtanter ſemper retinuerunt uſq; adeò, ut Martinus ſanctus, etiam poſt tempora Conſtantienſis Synodi in ſolenni Paſchæ officio, iuxta præſcriptum ordinis Romani, uniuerſum populum corpore & ſanguine Domini communicâſſe legatur. Illud tamen interim fatendum eſt, Veteres non tàm neceſſariam utriuſq; huius ſacramenti coniunctionem habuiſſe, ut putârint, ſi neceſſitate aliqua, & graui cauſa alterum ſine altero ſumeretur, non eſſe in altera ſpecie veram rationem Sacramenti, ſed ad vim & efficaciam Sacramenti percipiendam, ſi ita tempus ferebat, communionem in altera ſpecie ſufficere, præſertim cùm id extra ordinem fieret, ubi non ad repræſentationem, ſed ad efficaciam tantùm ſumeretur, quomodo factum eſſe conſtat, in domeſtica & priuata communione & ea, qua infirmi priuatim reconciliabantur, quanquam illam nonnunquam in utraq; ſpecie exhibitam conſtat.

Ioannes Riuius quoque Athemdorienſis ſcripſit & edidit Aſſertionem communionis ſub utraq; ſpecie ad Ioannem Fabianum. Similiter Ioannes Segobius Theologus Hiſpanus pro utraq; ſpecie in Cœna adminiſtranda acerrimè dimicauit circa annos Domini 1450. Et Nicolaus Opton Eccleſiæ Sarisburienſis Canonicus, circa annos Chriſti 1439. ſcripſit librum pro utraq; Sacramenti ſpecie.

CAPVT V.

De fractione Panis, eiuſque vſu è Cœna ſublato.

Argumenta pro fractione panis, & contrariorum refutatio.

FRactionem panis in Cœna Dominica uſurpandam eſſe, monemur PRIMO, *Chriſti exemplo, qui in Cœna prima inſtitutione panem fregit.* Deinde *exemplo Apoſtolorum, & Patrum primitiuæ Eccleſiæ, qui in adminiſtranda Cœna eadem ſemper Ceremonia uſi ſunt, ut ex præcedentibus libris intelligitur.* Tum *verò, & quidem* præcipuè, *omitti non debet Fractio panis, quia Dominus illam præcepit.*

1. *Quicquid Chriſtus in Cœna inſtitutione præcepit obſeruare & facere, id omnino ab hominibus obſeruandum & faciendum eſt.*

At Fractionem panis inſtituit & præcepit.

Ergo.

Maior extra omnem controuerſiam eſt. Minorem ſic probo. Cùm Chriſtus accepiſſet panem, eum fregiſſet, dediſſetque diſcipulis, ac dixiſſet: Accipite, edite: *mox ſubiunxit,* Hoc facite in meam commemorationem. *Vbi,* Hoc facite, *mandati vim habet. Reſpondet Huniut,* hæc verba referenda præcipuè ad ea, quæ ipſi Apoſtoli in actione illa præſtabant: Hoc q; voluiſſe Dominum ab ipſis fieri. *Reſpondeo, Verbum* Facite, *adiunctum particulæ Demonſtratiuæ* HOC, *euincit eam eſſe referendam non ſolùm ad verba, ſed etiam ad ea quæ proximè feciſſe Chriſtum Euangeliſtæ narrant. Illi verò, ſicut & Paulus, licèt in quibuſdam aliqua inter ipſos varietas ſit, tamen vnanimi conſenſu tradunt, Chriſtum accepiſſe panem, & gratias egiſſe, ſeu benedixiſſe, fregiſſe, dediſſe diſcipulis, ac dixiſſe,* Accipite, edite. *Ac ut omittamus verba, ea tantùm quæ feciſſe dicitur conſideremus. Hic quatuor diſerte, diſtinctè, & ordine naturali recenſentur, nempe,* Acceptio panis, Gratiarum actio, Fractio panis, eiuſdemq; Datio ſeu Diſtributio. *Suffragatur nobis etiam Lutherus, qui in libr. de Miſſa priuata abroganda, diſerte mandatum Chriſti,* Hoc facite, *non ſolùm ad diſtributionem, ſed etiam ad fractionem refert.* Confer, *inquit,* nunc iſtos Antichriſtos cum Chriſto. Ille frangit, & partitur in multos, & partitur

tum distribuit: Isti contra per omnia nullis frangunt, & sibi solis sumunt, nisi quòd simulant quandam fractionem. Et ubi manet verbum Christi?

Verùm iuxta Hunium, à Magistro dissentientem, ad nullum horum referendum est Christi mandatum, sed tantùm ad potum & esum. Ergo non tantùm fractio panis, sed etiam acceptio eiusdem, gratiarum actio & præsertim distributio non erit necessaria, sed res indifferens. Hoc ipsum verò negat, & dicit, Distributio est necessaria. Nisi enim distribuatur panis, non accipitur, editur & manducatur à communicantibus: atq; sic non mos geritur mandato Christi. *Quod si ad unum vel alterum horum quatuor pertinet etiam mandatum Christi, quid prohibet quominus etiam ad reliqua duo pertinere dicamus? Fateor accipi & dari posse panem sine gratiarum actione & fractione. Verùm mandatum Christi non aliquod horum tantùm, sed omnia quæ commemorata sunt respicit. Distinctionem enim inter hæc nullam, nedum exceptionem facit Christus. Adhæc gratiarum actionem & fractionem, aquè ac acceptionem & distributionem in ea actione adhibitam fuisse, Marcus, Lucas & Paulus testantur. Hæc autem ab ipso tum in tam augusto mysterio temerè esse adhibita, ut cogitemus, nedum dicamus, pietas Christiana prohibet. Aut cui in mentem venire poterit, Dei Filium, quum institueret memoriam perpetuam mortis suæ, quicquam aut dixisse aut fecisse, nisi gravi aliqua causa adductum? Dictorum certè, atq; factorum ipsius par est ratio, pondus idem: pari igitur fide à nobis amplectenda, religioneq; non dissimili sunt colenda. Præterea si demus maximè, esse aliquod discrimen, inter accipere, dare: & gratias agere, frangere: tamen cùm gratiarum actionem & fractionem eodem loco, & gradu, non dissimili ponant Christus & Paulus, cur non hanc aquè usurpant atq; illam?*

Sed instat: Quemadmodum ex eo, quòd Christus & Apostoli scribuntur discubuisse, quòd memorantur in palatio diversorij celebrasse hæc mysteria, quod vesperi; non licet colligere, nobis etiam in diversorijs & vesperi tantùm, & discumbendo, hæc sacra esse peragenda: quantumvis Christus expresè dicat, Hoc facite: Sic quoq; vi huius mandati, non adigimur ad illius panis fractionem, sed ad sola illa, quę in actione hac divina sunt ad κοινωνίαν sacramentalem vel ratione substantiæ necessaria, vel ratione fructus salutaria. *Respondeo, Distinguendum esse inter ea, quæ ad actionem ipsam Cœnæ Dominicæ pertinent, & quæ ipsam propriè non respiciunt. Huius autem posteriori generis sunt Locus & Tempus. Nam Christus ex occasione epuli Paschalis, & quòd ea ipsa nocte traderetur erat, vesperi & in priuatis ædibus Cœnam instituit. Alterius autem generis esse Fractionem panis iam demonstratum est, & in sequentibus necessariam esse ratione fructus salutaris indicabitur.*

Ad hæc obijcit, Frangendi verbum phrasi Hebræa hîc sumi pro distributione. *Scio hanc vocem interdum sic usurpari, veluti Isa. 57. & Marci 8. ca. Hoc verò loco* Fregit, Dedit, *esse synonyma nego. Quæ enim esset inepta* ταυτολογία, Dedit & Dedit, *seu* Distribuit & Distribuit? *Reijcit quoq; hanc interpretationem ipse Lutherus in l. de Abroganda Missa priuata:* Quid est, *inquit,* frangere, nisi in multa partiri? quid dare discipulis, nisi partitum alijs distribuere? *Ecce, manifestè distinguit fractionem à distributione. Huc pertinet etiam testimonium Humberti Episc. Sylvæ Candidæ inter Pontificios non contemnendi authoris:* Hoc, *inquit,* quotiescunque feceritis: id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis: in mei memoriam facietis: quia quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione & distributione: aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat: sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. *Vbi tria hæc aperè distinguit, & proinde confusioni fractionis & distributionis nullum relinquit locum. Deinde omnia sic æquat, ut aquè indicet, eum adimere perfectionem mysterij, qui fractionem detrahit, aut eam cum distributione confundit, atq; sine benedictionem tolleret.* Frangere quid in Cœna sit.

SECVNDVM argumentum, *quo probatur Fractionem panis in Cœna esse necessariam, hoc est: Quæ in Cœna actione passionem & mortem Christi repræsentant, sunt necessariò observanda. Christus enim ait,* Hoc facite in mei commemorationem. *Et Paulus 1. Cor. 11. dicit:* Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate. *Igitur commemoratio seu recordatio mortis Domini præcipuus finis est, propter quem Cœna à Christo instituta fuit. At fractio panis in Cœna significat crucifixionem Christi, eiusque passionem: non quidem propriè fractionem, seu comminutionem & dilacerationem corporis, ossium & membrorum: sed tamen corpus multis cruciatibus & tormentis, deinde crudelissimo mortis genere affectum, adeoq; in genere immolationem & passionem eius. Ergo hæc fractio panis è Cœna non est tollenda.* 10

Negat assumptionem Hunius, & hoc dicit à nobis ait, citra omnem authoritatem Scripturarum: imò ne una quidem literula demonstrari posse ex Verbo Dei, panem sua in multas particulas comminutione & fractione passionē Saluatoris repræsentare debere.

Respon-

Evallionum passio in Cœna passionis Christi significata.

Respondeo: probari hoc potest non difficulter, *ex verbis Christi, & Apostoli Pauli*, 1. Cor. 11. Fregerat Christus panem in Cœna ultima, eumque sui corporis titulo ornârat: & quid in corpore suo subiturus esset ipsorum causa, his verbis significavit, *Quod pro vobis datur, nimirum in mortem crucis. At hoc ipsum fractione panis significari, non diffiri expositum est. Ne ergo posteritas erraret, & aut retineret ritum sine usu, ignorata significatione, aut alienum aliquid fingeret, Paulus, ut huic malo occurreret, verba Christi interpretatus est, & pro διδόμενον ipse posuit κλώμενον, hoc est, Datur exponit per Frangitur, nosque hac voce monere voluit, ritu fractionis panis, animis nostris idem insinuari per oculos, quod verbis Christi ingeritur per aures, corpus nimirum Christi plagis & vibicibus adopertum, omni contumeliarum genere affectum, atq; adeò cruci affixum, expiandorum scelerum nostrorum causa. Huic accedit apertissimum Augustini testimonium, in sententiis Prosperi, & citatur etiam de Consec. Dist.* 2. Dum frangitur, *inquit*, hostia, dum sanguis è calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce oblatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? *Idem non obscurè colligitur ex Beda, Venerabili cognominato. Nam in Luc.* 22. *cap. rationem reddens hujus fractionis*: Fregit, *inquit*, ipse panem, quem porrigebat, ut ostenderet corporis sui fractionem spontaneam esse, & se potestatem habere ponendi animam suam, & rursus sumendi. *Vbi manifestè passionem ac mortem Christi, fractione panis designatam ostendit. Theodoretus Dialog.* 1. *&* 2. fractum à Christo panem, ut corporis, ita & passionis in corpore typum vocat. *Petrus Lombardus etiam lib.* 4. *Dist.* 12. *cap.* 3. *aperte scribit*, fractionem hostiæ passionis Christi & mortis esse repræsentationem. *Et Iuo Carnutensis, qui vixit an.* 1080. *inquit*, Christus corpus suum manibus consecratum fregit, & discipulis suis distribuit: In qua fractione passionem suam designavit mox futuram: *fol.* 497. *edit. Colonienses.*

munium de opere redemptionis iam peracto. Hinc Sacramenta, Bapismus & Cœna Dominica, tanquam Evangelicæ doctrinæ appendices, lucem suam mutuantur: & hac ratione Sacramenta Novi Testamenti sunt clariora veteribus, non autem respectu ceremoniarum. Nam baptismi, seu ablutiones legales quod ad ipsam ceremoniam, non minus repræsentabant ablutionem peccatorum per sanguinem Christi, quàm Baptismus Novi Testamenti. Et sic passio Christi non minùs, imò evidentiùs repræsentabatur per mactationem Agni Paschalis, itemque fructus passionis per Agni illius esum, quàm per fractionem panis Eucharistici, nec non fructus illius per panis illius esum. Deinde committitur in hoc argumento fallacia non causæ ut causæ. Nam Agnus Paschalis per Cœnam Dominicam non ideo est abrogatus, quòd hæc sit typus illustrior & evidentior. Vera enim causa abrogationis fuit, quòd ille in hunc finem institutus erat, ut non diutius duraret, quàm verus ille Agnus Dei, nempe Christus per illum prafiguratus, mactaretur. Quare hoc mactato, illius quoque mactatio debuit abrogari. Cùm verò fideles Novi Testamenti non minus quàm Veteris, mactationis veri Agni subinde debebant admoneri: Dominus in locum illius substituit similem & ejusdem cum illo rationis ceremoniam, minùs tamen sumptuosam & operosam, minusque molestam propter sanguinis effusionem. Nam ut rectè quidam dixit, Christi sanguis sistit omnem sanguinem in Veteri Testamento fundi solitum.

Agi instant sic argumentando: Si Christus voluisset passionem suam fractione panis in Cœna Dominica repræsentari, ritum agni Paschalis non abrogasset. Sed hoc non est: ergo nec illud. *Consequentiam majoris sic probant.* Agnus Paschalis longè evidentiùs passionem Christi repræsentabat quàm panis: & propterea abrogato evidentiore ac illustriore typo, ordinasset obscuriorem: quum tamen Novum Testamentum, & omnia quæ ad illud pertinent, comparentur luci & dici, imò veritati: Vetus contrà umbris. *Respondeo: Lux & veritas Novi Testamenti consistunt principaliter in ipsa forma doctrinæ, nempe in Evangelio, quod est clarissimum testi-*

TERTIO, *necessaria est panis fractio in Eucharistia, quod in illo mysterio est doctrina & confessio humanitatis Christi, veris suæ naturæ proprietatibus à Divinitate distinctæ. Sic enim Cyprianus in fine Serm. de Cœna scribit*: Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus & distribuimus, dum, quod divinum & humanum est, distinguimus & separamus, itemque simul separata iungentes, unum Deum & hominem fatemur. *Hisce Cyprianus mysterium, quid fractio panis in Cœna significet, explicat interpretatur, & simul doctrinam atque publicam hoc ipso confessionem Ecclesiæ contineri vult, quod utraque natura, Divinitas & humanitas in Christo, proprietatibus inter se discernenda, & tamen rursus in unitate personæ conjunctæ, in unum Christum, Deum & hominem, sint agnoscenda. Ad quam Divinitatis ab humanitate distinctionem etiam pertinere arbitror, quòd Theodoretus Dialog.* 3. *contra Eutychianos, proprietates naturarum in Christo non discernentes, sed secundum utramque naturam esse passum asserentes, à symbolis Cœna Dominica (quibus typum passionis*

in corpore suo ostendit Christus, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, pro quo Paulus dicit, frangitur) probat, passionem humanitati tantum ejus, non autem Divinitati esse tribuendam.

IIII. QVARTO, *olim in ipsa Ecclesia Apostolica, tota hæc sacra actio* PANIS FRACTIONE: *tanquam à principaliori ritu & ceremonia, notata fuit. Vnus historiæ Apostolicæ locus qui exstat Act. 2. & 20. cap. id clarè ostendit. Nam ibi Lucam, sacram significasse Cœnam, neq; obscuris, neq; dubiis argumentis demonstratur. Inde verò colligitur, positeremam partem esse non posse, à quo totum denominatur. Sic etiam Paulus hominem vocat Animam à præstantiori ejus parte, Rom. 13.*

V. QVINTO, *Panis fractio tanti videtur esse momenti, ut qui illam non adhibent, Christum quodammodo non immolatum, neq; vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem pene Christos, quot singulares panes, tradere videantur.*

VI. HIS *omnibus accedit Lutherus, qui in lib. de Abroganda Missa privata, docet, panem Eucharistiæ frangi, & inter multos distribui, omnino necesse esse, ut exemplum & institutum Christi rectè imitemur: alias celebrationem communionis nulla ex parte cum instituto Christi convenire. Itaq; istos proximè omnium Christi Cœnam imitari & repræsentare, qui hunc ritum in frangendo & distribuendo pane observant, eumque, propter hæc verba Christi, Fregit & dedit, securæ conscientiæ sequendum & retinendum esse monet. Verba ejus hæc sunt:* Vide, ut Missarum universarum ritus hodiernus cum Evangelio faciat. Omnes tres Evangelistæ una diligentia, similiter & Paulus, memorant panem esse à Christo fractum & datum discipulis: tacent verò an & ipse comederit & biberit cum eis. Quid enim est frangere, nisi in multa partiri? Quid dare discipulis, nisi in multa partitum aliis distribuere? Si ergo Missæ institutum & exemplum Christi referre debet, necesse est, ut nulla unquam fiat, nisi Eucharistia frangatur & multis distribuatur per Sacerdotem. Si autem aliqua aliter perficitur, non est Christiana Missa, nec cum instituto Christi ulla ex parte convenit. Quid hîc dicetis privati imò & publici Missarii? Nonne hic solus locus meritò omnes absterrere deberet, ne ullam Missam ullus unquam celebraret: Nonne hîc evidentissimè sequitur, exemplum Christi referre & institutum eius sequi nullos, nisi eos, qui vel infirmis vel publicè accedentibus, ministrant Eucharistiam, ipsi non accipientes, Hi enim proximè omnium hanc Cœnam Christi repræsentant, quia accipiunt, gratias agunt, frangunt & dant aliis, ipsi ministri eorum, sicut Christus factus minister non sibi accipit, sed aliis ministrat. Hi verò qui celebrant, quid faciunt? simulant fractionem hanc, dum in tres partes hostiam partiuntur, & unam viventibus, unam defunctis, unam beatis deputant. Scilicet egregii distributores, qui beatis adhuc necessariam fidem & promissionem faciunt. Sed quid aliud nugarentur, postquam usum fractionis abolerunt? Deinde, nullis distribuunt, sed sibi solis universas partes sumunt, aliis auferunt. Confer nunc istos Antichristos cum Christo. Ille frangit & partitur in multos, & partitum distribuit: isti contra per omnia nullis frangunt, & sibi solis sumunt, nisi quod simulant quandam fractionem. Et ubi manet verbum Christi, Hoc facite? &c.

Adhæc Lutherus in eodem lib. dicit, Ea sal- VII.
tem libera esse, quæ in Christi institutione non inveniantur. *At fractio panis in institutione Christi invenitur, & ab Evangelistis, sicut etiam à Paulo singulari diligentia annotatur. Ergo, Fractio panis in usu Cœnæ non est res libera, seu indifferens, sed necessaria: & proinde non rectè faciunt, qui eam è Cœna Domini rejiciunt & explodunt. Ac docet nos sanè Ecclesiasticæ historiæ fides, demum, postabrogatum hunc sacrum Cœnæ ritum, Transsubstantiationis portentum Ecclesiam invasisse.*

Porrò contra fractionem panis in Cœna nonnulli tali argumento utuntur: Quod Christo familiare fuit facere, id non est necessarium in Cœna facere & usurpare. At fractio panis Christo fuit familiaris. Ergo. *Respondeo per instantiam: eodem modo benedictionem, sumptionem, & panes ipsos tollendos esse. Major igitur distinguenda: nisi videlicet Christus consecraverit illi actioni, quod Apostolus testatur, quum dicit, panem esse corpus Christi pro nobis fractum: proinde habet analogiam necessariam. Igitur ut non sequitur de pane & vino, de manducatione panis, & haustione vini, ita non sequitur de reliquis ritibus, quia Christus in Cœna illos instituit.*

CAPVT VI.

De Asservatione & Inclusione Eucharistiæ.

BEllarminus longum catalogum texit tom. 2. *Disputationum suarum, li. 4. c. 4. de Eucharistia, eorum, quos in primitiva Ecclesia Eucharistiam asservâsse falsò affirmat.* Clemens, *inquit*, Romanus lib. 8. Const. iubet peracta communione, quod superest de corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita

Catalogus Bellarmini eorum qui Eucharistiæ asservasse putant.

debita reverentia in Pastophorio. Post annum Dom. 100. seculo primo post Apostolos, Iustin. Apolog. 2. scribit, post sacra peracta in Ecclesia dari consueviſſe Eucharistiam Diaconis deferendam ad absentes fratres, qui aliqua de causa impediti fuerant, ne interesſent celebrationi mysteriorum. Iren. in epist. ad Victorem Papam, quam refert Eusebius lib. 5. hist. c. 26. testatur, morem fuiſſe suo tempore, ut Presbyteri Romanæ Ecclesiæ Eucharistiam Presbyteris aliarum Parœchiarum mitterent. Post ann. Dom. 200. Tertullianus lib. 2. ad Vxorem, testatur, consueviſſe suo tempore deferre Christianos Eucharistiam ad suas domos, ut ibi eam opportuno tempore sumerent. Eodem seculo Cyprianus in Serm. de lapsis, Mulier quædam, inquit, quum arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. Diony. Alexandrinus in epist. ad Fabium, quam refert Eusebius l. 6. hist. cap. 36. scribit, Serapionem quendam in extremis agentem miſisse puerum ad Presbyterum, ut ad se veniret cum Sacramento Eucharistiæ: sed Presbyterum fortè tunc ægrotantem non potuisse per se accedere, sed miſisse per eundem puerum particulam Eucharistiæ. Post an. Christi 300. Nicæna Syno. iubet can. 14. aliàs 18. aliàs 20. ut in absentia Presbyterorum, Diaconi Eucharistiam porrigant. *Ex quo colligit Bellarminus*, Eucharistiam servaram fuiſſe in Ecclesia: ut distribui posset quovis tempore, etiam quando Cœna non celebretur: Diaconis enim non fuiſſe datam potestatem celebrandi. Eadem Synodus Can. 13. præcipit, ut secundùm antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur sacra communio. Certum est autem ægrotos ad Ecclesiam venire non posse, ergo pro ipsis fuit reservata. Basilius in Epistola ad Cæsariam Patritiam testatur, Anachoretas, \qui non poterant commodè sæpius Ecclesias frequentare, consueviſſe Eucharistiam secum in eremum deferre. Nazianzenus de sorore Gorgonia indicat, quòd solita fuerit partem Eucharistiæ, quam fortè servaverat, conspectu subinde habere. Ambrosius de fratre suo Satyro scribit, eum in Orario involutam Eucharistiæ particulam suspendiſſe. Chrysostomus in Epistola ad Innocentium Papam refert, milites quosdam ad vesperam magni Sabbathi Sanctuarium ingressos, tantum excitaſſe tumultum, ut etiam Domini sanguis, qui in Sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Benedictus miſit aliquos qui Eucharistiam super pectus mortui ponerent: referente Gregorio lib. 2. Dialog. c. 24. Eodem seculo Monachi quidam è Constantinopoli Romam navigantes, Eucharistiam secum deferebant, ut in periculo naufragii non fine communione decederent, ut indicatur in vita Gregorii lib. 2. cap. 33. In Synodo Constantinop. 6. post annum 600. statuitur Ca. 52. ut in Quadragesima solùm die Sabbathi & die Dominico consecratio fieret, aliis diebus communicarent ex præsanctificatis. *Ex quibus omnibus Iesuita infert, Eucharistiam fuiſſe reservatam.*

Ad hæc exempla & testimonia respondeo per distinctionem: alia enim manifeste notha, falsa & supposititia sunt: alia de Eucharistiæ asservatione nihil prorsus dicunt: alia denique mentionem ejus aliquam faciunt.

Testimonia falsa de asservatione Eucharistiæ.

Ad PRIMVM *genus pertinet Constitutio Clementis: citatur ea ex iis libris qui ab ipsis quoque Pontificiis pro falsis & supposititiis habentur. Et id ita esse, vel hoc Caput quoque, quod à Bellarmino citatur, satis prodit: jubet enim reliquias Eucharistiæ à Diaconis reponi in Pastophorio.* Pastophorium *autem Hieronymus in cap. 22. Isaiæ, dicit esse thalamum, in quo Templi præpositus habitet. Habuisse autem Christianos Clementis tempore in urbe Roma, tyrannorum alumna, vel Templa, vel Templorum Præpositos seu Præfectos, quis oro falso isti Clementi credat? quum propter ineredibilem sævitiam non solùm vulgus, sed etiam Episcopi, Romæ inprimis, latebras & specus inhabitare compulsi sint.*

Pastophorium quid.

Ejusdem monetæ est, quòd ex Epist. 2. Clementis ad Iacobum, locum adducit, qui etiam habetur de Conſ. Dist. 2. Tribus gradibus, ubi iubet Diaconos, Ministros & presbyteros cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire, ne qua putredo in Sacratio inveniatur, &c. *Hanc enim Epistolam non esse Clementis, qui diligenter eam legerit facilè animadvertet.*

Deinde quòd Canonem Nicæni Concilii citat, in quo jubentur Diaconi Eucharistiam absentibus Presbyteris dividere, *& inde colligit, voluisse Concilium, ut Diaconi repositum & reservatum in pixide Sacramentum inde depromerent saltem, & ad alios deferrent: Respondeo, Rufinum, apud quem lib. 1. ca. 6. hic Canon etiam legitur, nullum verbum facere, neq. de proferendo Sacramento, neq. de accipiendo à Diaconis, sed tantùm de eo dividendo seu ministrando plebi.* Sed, *inquit*, Bellarminus, Diaconis non licuiſſe offerre & conficere Eucharistiam: *Sic enim habet ejusdem Concilii Can. 18. in tomis Conciliorum*: Pervenit ad sanctam Synodum, quòd in nonnullis locis & civitatibus Diaconi dent Presbyteris Eucharistiâ, quod

neq; Canon, neq; consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, ijs qui offerunt, dent corpus Christi. *Respondeo, Canones huius Concilij in vulgatis tomis esse depravatos, omnes fateri coguntur. Ruffinus hunc Canonem sic recitat:* Ne Diaconi Presbyteris præferantur, neve sedeant in consessu Presbyterorum: aut illis præsentibus, Eucharistiam dividant, sed illis agentibus solùm ministrent. Si verò Presbyter nullus sit in præsenti, tum demum etiam ipsis licet dividere. *Canones autem, quos Ruffinus descripsit, esse ipsos veros & authenticos Nicani Con. Can. testatur Cyrillus in epi. ad Con. Carthag. quæ exstat tom. 1. Con. in Act. Con. Africani. Authoritate igitur huius Con. non reservatam Eucharistiam dare vel porrigere iubentur Diaconi, sed in absentia Episcoporum vel Presbyterorum conceditur illis etiam offerre & consecrare. Et hanc fuisse aliquando primitivæ Ecclesiæ consuetudinem ex Ambrosio intelligitur, qui lib. 1. Offic. cap. 41. Laurentium Diaconum, quum duceretur ad supplicium, Sixtum Episcopum Rom. ita alloquutum esse narrat:* Experire utrùm idoneum ministrum elegeris, cui commiseris Dominici sanguinis consecrationem. *Eutropius igitur verba Ambrosij corrupit, quum pro,* Dominici sanguinis consecrationem, *supposuit,* Dominici sanguinis dispensationem. *Iustinianus Imp. etiam in Authenticis, De Ecclesiasticis diversis capitulis ita habet:* Episcopus mulieribus sibi subiectis, eiusmodi Presbyterum aut Diaconum præficiat, qualem ipsæ elegerint, qui eis respondeat, aut sacram oblationem ministret. *Et in Concilio Ancyrano, quod ante Nicænum celebratum est, sancitur cap. 2. ita:* Diaconi, qui immolaverunt (tempore persequutionis) honorem quidem habeant: cessare verò debent ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando.

De Canonibus Nicani Concilij iudicium

Ad alteram Canonem Nicæni Concil. in quo sancitur, ut secundùm antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur sacra communio: *ex quo colligit Bellarminus,* Eucharistiam fuisse servatam pro ægrotis: *Respondeo simpliciter, hunc Canonem non haberi apud Ruffinum.*

De Testimonijs Bellarmini quæ de nulla Eucharistiæ asservatione loquuntur Iustinus

Secundi *generis est testimonium Iustini Martyris, qui dicit,* suo tempore sacris peractis in Ecclesia, Eucharistiam dari consuevisse Diaconis ad absentes fratres deferendam: *ideoq; fuisse asservatam. Nego consequentiam. Fatetur quidem Iustinus, delatam Eucharistiam per Diaconos ad absentes: sed eam fuisse servatam, non dicit: verum eo ipso tempore, quo Cœna Domini in publico cœtu celebrata sit, habitam etiam fuisse rationem eorum, qui gravibus de causis impediti fuerant, ne interessent celebrationi, & ad illos fuisse missam per Diaconos. Vna igitur & eadem fuit hac actio, ac proinde nihil pertinet ad reservatas epuli sacri reliquias. Obiter autem contra Iesuitas hic notandum, appellatione Eucharistiæ, ad absentes missæ, non panem tantum, sed utramq; speciem intelligi. Iustinus enim describens ritum communionis sub utraq; specie, dicit:* Hoc alimentum apud nos Eucharistia vocatur. *Iren. lib. 5.* Quando mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.

Ad Irenæum quod attinet, non scribit ù, Eucharistiam ex Europa in Asiam, ad illarum Ecclesiarum ministros, delatam, sed inde Romam venientibus missam fuisse, testificande concordiæ & pacis gratia: est enim, Paulo teste, communio Mensæ Dominicæ publicum testimonium consensus in doctrina & fide. Et quia tunc temporis Romæ, & alijs in locis Eucharistia ferè quotidie celebrabatur, ut ex veteri historia notū est, idem Irenæus quod Iustinus vult dicere, peractā nimirum in cœtu communione, missam inde fuisse Eucharistiam ad absentes, seu peregrinos, seu domesticos. *Irenæus.*

Similiter Exuperius Tolosanus Episcopus, Hieronymo teste, thesauris Ecclesiæ in pauperes erogatis, corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem portavit in vitro: sed vel in cœtu, cuius vitrum indicium est: vel peracta communione ad absentes, iuxta Iustini ritum. *Exuperius.*

Eodem etiam referri debet quod de Benedicto narratur. Neq; enim sequitur, Misit aliquos, qui Eucharistiam super pectus ponerent mortui, ergo habebat in Ecclesia asservatam Eucharistiam. Nam fieri potuit, ut statim post consecrationem è Templo mitteretur Sacramentum. Sed non fuit Sacerdos, ait Bellarminus: ideo ille non consecravit. Fateor: at verò ab alijs consecrari potuit. Nam habuisse Benedictinos Monachos in suis Cœnobijs Sacerdotes ex cap. 62. Regulæ eorum apparet. Aut habuerit maximè asservatam Eucharistiam, tamen aliud nihil inde probabitur, nisi quòd contra Christi mandatum fecerit, & sacratissimo hoc Sacramento scelerate abusus sit superstitiosus Monachus. Non enim Cœnæ Domini externa actio vel cæremonia, quòd usurpatur, prodest, licet nullafides, nullusque pietatis interioris sensus adsit. *Benedictus.*

Denique nec Chrysostomi locus reservationem aliquam Eucharistiæ indicat. Scribit Pater ille, milites quosdam Sanctuarium erat, in eorum vestes, effusus sit. Hoc autem factum fuisse, non in celebratione Cœnæ, sed extra illam actionem. *Chrysostomus testatur eadem* *Chrysostomus.*

eodem loco, ubi dicit, hoc gestum, quum mulieres iam præpararentur ad Baptismum. Imminebat igitur Baptismus, *inquit, Bellarminus*, quum ista fierent: constat autem mysterium Eucharistiæ semper celebrari post Baptismum, non ante, vel simul cum Baptismo, nimirum, ut Neophyti tunc primum sancto illi mysterio intersint & Eucharistiam percipiant. Ergò sanguis ille Dominicus, qui in Sanctuario erat, non tunc, sed aliquo alio die consecratus fuerat. *Negatur antecedens: Notissimum enim est ex Antiquitatis historia, Neophytos, seu adultos baptizatos, statim post Baptismum ad mensam Domini ductos fuisse, ibiq; Eucharistiam sumpsisse. Atq; ideo Chrysostomus narrat, se cum omni clero in Sanctuario tunc adfuisse; ut scilicet baptizatis administrarent Eucharistiam. At inquies, fuisse tum vesperam diei, & ideo non fuisse tunc tempus communionis. Negatur consequentia: nam olim Missus, ut hodie vocant, celebrari solitas non solùm ante meridiem, sed & vesperi circa horam nonam, præcipuè verò in sabbatis Paschæ & Pentecostes, Cassander multis Veterum testimoniis probat. Testatur etiam hoc Alcuinus de Officiis divinis, in cap. de Sabbato S. Paschæ: & Leo Papa epist. 81. ad Dioscurum Alexandrinum. Deinde in ipso militum ingressu in Sanctuarium, Cœnam celebratam referunt Leo Imp. in vita Chrysostomi, Nicephorus lib. 13. c. 18. Sozomenus lib. 8. c. 2. ubi aperte dicit hæc facta, ἐν μυσταγωγίαν ἀυτοῖς.*

Testimonia, quod olim asservata sit Eucharistia.

TERTIO, *Negari tamen non potest, fuisse olim alicubi asservatam Eucharistiam. Probatur hoc exemplis eorum, qui eam in arculis & cistis domi servârunt, quorum meminerunt Tertullianus & Cyprianus. Hucetiam pertinent Eremitæ, de quibus Basilius: Gorgonia, de qua Nazianzenus: Satyrus, de quo Ambrosius: & Serapionis historia, de qua Dionysius Alexandrinus.*

Antiquitùs asservata fuerit Eucharistia Cypr. lib. 2. epist. 3.

Hæc olim facta fuisse non negamus, sed jurène ac meritò facta sint quærimus? Ajunt Pontificii, nos inficiamur. Objiciunt illi Vetustatem, praxin & longum usum in veteri Ecclesia. Respondeo cum Cypriano: Non est, *inquit*, quòd aliquis existimet, sequendam esse consuetudinem quorundam. *Et mox*: Non attendendum est, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo Verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrarit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. *Et Aug. lib. Quæst. Veteris ac Novi Testamenti, quæst. 114. & 115. multis docet*, Antiquitatem præjudicare veritati nec posse nec debere: posse enim malos quoque hoc modo sua scelera defendere, quòd nimirum antiqua sint, & ab ipso mundi initio cœpta. *Ad eundem quoque modum Iudæi idololatræ ad Prophetam Ieremiam dicebant*: Sic fecimus nos, & Patres nostri, Reges nostri & Principes nostri, & bene nobis erat. *Deus autem respondebat eis*: In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare: Ego Dominus Deus vester.

Adhæc multa Veteribus in usu fuerunt, quæ hodie ne ab ipsis quidem Papistis probantur & observantur: veluti, quòd Tertullianus refert, baptizandis suo tempore lac & mel in os infundi solitum, Nefas Veteribus fuit, eodem tecte, caput fertis & floribus coronare. Olim infantibus quoque Eucharistia dabatur.

Asservatio Eucharistiæ pugnat cum Verbo Dei.

Deinde, adversatur hac consuetudo, quamvis vetusta, Verbo Dei, & primæ institutioni Cœnæ, ac mandato Christi. Constat enim ex Dei Verbo, disertè inhibitum à Domino fuisse, ne quid ex agno Paschali, expresso Eucharistiæ nostræ typo, in posterum diem reservaretur. Et in aliis sacrificiis Levitici 7. idem non temerè præcipitur. Nimirum ut omnis aditus superstitioni præcluderetur. Vide aliud argumentum apud Viretum de origine Minist. & Sacram lib. 16. c. 4. Insuper ex ipsa siquorum natura clarè ostendi potest, quantum Christi institutioni aduersetur hac externorum symbolorum asseruatio, Vide Viretum de Orig. Minist. & Sacram. li. 17. c. 25. Christus etiam & Apostoli de asseruanda, aut in arcas, sbecas & adiculas includenda Eucharistia, legem seu mandatum nullum dederunt: sed potius iusserunt panem & vinum accipere, edere & bibere. Igitur, si in actione Cœnæ Dominice non attendere debemus, quid aliqui ante nos faciendum putârint, sed quid ille, qui ante omnes est, & prior fecerit, & faciendum mandarit, ut Cyp. docet: certè non debemus Eucharistiam vel in adibus privatis, vel in Templi reponere, includere, asservare & circumgestare.

Asservatio Eucharistiæ cum damno Ecclesiæ observata.

Adhæc majore cum Ecclesiæ dispendio, quàm fructu consuetudo illa à quibusdam observata fuit. Nam cùm ideo Sacramenta certum salutis fœdus in animis fidelium obsignent, quod promissio gratuitæ Dei misericordiæ & beneficentiæ illis annexa est, nunquam certè vel ritè ab aliquo percipi, vel munere suo perfungi possunt, si non Verbum Dei ejusque promissiones, quibus solis externa elementa sanctificantur, & à prophano usu separantur, auribus fidelium intonent, & fidem in eis ad percipienda dona cælestia excitent. Ad quid ergo servatur & in arcas reconditur panis, qui nunquam sanctificatur, nisi accedente verbo? Efficit itaque panis asservatio, ut sine ulla sanctificatione, quæ non nisi solo divinæ institutionis efficitur verbo, non ut Sacramentum, sed ut alius profanus & communis cibus edatur, ipsique qui hoc faciunt, magno quodam violati instituti Christi se crimine obstringant. Nam præterquam quòd Verbum

Dei, & claram paterni amoris testificationem ab ipso elemento abstrahunt, & præposteris externis signis salutem alligant, privatum etiam sibi epulum pro communi fidelium mensa, contra mentem & consilium Christi instruunt. Natura enim & significatio tota Sacramenti hujus hoc sibi vult, ut communem omnia membra salutem ab uno capite Christo in se defluentem hac sacra actione testificentur, unitatemq; suam & vinculum charitatis, quo fideles omnes colligari oportet, obsignent.

Asserva-tio Eucha-ristiæ non universa-lis olim.

Unde etiam consuetudo hæc servandi Eucharistiam, non fuit universalis in veteri Ecclesia, post Apostolorum tempora. Hoc inde patet, quòd quum olim propter Agapas, quas Christiani simul celebrárunt (qui ritus multis seculis viguit, præsertim in concursu ad Martyrum memorias) impossibile fuerit, ita dimetiri panem & vinum, quæ peculiariter sacramentali esui destinabantur, quin aliquid plerumq; supereset: ideo varia de illis reliquiis decreta fuerunt, quorum tamen aliqua reservationem aut inclusionem nullam, ne in crastinum quidem concedunt. Nam Clemens Romanus in decretali epist. 2 si qua fides ei habenda est, & exstat etiam de Consecr. dist. 2. c. Tribus gradibus. iubet, ut Presbyter, Diaconus & Minister, reliquias fragmentorum corporis Domini custodiant, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini iniuria inferatur. *Non autem per custodiam intelligit reservationem aut inclusionem, sed curam, ne reliquiæ in Sacrario per negligentiam forte sparsæ putrescant. Hunc esse sensum verborum Clementis ipsemet declarat, paulo post inquiens:* Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur. *Hieronymus in 1. Cor. 11. cap.* Post communionem, *inquit*, quæcunque de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.

Nicephorus etiam lib. 17. cap. 25. narrat, à multis annis consuetudinem fuisse in Constantinopolitana Ecclesia, ut reliquiæ Eucharistiæ vel à Clericis, vel si consumendis Clerici non sufficerent, à pueris è ludo literario evocatis, absumerentur. *Mentionem hujus ritus quoq; faciunt Evagrius lib. 4. hist. cap. 35. & Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 10. Respondet Bellarminus*, hoc factum, si reliquiæ superabundarint pro ægrotorum necessitate. *Falsum: nam ægrotorum mentionem nullam faciunt.*

Hesychius ad verba illa Levit. 8. Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis consumet: *docet*, sui seculi morem fuisse, ut igni traderentur quæcunque in celebratione Eucharistiæ remanere contigerit inconsumpta. *Respondet Bellarminus*, in verbis Hesychii sequentibus ad hæc priora esse responsionem, in quibus doceat, non prohiberi assertionem Sacramenti per unum diem, vel duos, vel plures: sed comburi debere id, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de causa per manducationem consumi non possit. *Sed Iesuita alienum sensum verbis illis Hesychii affingit. Quæ enim de Lege Dei scribit, Bellarminus ad assertionem Eucharistiæ torquet. Nam cùm legis mentionem feciſſet his verbis*, Hoc quod reliquum est de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit: *postea addit hæc verba de consuetudine incendendarum reliquiarum Cœnæ Dominicæ*, Quod *inquit*, nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunq; remanere contigerit inconsumpta. *Post hæc mox redit ad explicationem legis Dei & ait:* Non omnino ea (*scilicet comburenda*) quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt: sicut enim apparet, Non hoc Legislator (*Moses*) præcepit: sed quod reliquum est (*de sacrificiis*) incendi jubet. Dies autem non commemoravit, ut quæcunq; cuiuscunq; rei causa emergente, remanserint inconsumpta, sive tempus in causa sit, sive quid aliud fuerit, ignis opus & consumptio fiat, &c.

Hujus consuetudinis paulò post facta est quædam mutatio. Nam Concilium Matisconense 2. circa annos Christi 587. habitum, reliquias has quarta aut sexta feria demum à Scholastic is vino conspersas esse consumendas præcipit, *cap. 6.*

Apud Græcos per totam Quadragesimam tantùm Sabbato & Dominico fiebat consecratio: reliquis quinq; diebus ex προηγιασμένοις, id est, præsanctificatis, Sabbato nimirum & Dominico fiebat distributio & communicatio. Vbi obiter notandum, Iesuitas ex hac Græcorum consuetudine communionem sub una specie probare velle. Sed mala est consequentia, Sabbato & Dominico tantùm consecrabant, Ergo reliquis diebus una solummodo specie communicabant.

Patres inclusionem & asservationem Eucharistiæ improbarunt, Origenes.

Patres autem nonnulli hanc consuetudinem in triduum, aut plures dies includendi seu asservandi Eucharistiam improbárunt & disertis verbis reprehenderunt. Origenes in cap. 7. Levit. inquit: Dominus panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis: Accipite & manducate, non distulit, nec servari iussit in crastinũ. *Contra hoc testimonium Bellarminus obijcit*, Dominum quidem non jussisse Eucharistiam à se consecratam differri in crastinum. *Cur ergo nos differimus? Cur non simpliciter facimus quod Christus prior fecit? Respondet Iesuita*, Multa Dominum

minum per se non iussisse, quæ postea per Apostolos iusserit. *Sed ne vno quidem verbo probari potest, Christum inclusionem vel asseruationem Eucharistiæ vel per se, vel per Apostolos mandasse: proinde hæc responsio nulla est.* *Addit igitur:* Origenem eo loco hoc non egisse, vt probaret non posse Eucharistiam conseruari: sed quum docere veller, placere Deo sacrificium laudis recens, nouum ac spirituale, nō autem vetus: vsum esse exemplo Domini, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducari iusserit. *Hic verum dicit Iesuita: sed ratio hæc nulla fuisset Origenis, si vel per Dominum, vel per Apostolos Eucharistiam conseruare liceret, non tantùm in crastinum, sed etiam in annum, vt hodie volunt: nam inde contrarium probari potuisset, nimirum, sacrificium laudis etiam vetus & carnale placere Deo. Origenis igitur argumento hoc, omnis asseruatio Eucharistiæ excluditur & reijcitur.*

Humbertus. *Humbertus quoq; Sylua Candidæ Episcopus ex verbis institutionis Cœnæ grauiter & solidè reprehendit morem illum Græcorum, cuius ântea mentionem fecimus, iuxta quem in Quadragesima non quotidie consecrabant, sed tantùm sabbato & dominico die, reliquis verò diebus, ex præsanctificatis & asseruatis communicabant. Respondet Bellarminus,* Humbertum non reprehendere Sacramenti asseruationem; verùm quòd Græci ex illis præsanctificatis sacrificium Missæ celebrarent. *Falsum: nam omnem asseruationem in genere damnat & improbat sicut ex verbis eius intelligitur,* Legimus, *inquit,* Dominum non imperfectam, sed perfectam commemorationem, suis discipulis tradidisse, panem benedicto, & mox fracto & distributo. Non enim benedixit tantùm, & reseruauit frangendum in crastinum: nec fregit tantùm, & reposuit: sed fractum statim distribuit. Vnde Alexand. martyr & Papa 5. ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, ait: Hoc quotiescunq; feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriam facietis. QVIA quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scili. aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, PERFECTAM MEMORIAM CHRISTI NON REPRÆSENTAT: SICVT DISTRIBVTIO nulla sine benedictione & fractione.

Gabriel Biel. *Gabriel Biel etiam in Canon. Lect. 36. docet, in verbis Domini non fieri mentionem asseruationis honorificæ, sed solius manducationis: ac proinde multò amplius prodesse Eucharistiam, dum reipsa manducatur, quàm dum asseruatur.* Manducatio, *inquit,* & potio huius Sacramenti est vsus. Hinc & volens discipulos suos Christus fructus huius Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecrauit, non sistebat in consecratione: NEQVE DEDIT DISCIPVLIS VT IPSVM HONORIFICE CONSERVARENT: sed dedit in sui vsum, dicens, Accipite & manducate. Et quoniam per vsum manducatio transit & consumitur; dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem, dum addit: Hoc facite in meam commemorationem: vt ita nunquam fructu (vsum Sacramenti consequente) priuarentur propter Sacramenti carentiam & defectum.

Adipsa verò exempla eorum qui Eucharistiam olim asseruasse dicuntur, vt propius accedamus, respondeo, fuisse vetustissimam consuetudinem, quum in cœtu Ecclesiastico Eucharistia diuideretur, vt pars eius vel in manus daretur communicantibus, vel permitteretur vnicuique ex populo partem eius sumere, quam vel in cœtu manducarent & biberent, vel domum secum deferrent, asseruantes illam in cistulis aut arcis. Hoc autem non fiebat ab omnibus ex superstitione aliqua, sed quamuis minus recte, propter vsum. Nam in persequutionibus, quæ grauissimæ olim fuerunt, & alijs periculis, non poterant, quoties volebant, ad celebrationem Cœnæ Dominicæ conuenire: ne igitur in periculis illis, communione omnino priuarentur, particulas illas è cœtu demum delatas, asseruabant, vt ijs, quum opus esset, vti possent. Huc pertinet exemplum Satyri fratris Ambrosij, de quo Ambr. in Orat. funebri eiusdem ita scribit: Priusquam, *inquit,* perfectioribus initiatus esset mysterijs, in naufragio constitutus; quum ea qua veheretur nauis scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atq; hinc fluctibus solueretur, non mortem metuens; sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat; ab his diuinum illud fidelium Sacramentum poposcit, vt fidei suæ consequeretur auxilium. *Extra hunc vsum, damnarunt Patres priuatam seu domesticam asseruationem & communicationem, sicut modò de Origene indicauimus. Gangrensis etiam Synodus Eustathium Sebastiæ Armeniæ Episcopum condemnauit,* quòd præter Ecclesiasticas formulas, nonnullis; qui Ecclesias auersabantur, domi communicare concesserat, *Socrate teste lib. 2. c. 43. Hieronymus quoque aduersus Iouinianum etsi indicat, Christianos nonnullos domi communicare Romæ consueuisse, tamen in eum morem grauiter inuehitur:* Quare *inquit,* non ingrediuntur in Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est.

Iudicium de eorum exemplis qui Eucharistiam asseruarunt.

De ijs qui Eucharistiam domum portarunt, & in cistis asseruarunt.

Deportatio Eucharistiæ in priuatas ædes prohibita.

" *Demum consuetudo hæc in nonnullis Concilijs prorsus abrogata est. Nam in Toletano 1.*

circa annum 420. *habito, ita sancitur c.* 14. Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, veluti sacrilegus propellatur. *Cæsaraugustana verò Synodus anno* 518. *celebrata, sita decreuit c.*3. Eucharistiæ gratiam, si quis probatur non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. *Causæ abrogationis istius absq; dubio fuerunt,* Primò: *quòd talis asseruatio à Christo non est vel instituta, vel mandata.* Secundò: *quòd verba institutionis non est consentaneum, vt priùs bibatur de calice, & post aliquod tempus panis demum manducetur priuatim domi.* Tertiò, *quod ex hac consuetudine multi abusus & variæ superstitiones natæ sunt.* Quartò, *quòd fortasse aliqui pane hoc Eucharistico abusi sunt ad veneficia, & alia huiusmodi.*

Quum igitur, ad legitimum hunc vsum non pertineat factum eorum, quorum Tertul. meminit in lib. ad Vxorem, qui ante communes alios cibos Eucharistiam domi ieiuni sumebant, & arbitrabantur, hoc velut felici auspicio sacrarum epularum, vulgarem & profanum cibum consecrari: Gorgoniæ etiam, quæ Nazianzeno teste in Orat. de Obitu eius, hoc Sacramento vsa est ad impetrandam à Deo sanitatem corporalem, &c. rectè ab Origene improbatum, & à quibusdam Conciliis damnatum fuit. Deinde, sunt Rom. *hæc particularia exempla paucorum quorundam hominum, quibus nihil vniuersale concludi potest. Et potest hoc illis condonari fortasse, quia simpliciter errârunt, sicut illi, de quibus Cyp. scribit lib.* 2. *epist.* 3. *quod ex ignorantia in calice Dominico solam aquam consecrârint.* Si quis, *inquit,* de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi, nobis verò non potuit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, &c. *Denique ne in ipso quidem Papatu hodie cuiquam licet, quod istis olim licuisse audimus, nimirum Eucharistiam è cœtu domum auferre, ibique includere & asseruare. Vnde sic colligo: Si legitima est illa asseruatio Eucharistiæ in ciſtis, arculis &c. de qua Tertullianus, Ambrosius, Nazianzenus, Illegitimè mulieribus & aliis non datur hodie domum deferenda. Sed hoc fit hodie legitimè, Pontificiis quoque testibus: Ergo illud factum illegitimè.*

De asseruatione Eucharistiæ apud veteres in templis.

Quod autem Eucharistia aliquibus in locis publicè in Templis & similibus locis asseruata fuit olim, factum id quoque ad vsum pœnitentium, vt ex Serapionis historia intelligitur. Tanta enim fuit veteris Ecclesiasticæ disciplinæ seueritas, vt nemo, qui aliquo flagitio ac scelere Ecclesiam offendisset, facile ad mensam Domini admitteretur, antequam digna & omnibus, probata pœnitentia, censuræ Ecclesiasticæ satisfeciſſet. Quare adulteris non antè ad eam patebat accessus, quàm diuturna pœnitentia lapsum desleuissent, & vitæ emendationem factio testati essent. Qui autem religionis causa capti, se pecunijs redimebant. (quos vocabant Libellaticos) eis multò facilioremin uniebant veniam, quàm qui Christum abnegauerant, aliquandiu tamen iubebantur & ipsi à sacra communione abstinere. At ij qui lapsi erant in idololatriam, aut fidem in Christum abiurârant, à fidelium societate penitus & omnino remouebantur, nec Pax Ecclesiæ eis dabatur, toto vitæ decursu, nisi appetente hora mortis, vt apud Cypr. videre licet, qui testatur, non licuisse, etiam in mortis articulo, talem excommunicatum per Sacramenti exhibitionem ab Episcopo, sed tantùm à Diacono Ecclesiæ reconciliare. Vocabant autem Pacem (*vt hoc obiter moneam*) *sacram communionem, qui videbantur Ecclesiæ reconciliari, & in eam recipi, ne extra Ecclesiam, tanquam abscissa, & patria membra ab ea refecti, mortui censerentur. Placuit autem Veteribus, vt ad hanc communionem pœnitentium, in periculo mortis vsurparentur particulæ illa, ex quibus iam antea tota Ecclesia in cœtu communicarat: vt infirmus intelligeret, sibi ab Ecclesia hac ratione Pacem datam, & sese ei reconciliatum, illiusq; membrum esse. Quod si talis in mortis periculo versaretur eo ipso tempore, quo Cœna celebrabatur, rectè à Templo Eucharistia ad eum deportabatur. Et hoc est quod Iustinus dicit,* Eucharistiam missam fuisse ex cœtu absentibus, *nimirum lapsis & pœnitentibus qui in periculo mortis versabantur. Vt autem illis diebus & horis, quibus publicè in Templis non administrabatur Cœna, succurri etiam talibus posset qui in mortis agone essent, aliquid reseruari placuit, ab vno die, qua celebrabatur Cœna, vsque in proximè sequentem. Administrabatur enim olim vel quotidie: vel die Dominica, feria quarta & sexta. Reseruabatur etiam simpliciter sine aliqua superstitione & peculiari cultu, ad vsum duntaxat.*

Serapionis historia.

Serapion *autem iste, cuius meminit Eusebius lib.* 6. *cap.* 44. *ex Dionysio Alexandrino,* grassante persecutione, mortis & cruciatus terrore victus, idolo immolauerat. Ecclesia eo facto grauiter offensa, illum excommunicauit, idq; tam exquisita seueritate, quò cæteros metus à simili scelere deterreret, vt nunquam postea per omnem vitam ei reditus ad Ecclesiam patuerit: sed tanquam Ethnicus & idololatra derelictus sit. Postquam verò nihil intentatum reliquisset, & fratres cum lachrymis obsecrâsset, vt ei ignoscerent, nec quicquam tamen profecisset, animi dolore contabuit, & in morbum incidit, triumq; dierum spatio mu-

tus

tus, & propè exanimis iacuit. Quarto pòst die aliquantulum recreatus, ad eos qui præsentes aderant, dicit: Quousq; tandem me hîc detinebitis? accersite aliquem Sacerdotem, vt priùs restituar, quàm ex hac vita abeam. Quapropter Sacerdos perspecta conditione, in qua miser & senex ille Serapion excommunicatus versabatur, ipse inualetudine, quò minùs ad eum proficisci posset, prohibitus, ne ille ab omni consolatione ac spe prorsus derelictus excederet è vita, & quò sibi reconciliatam intelligeret Ecclesiam, Sacramentum ei per puerum misit.

Ad hanc consuetudinem veteris Ecclesiæ, sicut etiam ad priorem illam de asseruatione Eucharistiæ propter persecutiones, respondeo. PRIMO: *Quum cessarint causæ, nempe persecutiones & rigor ille disciplinæ Ecclesiasticæ, qui fuit ob certas causas in primitiua Ecclesia, cessare etiam debere effectum, scilicet asseruationem Eucharistiæ.*

SECVNDO, *Quemadmodum hæc tanta & exquisita seueritas veteris Ecclesiæ, qua plurimi tandiu ab Ecclesia reiecti facile ad desperationem adigi potuerunt, non potest per omnia excusari, nec exemplum aut testimonium habet in Verbo Dei quo possit probari: ita mos etiam ille asseruandæ & communicandæ priuatim Eucharistiæ, qui ob rigorem illum potissimùm fuit introductus, humana fuit traditio, quæ nec Christum, nec Apostolos authores habet. Quamobrem hic quoque ritus poterit aliqua ex parte ijs annumerari, quibus captum est paulatim defecisse à primæ institutionis puritate.*

TERTIO, *constat tamen propter vsum, id est, sumptionem, asseruationem illam Eucharistiæ in primitiua Ecclesia institutam esse. Non quòd ista asseruatio veteris Ecclesiæ in hos & similes vsus probanda & retinenda sit. Nam quum benedictione Sacramentali (id est, ea recitatione & explicatione Institutionis Cœnæ Domini, qua fit in legitima eius administratione) panis & vinum nulla certa qualitate afficiantur, quæ eis reipsa inhæreat, vt etiamsi eo ipso tempore, quo hæc sunt, non sumantur, ista tamen qualitas ipsis vt subiectis impressa permaneat: ac proinde, siue ad absentes eo ipso tempore quo mysteria in cœna peraguntur, deferantur, siue seorsim reposita, prout tulerit ægrotorum necessitas, ipsis præbeantur, noua consecratione, id est, institutionis recitatione & explicatione denuò facta non sit opus: quum (inquam) hæc impressio non fiat pani & vino in benedictione Sacramentali, apparet inde symbola extra vsum legitimum, siue extra illorum sumptionem legitimam, nullam habere Sacramentorum rationem. Constat enim hæc mysteria religiosa mera esse actiones communes, ad quas idcirco non adhibeantur symbola corporea, vt in ijs sese fixat cogitatio, sed contra, vt eos quibus præbentur ad aliud cogitandum & agendum commoneant. Itaq; sicut panis & vinum ex rebus communibus fiunt relatiuè ad rectum illorum vsum Sacramenta, citra vllam realem in ipsismet mutationem: ita mutatio illa Sacramentalis eo fine & vsu meritò circumscribenda est.*

Probari hæc sententia potest etiam alijs rationibus, ab exemplo tum veterum Sacramentorum tum etiam Baptismi sumpti. Quum enim quispiam tinctus, siue perfusus aquâ fuerit, inuocato Patris, Filij & Spiritus sancti nomine, cessat Sacramentum, quod idem in Circumcisione fuit: & ipsi Papistæ quoq; de suis istis fictitijs Sacramentis Confirmationis, Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis fateri coguntur. Iniquè ergo Concilium Tridentinum eum anathemate ferit, qui dixerit, Peracta consecratione in Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Christi, sed tantùm in vsu dum sumitur: non autem antè vel pòst & in hostijs seu particulis consecratis, quæ pòst communicationem reseruantur vel supersunt.

QVARTO, *asseruatio illa Eucharistiæ nullo mandato in veteri Ecclesia fuit præcepta, sed res libera erat, ad quam nemo cogebatur: quod postea factum est ab Innocentio 3. & Honorio 3. ac præsertim à Concilio Tridentino, quod anathemati eum subijcit, qui dixerit,* non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reseruari, &c.

Nihilominus tamen ex vetusta illa Ecclesiæ consuetudine intelligimus, longè alias, & quidem iustiores tum fuisse causas asseruatæ Eucharistiæ, quàm hodierno die: quando in Papatu non includitur & custoditur ad vsum legitimum propter quem à Christo instituta est, nempe sumptionem tantùm, sed potissimùm vt circumgestetur, adoretur & deferatur ad incendia, ventos, tempestates & alia mala auertruncanda, sine omni prorsus distributione & sumptione.

CAPVT VII.

De Elevatione Eucharistiæ, seu Hostiæ.

Vide Plessium de Missa pag. 1509

Vide Confessionem Commonefactionis Vesini f. 119. & Testimonia ex Patribus producta ad elevationem hostiæ

AD probandam Hostiæ Eleuationem in sua Missa, testimonia adducunt ex Dionysio Basilio & Chrysostomo, ad quæ tamen solidissimè respondit doctissimus Iuellus, vt contrà nihil potuerit sua sophistica Bellarminus. Dionysius lib. 3. de Ecclesiastica Hierarchia sic scribit: Pontifex diuina munera laude prosequutus, sacrosancta & augustissima mysteria con-

De hoc Dionysij loco vide Commentationem Vrsini fol. 523.

conficit, & collaudata εἰς ὅλον ἄγει, in conspectum agit, per symbola reuerenter proposita: & dona sacrificiorum communstrans, ad sacram illorum communionem & ipse accedit, & hortatur alios. *Hæc autem Dionysij verba, inquit Iuellus, nihil ad præsentem causam prorsus faciunt: nisi volnerint dicere, nihil posse à quoquam in conspectum agi, siue adduci, nisi supra caput efferatur & sustollatur in sublime. Vt autem plenè & cumulatè possis, & fundamentum sensumq; horum Dionysij verborum, & peruersam ac nouam Pontificiorum interpretationem perspicere, sci as illius ætatis consuetudinem fuisse, vt Sacramentum in vno pane integrum in sacra mensa poneretur, mundo linteo opertum, donec populo distribueretur. De hac ceremonia Pachymeres Scholiastes Græcus in dictum locum Dionysij sic scribit:* Ἀποκαλυπτομένων δὲ παναγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, κρύπτει ἡ κεκαλυμένων, ἕως καιρὸ μεταλήψεως: *hoc est*, Retectis post preces sacris donis, opertis tamen remanentibus usq; ad tempus sumptionis. *Ita quoque Maximus in suis ad eundem locum Scholijs inquit:* ὅτι κεκαλυμμένων τῶν θείων δώρων ἕως καιρὸ μεταλήψεως, *Et insuper addit*, non solùm sanctum panem opertum fuisse quum produceretur, sed sacrum etiam poculum: quam consuetudinem hodie ait exoleuisse. *Hanc igitur veteris Ecclesiæ consuetudinem & ritum, si diligenter consideres, verba Dionysij cuinis erunt clara & perspicua. Commonstrare enim hoc modo & in conspectum proferre, nihil aliud tum erat, quàm linteo subducto aperire, & præsentium oculis subijcere mysteria.*

Si Bellarminus hanc interpretationem coactam ac violentam esse dixerit, ipsum audiat Dionysium sui ipsius interpretem optimum. Sic enim postea scribit: In conspectum profert quod laudauit, &c. *Tum sequitur:* τὸ δὲ ἐγκεκαλυμένον, ἢ ἀδιαιρέτου ἄρτου ἀναπλύσας, & εἰς πολλὰ διελὼν, &c. Nam opertum & indiuisum panem aperiens, & in multas partes diuidens, &c. *Si neq; hæc Iesuitis sufficiant, Dionysius verbis, adhuc magis dilucidis sese explicat:* τὰ μὲν ἐγκεκαλυμένα δίδωσι εἰς τὸ ὑπερκεῖσθαι ἄγει: *hoc est*, Dona, quæ tecta fuerunt, in apertum profert: *pro quibus Pachymeres dicit*, Profert in conspectum. *Nihil ergo prorsus Dionysius dicit, de eleuatione hostiæ supra caput, de quo est controuersia. Ideo autem subducto linteo panem Sacerdos protulit, à mensa extulit & populo commonstrauit, vt consecratum panem, adeoq; paratam communionem indicaret, & vt populus ad percipiendum se compararet, atque ad mensam accederet. Hanc ob causam sic in Chrysostomi Liturgia scribitur.* Sacerdos ostendit calicem populo dicens, cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite. *Eodem quoq; Basilius respexit in libro de Spiritu sancto c. 27. his verbis, quæ à Bellarmino dicto loco citantur:* Verba, *inquit*, inuocationis quum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto reliquit? *Et ad eiusdem Liturgiam sic notatur in margine:* Hic Sacerdos hostiam fractam in patena iacentem, vnà cum patena subleuat, & ostendit populo.

Quòd verò eodem loco Bellarminus Chrysostomum citat, qui homilia 61. ad populum Antiochenum: item homil. 36. in 1. Corinth. & homil. 3. in epistolam ad Ephesios, mentionem facit illius ritus, qui apud Græcos erat, vt Eucharistia consecraretur ad mensam velis obductam, & deinde reductis velis populo ostenderetur: Respondeo, neq; hoc ad rem pertinere, diducebantur enim vela, vt mysteria populo præparata cerni in mensa possent, & ostendebantur populo panium à mensa sublata, non vt Sacerdos ea supra caput eleuaret.

His omnibus illud etiam addendum, quòd Bellarminus hanc eleuationis ceremoniam tantùm ex Patribus Græcis, adeoque ex Orientalis Ecclesiæ consuetudine probare conatur: quum tamen non ignoret, hunc eleuandi ritum iam inde à principio ad hodiernum vsq; diem in Græca Ecclesia nunquam vsurpatum esse: non igitur Patres illi Græci de ea loquuti sunt, sed de alia, vt dictum est: Ex Latinis verò Patribus, & Romana Ecclesia nullum omninò testimonium adducit.

Non negârim tamen progressu temporis ex hac consuetudine Græcæ Ecclesiæ, hanc eleuandi ceremoniam in Romana Ecclesia natam esse.

Fuit & hic ritus in primitiua Ecclesia, vt quicquid esset ab aliquo oblatum in pauperum ac egenorum subsidium, illud Sacerdos acciperet, & in altum extolleret, eiusq; nomen qui dedisset, recitaret, atq; in Ecclesia, tanquam Deo gratum sacrificium sisteret. Ita etiam Chrysostomus in Liturgia ait, Sacerdotem, dum sacra peragerentur, Euangelium extulisse: Sacerdos, *inquit*, in altum tollit Euangelium. *Et Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ:* His, *ait*, peractis, Sacerdos stans super altare, & in altum tollit Euangelium, & ostendit.

Ex his inquam, primitiuæ Ecclesiæ consuetudinib. prava quadam imitatione, ceremonia illa Eleuandi Eucharistiam in Missa, instituta videtur.

Sic igitur ἀνδείξις, vel ostentatio illa Eucharistiæ, cuius Dionysius, Basilius & Chrysostomus mentionem faciunt, vetustus ritus: fuerit etiam hoc non inutiliter illis temporib. vsurpatum, siue cum ex priuatorum oblationib. panem & vinum sepositue-

ſepoſuerant in peculiarem Sacramentorum vſum, ſine quum peracta benedictione populum ad communionem præparabant: Quum tamen neq; hic ritus ſit nobis à Deo, & ab Apoſtolis præſcriptus: neq; eius meminerit vel Clemens ille, quiſquis ſit, in Conſtitutionibus Apoſtolicis quas vocant, vel Iuſtinus, vel Tertullianus, adeoq; in illa vetuſtiſſima puriſſimaq; Eccleſia, vt apparet non fuerit obſeruatus, & præterea abominandæ illius ἀρξολατρείας cauſa ſit præcipua: idcirco in Eccleſia Chriſti non eſt ferendus.

CAPVT VIII.

De Adoratione Euchariſtiæ.

Vide Pleſſæum de Miſſa p. 1590. Vide Conſiderationem Prouinc. Comment. Elionis fol. 500. & ſeqq. Adorationi Euchariſtiæ non patrocinari Patres. Dionyſius.

Bellarminus tomo 2. lib. 4. cap. 29. Adorationem Euchariſtiæ antiquiſſimam eſſe ex Patribus probare conatur. Nam primò citat locum ex Dionyſij Hierarchia cap. 3. vbi Sacramentum ita alloquitur: O diuiniſſimum & ſanctum Sacramentum; obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, *&c. Reſpondet autem Bellarmino pro nobis Pachymeres Græcus Scholiaſtes, qui hæc Dionyſij verba ſic interpretatur*: O diuinum & ſacrum myſterium. *Affatur illud tanquam rem animatam, & merito: quemadmodum & Theologus magnus Gregorius ait*, O magnum & ſanctum Paſcha: & eiuſmodi ſacrum myſterium ipſe eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: ad quem loquitur ſanctus. *Ad quem*, inquit, *hoc eſt, ad eum qui in cœlis eſt, non ad illud, quod in menſa coràm iacet. Et hanc fuiſſe Dionyſij mentem ac ſententiam, ex verbis, quæ proximè præcedunt facilè intelligitur*: Ingrediamur, *inquit*, ab effectis ad cauſas. *Quaſi diceret, Oculos noſtros à viſibilibus ſignis & Sacramentis reuocemus, & Chriſtum ſpiritualiter intueamur, cuius hæc ſunt Sacramenta, quicq; in illis repræſentatur. Et mox ſubiungit verba illa*, O diuiniſſimum Sacramentum, *&c.*

Origenes

Deinde adducit Origenem, qui in Euangelij diuerſa loca homil. 5. ita ſcribit: Quando ſanctum cibum, illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini: tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò humilians temetipſum imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. *Reſpondetur: Origenes hoc loco nullam prorſus facit mentionem, neq; adorandi Sacramenti, neq; & corporalis Chriſti in Sacramento præſentiæ: ſed arrepta ex Centurionis hiſtoria occaſione, qui ſe indignum qui Chriſtum in ades exciperet, iudicauit, quibus modis Chriſtus in fideles immigret, oſtendit. Duas autem vias indicat: Vnam quando Antiſtes Eccleſiæ ad nos venit: alteram, quum ſacram communionem percipimus. Verba eius hæc ſunt*: Quando ſancti & Deo acceptabiles Eccleſiarum Antiſtites ſub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur. Et tu ſic exiſtimes, tanquam Dominum ſuſcipiens. Et aliud quando illud incorruptum, &c. *Eſt igitur Origenis ſententia, ſicut Chriſtus per Epiſcopum ad nos ingrediatur, ita quoq; per ſacrorum myſteriorum participationem eundem ingredi. At prius non fit realiter & corporaliter: Et proinde veliplius Ieſuitæ teſtimonio nulla ſequitur adoratio. Vel Eccleſiarum quoque Antiſtites, tanquam Deos, diuino honore adorare, ab Origene docerj neceſſe eſt.*

Ambroſius.

Tertiò adducit Ambroſium, qui lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. tractans illud Pſal. 98. Adorate ſcabellum pedum eius, *dicit*, Nos carnem Chriſti adorare in myſterijs. *Reſpondetur: Ambroſius non hoc ad carnem Chriſti refert, quòd illa realiter & ſubſtantialiter in hic contineatur: nam eum aliter ſenſiſſe ab initio probauimus: ſed ad communicantes hæc refert; Nos enim in myſterijs fide atq; ſpiritu percipimus carnem Chriſti pro nobis in mortem traditam, & ſanguinem eius pro nobis effuſum, atq; ea venerabundi colimus & adoramus. Præterea carnem Chriſti in myſterijs adoramus, quòd ea ſacramentali ſignificatione fidei, atq; ſpiritui noſtro in myſterijs quodammodo adoranda offeratur. Nam ita rectè dicimur Deum adorare & colere in verbis Prophetarum & Apoſtolorum, quum illum adoramus & colimus, prout in illis ſcriptis nobis oſtenditur & ſignificatur. Quemadmodum autem audita recitatione ſacrorum verborum Deum adoramus, ita in ſacra communione adoramus quidem Chriſtum, ſymbola tamen illa externa quæ ponuntur ante oculos non adoramus, neq; etiam mentem ad illa dirigimus, Chriſtum in illis ſubſtantialiter præſentem quærentes. Chryſoſtomus iubet nos corpus Chriſti non in altari, ſed in cœlo animo & ſpiritu quærere, atq; aquilas fieri, vt in cœlum, aut ſupra cœlos euolemus. Repetam idem, ſed clariùs. Ambroſius non dicit, nos myſteria, aut carnem Chriſti ſubſtantialiter præſentem, & realiter comprehenſam, ſeu contentam in myſterijs adorare, ſed Chriſti, inquit, carnem adoramus in myſterijs, nimirum in celebratione myſteriorum, fidei oculos & corda ſurſum erigentes, vbi Chriſtus ſedet ad dexteram Patris. Sic enim Chriſtum adoramus, & in Dei Verbo, & in Baptiſmi Sacramento, & vbicunque veſtigium aut ſignum illius aliquod apparet: Multò magis verò in myſterijs Cœnæ, in quibus vinam totius Chriſti in carne ſuæ omnipotentiæ imagi-*

imaginem expressam habemus. Hæc verò adoratio neq; ad Sacramentum refertur, neq; corporalem aliquam seu carnalem præsentiam requirit. Scribit Hieronymus, Paulam adorasse Christum in præsepi: se verò in sepulchro: *Et Chrysostomus Homil.14. in Marcum,* Corpus Christi in Baptismo nos adorare *docet: neque tamen corpus Christi tum vel in præsepi, vel in sepulchro substantialiter præsens fuit, vel nunc in Baptismi Sacramento substantialiter præsens adest. Eodem modo Ambrosij quoque verba intelligenda sunt,* Nos carnem Christi in mysterijs adorare, *nimirum dum celebramus mysteria, non autem mysteria ipsa, aut ipsam Christi carnem substantialiter in mysterijs præsentem.*

Theodoretus. *Quarto citatur Theodoretus: Is Dialogo 2. ita scribit:* Nequaquam post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam: Manent enim in priore substantia, & figura, & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, quasi essent illa quæ creduntur. *Respondeo: Theodoretus hoc loco de nulla reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, multò minùs de transelementatione, seu mutatione & conuersione aliqua substantiæ panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi loquitur. Sed est hæc sententia hæretici, cum quo eo loco disputat Theodoretus, & cui astipulatur etiam Bellarminus. Hæretici enim verba hæc sunt:* Quemadmodum symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante Sacerdotis pronuntiationem, post pronuntiationem verò mutantur, & alia fiunt: Ita Dominicum corpus post ascensionem in diuinam essentiam muratum est. *Negat autem Theodoretus supra adductis verbis, symbola Dominici corporis & sanguinis realiter alia fieri post consecrationem, quam antea fuerint. Et sic argumentatur contra hæreticos: Oportet typum similem esse veritati: At mystica symbola corporis & sanguinis Christi post sanctificationem à propria essentia non recedunt: Ergo nec corpus ipsum assumptum à Deitate à propria essentia recessit. Aduertatur igitur menti ac sententiæ Theodoreti, quòd Bellarminus tom.2.lib.2.cap.26. dicit,* apertissimè eum asserere hoc loco præsentiam corporis Domini in Eucharistia. *Assuit etiam verbis Theodoreti, quòd dicit, eum asserere,* panem consecratum VERE id esse quod intelligitur. *Cùm ergo in symbolis panis & vini nullam realem præsentiam statuat corporis & sanguinis Christi, certè, vel Iesuitarum confessione, non ea adorari vult, alioquin εἰδωλατρείας crimen effugere non potuisset.*

Attamen ea Adorari *affirmat Theodoretus. Respondetur: In Sacramentis attendendum esse, non quid sint, sed quid significent. Hoc sensu intelliguntur & creduntur & adorantur, vt quæ significent & representent ea, quæ creduntur. Honor autem ille non resident in eis, sed ab illis, ad res quæ significantur, transfertur. In hunc modum Theodoretus suam ipsius mentem perspicuè explicat, quum mox superioribus addit:* Confer imaginem (*id est, Sacramentum*) cum exemplari (*id est, corpore Christi*) & videbis similitudinem: Oportet enim figuram esse veritati similem. *Hic apertè vocat Theodoretus Sacramentum imaginem, similitudinem & figuram. At nullus dicet opinor, imagines, similitudines & figuras diuino honore afficiendas. His congruit quod Augustinus de doctrina Christiana lib.3.ca.9. scribit:* Qui adorat, *inquit,* vtile signum diuinitùs institutum, cuius vim significationemq; intelligit, non hoc veneratur quod videtur, & transit: sed illud potiùs, quò talia cuncta referenda sunt. *His verbis Augustinus non absurdum putat, vt signum nos venerari, & non venerari dicamus. Hoc autem non tantum de Eucharistia, sed de Baptismi quoq; Sacramento eodem loco scribit.*

Nazian-zenus. *Quintò, Gregorius Nazianzenus in Orat. de obitu Gorgoniæ sororis suæ scribit;* Eam ad altare cum fide procubuisse, eumq; qui super illud colitur, magno cum clamore obtestatam esse. *Hic fingit Iesuita, pixidem positam fuisse super altari, vbi crustulum panis seruatum fuerit: & Gorgoniam illud adorasse. Sed falsum est. Habuit illa quidem secum Eucharistiam: verùm non in altari positam, sed vel in veste, vel in sudario, vt ex Nazianzeno intelligitur, qui ibidem scribit,* Si, quid è symbolis venerandi corporis & sanguinis alicubi manus Gorgoniæ recondidisset, id lachrymis eam perfudisse. *Deinde nocturno tempore hæc à Gorgonia facta fuisse ibidem indicatur: at noctu positam fuisse Eucharistiam super altare, non est credibile.*

Quid autem id fuit, quod dicitur Gorgonia super altare inuocasse? Respondeo ex ipsis verbis Nazianzeni, quæ sic habent: προσπεσεῖν ᾠρατο τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλεῖσθαι. *Hæc ita vertenda sunt:* Ante altare cum fide procubuit, ac illum, quem super altare venerabatur, inuocauit. *Sed perperam: sic enim interpretanda,* Ante altare cum fide procumbit, & illum, qui colitur in eo, inuocabat. *Quare illud ἐπ' αὐτοῦ apud Nazianzenum, non super altare, sed in altari significat, vt hoc Christi veri altaris typus & exemplar Veteribus fuisse intelligatur. Nam verum altare, de quo nos omnes spiritualiter comedimus, Christus*

Christus est: De hoc Veteres se per altare, tanquam externam figuram commonefaciebant, quam sic intuentes & considerantes, vtcunque ad inuocationem excitabantur. Sic Gorgonia quoque Christum ardentiùs inuocare volens, ad altare accedit, vt obiectum illud externum, propter symbolicam repræsentationem, qualecunque haberet in inuocatione adiumentum. Vnde etiam sacramentali locutione dicit Nazian. ibidem. Gorgoniam, dum inter orandum attingeret altare, capite in illud reclinato, plurimumque lachrymis profusis, pedes Christi lauâsse: *Quia nimirum nihil vsitatius est, quàm signo rei signata nomen tribuere, vt quod signo tantùm propriè sit, ipsi rei factum esse dicatur. Denique, Iesuita ex hoc facto Gorgonia, tanquam superstitiosa & praua consuetudine Veterum, iudicium de Catholicæ fidei doctrina fieri debere arbitratur.*

Chrysostomus. *Sextò Chrysostomus citatur, qui homil. 61. ad populum Antioch. inquit:* Si pura sunt vestimenta, adora, & communica. *Respondeo hunc locum nihil ad rem facere: iubet enim Pater ille priùs adorare, non Sacramentum, sed Christum in cœlis corpore vero existentem, & deinde communicare.*

Ex eodem Patre etiam adducitur locus qui habetur in hom. 24. ad 10. cap. prioris ad Corinthios: ibi *enim dicit* Hoc corpus cum Magis adorare debemus. *Respondeo: Non iubet in Sacramento adorare, sed in cœlo. Hoc ex præcedentibus & sequentibus verbis facilè potest colligi. Nam ante hæc verba sic alloquutus est populum:* Vbi cadauer, ibi aquilæ: cadauer est Domini corpus, propter mortem: Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit. Ascende ergo ad cœli portas, & diligenter attende: & tum quod dicimus, intueberis. *Hîc verbis Chrysostomus animos populi à visibilibus panis & vini symbolis abstrahit, & in cœlum vsque rapit. Deinde cum eo agit non aliter, quàm si in cœlo constitutus esset, eumque hortatur, non vt corruptibilia signa, sed verum quodammodo corpus & sanguinem in cœlis aspiciat, & ait,* Propter hoc corpus, non amplius terra & cinis es: hoc corpus te liberum fecit, hoc corpus pro te fractum fuit in cruce: *hoc corpus cum Magis adorare debemus: Hoc inquam* CORPVS NON IAM IN TERRA, SED AD DEXTERAM DEI IN COELIS. *Quid clarius dici posset ad Iesuitarum contundendam malitiã.*

Alius item locus citatur ex homil. 3. ad Ephes. vbi Chrysostomus dicit, Recolito, quia illius corpus & sanguis est, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur. *Hinc colligit Bellarminus, ergo homines quoque in Sacramento ipsum adorare debere. Sed mala est consequentia. Angeli in cœlis verum Christi corpus adorant, eoque nos quoque penetrare corde & mente debemus, ibique Christum inuocare: Quum verò in Cœna non sit realiter, ibi non ad orari debet, neque enim Angeli ibi adorant. Hunc esse sensum horum & similium locorum Chrysostomi, inde potest intelligi, quòd in suis homiliis in Matthæum sic inter alia scribit:* In istis vasis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur.

Augustinus. *Vltimo loco Augustinus adducitur, qui in Psal. 98. ita scribit:* Nemo illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit. *Respondeo, Augustinum carnem Christi adorare iubere vt verè manducetur: id nos quoque iubemus, concedimus, agnoscimus & populum docemus, sicut Augustinus & alij Patres docuerunt. Sacramentum autem carnis Christi nusquam nos adorare docet. Et vt hæc verba sint intelligenda, Augustinus eodem loco explicat:* Cùm adoras, *inquit,* illum, ne cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non separaberis, *&c. Rursus:* Spiritualiter, *ait,* intelligite quod locutus sum: Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis. *Ergo eo modo quo Christi carnem edimus, sic eam quoque adoramus. Edimus eam in cœlo sedentem ad dexteram Dei: illuc corda nostra erigimus, ibique illam adoramus. Hoc pacto sanctum Domini corpus semper fuit ab omnibus pijs in Eucharistia adoratum, vt qui, teste Chrysostomo, non in terra, sed in cœlo Cœnam Dominicam peragi crederent, proindeque à sensibilibus ad intelligibilia in cœlum ipsum mentes attollerent.*

Rationes ob quas Christum in Sacramento non adorandum censemus, hæ sunt. Rationes ob quas Christus in Sacramento non adorandus. Prima, *Christus instituens hoc Sacramentum, adorationem non præcepit, imò ne verbo quidem eius meminit: quod vtique non feciſſet, si tam necessaria esset, vt volunt Pontificij & alij. Quod ipse etiam non instituit & mandauit, ad id nemo alligatur.*

Secunda, *Christus corpore suo vero non verè & realiter est in Eucharistia: Et hoc vel ex Scholasticorum variantibus sententiis facilè probari potest. Nam Durandus cum suis in Sacramento fingunt* corpus Christi non quantum, quod nec magnum, nec patvum sit, nec ullas habeat dimensiones. *Occam contrà fingit* corpus quantum, sed non extensum sine figura, & ordine partium, mutuò se penetrantium. *Hoc autem verum, & naturale Christi corpus dici non potest. Alij saniores, vt videri volunt, dicunt,* quod corpus Christi in Sacramento sit quidem quantum, sed non quantitativè: *hoc est, vt Bellarminus exponit,* quòd quidem habeat in se magnitudinem, dimensionem, & extensiones partium extra partes, sed non habeat situm extrinsecum in

loco, nec relationem ad locum. *Extensio autem & distinctio partium, sine distinctis* VBI: *ne quidem cogitari potest; Ex his sequitur, Papistas non habere in Sacramento verum, & naturale corpus sed* symbola mystica, *vt Theodoretus Dialogo 2. loquitur*, etiam post consecrationem non amittunt propriá naturam: verùm manent in priori substantia & figura, & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea. *Augustinus in Sermone ad Infan. ait*: Quod videtis in mensa panis est. *Gelasius*: Non desinit esse substantia panis vel natura vini, sed manent in proprietate suæ naturæ. *Ergo qui Sacramentum adorant, non corpus Christi, vel ipsum Christum, sed externa elementa panis & vini adorant, ideoque idololatriæ & ἀρθολατρείας crimen effugere nunquam poterunt.*

Tertia, *Constat nullo Dei mandato, vel promissione adorationem ad panem, vel ad speciem & locum panis alligatam esse. Est autem idololatria, alligare adorationem Dei ad rem, aut locum aliquem, & sic statuere Deum esse adorandum, & exaudire certo loco: in quo Deus non iussit expresso verbo se adorari, & exauditionem promisit. Deinde post ascensionem Christi in Nouo Testamento requiritur à fidelibus tantùm adoratio spiritualis: ea verò quæ est alligata certo loco in terris, omnino prohibita & sublata est. Docet hoc Christus ipse Ioan. 4. cap.* Venit, *inquit*, hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus: quia Salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, cùm veri adoratores adorabunt Patrem spiritu ac veritate. Etenim Pater tales quærit, qui ipsum adorent. Deus est Spiritus: & qui adorant eum, oportet VT SPIRITV ET VERITATE ADORENT. *Hanc sententiam opinionibus Iudæorum & Samaritanorum opponit Christus, qui præsentiam Dei ad certum aliquem locum alligabant.*

Vetat etiam, ne putiamur nobis persuadere, vt ipsum, postquam à nobis abijt, in certo aliquo loco in terris quæramus. Si quis (*inquit*) dixerit vobis, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus (*intelligit Pyxides, Ciboria, ædiculas sacramentarias*) nolite credere.

Quarta: *Patres in Symbolo Antiochena contra Paulum Samosatenum inquiunt*: Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum totum adorabilem cum corpore, sed NON SECVNDVM CORPVS adorabilem. *Si Christus secundum corpus non est adorabilis, colligitur inde, corpus eius non adorabile, si maximè in Eucharistia realiter esset, vt Papistæ volunt: multoque minus typus, vel signum corporis, hoc est, panis in Cœna.*

Quinta *ratio sumitur ab authoritate veteris Ecclesiæ, cui hæc Adoratio Eucharistiæ planè fuit ignota. Monet Nicenæ Synodi Canon*, Ne in propositum panem & calicem humiliter intenti simus, sed eleuata fide, mente contemplemur in illa cœlesti mensa immaculatum agnum Iesum. *Quæ verba Adorationem Hostiæ funditùs euertunt: qua fit, vt nimiùm intenti in propositum panem, coram eo in genua procidant, & eum tanquam ipsissimum Christum adorent. Ex Damasceno etiam colligi potest, qui circa annos 730. floruit, ne temporibus quidem suis natam, vel receptam fuisse Eucharistiæ adorationem, pro ipso Christo, Filio Dei. Cùm enim in Oratione 1. de Imaginibus quinque adorationis genera, quibus soli Deo latriæ & diuinæ adorationis cultus exhibetur, recensuisset: subijcit deinde aliquot modos, quibus res creatæ adorentur: inter quos secundo loco ponit eum, quo diuina mysteria, panis & vinum, velut diuinæ actionis & efficaciæ, in transigenda salutis nostræ dispensatione administra, adoranda & veneranda esse dicit. Cùm igitur hæc mysteriorum veneratio, inter eos modos seu gradus, quibus res creatæ adorandæ seu venerandæ sint, à Damasceno recenseatur, nulla in mysterijs adoratio corporis Christi eius adhuc ætate in vsu fuit. Ac proinde Pontificia adoratio panis & creaturæ pro Christo horribilis est idolatria. Quod quia intellexerunt Patres in Constantinopolitano Concilio septimo contra Imagines congregati, qui nullo alio eorum, quæ sub cœlo sunt, typo, incarnationem Christi repræsentari posse voluerunt, dixerunt*: Substantiam panis, imaginem incarnationis Christi, totam electam, ab ipso appositam fuisse, ne humana effigie figurata, idololatria per hoc induceretur. *Sed & in alia Synodo quadam Constantinopolitana, Nicolai Patriarchæ tempore, ad interrogationes quorundam Monachorum: inter cæteras verò*, Quomodo quæ in Ecclesia offeruntur, vt oblationes, si quid inde superfit, comedere oporteat? An tanquam panem communem? *Responsum est*: Exaltatæ quidem oblationis fragmenta nequaquam, sed in sola Ecclesia comedi debere, donec vniuersa consumpta fuerint. *Vbi Balsamon in explicatione addit*: Vinum non exaltari, sed solùm sanctificari. *Ex quibus euidentissimè colligitur, ne exaltationem seu eleuationem quidem oblatæ, propter adorationem Filij Dei, vt hodie Pontificij somniant, sed longè propter aliam mysterij causam, olim in Ecclesia vsitatam fuisse. Amalarius quoque Treuirensis, qui claruit circa annos Domini*

820.

820. *centum annis post Damascenum, libro 3. de Ecclesiast. offic. ita scribit :* Sacerdos qui eleuat oblatam, præsentat Nicodemum: Christi enim depositionem de cruce monstrat eleuatio Sacerdotis & Diaconi: Oblata & calix Dominicum corpus signant. Quando Christus dixit: Hic est calix sanguinis mei, suum sanguinem signauit: qui sanguis sicut vinum est intra calicem, ita erat intra corpus. *His verbis, quum eleuationem oblatæ, Christi corporis de cruce depositionem in mysterio continere dicat Amalarius, propterea quòd in oblata corpus Christi mysticè signetur, sicut in calice sanguis, certè ne ea adhuc ætate adorationi, qua hodie oblata, pro ipsomet Christo, adoratur, locus in Ecclesia vllus fuit.*

Sexta *ratio sumitur ab incommodis & periculis, quæ hanc adorationem sequuntur. Nam ipsi quoque Pontificij fateri coguntur, populum in adoratione Sacramenti multis modis falli ac decipi posse, vt honorem soli Deo debitum, ei rei, quæ vel ipsorum testimonio Deus non est, tribuat. Nam si forte Sacrificulus oblitus fuerit vinum in calicem infundere, atque sic consecrationem sine vino perfecerit: aut si panis ex alia aliqua quàm triticea farina conficiatur: aut si tanta fuerit aquæ copia, vt vini substantiam vincat: aut si vinum acescere cœperit, ob eamque causam consecrationi inseruire nequeat: aut si 21. panes in altari positi fuerint, Sacrificulus autem de 20 tantùm consecrandis cogitauerit, & tunc nullum omnino consecratum esse dicunt: aut si Sacerdos consecrationis verba prætermiserit, aut si oblitus fuerit nec attenderit: In his omnibus & singulis alijsque similibus casibus consecrationem nullam fieri dicunt: Quod si populus igitur Sacramentum Eucharistiæ adoret, ex Pontificiorum quoque sententia, non corpus Christi sed nudum panem adorat, & sic honorem soli Deo debitum, creaturæ panis exhibet. Iuxta Gregorium quoque Papam, vt habetur dist. 81.* Si qui Presbyteri in crimine fornicationis iaceant, & in peccato suo perseuerent, benedictio eorum vertitur in maledictionem: secundùm illud Malach. 2. cap. Maledicam benedictionibus vestris. *Est ergo, ipsorum quoque Pontificiorum confessione, hæc res adeò periculi plena, vt nisi de intentione, mente, voluntate Sacerdotis, deque verbis consecrationis, & vita meritisque Sacrificuli, populo certò constet, Sacramentum ei tuto adorare non liceat. Dicunt quidem, non oportere nos Sacramentum adorare, nisi sub hac conditione*, Si rite consecratum fuerit. *Sed hoc nihil aliud est, quàm populum docere in genua coram Sacramento procidere, idque hac conditione adorare:* Si sis reuera Deus, tum ego te adoro: Si non sis, minimè te adoro.

Septima, *quòd ante Transubstantiationis dogma, Sacramenti eleuatio, non propter corporalis alicuius præsentiæ sub speciebus adorationem, facta legitur, sed vt per hanc solùm ostenderetur, quòd iam non sit amplius communis & corporalis, sed spiritualis, hoc est, ad spiritualem vsum destinata esca, quod prolixè & accuratè explicatum est à Bertramo. Testatur hoc Hildebertus Cenomanensis Episcopus, in suo de Missæ mysterio carmine, vbi inter alia inquit:*

Tollit vtrumque, notans, quòd sit communibus escis
Altius, & quiddam maius vtrumque gerat.

Hæc tamen omnia non sic accipi velim, quasi nullum honorem seu reuerentiam sacrosancto huic Sacramento tribuendam arbitrer. Fatemur enim monumenta & memorias rerum diuinarum aliquo modo coli & obseruari oportere. Et si in ciuili conuiuio, sua est seruanda disciplina & vrbanitas, quum in hospitis, tum in aliorum conuiuarum honorem: quanto magis cum timore & tremore decet accedere ad hoc cœleste conuiuium in quo Christus est hospes nos omnes inuitans? Si etiam in tali conuiuio profanus cibus & potus cum modestia & gratiarum actione sumendus est: quanta igitur cum reuerentia cibus ille cœlestis, corpus & sanguis Domini, percipi à fidelibus debet? Quare hoc Sacramentum magna cum religione & reuerentia tractandum est, pro cuiusque Ecclesiæ consuetudine, honesto habitu, moderatis gestibus, sobrie, religiosè, aperto capite, flexis genibus, & si qua sunt similes liberæ ceremoniæ. Et hanc reuerentiam seu honorē non dubito quin aliqui Patres, suprà citati, per Adorationis vocem intellexerint. Adorare enim interdum significat, vt omnes norunt, externam reuerentiam & venerationem alicui rei exhibere corporeis gestibus & sermone. Vt quum flectuntur genua, incuruatur corpus, aperitur caput, tolluntur manus, &c. Et est hoc commune tam Deo quàm hominibus, quos suspicimus, & ob præstantiam vel sanctitatem aliquam veneramur. Sic Abraham adorauit filios Heth, vendentes sibi agrum pro sepultura hæreditaria. Sic Abigail & Bersaba Dauidem: Magi & complures alij Christum, quem nondum agnoscebant esse Deum. De ea adoratione igitur hic tantùm agitur, in qua est proprius & peculiaris honor vnius & summi Dei: & quæritur, an Eucharistiæ ita adorare liceat, propterea quòd Christus in illa realiter & substantialiter præsens fingatur, vt ipse in Eucharistia etiam hoc modo adoretur. Pontificij aiunt: Nos qui scimus hanc realem & substantialem præsentiam ex Verbo Dei probari non posse, negamus Sacramenti adorationem: & cum Augustino carnalem animæ seruitutem esse dicimus, signa pro rebus quæ his significantur ac-

cipere, & ſupra corpoream creaturam, mentem ad percipienda cœleſtia dona non attollere. Nulla enim creatura, quantumuis ſanctiſſima, citra impietatem, & Creatorii ipſius contemptum adorari poteſt: quanto minùs hoſtiæ panaceæ, rei viliſſimæ & eſcæ murium, ipſoque uſu depereunti, aut quæ ſitu in exiguum aliquem pulueſculum redigitur, hic cultus tribui debet?

Corpus quidem Chriſti ſemel in utero ſanctæ Virginis, virtute Spiritus ſancti conceptum credimus, idque morti traditum & ſepultum, ſed ne in ſepulchro quidem corruptioni obnoxium, vitæ immortali reſtitutum: ac in cœlos receptum credimus: at quod ſubinde corrumpitur, aut à beſtiolis deuoratur, nihil cum Chriſti corpore habere commune ſentimus. Videant ergo Pontificij, quam Chriſto iudici ante tribunal eius rationem reddituri ſint, pro tam horrenda & inaudita idololatria, tantaque ſanctiſſimi corporis eius dehonestatione, vt qui illi debetur cultus, eum murium eſcæ impiè tribuant. Experientur tunc, ſed magno ſuo cum malo, quanta Vrbano Pontifici debeatur gratia, qui impij & ſcelerati huius inuenti primus author extitit, totumque veri Dei cultum hac deteſtanda artolatria ſuſtulit: Interim verò nos Chriſtum in Euchariſtia ſic quoque adorandum, atteſtante Scriptura ſancta, omnique pura Antiquitate credimus, vt externis quidem elementis nullum diuinum cultum exhibendum eſſe fidem autem ſolam in cœlum erigendam, vt ibi Chriſtum apprehendat, & vita ex eo cœleſtem hauriat, doceamus. Hæc enim eſt vnica, vera & legitima adorandi in Sacramento Chriſti ratio, vt ſenſus quidem externi externa percipiant elementa, ſola autem fides Chriſtum Seruatorem, regnantem in cœlo conſpiciat ſeque cum eo, tanquam fonte vitæ, coniungat.

CAPVT IX.

Sacramenta & alia Sacra, an lingua vernacula, omnibuſque nota, vel peregrina & ignota, celebrari debeant?

APVD *Pontificios non ſolùm* Canon, *ſed etiam* Salutationes, Preces, Hymni *& cætera in Miſſa, non lingua vernacula, ſed peregrina & ignota, leguntur ac ſiunt: Et in Tridentino Concilio anathemati ſubijcitur, qui dixerit,* Lingua tantùm vulgari Miſſas celebrari debere. *Fit autem hoc contra exemplum Chriſti, Apoſtolorum & Primitiuæ Eccleſiæ: contra Verbum Dei: denique etiam contra communem ſenſum ac rationem. Hanc ſententiam noſtram aliquot argumentis probabimus: deinde rationes Bellarmini, quibus contrarium defendere conatur, breuiter excutiemus.*

Primum *igitur argumentum hoc ſit: Si Chriſtus, Apoſtoli & tota primitiua Eccleſia, Sacramenta aliaque publica ſacra adminiſtrârunt lingua vernacula & omnibus nota, id etiam hodie fieri debet. Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens. Connexum Maioris negari non poteſt. Chriſtus enim inquit Ioannis decimotertio cap.* Exemplum præbui vobis, vt prout ego feci, ita & vos faciatis. *Adhæc, quum Chriſti, Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ exemplum ſit omnium perfectiſſimum, ſanctiſſimum, incorruptiſſimum & cæterorum omnium norma ſeu regula certiſſima, meritò ad id ſemper recurrere, & ad id doctrinam, ritus & ceremonias in Eccleſia componere & inſtituere debemus, Aſſumptio in præcedentibus libris ſatis probata eſt.* *Argumenta contra peregrinam linguam in ſacris.*

Secundum *argumentum hoc eſt: Quod Deus mandauit, hoc omnes Chriſtiani obſeruare & facere debent. Mandauit autem Deus, vt preces & ſacra publica lingua nota & vernacula faciamus. Hoc ergo fideles obſeruare & facere debent. Maior negari non poteſt. Minor probatur primò, verbis Chriſti, qui in Cœnæ inſtitutione inquit,* Hoc facite, *ſcilicet quod videtis & auditis me facere: lingua autem vernacula Chriſtum Cœnam inſtituiſſe eſt extra omnem controuerſiam. Deinde idem Seruator dixit,* Hoc facite in mei recordationem: *& Apoſtolus Paulus priori ad Corinthios vndecimo capite hæc verba Chriſti exponens,* Quotieſcunque, *ait, ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate. Qui verò poteſt vulgus hominum in celebratione Cœnæ Chriſti recordari, & mortem eius annunciare, ſi incognita lingua hoc myſterium celebretur, & homines non intelligant, quæ in eo agantur? Idem Apoſtolus priori ad Corinthios decimoquarto cap. peregrinæ linguæ vſum ſine interpretatione in Eccleſia reijcientes, ita concludit:* Quæ ſcribo vobis ſunt Domini mandata. *Et,* Ita in omnibus Eccleſijs ſanctorum doceo. *Quæ verò docuit Paulus, ſunt Verbum Dei. Docuit autem, à peregrina lingua vſu abſtinendum in ſacris publicis. Ergo hoc eſt Verbum Dei.*

Huc etiam pertinet, quod Æneas Syluius in hiſtoria Boëmica capite decimotertio ſcribit, Cyrillum quendam & Methodium, quum longa prædicatione multiſque moleſtijs, Ruſſos & Morauos ad fidem ac Religionem Chriſtianam perduxiſſent, magnopere à Romano Pontifice contendiſſe, vt his populis vernacula lingua rem diuinam facere liceret, & de hac re in Pontificis & Cardinalium Senatu, Romæ diu multumque diſceptatum fuiſſet, tandem hanc vocem de cœlo auditam eſſe: Omnis ſpiritus laudet Dominũ: & omnis lingua confi-

teatur

ceatur ei. *Si hæc verè acciderunt, negari non potest, quin cælitus mandatum fuerit, nouissimis etiam temporibus, vt sacra Officia in Templis lingua omnibus nota peragantur. Vnde etiam hæc voce motos fuisse Romanenses Patres istos idem Æneas scribit, vt concederent his gentibus sacra sua vsitata ac vulgari lingua celebrare.*

Tertium *argumentum sit: Quod non pertinet ad ædificationem, cohortationem, consolationem, institutionem, & vt habitet in nobis Sermo Dei opulenter, id in Ecclesia & cœtibus fidelium non est vsurpandum. Lingua verò non intellecta, non ædificat, non cohortatur, non consolatur, non instituit. Ergo in Ecclesia non est vsurpanda. Maior probatur ex priori ad Corinthios 14. cap. vbi Apostolus sic ait:* Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, vt excellatis. *Et rursus eodem loco*: Omnia ad ædificationem fiant. *Minor itidem ex eodem capite probatur. Sic enim inquit Paulus*: Si veniam ad vos linguis, hoc est, peregrino & non intellecto sermone loquens, quid vobis prodero? *Quibus vtique aperè significat, Sermonem peregrinum, neque ad ædificationem, neque ad exhortationem, neque ad consolationem, neque ad institutionem quicquam prodesse. Vtque res clariùs intelligatur, illustrat eam simili ab instrumentis musicis sumpto: quæ non tantùm in hunc vsum adhibentur, vt sonent, sed vt sonos distinctos & significantes edant: alioquin ad nos nulla inde rediit vtilitas, sed tantùm in aerem fit sonus.* Sic & vos, *inquit Paulus*, nisi per linguam significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur, quod dicitur? Eritis in aërem loquentes.

In eandem sententiam Augustinus quoque scribit libro quarto de Doctrina Christiana, capite decimo: Quid enim prodest, *inquit*, loquutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis: quum loquendi omnino nulla sit causa, si, quod loquimur, non intelligunt, propter quos, vt intelligant, loquimur? *Et Ambrosius ad illa verba Pauli*, Sed alius non ædificatur, *&c.* Si, *inquit*, ad ædificandam Ecclesiam conuenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, vt quis lingua loquatur, quam solus scit, vt qui audit nihil proficiat? Ideo tacere debet in Ecclesia, vt ij loquantur, qui prosunt audientibus.

Quartum *argumentum suppeditat nobis Paulus eodem capite, sic inquiens*: Tam multa genera vocum sunt in mundo, & nihil horum mutum. Itaque si nescíero vim vocis, ero ei, qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus. *Vbi per multa genera vocum intelligit varias linguas, quæ sunt in diuersis nationibus, & earum nullam dicit esse ἄφωνον, id est, inarticulatam, indistinctam & significationis expertem. Tamen quantumuis lingua sit politissima & exculissima, si ignoret vim vocum, & non intelligat linguam audiatur, qui loquitur erit ei barbarus: & vicissim is qui non intelligit, erit loquenti barbarus. Vnde etiam Ouidius apud Getas in exilio degens, homo alioquin Latina lingua politissimus, sic scripsit:*

Barbarus hîc ego sum, quia non intelligor vlli.

Et Anacharsis Scytha quum ab Atheniensibus barbarus vocaretur, respondit: Scythæ Athenis barbari habentur, sed Athenienses Scythis vicissim barbari sunt. *Cicero quoque lib. 5. Thuscul. ait*: In ijs linguis quas non intelligimus, surdi profectò sumus. *Ex his igitur verbis Paulinis tale argumentum formari potest.*

Quicquid eum, qui loquitur in Ecclesia, facit barbarum Ecclesiæ, & Ecclesiam ipsi vicissim barbaram, id non est in Ecclesia ferendum.

Sed lingua peregrina & incognita hoc præstat: Ergo in Ecclesia Christi non est ferenda.

Quintum *argumentum ex his verbis Pauli elici potest, quæ eodem capite leguntur.* Si benedixeris spiritu, is qui occupat locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem, quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, verùm alius non ædificatur. *Ex his sic argumentatur: Ad quod populus debet respondere Amen, id debet intelligere. Sed ad preces publicas etiam eas quæ fiunt in celebratione Cœnæ, debet respondere Amen: Ergo eas populus debet intelligere. Maior manifesta est: nemo enim potest respondere* Amen, *ad id quod non intelligit, Apostolo teste. Respondere enim* Amen, *est confirmare benedictionem: vel benedictioni consensum & testimonium perhibere, vt Ambrosius & Hieronymus interpretantur. Hoc autem ille facere non potest, qui non rem illam intelligit, quam suo consensu & testimonio approbare debet. Minor probatur ex praxi primitiuæ Ecclesiæ. Iustinus enim Apolog. 2. in descriptione ritus obseruati suo tempore, hoc est, circa annos Domini* 130. *in Ecclesia, sic ait:* Post hæc consurgimus omnes, & precamur: postea profertur panis, vinum & aqua: Tum Antistes, quantum potest, precatur & gratias agit: plebs verò Amen accinit. *Hieronymus in Præfat. 2. lib. ad Galatas*; Totus, *inquit*, populus instar tonitrui respondet Amen. *Ex quibus intelligimus, totum cœtum olim acclamasse Amē: & ob eam causam sacra ea*

lingua peracta fuisse, vt à populo intelligi potuerint.

Ad hæc respondet Bellarminus, non esse necesse, vt omnes intelligant, sufficere enim vt ille qui idiotæ locum supplet & respondet, intelligat. *Per eum qui idiotæ locum supplet, intelligit Iesuita Chorum Clericorum, qui respondet ad fines precum*, Amen: *Item*, Et cum spiritu tuo: &, Habemus ad Dominum. *Repugnat autem huic interpretationi Hieronymus, qui ad hunc locum scribit*, Apostolum per eum qui supplet locum idiotæ significare Laicum, qui nullo Ecclesiastico gradu fungitur: *sic etiam sentit Chrysostomus & Oecumenius. Et veram interpretationem esse, sensus verborum Pauli indicat. Vult enim dicere, Si precentur lingua peregrina, qui ille, qui supplet locum idiotæ, respondere possit Amen? Ad hoc facilè responderi potuisset Apostolo, si Clericos, vel chorum Clericorum intellexisset.*

Hæc & plura alia argumenta ex hoc capite decimoquarto Epistolæ 1. Corinth. sumi possent. Obijcit autem Bellarminus, In magna parte huius capitis non agi de diuinis Officijs, sed tantùm de exhortatione spirituali & concione, de quibus concedit quòd ab omnibus intelligi debeant. *Argumentum Iesuitæ tale est. Quod in magna capitis istius parte agitur, de eo in toto agitur; Sed in magna parte capitis 1. Corinth. 14. agitur de exhortatione spirituali, & concionibus tantùm: Ergo in toto de ijs agitur tantùm, & proinde nihil de alijs diuinis Officijs. Vitiosa autem est argumentatio à parte ad totum. Deinde ex analysi totius capitis manifestum est, non agi tantùm de concionibus in lingua peregrina, sed in genere de peregrino & incognito plebi sermone, eiusque vsum reprehendi in exhortationibus, concionibus, precibus, psalmodijs, lectionibus, benedictionibus vel Sacramentorum oblatione. Legat qui volet caput diligenter, & fatebitur vera esse quæ dicimus. Vnde etiam Caietanus in hoc caput*, Ex hac, *inquit*, Pauli doctrina habetur, quòd melius ad Ecclesiæ ædificationem est, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi Clericis & populo, quàm dici Latinè.

Accedit huc omnibus vltimo *loco, authoritas Lateranensis Concilij & Innocentij 3. qui ei Concilio præfuit. In eius can. 9. sic decreuerunt*: Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum siue diœcesium, prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitates rituum & linguarum diuina Officia illis celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent instruendo eos verbo pariter & exemplo. *Habetur etiam Extrà. de officio Iudicis ord. cap. 14.*

Ad hoc argumentum respondet Bellarminus, Concilium loqui in hoc decreto tantùm de lingua Græca & Latina. Quia enim tempore eius Concilij capta fit Constantinopolis à Christianis, & Imperatore ac Patriarcha Constantinopolitano Latinis existentibus, permultos fuisse in Græcia Latinos Græcis permixtos, ideoque postulatum fuisse à Pontifice in Concilio, vt permitteret duos Episcopos ordinari in talibus locis: Pontificem autem respondisse, non conuenire, vt sint duo Episcopi in vna ciuitate: sed tamen debere Episcopum prouidere, vt sint ministri idonei, qui Græcè Græcis, & Latinè Latinis Sacra celebrarent. *Respondeo, Iesuitam multa falsa huic Canoni affingere, cuique pro libito interpretari. Primò enim dicit, loqui Canonem de Græca & Latina tantùm lingua: sed hoc falsum esse Canon ipse arguit, qui diuersarum linguarum meminit, non Græcam & Latinam solùm, sed alias quoque intelligens. Non enim Itali solùm, sed etiam Galli, Germani, Angli, & alij populi in eo exercitu fuerunt, qui Constantinopolim cepit. Deinde fingit, ob Constantinopolitanam solùm vrbem hoc decretum factum esse: quum Canon eius vrbis mentionem nullam faciat, sed potiùs dicat*, Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, *&c. Ex quibus intelligimus, Canonem loqui non de Constantinopoli tantùm, sed de pluribus alijs ciuitatibus longè ab ea distantibus.*

Sed hoc, *inquit Bellarminus*, nunquam obseruatum fuit in Italia. *Respondeo hoc mirum non esse, quia Italica lingua semi-Latina est: & proinde opus non fuit, vt in Italica lingua celebrarentur diuina Officia, quum Latinam, in qua à multis annis celebrata fuerunt in ea regione, omnes ferè intelligerent. Deinde nouum non est, si in ipsa Italia Pontificum Rom. constitutiones & decreta negligantur: & rident plerumque Itali, quòd reliquæ nationes tam obsequentes sint filij Pontificum. Tertiò non attendendum, quid in Italia fiat, sed quid fieri debeat.*

Responsiones ad Argumenta Bellarmini, pro lingua peregrina in Sacris.

Argumenta Bellarmini pro lingua peregrina, &c. vtumque confutatio.

PRIMO, *Bellarminus tomo 2. de Effectu Sacrament. lib. 2. cap. 31. dicit*, Non esse de iure diuino, qua lingua Sacramenta ministrentur. *Respondeo, Legem quidem Dei nullam exstare, quæ præcipiat, vt hac tantùm vel illa lingua Sacramenta administrentur. Mandatum autem esse Dei, & doctrinam Pauli, ne peregrina & in-*

& incognita alicui genti lingua celebrentur, supra indicauimus argumento secundo.

SECVNDO dicit, Ecclesiam Latinam semper Latinè Sacramenta ministrasse. *Respondeo ex Lyrano qui ad 14. cap. prioris ad Corinthios scribit*, In primitiua Ecclesia benedictiones & cætera communia facta fuisse in lingua vulgari: *& proinde in Latina seu Romana & Italica quoque Ecclesia Latinè, in alijs non item.*

Probat autem suam propositionem duabus rationibus. Prima *est*, Isidorum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Strabonem, Micrologum, Rupertum, & Thomam Waldensem, scripsisse de diuinis Officijs, in Hispania, Gallia, Germania, Italia, Anglia, quo tempore lingua Latina nusquam fuerit vulgaris, & apertissimè docere Sacramenta lingua Latina celebrari solita: describere quoque eos Latinè totum ritum, & formalia verba, quibus vti oporteat. *Respondeo, celebrata fuisse Sacramenta, aliaque diuina Officia in Latina lingua, vbi intelligi potuit: sit alijs Ecclesijs non item. Scribit enim Isidorus Hispalensis ille cap. 10. de Ecclesiast. Offic.* Oportet vt quando psallitur, ab omnibus psallatur, & quum oratur, vt ab omnibus oretur: quumque lectio legitur, facto silentio æquè audiatur à cunctis. *Non igitur vult, vt hæc Latinè tantùm fiant, ab ijs, qui Latinam linguam non intelligunt. Deinde non sequitur, Alcuinus, Amalarius, &c. scripserunt de diuinis Officijs totum ritum Latinè, ergo diuina Officia Latinè tantùm celebrata fuerunt.*

Secunda *ratio Bellarmini est*, In Sacramentis ministrandis semper legi aliquas partes diuinæ Scripturæ: at olim non extitisse Scripturas, nisi Hebraicè, Græcè & Latinè: ergo in Ecclesia Latina fuisse lectas illas partes Latinè. *Respondeo, Si per Latinam Ecclesiam eam intelligat, cui Latina lingua nota fuit, posse hoc ei concedi: Sed si alias etiam intelligat, quibus linguæ Latinæ vsus fuit incognitus, nequaquam. Quod enim dicit, olim non extitisse sacras Scripturas nisi Hebraicè, Græcè & Latinè, falsum est, vt suprà in primo argumento August. Chrysost. & Theodoreti apertissimis testimonijs probauimus. Deinde non sequitur, si maximè verum esset quod dicit, Sacra Scriptura olim tantùm in Hebraica, Græca & Latina lingua extitit: ergo partes illæ quæ legebantur ex ea in administratione Sacramentorum, Latinè tantùm lectæ fuit: nam Minister sacrorum in vernacula lingua eas & potuit & debuit legere: alioquin sequeretur, eas quoque partes, quæ tunc pro suggestu ex Scriptura lectæ sunt, & populi institutioni accommodatæ, quæque testimonia ex Scriptura in concionibus citata sunt, Latinè tantùm lectæ & citata fuisse.*

Tertium *argumentum Bellarmini est*, Nullam esse necessitatem, quæ cogat lingua vulgari Sacramenta ministrari. *Ita quidem Iesuita: tota autem disputatio Paulina 1. Corinth. 14. cap. & argumenta superius à nobis allata contrarium nos docent: minimum, necesse omnino esse, vt Sacramenta & alia diuina Officia lingua vernacula celebrentur, quò plus cultui diuino, & nostræ ipsorum institutioni, consolationi & ædificationi inserviant.*

Quartum *eius argumentum habetur libro secundo de Missa, capite vndecimo, vbi dicit*, Sacrificij oblationem magis in re, quàm in verbis consistere. *Hoc verò probat per duo falsa præsupposita, quorum primum est*, In Missa veram & realem oblationem fieri. *Quod falsum est. Alterum*, Verba non dirigi ad instruendos auditores: sed primò ad elementum consecrandum: elementum autem nullam linguam intelligere: secundò ad Deum, qui omnes linguas intelligat, & proinde nihil referre, vtrum Missa dicatur lingua vulgari, vel non vulgari. *Sed & hoc præsuppositum manifestè pugnat cum doctrina Pauli, qui vult*, vt omnia, *non aliqua saltèm*, ad ædificationem in Ecclesia fiant. *Deinde Augustinus inquit.* Quamobrem Sacerdos vocem extollit, alteque precatur in Ecclesia? Non vt Deus, sed vt populus illum exaudiat: quo ipsius audita voce, & mente percepta admoneatur, & consensione quadam coniungatur, atque ad Deum excitetur. *Et Cyprianus in Oratione Dominica*: Ideo, *inquit*, Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo, Sursùm corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, se nihil aliud quàm Dominum cogitare debere.

Quinta *ratio Bellarmini, est antiquissima Ecclesiæ consuetudo.* Nam in toto Oriente non inueniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ: in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt, nisi Latinæ. *Respondeo, Liturgias Orientales antiquas vel tantùm Græcè conscriptas esse, non autem in ea lingua celebratas, quemadmodum etiam hodie multi homilias sacras in lucem edunt Latinè, quum Germanico sermone eas ad populum habuerint. Vel si hac ipsa lingua coram populo celebratæ sunt in toto Oriente, neque tamen hoc multùm adiuuat Iesuitam: Illis enim locis & populis Græca lingua olim fuit notissima, Cicerone quoque teste, qui pro Archia dicit*, Græca leguntur in omnibus ferè gentibus. *Et Hieronymus lib. 2. Comment. ad Galatas*, Omnis, *inquit*, Oriens, præter proprias gentium linguas, sermone Græco loquebatur. *Sic in Gallia omnes prouinciæ suum proprium idioma habent vernaculum, omnes tamen, etiam rustici, Gallicam lin-*

etiam Pium 5. tum in Breuiario, tum in Miſſali quoque emendando & reſtituendo. *Intelligimus ergo ex his, etiam ſi in vna & eadem lingua verba Sacramentalia vbique terrarum legerentur & proferrentur, periculum tamẽ mutationis & depravationis ne ſic quidem vitari poſſe. Vtitur ergo in hoc argumento Bellarminus fallacia à non cauſa vt cauſa. Denique, ſi verum eſt quod dicit Bellarminus, expedire vt verba Sacramentorum conceptis verbis, & eodem modo ab omnibus proferantur, vt ſic periculum caueatur mutationis, vel depravationis: Quæro: cur igitur in ipſa vrbe Roma, & alibi per Italiam, Romano Pontifice conſentiente, à Græcis retineatur Liturgia Baſilij, vel Chryſoſtomi: & Mediolani Ambroſiana, & Toleti in Hiſpania Iſidori, quam Morarabam vocant. Nam hæ omnes, vnà cum Romana, neque ſunt eiuſdem linguæ, neque eorundem verborum: non poſſunt igitur eodem modo ab omnibus proferri: & proinde non expedit quod dicit Bellarminus.*

Quartò *prætendit Ieſuita ignorantiam, & dicit*, Si lingua vulgari Sacramenta adminiſtrentur, aperietur porta latiſſima ignorantiæ: contenti enim erunt Miniſtri ſi ſciant legere. Itaque paulatim obliuiſcentur linguam Latinam, atque ita non legent Patres, & proinde non intelligent Scripturas. *Argumentum eſt huiuſmodi. Quicquid aperit portam ignorantiæ, ab eo eſt cauendum. Sed hoc facit lingua vulgaris. Ergo ab ea cauendum eſt in Sacris. Negatur minor, eſt enim paralogiſmus à non cauſa vt cauſa. Nam vſus linguæ vulgaris in ſacris Officijs, non eſt vera cauſa ignorantiæ multorum Miniſtrorum. Hoc inde patet, quòd in primitiua Eccleſia lingua communi in diuinis Officijs vſi ſunt, & tamen longè doctiores & præſtantiores Viri tum fuerunt quàm hodie. Tum erant aurei, nunc verò ligniei Sacerdotes ſunt. Licèt etiam in Papatu vtantur lingua Latina tantùm in Eccleſiaſticis Officijs, nihilo tamen propterea doctiores ſunt eorum Sacrificuli, qui plerumque adeò ſunt ſtupidi & inepti, vt vix tria aut quatuor verba Latinè, nedum Græcè & Hebraicè loqui poſſint. Et teſtatur cap. Retulerunt. de Conſecr. diſtinct. 4. Zacharie 1. Papæ temporibus, fuiſſe Sacerdotes qui Latinam linguam penitus ignorarint, & dum baptizarent dixiſſe,* Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta. *Sixtus Senenſis quoque in Biblioth. 6. annot. 263. fateri cogitur,* non ſolùm eum, qui ſupplet locum idiotæ, verùm etiam ipſos Preſbyteros & Diaconos, qui orant, ſæpenumero præ inſcitia non intelligere, quid oretur.

CAPVT X.

An Canon Miſſæ non clara, ſed ſubmiſſa voce, & ſecretè legendus?

CANONEM, *quo in celebratione Miſſæ vtuntur Pontificij, non alta & clara voce, ſed tam ſubmiſsè & ſecretè legunt Sacrificuli, vt ab aſtantibus nulla diſtincta ſeu expreſſa vocula, ſed tantùm murmur quoddam raucum audiri poſſit. Fit hoc autem contra exemplum Chriſti & totius veræ Antiquitatis.*

Chriſtum enim verba, quibus inſtituit ſacroſanctam Cœnam, tam clara & aperta voce pronunciaſſe, vt ab omnibus diſcipulis audiri & intelligi poſſent, neminem in dubium vocare arbitror. Vt mirum ſit, non puduiſſe Thomam affirmare in 3. par. Summæ. quæſt. 78. ar. 8. Chriſtum ipſum in Cœna vltima ſilentio & tacitè conſecrâſſe, eodem penitus modo, quo nunc Sacrificuli ſolent. *Nec eſt ſufficiens enumeratio quod Bellarminus dicit*, Chriſtum clara voce verba Cœnæ pronuntiâſſe, non ſolùm vt conſecraret, ſed etiam vt Apoſtolos ritum doceret conſecrandi: *Nam addere debuit, Chriſtum hoc quoque feciſſe, vt Apoſtolos & omnes fideles doceret, quomodo mortem eius annuntiare debeant, qui finis Cœnæ eſt præcipuus, ob quem etiamnum hodie verba clarè ſunt pronuntianda. Adde, quòd Ieſuita vnam eandemque rem ſimul concedit & negat. Negat Chriſti exemplo probari poſſe, verba Cœnæ clarè pronuntianda: & tamen concedit, clarè pronuntiata, vt conſecraret: ergo propter conſecrationem hodie quoque clarè pronuntientur.*

Argumenta contra ſubmiſſam vocem & vacuum murmur in ſacris.

Chriſtus mandauit vt clarè voce in Cœna.

Deinde Chriſti Seruatoris, inſtituentis Cœnam, expreſſum mandatum habemus, Lucæ 22. Hoc facite in mei memoriam ſeu commemorationem. *Et, vt hæc verba intelligi debeant, Paulus explicat 1. Corinth. 11. cap. inquiens:* Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis. *Non igitur memoria ſeu recordatio Chriſti tacito modo, vel per ſilentium, & ſecretè muſitando, ſed per claram, apertam & publicam annuntiationem à Sacerdote celebranda eſt.*

Quod autem Bellarminus dicit, magnam fore confuſionem, ſi omnis populus in Eccleſia alta voce mortem Domini annuntiare deberet, *nihil dicit. Nos enim loquimur de Miniſtro tantùm, vel Sacerdote Cœnam adminiſtrante, quem neceſſe eſt alta voce in celebratione Cœnæ cuncta loqui, vt rudis populus intelligat hic agi de morte Chriſti & redemptione humani generis, quo eius memoriam recolere, & pro-*

& pro ineffabili illo beneficio, morte Christi hominibus præstito, gratias agere possit. Nisi enim plebs intelligat, qua de re agatur, nescit sanè etiam pro qua re gratias agere debeat, & proinde in Missa Papistica, in qua pleraque secreto peraguntur, mortem Domini grata memoria annuntiare nequit.

Neque etiam Christus hoc modo instituit, vel Baptismum, vel Cœnam, vt actio quidem esset visibilis & publica, verba autem, quæ Sacramentorum præcipua pars sunt, à nemine intelligerentur. Hic primò *distinguit Bellarminus inter Sacramentum, & Sacrificium: & dicit, Sacrificium*, quod in Canone peragitur, non in verbis potissimùm, sed in oblatione rei consistere: & proinde nihil referre, siue alta, siue submissa voce id fiat, modò victimæ præsentatio exhibeatur. *Nos verò in Eucharistiæ Sacramento nullum tale sacrificium agnoscimus, quale Pontificij fingunt, sed tantùm laudis & gratiarum actionis, quod à Sacerdote significante & clara voce peragi debet, ad populi ædificationem.*

Deinde *concedit Iesuita, ad Sacramentorum essentiam verba potissimùm pertinere, negat autem necesse esse, vt verba ab ijs percipiantur, qui Sacramenta suscipiunt, modo percipiantur ab ijs, qui ea ministrent. Sed aduersatur hoc doctrinæ Pauli* 1. *Corinth.* 14. *vbi vult, vt etiam benedictiones, hoc est, Sacramentorum administratio, lingua vulgari celebrentur, vt ab omnibus intelligantur. Vult igitur verba Sacramentorum non solùm à Sacerdote sed ab omnibus, in eorum celebratione præsentibus, percipi ac intelligi debere. Probat autem Bellarminus suam sententiam argumento à Baptismo petito*, qui infantibus, surdis, &c. collatus irritus esset. *Respondeo, non propterea irritum esse Baptismum, licèt verba eius ab infantibus non intelligantur: nam quod ad hoc, infantum loco adsunt susceptores eorum, de quibus Augustinus scribit lib. de Dogmat. Eccles. iast. cap.* 52. Si paruuli sunt, *ait*, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi. *At si pro paruulis respondere debent, verba etiam Baptismi intelligere debent, alioquin ad ea respondere non possent. Deinde, est hic quoddam discrimen inter Baptismũ & Cœnam. Nam, vt suprà etiam indicauimus, non solum ipsa Cœnæ verba, sed eiusdem quoque institutio, vsus & finis, ad eos propiùs diriguntur, quàm Baptismi verba, qui ipsa mysteria intelligere, & cætera per se, non autem per alios præstare debent, quæ eius actio postulat. Christus enim requirit in Cœna, renouationem & celebrationem mortis suæ: Paulus annuntiationem eius, & probationem suipsius. Necesse igitur omnino est, vt non solùm Sacerdos, sed quotquot Cœnam percipere volunt probè intelligant, quæ in eius celebratione agantur & dicantur.*

Tertiò *dicit*, Christum non quidem instituisse vt verba occultentur & sepeliantur, sed neque instituisse etiam ita pronuntiari, vt ab omnibus, qui adsunt, audiantur. *Respondeo, prius esse verum, posterius falsum, paulò antè in primo & secundo argumento à nobis probatum est.*

Paulus quoque 1. *Corinth.* 14. *discere hæc duo distinguit: In Ecclesia loqui, de ijs scilicet, quæ ad ædificationem fidelium pertinent: & priuatim sibi ipsi & Deo loqui. Respondet Bellarminus*, In Ecclesia loqui, Paulo nihil aliud esse, quàm exhortari & instruere Ecclesiam: sibi autem & Deo loqui, esse orare, vel laudare Deum, & proinde Apostolum solùm distinguere Concionem ab oratione. Ad neutrum autem propriè pertinere sacrificium: sacrificare enim esse facere, non loqui. *Respondeo, verissimum est quod dicit Iesuita: Nam sacrificium Missaticum, neque ad exhortationem, neque ad orationem pertinet: & sacrificare in Missa, non est loqui ad ædificationem, sed tantùm facere, hoc est, gesticulari, & theatricis saltationibus vti.*

Quod autem dicit, In Ecclesia loqui Paulo tantùm esse exhortari, *falsum est, quod ex disputationis Paulinæ serie manifestius est, quàm vt negari vllo modo possit. Preces enim, & Psalmos, & benedictionem, lingua peregrina, expressè reprehendit: quæ species sunt comprehensæ sub illo genere, Linguis loqui: eademque est ratio lectionis sacræ Scripturæ, administrationis Sacramentorum, & aliorum diuinorum Officiorum omnium, quæ lingua, siue sermone in Ecclesia peraguntur. Hinc ait*, Quid est igitur? Precabor spiritu, sed precabor & intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam mente. *Item*, Si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem. *Et rursus*: Quoties conuenitis fratres, quisque vestrûm canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem agite. *His etiam Patrum interpretationes consentiunt. Theodoretus ad priora illa verba Apostoli, sic notauit*: Dicit ergo oportere eum qui aliena lingua loquitur, siue in psalmodia, siue oratione, siue in doctrina, vel ipsum interpretari ad vtilitatem audientium, vel assumere alium, qui hoc faciat. *Eadem est Chrysostomi, Ambrosij & aliorum sententia.*

Vnde etiam in tota Antiquitate preces & gratiarum actiones in celebratione Cœnæ, præcipuè verò verba consecrationis, alta voce pronunciarunt. Quod verba Consecrationis attinet, id apertissimè constat ex Liturgia Chrysostomi, & con-

& concedit ipſemet Bellarminus, affirmatque Beſſarion Cardinalis in libro de verbis Cœnæ. Quod ad reliquas etiam preces pertinet, in Euchariſtia uſurpatas, patet idem ex ritu antiquiſſimo reſpondendi ad eas Amen. *Paulus* 1. *Corinth.*14. Si benedixeris, *inquit*, hoc eſt, ſi Sacramenta celebraueris, ſpiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dictutus eſt Amen, ad tuam gratiarum actionem? *Dionyſius apud Euſebium libro ſeptimo, capite nono dicit*, quendam ab hæreticis baptizatum, & gratiarum actionem in Eccleſia audiiſſe, & ad illam vnà cum aliis Amen accinuiſſe. *Chryſoſtomus in* 2. *Corinth.* 18. *Homil.* Quin & in precibus viderit quis populum multum ſimul offerre: nam communes preces & à populo, & à Sacerdote fiunt, & omnes vnam dicunt orationem. Bene precatur Sacerdos populo, & bene precatur populus Sacerdoti. Nam cum ſpiritu tuo, Quibus verbis populus reſpondet Sacerdoti: nihil, *inquit*, aliud eſt, quàm hoc, Ea quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnium: neque enim nihil ſolus gratias agit, ſed populus omnis. *Ibidem*: Non modò Sacerdos gratias agit Deo, ſed populus etiam totus. Quid autem miraris, quando Sacerdotem & populum in precibus colloquentem vides? *Sic Iuſtinus Apolog.* 2. profertur, *inquit*, panis & vinum: Tum Antiſtes, quantum poteſt, precatur & gratias agit: plebs verò accinit Amen. *Eadem legimus apud Auguſtinum ad Oroſium quæſt.* 49. *Hieronymus in Prologo Epiſtolæ ad Galatas libro* 2. *ait*, In Eccleſijs vrbis Romæ quaſi cœleſte tonitru audiri populum reboantem Amen.

Ex his colligimus, omnia in veteri Eccleſia alta voce recitata fuiſſe, etiam in celebratione Cœnæ: alioquin populus non vnà cum Sacerdote gratias agere, & ad ſingula Amen reſpondere potuiſſet.

Ad Chryſoſtomi verò apertiſſima teſtimonia reſpondet Bellarminus, voluiſſe hoc potiſſimùm hunc Patrem, vt populus non otiretur in Templo, ſed oret pro ijs rebus, pro quibus & Sacerdos orat: id autem poſſe fieri, etiamſi tum Sacerdos, tum populus in ſilentio oret. *Falsò autem hæc affingere Ieſuitam Chryſoſtomo, quiuis intelligit, qui verba eius vel obiter inſpexerit.* In precibus, *inquit*, viderit quis populum ſimul offerre: *At quomodo videre, ſeu audire & intelligere hoc aliquis potuit, qui preces populi non audiuit & intellexit? Sacerdotem etiam & populum ſimul in precibus colloqui dicit*: συλλαλεῖν *autem & colloqui in precibus non eſt ſecretò orare, ſed apertè, vt ſeſe mutuò exaudire poſſint. Vnde Hieronymus dicit*, Romæ quaſi cœleſte tonitru audiri populum reboantem, Amen. *Et Auguſtinus inquit*, Quamobrem Sacerdos vocem extollit, alteque precatur in Eccleſijs? Non vt Deus, ſed vt populus illum exaudiat: quo ipſius audita voce, & mente percepta admoneatur, & conſenſione quadam coniungatur, atque ad Deum excitetur.

Expendamus tamen argumenta & rationes, quibus Ieſuita hoc raucum murmur in legendo Canone Miſſatico defendere conatur. PRIMO *dicit*, Vtile eſt ad reuerentiam tanti myſterij vt non omnia alta voce dicantur. *Hoc probat Baſilij verbis, qui in libro de Spiritu ſancto, cap.* 27. *dicit*, multùm conferre ad dignitatem & reuerentiam conſeruandam myſteriorum, vt non aſſueſcant homines eadem ſæpius audire, vel potiùs, vt non affectantur ad aures vulgi. *Argumentum Ieſuitæ tale eſt:*

Argumenta Bellarmini pro murmure in Sacris, eorumque refutatio.

Quicquid pertinet ad reuerentiam conſeruandam Euchariſtiæ, tanquam magni myſterij, non eſt alta voce enuntiandum, & ad aures vulgi efferendum.

Sed preces & conſecratio Euchariſtiæ pertinent ad eius reuerentiam. Ergo,

Non ſunt alta voce recitandæ.

Negatur maior: Nam Paulus 1. *Corinth.* 14. *etiam de Sacramentorum reuerentia ac maieſtate agens, non docet, Sacramenta ob ſuam reuerentiam, voce ſubmiſſa celebranda, ſed ita, vt quæ dicuntur, ab omnibus intelligantur, vtque etiam idiotæ ad ea reſpondere poſſint, Amen. Expreſſe quoque dicit*, propter ædificationem vel quinque verba ab audientibus intellecta, decem verborum millibus non intellectis præferenda. *Deinde eſt hoc argumentum Ieſuitæ paralogiſmus, à non cauſa. Nec enim perit, ſed ſtabilitur potiùs Sacramentorum maieſtas, dum intelliguntur: neque in occultatione, ſed intellectu magis reuerentia illorum conſiſtit: niſi fortè putet Ieſuita, Sacramenta aliaque myſteria Chriſtiana eſſe ſacra Eleuſinæ Cereris aut Oſiridis, quorum ſola, totaque maieſtas in ſilentio & ignorantia eorundem ſita fuit Chriſtiana verò Sacra non ſic celari, ſed palam, & ab omnibus prædicari & publicari iuſſit Chriſtus, Matt.* 10. *& 28. cap. & Act.* 1.

Quod verò ad Baſilij locum pertinet, certiſſimum eſt, eum nec de Sacramento, nec de verbis ijs, quibus conſecratio perficitur, vllam ibi mentionem facere. Et ſi ita populus natura ſit comparatus, vt quanto quodque minùs audierit atque intellexerit, tanto magis ſuſpexerit, & in admiratione habuerit, eſſet tum quidem illi conſultiſſimum, vt nunquam vel verba Baptiſmi, vel vllam omnino Euangelij partem, vel Orationem Dominicam, vel Trinitatis, Dei, Chriſtiue nomẽ, vel

vel ipſam adeò Miſſam audiret. Quemadmodum etiam in Papatu aures vulgi obſtruuntur, ne verba exaudire poſſit, quibus Sacramentum conficitur, ita rationi conſentaneum videtur, vt eidem oculi etiam præcludantur, ne Sacramentũ aſpiciãt. Nam ex aſpectu non minùs, aut etiam magis, quàm ex auditu contemptus ſolet naſci.

SECVNDO, *hoc probat exemplis antiquarum Liturgiarum, Baſilij & Chryſoſtomi*, in quibus quædam præſcribuntur dicenda ſub ſilentio, & concludenda alta voce. *Reſpondeo, ex Baſilij & Chryſoſtomi Liturgijs conſtare, conſecrationem Euchariſtiæ, de qua potiſſimùm eſt controverſia ſemper alta claraque voce, ſubmiſſa verò nunquam pronuntiatam, factámue eſſe: & fateri hoc cogitur Bellarminus ipſe. Quòd autem in Chryſoſtomi Liturgia legitur, Sacerdos orat* μυστικῶς, myſticè, *& concludit* ἐκφώνως, alta voce, *ad id reſpondetur, myſticas illas preces non tam ſecreta & ſubmiſſa voce factas eſſe, vt à nemine intelligi potuerint, ſed ſaltem non tam clara voce recitatas, vt reliqua. Moderata igitur voce quædam pronuntiabantur, ſic tamen vt ab omnibus audirentur, & concludebantur cum clamore & cantu. Reprehendit hanc interpretationem Bellarminus: quòd vox Græca* μυστικῶς *non ſignificet voce moderata, ſed ſecretò loqui: eſſe autem veram interpretationem, ex iis locis quæ paulò antè ex Chryſoſtomo adduximus, intelligi poteſt. Et falſum eſt quod Ieſuita addit*, Myſteria non dici, quæ moderata voce publicentur, ſed quæ omnino celentur. *Nam Paulus* 1. *Cor.* 15. *dicit*, ſe velle narrare Corinthijs myſterium. *Et hæc definitio Ieſuitæ non Chriſtianorum, ſed Ethnicorum myſterijs & arcanis competit. Ac mirum ſanè eſt, Ieſuitam Latinæ Eccleſiæ ritum ex Græca probare velle.*

De Latina autem Eccleſia profert teſtimonium Innocentij 1. *Papæ in epiſtola prima ad Epiſcopum Eugubinum, capite primo*, vbi interrogatus de tempore, *inquit Bellarminus*, quo in myſterio Miſſæ pax danda eſt, apertè indicat, præcipuam partem Miſſæ eſſe ſecretam, nec audet aperire quæ ſint illa, quæ recitantur antequam pax detur. At ſi totus populus illa omnia audire conſueviſſet, certè nihil fuiſſet ſecretum, nihil arcanum, & facilè potuiſſent literis committi, quæ erant vulgò omnibus nota. *Hucuſque Ieſuita. Reſpondeo* primò, *non immerito dubitari à quibuſdam, hæc & alia Epiſtolæ, quæ Innocentio aſcribuntur, eiúſne ſint an non: quòd in illis multæ continentur traditiones, quarum nulli alij præterea, qui eodem tempore, quo Innocentius, celebres fuerunt Doctores, in quibus vel inter primos & Auguſtinus, meminerunt. Accedit hoc quoque, quòd interdum integri paragraphi in Epiſtolis Epiſcoporum, qui ante & poſt Innocentium vixerunt, non ſimiles modò, ſed planè ijdem reperiuntur.* Secundò, *duo manifeſtè falſa verbis Innocentij affingit Ieſuita. Primum eſt, quòd dicit, Innocentium aperiè indicare, præcipuam partem Miſſæ eſſe ſecretam: alterum, quòd ſcribat, ſe non andere aperire quæ ſint illa ſecreta in Miſſa. Verba Innocentij hæc ſunt:* Pacem aſſeris ante confecta myſteria quoſdam populis imperare, vel ſibi inter Sacerdotes tradere: quum poſt omnia, quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſariò indicenda, per quam conſtet, populum ad omnia, quæ in myſterijs aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum. *In his, Ieſuita, ne vnico verbo quidem indicat, præcipuam partem Miſſæ eſſe ſecretam. Deinde, non dicit, eo ſenſu quo tu vis, ſe non audere aperire, hoc eſt, manifeſtare, euulgare & palàm facere, quæ ſint illa myſteria Miſſæ. Myſteriorum Miſſæ prorſus non meminit: ſed dicit*, ſe ea quæ ante pacem indictam in Miſſa peraguntur, non debere aperire: *vt ſit ſenſus, ſe ea non debere, vel neceſſe habere referre, exponere & narrare Eugubino: Sic Cicero etiam vtitur aliquibus in locis* aperiendi *verbo. De Finibus*, Aperiendum, *inquit*, eſt quid ſit voluptas: *vbi aperiendum Ciceroni idem eſt, atque indicandum, referendum, exponendum. Ad Atticum*, Nec in Senatu, *ait*, ſceleratiſſimorum conſiliorum fontes aperiri dubitaui: *hic aperire idem eſt ac ſi dixiſſet, indicare, ſignificare, &c. In Orat. antequam iret in exilium*, Aperuerunt non fortes eſſe ſe amicos: *vbi aperuerunt Ciceroni eſt, ſignificarunt, declararunt. Et hunc eſſe ſenſum verborum Innocentij id indicio eſt, quod hæc ſcribit Eugubino, cui, tanquam Epiſcopo, hæc quæ in Miſſa aguntur, erant notiſſima, proinde dicit, ſe non debere aperire: hoc eſt, non neceſſe eſſe, vt ei multis ea referat, exponat ac narret. Deinde ſcribit Innocentius*, Pacem ideo poſt omnia, quæ in Miſſa aguntur, dandam, vt per eam conſtet, populum ad omnia, quæ in myſterijs aguntur, & in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum. *Qui potuiſſet vel Innocentius hæc ſcribere, vel populus publicè in Eccleſia id aſſenſu ſuo comprobare, quod nec intellexit, nec audiuit? Adhæc, in narratione hiſtoriæ ſeu fabulæ de Paſtoribus, cuius ſuprà meminimus, ex Scriptoribus Pontificijs clarè intelligitur, tempore Innocentij Papæ Canonem non ſecretò, ſed alta voce recitatum eſſe.*

TERTIO *adducit exempla ſacrificiorum veteris Legis, vbi in ſacrificijs plerumque ſola mente orabant, ſine vllo verbo. Et Leuit.* 16. *deſcribitur ſolenne ſacrificium incenſi, ac iubetur ſolus Sacerdos intra velum ingredi, & ſacrificare, atque orare pro ſe, & populo, omnibus alijs foris expectantibus, & non modò non audientibus ſed nec videntibus Sacerdotem. Reſpondeo,*

ſpondeo, Non valet conſequentia à Moſe ad Chriſtum, à Lege ad Euangelium, à Veteri Teſtamento ad Nouum. Si enim valeret, Hæc in Veteri Teſtamento facta ſunt, Ergò etiam in Nouo fieri debent, totus cultus Leuiticus in Eccleſiam Chriſti renouandus eſſet.

QVARTA *ratio Ieſuitæ eſt*, Chriſtum ipſum in ſacrificio crucis, quod exemplar fuit omnium ſacrificiorum, in ſilentio oblationem peregiſſe, &c. *Sed mentitur Ieſuita: Nam in cruce pendens Chriſtus, primò orauit pro ijs qui crucifixerunt ipſum*, Pater, *inquit*, remitte eis, neſciunt enim quid faciant: *Luc.* 23. *Secundò, matri ſuæ dixit*, Mulier, ecce filius tuus: *& Ioanni*, Ecce mater tua, *Ioan.* 19. *Tertiò, Latroni dixit*: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo: *Luc.* 23. *Quartò, alta voce clamauit*, Eli Eli lama ſabachtani. *Matth.* 27. *Quintò, dixit* Sitio. *Ioan.* 19. *Sextò*, Cõſummatum eſt. *Ioan.* 19. *Vltimò rurſus voce magna clamauit*, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: *Luc.* 23. *Nec dubium eſt, quin alia etiam loquutus ſit, quæ ab Euangeliſtis non ſint literis mandata: Ioan.* 20: *& 21. Deinde, diſtinguendum eſt inter Euchariſtiam, & Sacrificium crucis: neque enim in Cœna tale ſacrificium offertur, quale in cruce obtulit: proinde non attendendum eſt, quid Chriſtus in cruce, ſed quid in Cœna egerit: In ea autem clara & alta voce loquutus eſt, vt ab omnibus intelligi potuerit.*

Ex his omnibus Lector nunc iudicet, rectènè Tridentinum Concilium decreuerit, Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, eſſe contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit.

CAPVT XI.

An ſine recitatione Canonis Latini, Conſecratio fieri poſſit?

De Canonis neceſſitate.

EST *hic non vulgaris Error, quòd ad Canonem hunc ſub peccati mortalis periculo omnes Eccleſias alligant, & ſine eo legitimam conſecrationem & communionem fieri negant Pontificij: noſtraſque Eccleſias damnant, quòd eo in celebratione Cœnæ & conſecratione non vtantur. Durandus enim in Rationali lib.* 4. *cap.* 35. *dicit*, Licèt quædam verba ſint ab aliquibus, *qui tamen ij ſint ſe ignorare fatetur*, Canoni addita, quæ in Euangelij textu non contineantur, nulli tamen ei poſthac aliquid vel ſubtrahere, vel addere licere. *Et Balæus refert lib.* 5. *de vitis Pontificum Rom. Innocentium* 3. *ſtatuiſſe*, vt Miſſalis Canonis verba Euangelicis verbis æqualia fierent, & perinde neceſſaria ſint, quàm ipſa verba Inſtitutionis. *Alij docuerunt*, Inſtitutionis verba ita potiùs legenda eſſe, ſicut in Canone Miſſæ poſita ſunt, quàm vt apud Euangeliſtas, & Apoſtolum Paulum deſcripta extant. *Aliqui etiam ex ijs*, ne quidem interpretationem vllam Canonis quærendam, ſed quia ſit myſterium à Chriſto & Apoſtolis traditum, ideo non intelligendum, ſed adorandum eſſe ſcripſerunt.

Sed primò, eſt magna impietas & blaſphemia dicere, hominum traditiones & figmenta eandem in Eccleſia authoritatem habere debere, quam habent verba æterni Filij Dei: imò hæc ex illis corrigenda & emendanda eſſe: & verba æterni Filij Dei, abſque hominum additamentis, non ſufficere ad conſecrationem Cœnæ.

Deinde, Fit hoc ab illis contra libertatem Chriſtianam, & primitiuæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua nulla conceptis verbis præſcripta fuit certa quædam forma precum, ad quam omnes Eccleſiæ alligatæ eſſent: ſed liberum fuit vtì quacunque forma, modò analoga eſſet fidei, & proratione temporum ad ædificationem Eccleſiæ faceret.

Imò tempore Beſſarionis acriter à quibuſdam diſputatum fuit, Ad conſecrationem Euchariſtiæ, æquè neceſſaria eſſe verba Canonis, ac verba inſtitutionis. *Et Colonienſes in ſuo Antididagmate, apertè dicunt*, eos vehementer inſanire, qui exiſtiment, panem & vinum conſecrari in corpus & ſanguinem Chriſti, per verba inſtitutionis, ſi non adhibeantur etiam verba & preces Canonis: *Multi quoque Pontificiorum ſcribunt*, illas Eccleſias, quæ non adhibito Canone Papiſtico, verbis ſaltem inſtitutionis Chriſti in Cœna vtantur, non habere verum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed tantùm panarium Sacramentum, *vt Lindanus dicit. Iuxta hos igitur, & Lindanum præcipuè, Chriſtus non verum, ſed panarium tantùm Sacramentum inſtituit. Non igitur mirum eſt, ſi pro Canone, tanquam pro aris & focis, pugnârunt iam olim Pontificij, & hodie Bellarminus cum ſocijs: & tamen non erubeſcit Kemnitium mendacij arguere libr.* 2. *de Miſſa cap.* 18. *quòd ſcripſit*, Romanam Eccleſiam cogere, ut omnes Canonem Miſſæ Romanæ tanquam neceſſarium omnino ad conſecrandam Euchariſtiam ſervent. *Si enim non eſt neceſſarius, vt dicit Bellarminus, mentitur Lindanus, & alij, qui eum neceſſarium faciunt omnino: ſin autem omnino eſt neceſſarius, vt volunt iſti, mentitur Bellarminus, qui hoc negare audet.*

De antiquitate Canonis.

Vtque maior ſit Canonis iſtius authoritas, fingunt Pontificij & Concilium Tridentinum, quòd ſit Traditio Chriſti & Apoſtolorum. *Et Eccius ex Iſidoro citat ordinem Miſſæ, vt hodie in Eccleſijs celebratur, & dicit*,

eum sic esse à S. Petro primùm constitutum. *Decretum de Consec. Disi.* 1. *fingit*, Iacobum fratrem Domini, edidisse celebrationem illam Missæ, qua hodie utuntur. *Ciricius Polonus quoque apertè affirmavit*, Canonem esse mysterium à Christo & Apostolis traditum. *Exoticus verò ille Sidoniorum Episcopus concione* 10. *audaciter affirmat certum esse*, Canonem inde ab Apostolis usque ad hæc tempora in Ecclesia SECVNDVM OMNES SVAS PARTES DVRASSE.

Canon non est traditus ab Apostolis.

Hæc autem esse falsissima, aliquot rationibus probatur. PRIMO, *ex sacris Literis probari nequit, aliqua saltem vel ratione, vel specie, Canonem hunc, eiusque precem prolixam, & consecrationem panis & calicis, quæ in Missa usurpatur, vel à Christo institutam, vel ab Apostolis traditam esse. Sed potius certum est, Canonem, eiusque authorem, ab ipsis quoque verbis Christi, quibus in Cœna institutione usus est, quæque ab Evangelistis & Apostolo tradita sunt, nonnihil recessisse. Ad hæc in volumine Decretorum, quod Burkhardus Wormatiensis Episcopus ante Gratianum congessit, testatur non obscurè cap. 223. libri 5. de Vniversali Ecclesia, sub Basilij nomine, Canonem, eiusque orationem in Missa, sine ullius Scripturæ testimonio usurpari. Sic autem habet:* Ecclesiasticarum, *inquit*, institutionũ quasdam Scripturis, quasdam verò Apostolica authoritate Traditiones per successiones, in ministerio confirmatas accepimus. Quibus par virtus & idem utrisque pietatis affectus quin sit, quotus quisque vel aliquantum sacrarum expertus Scripturarum hæsitaverit? Si enim attentauerit consuetudines Ecclesiæ non Scripturas (*opinor legendum non scriptas*) à Patribus traditas nihil æstimare, quantum Religio detrimenti latura sit, dispicientibus liquidò constabit. Quæ enim, ut iam inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ multifariam digesta super panem & calicem prolixæ orationis & confectionis verba commendavit? Nam non modò quod in Evangelio continetur vel Apostolo, in Secretis dicimus, sed & alia complura adijcimus, magnam quasi vim consummandis accommodantia mysterijs. Quæ Orientem versùs nos orare literarum forma præstituit? Benedicimus fontem baptismatis, oleum unctionis. Huc accedit quod ter immergimus quos baptizamus, oleo ungimus, verbis abrenunciare Satanæ & Angelis eius informamur. Vnde & hæc & alia in hunc modum non pauca, nisi quia tacita ac mystica traditione à Patribus Ecclesiastico more reverentioti diligentia, sunt in mysterijs observata silentio quàm publicato scripto? *Hactenus ille.*

Repetitum quidem est hoc ipsum caput à Gratiano Distinct. 11. *Verum quia mendosissimè legitur in vulgatis Decretorum Codicibus, indubiè studio depravatum ac mutatum, nec in novis correctis exemplaribus emendatum est, volui synceram ac genuinam lectionem hic proponere, Lectorem rogans, ut cum excusis Burkhardi libris conferat, ex hoc enim unico loco indicare poterit, quàm corruptè multa apud Gratianum legantur. Quasi enim parùm fuisset prater innumeras clausulas vitiatas pro* attentaveris, *scribere* attenderimus, *pro* multifariam, trifariam, *pro* accommodantia, commendantia, *ausus est tandem depravator, quicunque ille fuit, quod erat*, Huc accedit quod ter immergimus quos baptizamus, oleo ungimus, *sic immutare*, Huic accedit quod ter oleo inungimus quos baptizamus, propterea quod pro trina illa Veterum mersione, cuius Tertullianus quoque meminit, Ecclesia simplam induxerit, & rectè quidem, ne videamur apud nos qui tertio mergunt hæreticorum probare assertionẽm dum sequimur morẽ, quemadmodum ad Leandrum Episcopum scribit Gregorius Pontifex. *Attende quantum sibi quidam permittant in invertendis Veterum scriptis, cum tamen unusquisque liber non aliter sit legendus quàm ab ipso authore est suo seculo proditus. Quis verò non rideat Gratiani glossematarium depravatas hoc loco dictiones & sententias insulsè exponentem?*

SECVNDO, *suprà ostendimus ex Hieronymo, Gregorio Magno, atque ex ipsismet Pontificijs Scriptoribus, Innocentio* 3. *Antonino, Platina & Martino Polono, absque illo Canone ad solam orationem Dominicam, Apostolos verbis institutionũ, Eucharistiam consecrâsse.*

TERTIO, *si res ita se haberet, ut isti dicunt, proculdubio veteres Patres, hac forma Liturgiæ, hocque Canone in celebratione Cœnæ Dominicæ etiam usi fuissent: sed falsum esse consequens ex Basilij, Chrysostomi, aliorumque Liturgijs apparet: falsum igitur est & antecedens.*

QVARTO, *ipsorum Pontificiorum testimonio probari potest, Canonem hunc quingentis annis & amplius post Christum, nondum exstitisse in Ecclesia, sed post hæc tempora consarcinatum demum & Ecclesiæ obtrusum esse. Referunt enim quendam Scholasticum nomine, Alexandri, Damasi, Gelasij, Syricij, Leonis & Pelagij centones ac preces, quasi lacera & disiecta membra collegisse, ac in unum corpus coagmentâsse. Sic enim Gregorius libro septimo Epistola* 63. Quidam, *inquit*, nomine Scholasticus, cõposuit precem illam, quæ super Eucharistiam secretò dicitur, &c. *Iuxta Gregorium igitur Canon Missalis non est Christi institutio, nec Apostolorum traditio, sed cuiusdam* Scholastici cento.

cento. Adſtipulantur Gregorio quum veteres, tum recentiores Canonis Interpretes, Albertus Magnus, Durandus & Gabriel Biel. Innocent. 3. verò libro 3. de myſt. Miſſæ cap. 10. hunc præclarum fœtum Gelaſio tribuit. Traditur, *inquit*, quòd Gelaſius Papa, 51. à B. Petro, qui fuit poſt Sylveſtrum per 160. annos, Canonem principaliter ordinavit. *Mox tamen authoritate Gregorij motus hæc ſubjicit*: Sed ut B. Gregorius aſſerit in Regiſtro, Scholaſticus illam orationem compoſuit, quæ ſuper Euchariſtiam dicitur in Secreta. *Ab aliis Gregorio M. hoc adſcribitur, quòd paulò ante cius tempora hoc opus confectum abſolutumque fuerit à Scholaſtico, quodque huic Canoni ipſe quoque centones & particulas quaſdam adiecerit de ſuo, ut ipſemet teſtatur, eumque primus in Eccleſias Latinas invexerit. Sed nec adhuc quidem finis eſt conſarcinandi Canonis. Noſtra enim memoria Epiſcopus Herbipolenſis aliquot millia florenorum Papæ numeravit, ut liceret ſibi collegiatæ Eccleſiæ Herbipolenſis Patronos, Chilianum, Colonatum & Totnanum cæteris Sanctis in Canone adnumerare.*

Quum igitur Canon iſte poſt quingentos à Chriſto annos paulatim à multis variiſque Romanis Pontificibus locupletatus & conſarcinatus fuerit, colligimus inde, eius originem non ad Chriſtum, eiuſque Apoſtolos referendam eſſe. Quum etiam Miſſa ſine hoc Canone celebrari nequeat, ſequitur ante annos à Chriſto 550. nullam omnino Miſſam in toto orbe Chriſtiano celebratam fuiſſe. Fumi igitur & nugæ ſunt quæ de antiquitate Canonis & Miſſæ fabulantur. Hic eſt ſtatus controverſiæ inter noſtros & Pontificios, quem tamen Bellarminus fraudulenter invertit, & dicit, Noſtros hæc reprehendere, quòd habeant Canonem ab authoribus multis compoſitum. *Sed falſum dicit teſtatur nam & ſymbolum Apoſtolicum, à multis collectum, recipimus, ſicut etiam ſacra Biblia à quàm plurimis deſcripta: ſed hoc dicunt noſtri, quum Canon Miſſæ multos habeat authores, Apoſtolis poſteriores, ideo non eſſe vel Chriſti, vel Apoſtolorum inventum, ſed, ut Tridentini Patres rectè loquuntur, multorum Pontificum Rom. inſtitutionem.*

Contra hæc autem quæ de authore & antiquitate Canonis diximus, Bellarminus libr. 2. de Miſſa cap. 19 & 20. multis diſputat. Ac primò quòd Authorem attinet, dicit, primus qui formam aliquam ſacrificij celebrandi adiunctis ad verba Domini, certis precibus & ritibus Romanæ Eccleſiæ dedit, S. Petrus fuit, ut Iſidorus teſtatur lib. 1. de Offic. ca. 19. ſed poſtea tamen diverſi Pontifices preces addiderunt uſque ad Gregorium, qui fuit ultimus eorum, qui ad Canonem aliquid addiderunt. *Sed refragatur Concilium Tridentinum quod non de uno ſed de omnibus Apoſtolis loquitur.* Is Canon, *inquit*, conſtat cùm ex ipſis verbis Domini, tum & Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus. *Neque etiam credibile eſt Romanos ante Petri & Pauli adventum caruiſſe Cœna Domini, & certa forma celebrationis eius. Deinde dicit Ieſuita*, Licèt quædam Liturgia dicatur B. Jacobi, alia Chryſoſtomi, alia Ambroſij, alia Gelaſij, alia Gregorij, non tamen iſtos authores Liturgiam de integro compoſuiſſe, ſed ſolùm eam quæ erat in uſu ſuo tempore, ad meliorem formam redegiſſe, ſic tamen ut ſubſtantiales partes Liturgiæ ab Apoſtolis inſtitutæ, integræ permanerent. *Scopus Ieſuitæ eſt, probare, eam formam Liturgiæ, quæ hodie à Romana Eccleſia uſurpatur, ab Apoſtolis, quoad ſubſtantiam, inſtitutam eſſe. Argumentum autem, quo hoc probare vult, falſum eſt. Nam ſi veteres Liturgias omnes examines, mox apparebit, eas de integro à nominatis Doctoribus, vel alijs compoſitas eſſe, nec quicquam vel parùm admodum, inter ſeſe commune habere. Aliam enim formam habuerunt etiam in ſubſtantialibus precibus & benedictione Græci in Eccleſia Dionyſij, aliam in Baſilij, aliam in Chryſoſtomi Eccleſia. Apud Latinos aliam formam habuit in ſua Eccleſia Ambroſius, aliam Iſidorus, aliam Gregorius: & hæ omnes diverſæ ſunt, etiam quoad ſubſtantiam à Chriſti & Apoſtolorum Liturgiæ forma ſupra à nobis expoſita. De integro ergo Liturgiæ à Veteribus ſunt compoſitæ nec habuerunt unam aliquam communem ad quam omnes alligati fuerint, in quibuſdam preculi ſaltem variantem: ſed diverſas formas habuerunt. Vnde tempore Auguſtini in Concilio Africano ca. 70. & Mileuitano cap. 12. de precibus & orationibus Miſſæ decernitur, ut priùs cum prudentioribus conferantur: nec aliæ dicantur, quàm quæ vel à prudentioribus priùs tractatæ & uſurpatæ, vel in Synodo comprobatæ ſint, ne fortè aliquid contra fidem ſit compoſitum.*

Deinde quod ſuprà de Petro, reliquiſque Apoſtolis diximus, ex relatione Hieronymi, Gregorij M. & aliorum, eos adjolam orationem Dominicam Euchariſtiam conſecraſſe. id primò ex nonnullorum ſententia negat Bellarminus: Mox tamen Gregorij authoritate motus, concedit, Apoſtolos quidem ab initio ſolam Dominicam orationem ad verba conſecrationis in myſterio Euchariſtiæ addere ſolitos: tamen poſtea coſdè multa alia adiunxiſſe Hoc verò probat unico ſaltem loco Chryſoſtomi in Hom. 3. ad Philip. ubi dicit, orationem pro defunctis in ſacrificio Miſſæ ex Apoſtolica traditione deſcendere. *Sed quàm falsò hoc à Chryſoſtomo, quemadmodū & illud alterum à Bellarmino Apoſtolis affingatur,*

omnes intelligunt, qui scripta eorum legunt. Fuit autem hoc usitatum olim, ut quæ sola consuetudine, vel etiam eorum qui Ecclesijs præerãt arbitrio, observari cœpta fuissent, aut etiam ab hæreticis conficta, ad Apostolos mox authores referrentur, quo maior eorum esset authoritas. Sic apud Eusebium lib. 5. cap. 23. Irenæus dicit de Ieiunio ante Paschа: fuisse quondam simplicem & vulgatam consuetudinem. At progressu temporis facta est inde traditio Apostolica. Idem Socrati visum est li. 5 cap. 21. de Controversia inter Asiaticos & Occidentales, de Paschatis controversia. Vtraque pars antiqua & Apostolica in speciem nitebatur traditione. Occidentales quidem Petrum & Paulum: Orientales verò Ioannem & Philippum Apostolos, moris sui authores allegabant. Neutra verò pars de his rebus testimonium scriptum afferre poterat. Ex hoc, & alijs argumentis rectè colligit Socrates, propria magis consuetudine, quàm ulla lege Apostolica, diversitatem illam observationis invaluisse: *Ex quibus intelligimus, non omnia, quæ Veteres sub traditionis Apostolicæ titulo venditarunt, sic illico recipienda esse.*

Scholastici author Canonis quis.

Adid verò quod de Scholastico diximus ex Gregorio, respondet Bellarminus, nomen Scholastici à Gregorio hoc loco vel pro Substantivo, vel pro Proprio usurpari. Si pro Substantivo, intelligi virum insignem eruditione & eloquentia. Sic enim Hieronymus scribit, li. de Scriptorib. Serapionem virum doctissimum ob ingenij elegantiam Scholastici nomen adeptum, &c. *Talis autem non fuit Scholasticus ille cuius Gregorius meminit: ut ex barbarismis & solœcismis intelligi potest, quib. Canon ille scatet. Adde, quod nec sermone, nec rebus satis sibi constet: sed tum repetitione earum rerum, tum & inepta diversissimarum rerum coniunctione, ordinisque defectu, manifestissimum sit, ineptum hominem fuisse, quicunque centonem istum consuerit. Exempli gratia: In prima parte seu Exordio Canonis orat,* Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, &c. unà cum famulo tuo Papa, &c. & omnibus orthodoxis, atque, catholicæ & Apostolicæ fidei cultorib. *Atqui idem est, offerre pro Ecclesia catholica, & pro omnib. orthodoxis, atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultorib. Est igitur Tautologia, quam etiam agnovit Micrologus, qui 13. cap. scribit*, hoc postremum membrum superfluum esse, & non haberi in emẽdatioribus libris. *Negat hoc quidem Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 21. & dicit*, per omnes orthodoxos non omnes omnino intelligi fideles. *Respondeo, Ergo quidam fideles non erunt orthodoxi, quod est absurdum dicere. Deinde, ipse sibi contradicit, quum addit*, offerimus tibi pro omnibus alijs fidelibus, siue Principibus, siue privatis. *Secundò, ter memoriam sanctorum: Oblationem autem ad nauseam usque repetit.*

In Canonis parte duodecima, exstat confusus diuorum, diuarumque Catalogus. Nam Ioannis nomen repetitur. Deinde Stephani nomen præponitur Matthiæ & Barnabæ, Diaconus scilicet Apostolis, quorum gradus est longè superior & præstantior. Sed aiunt hunc honoris gradum, Cœlibatus privilegio Stephanum consequutum esse. Virginitatem verò Stephani inde colligunt, quod ab Apostolis viduarum ministerio præfectus sit: quasi verò non verisimiliùs hinc colligi possit, eum coniugatum fuisse. Tutiùs enim mulieres maritis, quàm virginibus committuntur. Deinde quæro, Matthias & Barnabas-ne cœlibes fuerint, an coniugati? Si dicant, cœlibes, nulla est hæc illorum excusatio. Sin coniugati: quæro rursus, unde hoc probent? Adhæc Perpetua & Felicitas præponuntur Caciliæ, sicut etiam Agnes: similiter Agatha & Agnes, Anastasiæ, quum ratione temporis, quo passæ sunt, iure postponerentur.

Ex his omnibus intelligit Lector, Scholasticum hunc, qui Canonem consarcinavit, re non fuisse Scholasticum, hoc est, virum doctissimum ob ingenij elegantiam, & insignem eruditione ac eloquentia, sed potius indoctum, verbosum & loquacem hominem, in Religione Christiana non bene versatum: ideoque nominetenus Scholasticum.

Deinde, hæc responsio contra Bellarminum facit. Si enim Canon compositus est à quodam Scholastico, sive docto, sive indocto: ergo neque à Christo, neque ab Apostolis. Sed dicit Bellarminus, nomen Scholastici Apostolis, & nominatim Petro tribui etiam posse. *Monstret autem vel unicum saltem locum in Gregorij Magni & aliorum libris, in quo Apostoli nominentur Scholastici. Neque enim hoc erat dignitatis Apostolicæ, sed inferiorum hominum nomen: quales nominantur etiam ab ipso Bellarmino, Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes: non verò Petrus, &c.*

Si verò, *inquit Bellarminus*, per Scholasticum intelligat Gregorius certum hominem, qui ætate ipsius vixerit, tum respondere cogimur, Gregorium non loqui de Canone Missæ, aut certè non de toto Canone, quum dicit, precem Scholastici recitari super oblationem, sed de aliqua alia prece extraordinaria. *Eodem modo respondet etiam Genebrardus Parisiensis Theologus in sua Chronologia, ijs qui Gelasium Canonis authorem faciunt.* Hoc, *inquit*, non de Canone simpliciter est intelligendum, sed de prece quadam, quasi unam precationem tantùm adiecisse significetur. *Sed refutatur Bellarminus ab ipsomet Gregorio, qui Epistola septima*

ſeptima ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum ſic ſcribit: Orationem Dominicam mox poſt precem idcirco dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem, oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem, quam Scholaſticus compoſuit, ſuper oblationem diceremus, & ipſam orationem, quam ipſe Redemptor noſter compoſuit, ſuper corpus & ſanguinem non diceremus. *Intelligit hic Gregorius per* Precem, *Canonem Miſſæ à Scholaſtico conſutum, quòd nihil aliud ſit, quàm regularis & continua precatio. Hanc ſolam, ut ab hominibus excogitatam, precem in conſecratione Euchariſtiæ uſurpari, ſine prece, quam Chriſtus dictavit, valde inconveniens ſibi viſum eſſe ait, & proinde ſe huic Preci ſeu Canoni à Scholaſtico compoſito, Orationem Dominicam addidiſſe. Hunc veriorem eſſe ſenſum verborum Gregorij, eo quem Bellarminus finxit libro ſecundo de Miſſa capite decimo nono facilè animadvertet, qui utramque interpretationem cum Gregorij verbis contulerit.*

Adſtipulatur mihi, non Bellarmino, Innocentius 3. Papa, qui lib. 3. de Miſſæ myſt. cap. 10. Sic habet: Traditur, quòd Gelaſius Papa 51. à B. Petro, Canonem principaliter ordinârit. Sed ut B. Gregorius aſſerit in Regiſtro, Scholaſticus illam orationem compoſuit, quæ ſuper Euchariſtiam dicitur in Secreta. *En Canonem & Orationem Scholaſtici, eodem ſenſu accipit Innocentius: & dicit, fuiſſe quidem, qui illum ſiue Canonem ſiue Orationem & Precem quæ in Secreta dicitur ſuper Euchariſtiam, à Gelaſio ordinatam dicant: Gregorium autem aſſerere, quòd à Scholaſtico compoſitus ſit. Nec poteſt Bellarminus dicere, in priore quidem parte Gregorium de Canone loqui, in poſteriore verò, de prece quadam extraordinaria Scholaſtici: nam non tantùm Scholaſtici, ſed aliorum quoque mentionem feciſſet abſque dubio, qui maioris non ſolùm eruditionis, ſed etiam dignitatis & authoritatis, quàm Scholaſticus iſte, fuerunt, quorum preces etiam in Canone exſtant.*

Deinde rogo Bellarminum, unde ſciat Gregorium non loqui de toto Canone, ſed de parte ſaltem aliqua Canonis? Id verò, *inquit* Ieſuita, ita eſſe certum eſt, quia orationes, quæ ſunt in Canone, inveniuntur magna ex parte apud Ambroſium: & proinde non poteſt fieri ut compoſitæ fuerint tempore Gregorij, qui ducentis annis Ambroſio poſterior fuit. *Sed frivola & nullius pretij hæc eſt reſponſio. Nam primò, Si Ambroſij Miſſale verum haberemus, ſonè alias preces in eo inveniremus. Liber autem iſte, in quo Canonis Romani preces magna ex parte habentur, non redolet grandiloquentiam & ſtylum Ambroſij. Secundò, Non ſequitur, In Canone Romano multæ ſunt orationes quæ in Miſſali Ambroſij exſtant: ergo Canon ille non eſt compoſitus à quodam Scholaſtico tempore Gregorij M. qui ducentis annis Ambroſio fuit junior: nam Scholaſticus iſte ex Ambroſio in ſuum Canonem iſtas preces deſcribere potuit.*

Ad rationes autem Bellarmini veniamus. Rationes Bellarmini pro antiquitate Canonis. Prima, *quæ exſtat tom. 2. colum. 1148. litera B. nihil aliud probat, quàm Canonem fuiſſe in uſu ante annos 800. Idem etiam probant tantùm Coniecturæ illæ, quas ſequenti columna pro antiquitate Canonis defendenda addixit. Hoc autem nemo negat, fuiſſe nimirum Canonem ante annos 800. Sed de hoc controverſia eſt, ſitne Canon, prout hodie habetur, ab Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris in primitiva Eccleſia uſurpatus? Nos negamus: Pontificij affirmant: ſed nihil Bellarminus hactenus probavit. Non enim ſequitur, Canon eſt compoſitus ante annos 800. Leone, Gregorio & Hieronymo antiquior. Ergò eſt omni memoria antiquior, & ab Apoſtolis per manus traditionem ad nos devenit.*

Columna igitur 1148. ſecundò probare conatur ex Ambroſio præcipuè, totum Canonem partim quoad ſententiam, partim quoad verba inveniri in authoribus, qui ante annos 1100. vel etiam 1200. floruerunt. Dicit enim: Apud Ambroſium libro quarto de Sacramentis cap. 5. & 6. habetur verbis parùm mutatis illa pars Canonis: Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, &c. *Et illa:* Qui pridie quàm paterentur, &c. *Et illa,* Vnde & memores, &c. *Et illa,* Supra quæ propitio, &c. *quæ ſunt partes præcipuæ totius Canonis, &c. Idem Ambroſius libro quarto de Sacram. cap. 4. meminit primæ Orationis Canonis, ubi oratur pro Eccleſia, & pro Rege. Reſpondeo primò, de illis ſex libris De Sacramentis, non certò conſtare, quòd ſint Ambroſij. Deinde, alia ratione ibi ponuntur verba, quàm Pontificius Canon ea accommodet ad ſuum propitiatorium ſacrificium. Tertiò, utitur Ieſuita fallacia A dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. Non enim ſequitur, Veteres uſurpârunt ſingulares quaſdam preces in ſuis Liturgijs: ergo illa ipſa forma precum fuit, quæ habetur in Canone Pontificio. Vel, Quædam verba & preces reperiuntur apud Ambroſium & alios veteres Patres: ergo totus Canon, quoad ſententiam, & quoad verba, authores habet veteriſſimos Patres, qui ante annos 1200. floruerunt. Eſt enim argumentatio à particulari ad univerſale.*

CAPVT XII.

Responsiones ad Patrum Testimonia, quæ Bellarminus adducit pro confirmanda Transsubstantiatione.

PAtribus primæ & mediæ ætatis Transsubstantiationis figmentum prorsus incognitum fuisse, ex lib. 2. ac 3. apertissimè constat: Bellarminus tamen in totum librum secundum de Eucharistia plurima ex ijsdem corrasit testimonia, quibus probare conatur, eos de Transsubstantiatione panis & vini in reale corpus & sanguinem Christi idem omnino & sensisse, & docuisse, quod hodie Romana Ecclesia sentit, credit ac docet. Ea igitur breviter excutiemus, ut inde adhuc meliùs ac plenius cognoscatur, Patres, & venerandam Antiquitatem Transsubstantiationis doctrinæ, ne verbulo quidem unico patrocinari, & illam doctrinam, quam ab initio huius Operis tradidimus, usque ad mille annos, quibus novitas ista Transsubstantiationis orta est, magna constantia in Ecclesia Christi retentam & custoditam fuisse. Quia verò pleraque testimonia, quæ citat ex Patribus, ad certas quasdam Classes redigi possunt, ne ad singula seorsim respondendum sit, & sic nausea Lectori movenda, Primò, ad ea omnia, quæ ad unam eandemque Classem pertinere videntur, in genere ac simul respondebo; deinde ad quædam in specie.

Ad PRIMAM *Classem referenda sunt ea, quibus* Eucharistiam vocant corpus & sanguinem Domini. *Sic Iustinus lib. 4. contra Hæres. cap. 34.* Quomodo, *inquit*, constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, &c. *Origenes Homil. 13. in Exod.* Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione, servatis, &c. *Item Homi. 5. in diversa Evang.* Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ panem, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, &c. *Cyrillus Hierosolym.* Ne consideres, tanquam nudum panem, & nudum vinum; corpus enim est & sanguis Christi. *Nazianzenus Orat. 2. de Pascha c.:* Absque confusione & dubio, comede corpus & sanguinem bibe. *Hieronymus ad Hedibiam*, Nos, *inquit*, audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Salvatoris.

Hinc sic colligit Iesuita: Patres Eucharistiam corpus & sanguinem Domini vocarunt: Ergo Transsubstantiationem agnoverunt. Nego consequentiam. Nam Augustinus inquit, ut habetur de Consecrat. Dist. 2. Sicut cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est: Vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio: non rei veritate, sed significante mysterio. *In his verbis Augustinus eandem statuit in utraque locutione prædicandi rationem*: Cœlestis panis est corpus Christi: & immolatio carnis est passio, mors & crucifixio Christi. *Ergo, aut Christum realiter in Eucharistia rursum crucifigi, mori, & pati fateatur Iesuita, aut ex illa phrasi & loquendi modo Patrum, Transsubstantiationem non colligi posse concedat. Rursus Augustinus inquit:* Sicut sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est: sic cœlestis panis vocatur Christi corpus. *Baptismus autem vocatur Fides, non quòd ipse fidei motus realiter in pane includus sit: Ergo nec ex illa Patrum phrasi, Eucharistia, seu panis Eucharisticus est corpus Christi, Transsubstantiatio sequitur ex Augustini sententia. Vnde etiam Glossa dicit*: Cœleste Sacramentum, quod in altari est, impropriè dicitur corpus Christi, sicut Baptismus impropriè dicitur Fides. *Augustinus in Epistola ad Bonifacium hanc propositionem, panis Eucharisticus est corpus Christi, cum hac confert:* Consepulti sumus unà cum Christo per Baptismum in mortem, &c. *Et diserte addit:* Non ait, Sepulturam significamus, sed prorsus inquit, Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit. *Nemo autem hic corporalem aliquam realitatem imaginabitur. Ergo nec illa propositio Transsubstantiationem declarat. Adhæc, panis non solum Christi corpus, sed etiam Ecclesia, vel corpus credentium appellatur à Patribus. Augustinus enim in Serm. ad infantes:* Mysterium, *inquit*, vestrum in mensa Domini positum est: mysterium Domini accipite, ad id, quod estis, Amen respondetis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. *Nemo autem huius locutionis rationem in Transsubstantiatione consistere dicet. Ergo neque ad huius propositionis veritatem: Panis est corpus Christi, Transsubstantiatio requiritur: Hæc argumentatio Bertrami testimonio confirmatur, qui inquit*: Sicut in mysterio panis ille Christi corpus accipitur: sic etiam in mysterio membra populi credentis in Christum intimantur, id est, significantur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter, panis ille credentium corpus dicitur: sic quoque Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter necesse est intelligatur. *Item:* Accipitur spiritualiter, quicquid in aqua de

populi

populi corpore significatur: accipiatur ergo necesse est spiritualiter, quicquid in vino de Christi sanguine intimatur. *Denique ipsimet Patres hanc suam phrasim interpretantur, & ut accipienda sit docent, quum in explicatione horum verborum, Panis est corpus Christi, vocabulis Sacramenti, Symboli, Signi, Figuræ, Typi, Antitypi, Mysterij, Exemplaris, Similitudinis, Imaginis & similium utuntur, ut suprà lib. 2. cap. 3. videre licet.*

Quarti Patres panem corpus Christi, & vinum sanguinem eius nominarint

Quòd autem Patres isto loquendi genere usi sunt, fecerunt id primò, *exemplo Christi, de quo diserè docent, quòd in Cœna sua institutione usus sit illo communi Sacramentis omnibus loquendi modo, quo sit, ut permutatis nominibus, signum vel symbolum ipsius rei vocabulo appelletur. Vnde Augustinus inquit:* Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm corporis daret signum. *Tertullianus,* Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus illud suum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, cùm corporis daret signum. *Theodoretus verò Dial. 2.* In mysteriorum institutione panem appellauit corpus, & id quod mixtum est, sanguinem. Ipse igitur Saluator noster permutauit nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuit, symbolo verò corporis nomen.

Secundò, *Patres hoc loquendi modo utuntur, ut doceant, ad quid Christus panem Eucharisticum ordinârit, ad hoc videlicet, ut sit illa res, cuius vero ac legitimo usu offeratur, sanciatur & confirmetur in credentibus per Spiritum sanctum æternum illud fœdus, quod Filius Dei nobiscum pepigit, ut nimirum sacrificio semel in corpore eius oblato, ad vitam, iustitiam & beatam immortalitatem perfruamur unione arctissima, ipsi tanquam membra capiti adhærentes.*

Tertiò, *ista phrasi Patres exprimunt analogiam inter signa & res signatas: cuius consideratione animi nostri ad inuisibilem Dei gratiam, quæ symbolorum imagine oculis fidei intuenda proponitur, quasi vehiculo quodam perducantur, & nobis inculcetur, sicut nostra corpora pane & vino roborantur & sustentantur ad vitam hanc temporalem, sic, ut ipsa etiam in substantiam nostrorum corporum transeant: ita etiam animas nostras ali, roborari & sustentari ad vitam æternam corpore Christi pro nobis tradito, & sanguine eius in remissione peccatorum pro nobis effuso, sic ut per fidem spiritualiter in unum cum Christo corpus arctissimè coalescamus: unde etiam corpora nostra putrefacta tandem ex morte ad beatam vitam resuscitanda sint, ut toti simus cum Christo capite nostro. Hæc omnia panis & vini signis ad vivum quodammodo exprimuntur. Confirmatur hæc sententia ab Augustino, qui in Epistola ad Bonifacium ita scribit:* Si sacramenta non haberent similitudinem quandam earum rerum, quarum sacramenta sunt, utique sacramenta non essent: ex qua similitudine etiam plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt. *Isidorus etiam, citante Bertramo, inquit,* Sicut visibilis huius panis vinique substantia exteriorem nutrit & inebriat hominem: ita Verbum Dei, quod est panis viuus, participatione sui, fidelium mentes recreat.

Quartò, *ista nominum permutatione Patres docere voluerunt, verissimam, certissimam, indubitatam atque efficacissimam rerum signatarum cum ipsis symbolis coniunctionem esse, in usu legitimo, ut sciamus, hanc sacramentalem cæremoniam, non esse comicam aliquam representationem: sed verè cum re visibili exhiberi, per operationem Spiritus sancti, beneficium inuisibile, hoc est, arcanam illam & ineffabilem unionem Christi, quacum ipso uniti, omnium eius bonorum participes reddimur: & hanc unionem tam verè fieri, quàm verè corporalis ille cibus in Eucharistia oculis videtur, manibus contrectatur, ore manducatur, & in ipsam corporum nostrorum substantiam transit.*

Ad SECVNDAM *Classem referenda sunt ea testimonia, qua Bellarminus citat, in quibus Patres vocant* Eucharistiam, pretiosum corpus, tremenda mysteria, pignus salutis, pretium nostrum. *Huc pertinet testimonium quod adducit ex Optati Mileuitani lib. 6. contra Parmenianum. Similia profert ex Chrysostomo, Ephrem, Augustino & aliis. Respondeo: Patres hic hyperbolicè loquuti sunt, de ipso pane sacrato vel sanctificato, non autem de alio aliquo corpore per Transubstantiationem præsente. Vsi autem sunt huiusmodi hyperbolicis phrasibus,* Primò, *ut Mysterij dignitatem, quam summam & incomparabilem esse, omnes fideles agnoscunt, amplificent atque extollant.* Secundò, *Ne vescentes externis symbolis inhærent, sed ad res significatas intenti sint: quòd in usu legitimo, non panis & vini tantùm, sed verissimi, sanctissimi & viuifici corporis, cuius panis ille sacratus symbolum & pignus est, participes reddimur. Huc pertinet, quod Chrysostomus dicit Homil. de Euchar. in Encæniis:* Num panem vides? num vinum? absit. *Hi verbis renocare vult communicantium animos ab externo signo, ad rem ipsam significatam.* Tertiò, *ut maiore cum pietate, reuerentia, & honore ad sacrosanctam istam communionem nos præparemus, & magno pietatis affectu accedamus. Non autem, nisi sacramentali intellectu huiusmodi phrases hyperbolicas accipiendas esse, Patres ipsi, quum ad interpretationem ventum est, satis declarant. Ambrosius enim de pane mystico loquens,* Verè, *inquit,* caro Christi crucifixa est, verè carnis illius sacramentum est. Ipse

clamat Dominus Iesus : Hoc est corpus meum : ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus signatur, &c. *His verbis apertissimè docet Ambrosius, panem sacrum verè esse carnem Christi, quia nimirum verè sit carnis illius sacramentum & signum.*

Deinde etiam alibi eiusmodi phrasibus usi sunt Patres, ut ne ipsi quidem Pontificij eas hyperbolicas esse negare possint. Cyprianus dicit lib. 3. epist. 3. Passio Christi est sacrificium, quod offerimus. *Chrysostomus homil.* 16. *ad Hebræ.* Baptisma Christi sanguis eius est. *Item in Encæn.* In mysterijs sanguis ex Christi latere hauritur. *Gregorius de Consec. dist.* 2. *Ca.* 73. Christus iterum in hoc mysterio moritur. *Hic Iesuita nobiscum negabit scio, Eucharistiam Christi mortè esse, aquam Baptismi Christi esse sanguinem: Christum interim trucidari vel necari dum sacramenta celebrantur : & Christi sanguinem eo tempore ex eius latere hauriri & deriuari, realiter videlicet. Eodem est etiam referendum quod Chrysostomus rursum dicit homil.* 83. *in Matth.* Hoc est illud cœnaculum, ubi tunc Christus erat, cum discipulis hinc ad montem oliuarum exiuit. *Item homil.* 82. Lingua cruentatur hoc admirabili sanguine. *Et lib. de Sacerdotio:* Conspicis Dominum immolatum. *Item,* Turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi & rubefieri. *Cyprianus in Serm. de Cœna :* Cruci haeremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricat, à sapientibus huius sæculi iudicamur amentes, &c. *Non igitur, quicquid Patrum aliquis, Orationis æstu quodam abreptus atque elatus, dixit aliquando, hoc mox arripere, atque ipso dicendi genere celato, ad verborum momenta violenter trahere & torquere debemus. Paulus Iurisconsultus inquit De* L. L. *& Senatusconsulto.* In fraudem legis facit, qui saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit.

Ad TERTIAM. *Classem periment ea testimonia, in quibus dicunt Patres,* corpus Christi tangi, videri, dentibus comminui, palpari manibus, &c. *Sic enim Chrysostomus Homil.* 51. *&* 83. *in Matthæum :* Quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calciamenta videre: ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. *Homil.* 24. *in* 1. *Corinth. dicit,* Magos hoc ipsum corpus adorâsse in præsepi : nos autem aliquid amplius habere, quàm habuerint Magi: illi in vlnis mulieris, nos in manibus Sacerdotis: illi simplex corpus viderant, nos corpus idem videmus. *Lib.* 3. *de Sacerdotio:* Qui cum Patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere & amplecti. *Rursus homil.* 24. *in* 1. *Corinth.* In cœlis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur : neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo. *Augustinus lib.* 3. *de Trinit. cap.* 10. Si nusquam discant experimento vel suo, vel aliorum, & nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationem Sacramentorum, cùm offertur, & datur, dicaturque illis authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse. *Cyrillus lib.* 12. *cap.* 58. *in Ioan.* Iure, *inquit,* in Ecclesijs Sanctæ congregationes die octauo fiunt, & foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul, & inuisibiliter Christus nobis apparet. Inuisibiliter quidem, ut Deus, visibiliter autem in corpore suo. Prabet enim nobis carnem suam tangendam, &c.

Respondeo, Duplex statuenda est & sacramenti, & corporis Christi significatio ex hù Patrum testimonijs. Nam sicut Sacramentum aliquando figuratè pro una parte, hoc est, externo signo, aliquando propriè pro toto sacramento, id est, signo & re signata accipitur : Sic etiam corpus Christi aliquando propriè & sine omni figura dicitur, aliquando autem pro ipso externo & visibili signo, una scilicet sacramenti parte Metonymicè ac figuratè usurpatur. Quando ergo Patres nos videre, &c. corpus Christi scribunt, id per figuratum & Metonymicum sermonis usum, soli externo competit signo, cùm hoc solum, & non illud videatur corpus. Sic quum scribunt corpus Christi manibus palpari, frangi, mandacari, dentibus atteri, & ab infidelibus quoque percipi, non de ipso vero ac reali eius corpore hoc intelligunt, sed de solo externo ac visibili elemento, secundùm eandem figuratam ac impropriam dicendi formam. Ergo non ipsum verum corpus Christi, sed ipsa signa videntur, tanguntur, comeduntur, corpus verò Christi solo mentis intuitu conspicitur, soloque spiritu ac fide percipitur. Cogitur hoc etiam fateri Petrus Scarga Vilnensis Iesuita, qui ita scribit : Sacramenti nomen usurpatur plerumque à D. Augustino in Eucharistia impropriè & Metonymicè, totum scilicet pro parte, & continens pro contento. *Nam species visibiles tantùm in Eucharistia Sacramentum vocantur figuratè, non quòd ipsæ tantùm sint Sacramentum integrum, cùm non tantùm ex speciebus visibilibus, sed corpore etiam & sanguine Christi sacramentum Eucharistiæ constare sit ostensum: sed sicut humanum corpus homo dicitur, cùm homo*

homo ex anima etiam conſtet, ita viſibiles ſpecies ſacramentum dicuntur in Euchariſtia, cùm ipſa etiam ex Chriſti corpore conſtent, eodem ſcilicet tropo & figura. Exempla ſunt plurima apud Auguſtinum, euidentiſſimum autem in epiſtola 23. ad Bonifacium: Sicut ſecundùm quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt. *Hic viſibiles ſpecies Euchariſtiæ nomine Sacramenti vocat, eodem, quo diximus, improprio modo. Nec enim viſibiles ſpecies corpus ſunt* CHRISTI, *ſed ſecundùm quendam modum dicuntur eſſe* CHRISTI *corpus, Metonymicum ſcilicet, eò quòd contineant corpus* CHRISTI, *ut ſi ſcrinium, in quo eſt aurum, voces aurum: Et propter ſimilitudinem denique, ut infrà dicemus, cùm ad hunc locum, quem inter obſcuros numeramus, reſpondendum erit. Nunc ſatis ſit commonefacere, frequens eſſe Auguſtino, ut ſpecies ſacramentales in Euchariſtia nomine Sacramenti vocet. Poſtquam autem ad hunc quem promittit, venit locum, ſic deinde ſcribit:* Videnda ſunt imprimis illa, quæ de impropria nominis Sacramenti acceptione in regulis retulimus: Hoc enim cognito, in eo loco D. Auguſtinus, ſpecies ſacramentales impropriè vocare corpus Chriſti, Metonymicè ſcilicet, nulla eſt difficultas. Sicut enim ſcrinium, in quo eſt aurum, nomine quis auri vocet, ita ſpecies externas, ſub quibus eſt corpus Chriſti, cùm nomine corporis Chriſti vocamus, eundem ſequimur tropum. Non enim hæ quas videmus ſpecies, corpus Chriſti ſunt: dicimus tamen nos videre corpus Chriſti, cùm ſpecies ſacramentales, ſub quibus illud eſt, videmus, figuratè certè: quia continent verum corpus Chriſti. *Hucuſque Ieſuita. Non autem realiter tangi, videri, &c. verum Chriſti corpus in Euchariſtia ex Auguſtini Serm. 152. & 155. liquet, vbi dicit:* Tangit Chriſtum, qui credit in Chriſtum, *Et ex Bernhardi verbis in Serm. de S. Martino perſpicuè intelligitur: ſic enim ad illa verba Chriſti Ioan. 20.* Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: Quaſi verò, *inquit*, quum iam aſcenderit, nunc tangi ab ea velit, aut poſſit. Et utique poterit: ſed affectu, non manu: ſed voto, non oculo: fide, non ſenſibus. Tanges manu fidei, deſiderij digito, deuotionis amplexu: tanges oculo mentis. *Et Serm. 28. in Cant.* Poteſt tangi poſtquam aſcendit, ſed affectu, non manu: fide, non ſenſibus. Tanges manu fidei, deſiderij digito, deuotionis amplexu, voto non oculo. Tanges oculo mentis. *Item Serm. 78. ſuper Cantica:* Credere, inueniſſe eſt. Norunt fideles Chriſtum habitare per fidem in cordibus ſuis. Quid propius eſt?

Ad QVARTAM *Claſſem referenda ſunt teſtimonia ex Patribus*, in quibus de mutatione panis & vini in Euchariſtia loquuntur. *Et Bellarminus quidem multas ſententias cumulat, & undequaque corradit ex Patribus, in quibus illi dicunt*, de pane fieri corpus Chriſti: panem mutari, commutari ſeu tranſmutari in corpus Chriſti, ſeu ut fiat & ſit corpus Chriſti: creaturas conuerti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: panem & vinum tranſire in diuinam ſubſtantiam. *Et ſingulis teſtimonijs addit Epiphomena*, Eccleſiam omnibus temporibus ſine ambiguitate ſemper docuiſſe & credidiſſe tranſſubſtantiationem panis & vini, ſicut illa à Pontificijs traditur, &c. *Ex iiſdem quoque teſtimonijs valde ſuperbè gloriantur reliqui Pontificij*, ſe pro ſua Tranſſubſtantiatione habere conſenſum totius Antiquitatis, & teſtimonium Eccleſiæ omnium temporum. *Tridentinum Concilium cap. 4. affirmat*, ſemper hoc in Eccleſia Dei perſuaſum fuiſſe. *Andradius tragicè declamitat*, hunc eſſe conſenſum totius Eccleſiæ, omnium ætatum, omnium gentium & populorum, qui unquam Chriſtianum nomen profeſſi ſunt, ita ut nullum aliud fuerit unquam Eccleſiæ iudicium. *Huc ſunt etiam referenda teſtimonia Patrum, in quibus aſſeritur* non eſſe ampliùs panem, nec videri. *Vide Danielem Chamierum in Epiſt. Ieſuitic. pag. 59.*

Reſpondeo, A non diſtributo ad diſtributum non valet conſequentia. Non enim ſequitur, Fit mutatio in pane & vino Euchariſtiæ: ergo Tranſſubſtantiatio fit. Nam quia hoc Sacramentum eſt, Sacramentalis quoque mutatio intelligi debet, qua ex pane & vino communi fit Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, manente interim panis & vini ſubſtantia: alioquin duabus rebus, hoc eſt, re terrena & cæleſti, non conſtaret, ac proinde non amplius eſſet Sacramentum. *Vide Danielem Chamierum in Epiſt. Ieſuitic. pag. 56.*

Audiamus autem aliquos ex Patribus, quomodo illa & ſua & veteris Eccleſiæ verba interpretentur, & intelligi velint: & mox manifeſtiſſimum fiet, eos hunc mutationis modum in Euchariſtia ſic definire, ut eum figuratè & effectiuè accipi velint, & docere, eatenus panem fieri corpus, aut mutari in corpus Chriſti, quatenus eſt efficax ſymbolum, & certum pignus corporis eius, pro nobis in mortem traditi: vel quatenus panis eſt illa res, quæ communi uſui exempta, in hunc uſum ſacrum, ex Domini inſtituto, adhibetur, ut eius legitima ſumptione per arcanam Spiritus ſancti virtutem exhibeatur, applicetur, & efficaciter obſignetur animis noſtris dulciſſima illa Konωνία, qua ſumus os ex oſſibus Chriſti, & caro de carne eius, omniumque bonorum *Mutationem quæ tam Patres in Cœna docent.*

bonorum eius participatione fruimur. Hanc esse veram & genuinam Patrum sententiam de mutatione illa, ex his testimonijs liquidissimè apparet. Cyprianus, Panis, *inquit*, iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum. *Hic non vult Cyprianus fieri transsubstantiationem Pontificiam, sed loquitur de mutatione sacramentali, qua panis & vinum ex ordinatione diuina, communi usui exempta, ad hoc adhibentur, ut sint certæ & efficaces corporis & sanguinis Christi tesseræ, quibus efficaciter utatur Spiritus sanctus ad fidem in nobis excitandam & augendam, qua sola cœlestia & æterna bona nunc percipimus. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. inquit*: Non sublata panis substantia, sed adiecta pani corporis Christi gratia, atque adeò impositio illi corporis Christi nomine. *Non dicit Ambrosius, Mutato pane in corporis Christi substantiam, sed adiecta pani corporis Christi gratia: quia videlicet placuit Christo, panem in hunc usum sanctificare, ut eius sumptione fiamus corporis eius participes. Sic & Epiphanius ait*: Voluit Christus per gratiam dicere: Hoc est corpus meum. *Et ibidem apertè negat*, secundùm propriam rationem corporis, panem esse corpus Christi, cùm nec formam veri corporis habeat, & sensu motuque careat, & tamen per gratiam verè credatur eius corpus esse. *Theodoretus Dialogo* 1. Visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honorauit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adijciens. *Sed quid multa? Lombardus ipse apertissimè affirmat, lib. 4. dist.* 11. ne suo quidem tempore definitum fuisse in Ecclesia, qualis illa sit mutatio seu conuersio, de qua Patres loquuntur, an sit formalis, an substantialis, an verò alterius generis. *Falsa igitur est, vel ipso Lombardo teste, Iesuitarum gloriatio, Transsubstantiationem habere consensum totius Ecclesiæ, omnium ætatum, omnium gentium & populorum, qui unquam Christianam nomen professi sunt, &c.*

Ad QVINTAM *Classem pertinent ea testimonia, in quibus Patres docent*, corpora nostra corpore & sanguine Christi ali, nutriri, saginari, &c. *Inde concludit, per Transsubstantiationem corpus & sanguinem Christi in Eucharistia verè adesse.*

Respondeo, Sacramentales has esse locutiones quiuis non contentiosus facilè animaduertit, Et si Senator ipse non dubitauit dicere. Hoc est corpus meum: *quum daret symbolum corporis sui: Quis dubitabit corpora nostra ali, nutriri & saginari de corpore & sanguine Domini, cùm reuera alantur illis rebus, quæ corporis & sanguinis Christi symbola & pignora sunt? Hunc sacramentalem tropum Irenæus apertissimè his verbis expressit*: Caro de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur. *Huc pertinet etiam quod Cyprianus de Cœna scribit*: Potus, *inquit*, & esus ad eandem pertinet rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit: ita vita Spiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod esca carni, hoc animæ fides est: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui, excellentiori virtute peragens æternaliter quod agant alimenta corporalia temporaliter. *Quod si illud alimentum & augmentum ad rem ipsam sacramenti, hoc est, ad corpus & sanguinem Christi referre velis, tunc de alimento & incremento spirituali intelligendum est: alioquin sequeretur, corporis Domini substantiam alterationi obnoxiam esse, & realiter in substantiam nostrorum corporum transire, quod impium & blasphemum est dicere.*

Ad SEXTAM *Classem referenda sunt ea testimonia*, quæ de adoratione & veneratione Eucharistiæ loquuntur: *hoc est, quæ indicant, Veteres veneratos esse & adorasse Christum Deum & hominem, & quidem carnem Christi non tantum in cœlo, sed etiam in altari. Non autem adorârunt externa signa panis & vini in altari: Ergo veram carnem per transsubstantiationem in altari præsentem.*

Respondeo: Loquuntur Patres de adoratione carnis Christi, quæ fiebat, non in Mysterijs, hoc est, ut caro Christi lateret sub specie panis, ibique adorata sit, sed in celebratione mysteriorum. Recte autem à nobis adoratur caro illa, æterno Dei Filio hypostaticè unita, quoties Cœna Dominica celebratur. Nam ibi proponitur fidelibus illa Filij Dei immensa misericordia, qua permotus cœlestem gloriam reliquit, & carnem humanam assumpsit, eamque in precium redemptionis nostræ Patri æterno obtulit, & ea vitam æternâ nobis acquisiuit. De his tantis rebus in Cœna Dominica commonefacti, carnem illam non manducamus, nisi eam prius adorauerimus, sicut Augustinus loquitur in Psal. 98. Etsi verò in inuocatione & adoratione illa mentes nostras ad carnem Christi dirigimus, utpote in qua omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitet, cuius solius respectu honor inuocationis Christo Deo & homini competit: tamen nullam eius carnis sub specie panis per transsubstantiationem præsentiam imaginamur, nec etiam imaginati sunt Patres. Ideoque nec symbolis illis propositis humiliter intenti fuerunt, ut Chrysostomus loquitur, sed illis tanquam vehiculis aut scalis quibusdam usi sunt, quibus sursum in sedes beatorum ascenderunt, ibique Christum Filium Dei regnantem inuenerunt, apprehenderunt

runt & adorarunt. Vnde in Liturgijs suis semper attestati sunt, Se sursum habere corda ad Dominum. *Adhæc certissimum est, eandem adorationem, honorem & reverentiam, in Baptismi & Cœnæ celebratione adhibitam fuisse à Veteribus. Nemo verò inde facile corporalem Christi præsentiam in Baptismo sub aquæ specie colliget. Vide plura in hoc libro sub Titulo De adoratione hostiæ Cap. 8.*

Vide Danielem Chamierum pag. 60. in 1. suæ istitutionis epist.

Ad SEPTIMAM *Classem pertinent, in quibus Patres* Timorem, Tremorem ac Fidem requirunt ab ijs, qui ad sacram mensam accedere volebant. *Non igitur signa vel symbola tantùm ibi proposita crediderunt, sed verum ac reale corpus Christi. Sic enim in Liturgia Chrysostomi voce Diaconi his verbis ad communionem inuitatur fidelis populus:* Cum timore ac fide accedite. *Respondeo cum Cabasila, qui ad hæc Chrysostomi Liturgiæ verba sic scribit, de Diuin. altar. Sacram. cap. 39.* Sacerdos, postquam particeps fuit sanctificatorum, ad populum se conuertit, & ostensis sanctis, vocat eos, qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei, & fide: neque contemnentes, propter id quod apparet & videtur, neque dubitantes, quòd sit supra rationem id, quod creditur: sed eorum dignitatem agnoscentes, & quòd vitæ æternæ causa sint ijs, qui illorum (*sanctorum*) sunt participes, ut credentes accedere. Ipsi autem pietatem ostendentes, & fidem, adorant, & benedicunt, & Iesum, qui in eis INTELLIGITVR ut Deum celebrant. *Ex hìs intelligimus, timorem requirere mysterium hoc, ne propterea quod in eo aliud, quàm panis & vinum, quæ sensuum nostrorum iudicio res vulgares & exiguæ sunt, non apparet, contemnatur.* Non enim, *ut Ambrosius ait de hìs qui mysterijs initiantur cap. 3.* contemplanda sunt in mysterijs quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt: quæ non videntur æterna. *Rursus:* Non ergo solis oculis corporeis tuis credas. Magis enim videtur, quod non videtur, quoniam quod oculis non comprehenditur, animo atque mente cernitur. *Et Augustinus inquit lib. 3. cap. 8. de Doctr. Christ.* Qui in signis seu mysterijs diuinùm institutis, vim & significationem eorum intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & transit, sed illud potiùs, quò talia cuncta sunt referenda, sicut in Baptismi Sacramento, & Corporis & sanguinis Domini celebratione, quæ unusquisque dum percipit, quò referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali seruitute, sed spirituali libertate veneretur.

Requisit hoc mysterium quoque Fidem, qua quod non videtur & omnem rationem excedit (quòd videlicet hæc sanctificatorum donorum dignitas sit, ut vitæ æternæ causa sint dignè participantibus) fide creditur & percipitur.

Est autem timor & pietas, quæ erga hoc sacrum mysterium exhibetur, quòd in veneratione habentur: Fides verò, quod Christus in ijs intelligitur & celebratur. Non est ergo ipsemet revera & substantialiter Christus.

Sed inquit Iesuita, si Transsubstantiationem excipias, quid erit in Eucharistia mirum, aut difficile ad credendum? *Respondeo: Sciebetur à Iudæis suis Capernaitis, ecquid non illis difficile ad credendum visum fuerit, quum Christus de suo corpore manducando loqueretur. Roget, ecquid causa fuerit quamobrem illi dixerunt hanc sermonem esse dixerint? Nonne verba Christi de corporali & orali manducatione ipsius corporis intellexerunt? At non propterea Capernaitæ intellexerunt mysterium Cœnæ Dominicæ. Christus autem paucis hoc mysterium explicans,* Verba, *inquit*, quæ loquor vobis, Spiritus & vita sunt.

Vide libellum de Originalitate Papatus fol. 30. 31.

Ad OCTAVAM *Classem pertinent omnia testimonia quæ proferuntur à Bellarmino ex Patribus*, in quibus illi miraculum fieri dicunt in Eucharistia. *Si verò panis & vinum fiunt signa & symbola tantùm, nullum est miraculum: Ergo fit transsubstantiatio panis in corpus Christi. Ambrosius enim Eucharistiam confert cum summis miraculis in lib. de Init. myst. cap. 9. videlicet Mosis, Heliæ, Helisæi, & tandem sic concludit:* Quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur: Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minùs est nouas rebus dare, quàm mutare naturas. *Ibidem paulò infrà de mysterio Incarnationis:* Liquet, *inquit*, quod præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus, corpus, ex Virgine est. Quid hìc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine. *Cyrillus etiam ubi de Eucharistia Sacramento agit, citat illustria miracula in Veteri Testamento edita. Chrysostomus Serm. 3. de Sacerdotio:* ô ingens miraculum, ô magnam Dei benevolentiam erga nos, is qui sedet suprà cum Patre, illa hora

hora omnium manibus detinetur, & dat se volentibus circumdare & amplecti. *Hic miraculum, inquit Iesuita, agnoscit in Cœna Chrysostomus: non autem miraculum esset, si tantum in symbolo carnem Christi haberemus.*

Respondeo primò: Cœnam Dominicam, propriè loquendo, non esse miraculosam, nec in ea Patres eiusmodi miraculum agnouisse, ut Pontificij fingunt, his argumentis probatur. Augustinus *in libro Miraculorum*, ubi sacræ Scripturæ mirabilia complectitur fore omnia, Transsubstantiationis, seu miraculosæ illius præsentiæ corporis Christi sub speciebus panis in mille locis eodem tempore, ne verbo quidem meminit. Gregorius Nazianzenus quoque qui verbibus comprehendit omnia Christi miracula, nullius Transsubstantiationis in Cœnamentionem facit: quæ tamen si qua esset, nulli miraculorum cederet, sed omnium esset mirabilissima. Ergo fuit ignota in primitiua Ecclesia, adeoque nuper conficta ista panis transmutatio in verum corpus Christi. Deinde, numerant Patres discrte Eucharistiam inter signa non miraculosa, quæ peracto ministerio transeant & consumantur, & quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosam habere possunt, stuporem tanquam mira non possunt: quæ ipsa sunt Augustini verba ep. 10. lib. 3. *de Trinit.* Quod si Christi corpus in multis locorum millibus sub speciebus panis substantialiter delitescret totum & integrum, fatendum esset, maximè stupendum & admiratione dignissimum miraculum esse. Adhæc quando Patres de ipso Sacramento Eucharistico ex professo agunt, & nominatim Sacramentalis præsentiæ modum explicant, clara veritatis naturæ humanæ in Christo mentione facta, nulla prorsus miraculi exceptione utuntur. Nihil minus igitur Veteres crediderunt, quàm miraculosam esse corporis Christi in Cœna præsentiam, eo modo ut Iesuitæ & Pontificij volunt, propter Transsubstantiationem videlicet.

Respondeo Secundò: Quando igitur Patres Eucharistiam summis miraculis conferunt, & eam miraculum nominant, impropriè hoc ab ijs fieri. Nam primò, *magnum est miraculum, soliqueDei potentiæ, nullis viribus humanis tribuendum, ut aliud exteriùs oculis corporeis videatur, & à sensibus percipiatur, aliud verò interiùs solo mentis & fidei intuitu, sub nullos cadens sensus, cernatur.* Secundò, & hoc miraculosè fieri aliquo modo dici potest, *quod sanctum Christi corpus sic in suo fidelibus exhibetur & participandum offertur Sacramento, ut quod ad locorum attinet intercapedinem, illud quidem corporea sua præsentia non amplius in mundo versetur, neque ex cœlo, ut in Sacramento incipiat esse, corporaliter denoceatur: Ascendit enim Christus in cœlum realiter, non antè inde descensurus, donec venerit ad iudicandum vivos & mortuos: Et tamen verè nobis præsens adest sua Diuinitate, Spiritusque sui virtute*, Tertiò, *Etsi immensis locorum spacijs res terrenæ ac cœlestes à se inuicem sint disiunctæ, ea tamen nihil afferunt impedimenti, quominus uno & eodem tempore id fides apprehendat, quod terrena illa & aspectabilia sensibus exterioribus renunciant. Neque enim hæc aut naturæ aut humanæ industriæ sunt opera, sed virtus sanctæ æternique Spiritus illius hoc efficit, ut nos cum Christo coniungat, & omnibus illis bonis, quæ ex sacro eius corpore uberrimè profluunt, abundè perfundat. Cum ergo in cœlum ascendimus vera fide, in quod ingressus est Pontifex noster magnus, vitam & virtutem carnis ipsius viuificam in nos deriuamus, sanctitatisque & innocentiæ eius participes æternum cum ipso Deo coniungimur. Cuius quidem coniunctionis & unitatis cum Deo nostro, solus Spiritus sanctus est administer & vinculum, sic nos fide instruens & virtute sua cum carne Christi coniungens, ut sicut ille unum est cum Patre, ita & nos in unam cum illis coalescamus societatem, ac propterea immortalis & æternæ vitæ efficiamur participes. Non mirum igitur videri debet, si Patres Eucharistiam cum maximis miraculis conferant, non quidem propriè, hoc est, propter miraculosam transsubstantiationem symbolorum, ut Pontificij fingunt, sed suo modo, latè videlicet sumpto per Catachresin Miraculi vocabulo, proijs quæ mirando & incomprehensibili modo Deus in animis piorum operatur, quoties verasidehoc mysterium celebrant ex Christi instituto. Perspicuum hoc est ex Chrysostomi verbis homil. 61. ad populum Antioch.* Necessarium est, *inquit*, mysteriorum discere MIRACVLVM, quid tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei veritas. Vnum corpus sumus & membra ex carne eius & ex ossibus eius. *Item*: Sanguis Christi animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugiter & nutriens. Nam ex cibis quidem sanguis in nobis nascens non statim hoc efficiut, sed aliud quiddam: hic autem non ita: sed statim animum irrigat, & magnam inducit virtutem quandam, &c. *Rursus*: Hic est Salus animarum nostrarum, hoc anima abluitur, hoc adornatur, hoc inflammatur, &c. *Item*: Ex hac mensa fons ascendit spirituales emittens fluvios. Multi sunt riui huius fontis quos emittit Paracletus & Filius Mediator noster aperiens affectum, &c. *Idem de Sacerd. lib. 3. cum Oratorio quodam loquendi genere huius mysterij dignitatem exprimere conaretur ac diceret, turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, hæc subijcit*: Etiam ne te inter mortales versari atque in terra consistere

censes?

censes ? an non potiùs è vestigio in cœlos transferris ? annon carnis cogitationem omnem abijciens,nudo animo, mente pura, circumspicis quæ in cœlo sunt ? *Neque nona aut inusitata, etsi impropria est illa loquendi consuetudo, qua res magnas & omnium opinionem superantes, solemus interdum nominare* MIRACVLA. *Sic enim ydem Patres Mortem & Sermones Domini in terris Miracula etiam dixerunt. Sic ergo Miraculi vocem ad Sacram Cœnam etiam accommodant : neque immeritò, cùm res quæ in ea proponuntur consideranda, omnem, ut modo diximus, hominum captum longissimè superent, & sola fidei intelligentia comprehendantur. Quapropter non nisi propriè loquendo, miraculosam esse in Cœna præsentiam negamus sicut Chrysostomus in Baptismo quoque multa dicit esse miracula, non tamen transsubstantiationem aliquam miraculosam ibi vult intelligi.*

Ad NONAM *Classem sunt referenda Patrum testimonia à Bellarmino citata, in quibus Eucharistiam, seu Cœnam mysterium* cum stupore admirantur, *illudque vocant* tremendum mysterium; *celebrant item* Dei potentiam, *negant* esse quærendum naturæ ordinem in corpore Christi, *& prohibent* cogitari aut proferri illud OVOMODO. *Ergo verum* [illegible] *& præter naturæ ordinem, sub speciebus panis consecrati per transsubstantiationem adesse, à Patribus creditum fuit. Et Bernhardus :* Vnde hoc nobis, pijssime Domine, ut nos vermiculi, reptantes super faciem terræ, nos, inquam, qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur, præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris, qui etiam unius horæ momento, à Solis ortu usque ad occasum, ab Aquilone ad Austrum præsidio es omnibus, unus in multis, idem in diuersis locis? &c.

Respondeo: Quæcunque in hanc sententiam à Patribus de Eucharistia dicuntur, nihil omnino ad stabiliendam transsubstantiationem facere. Aut si verba nimis rigidè urgeantur, repudiato sacramentali tropo, nihil aliud ex ijs colligi potest, quàm panem propriè & realiter ipsum Christi corpus esse, quod ne ipsi quidem Transsubstantiatores concedunt. Sic igiturhæc Patrum verba vel testimonia intelligenda sunt. Cùm de sacrosanctâ Cœna Dominica tractant, sæpe mentionem faciunt illius conuersionis, quâ terrena elementa, panis & vinum videlicet, in corpus & sanguinem Domini per consecrationem mutantur: quæ consecratio nihil aliud est, quàm externum testimonium de usu spirituali, in quem Deus corruptibilia signa destinuit: & hoc testimonium in manifesta expositione mandati & promissionis diuinæ consistit. Introducitur igitur in hac mutatione, non substantia, sed usus tantum nouitas, quæ homines respicit, quia panis sanctificatus non est nobis [illegible] vulgaris panis, sed qui factus sit corpus Domini, hoc est certum & efficax pignus beneficiorum, quæ corporis sui sacrificio nobis Christus acquisiuit. Hæc sacramentalem mutationem, de qua etiam suprà diximus, tanquam mirificam, supernaturalem & omnipotentiæ diuinæ propriam, agnoscunt & cum stupore Patres admirantur, & hodie adhuc apud omnes fideles admirationem summam iurè meretur. Nam sine potentia & virtute Dei singulari fieri non potest, ut terrestris & corruptibilis ille cibus, alendo corpori peculiariter destinatus, esca spiritualis ac cœlestis nobis esse incipiat. Omnem prorsus humanam rationem superat, terrenis & caducis illis rebus, nobis miseris & æternæ damnationi dignissimis hominibus, ex mera Dei misericordia offerri, exhiberi & efficaciter obsignari bona cœlestia & æterna, quibus in tota rerum natura nihil præstantius, nihil beatius, nihil diuinius cogitari potest, videlicet ipsummet Filium Dei Iesum Christum cum omnibus eius beneficijs possidendum & fruendum ad vitam æternam. Hinc Gregorius dicit: Ideo magnum & pauendum est mysterium, quia aliud videtur, & aliud intelligitur. *Cùmque rationi & sapientiæ humanæ absurdum sit, essentiam spiritualem ac immortalem à corporea & mortali vitam mutuari: cùm à Philosophia remotum sit, carnem Domini è cœlo vim suam & vigorem in nos diffundere, & quicquid habet verè nobis communicare : cum sensus iudicio repugnet, ei carni, quæ iam in cœlo, & non alibi localiter est, miseros mortales, qui sunt in terra, longissimo interuallo sit loca spectes, ab ea peregrinantes tam arctè uniri, ut cum ea in unum corpus transeant: cùm inquam longè hæc omnia supra humanæ sapientiæ captum, & communem naturæ ordinem posita sint: rectè & meritò monent Patres, simpliciter* nos Filio Dei dicenti, Hoc est corpus meum, credere debere, & nulla ambiguitate teneri: *rectè etiam contra eos qui humanis cogitationibus sacrosanctâ mysteria illa æstimant, exclamant:* Naturæ ordinem hic minimè quærendum: *Item,* in tam sublimibus rebus nunquam illud, Quomodo? cogitandum aut proferendum, &c.

Hic sunt omissa testimonia quæ Bellarminus citat ex Ignatio, ac quibus vidi Danyum contra 2. tom. Dionysij de quibus Daneus fol. 603. & Ioannem de Mossa c. 6. lib. 2. fine.

HÆC SIC IN GENERE *dicta sufficiant ad testimonia, quæ Bellarminus citat ex Patribus, ad probandum, eos & credidisse & docuisse Transsubstantiationem : Nunc in* SPECIE *ad singula etiam respondebo, ut plenius intelligatur, sanctissimos illos viros maximæ à Iesuita iniuria affici.*

IVSTINVS.

IVstinus Apologia 2. ad Antoninum Imp. sic scribit: Non ut communem panem, neque

Responderetur ad Patrum testimonia in specie. De hoc Iustini & aliis eius locis vide Danæum fol. 603. 604. Plessium quoque p. 589. & 590. De multis locis quæ Pontificij & obiiciunt ex Patribus contra nos citant, vide Calvinii libellum anno 61. editum De vera participatione Christi in Cœna.

communem potum hæc sumimus : sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus est Iesus Saluator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra assumpsit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu, & carnem & sanguinem esse edocti sumus. *His verbis docet Iustinus, eodem verbo Domini incarnatum esse Christum, & panem fieri carnem Christi: Hinc colligunt Iesuita: Ergo panis transubstantiatur in reale corpus Christi. Nego consequentiam, & respondeo κατὰ βιασμον: Si enim panis fit corpus Christi, quemadmodum Christus in utero Virginis incarnatus est, tum id sine omni transubstantiatione fit. Quando enim Christus incarnatus est, seu carnem nostram assumpsit in utero Virginis, non est in carnem nostram transubstantiatus. Sic neque cibus iste Eucharisticus quando precibus & gratiarum actione fit caro Christi, non tamen in ipsam Christi carnem realiter connertitur. Vtrumque autem effectum est Dei verbo, ut & Christus in utero matris carnem assumeret, & panis iste caro Christi, hoc est, carnis Christi sacramentum fieret & symbolum, in quo caro Seruatoris à fideli populo perciperetur. Panis enim & vini substantiam manere ex eo constat, quòd hoc cibo carnem ac sanguinem nostrum per immutationem Iustinus scribit, idque etiam post ipsam benedictionem vel gratiarum actionem. Panis igitur & vinum Cœnæ, incarnati Iesu caro & sanguis dicuntur, sacramentaliter, non proprietate essentiæ diuinæ. Tropicè ergo sic ab eo appellantur.*

At, *inquit Bellarminus*, si Eucharistia esset significatiuè tantùm caro Christi, & non realiter, id Iustinus omnino dicere debuisset : scribebat enim Apologiam pro Christianis, quibus præter alia crimina obijciebatur manducatio carnium humanarum in Sacris : Ad hoc abolendum crimen omnino dicendum fuit, Christi carnem à Christianis non comedi nisi significatiuè, &c. *Respondeo, Iustinus ad Græcianæ crimen in hac ipsa Apologia apertissimis verbis à Christianis remouit : dicit enim*, Λυχνίας μὲν ἀναξοπλῶ καὶ τῆς ἀναιδῶν μίξεως, καὶ ἀνθρωπίνων σαρκῶν βοσκὴ γνόσκομεν : *hoc est*, Lucernæ restinctionem, impudicosque concubitus, & HVMANARVM CARNIVM ESVM non agnoscimus. *Quid apertius, quid clarius dici ab eo potuisset ? Nequaquam tam rotundis & simplicibus verbis hoc crimen inficiari potuisset sanctissimus Martyr Iustinus, si ipse & vetus Ecclesia cum eo, realem corporis Christi esum in Cœna statuisset & credidisset, quod Transubstantiatores hodie faciunt. Tam verè enim ἀνθρωποφαγία est, qui hominem integrum, vivum insensibili modo reuera comedit : quàm qui in membra concisum, & vel assum vel elixum sensibiliter manducat. Quare si ita esset, Iustinus absque dubio hac exceptione usus fuisset, Christianos quidem carnes humanas edere, verum non cuiusuis hominis, sed Christi duntaxat carnem, & quidem vivam, modo insensibili & supernaturali. Deinde supra fol. 121. & 122. indicatum est, quod etiam his ipsis verbis Iustinus omnem suspicionem esus carnis quoque Christi à Christianis amouerit.* Sed, *inquit Iesuita*, non dixit apertè significatiuè tantùm se carnem Christi comedere. *Respondeo, non debuit vel respondere vel loqui Iustinus, ut Iesuitis hodie placet, sed ut sibi tum commodum & rectum visum fuit.*

PIVS I. PAPA.

De hoc Pij loco vide Danæum fol. 605. 606.

Pius Papa I. *inquit Bellarminus cap. 5. qui eodem tempore sedit in Pontificatu, quo Iustinus florebat*, statuit pœnam satis grauem in eos, quorum negligentia aliquid Dominici sanguinis in terram, vel etiam super altare decideret : iussitque locum lambi, radi, &c. Porrò ista cautio argumentum est euidens fidei Antiquorum. Si enim panis (*Pius non de pane, sed de sanguine tantùm loquitur*) Eucharistiæ non esset corpus Christi, nisi repræsentatiuè, non esset adhibenda maior diligentia, ne caderet in terram, quàm ea fit, quam adhibemus, ne sacra Biblia in terram cadant, aut imago aliqua Christi, aut aqua Baptismi. Quis autem audiuit unquam debere lambi, aut radi terram, ubi cecidisset codex Euangelij, aut aqua Baptismi ? Ad hoc testimonium non legi Aduersariorum responsum. *Legat ergo ad id Iesuita, vel alius eius loco, nostram responsionem suprà folio 306. Deinde quæro ex Iesuita, Quis unquam audiuerit lambi aut radi, &c. debere terram, ubi cecidisset panis Eucharisticus? Si ergo valet argumentum Iesuitæ, tantum in vino erit sanguis, non autem in pane corpus Christi. Quæro etiam, quo loco Veteres panem & vinum habuerunt, qui iusserunt reliquias Eucharistiæ igni tradere & comburere ? Quo item loco sacramentum Calicis habuerint Cypriani tempore, quo demoniaca cuidam reluctanti infusum fuit, ut etiam per vomitum redderet?*

De hoc loco vide Danæum fol. 606. 607. Oecolampad. Dialogum fol. 162. b. 163. Plessium quoque ad Missa p. 589. vide etiã supra p. 38.

IRENÆVS.

Irenaus lib. 4. contra hæreses cap. 34. Quomodo, *inquit*, constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id

id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, &c. *Ex hoc loco, inquit Bellarminus, tale argumentum facimus.* Irenæus probat Christum esse Creatorem, ex eo quòd panis per consecrationem fit corpus Christi: igitur credebat reipsa, & non sola significatione mutari panem in corpus Christi: nam mutatio realis requirit planè omnipotentiam Creatoris. *Nego consequentiam, nam etiam mutatio sacramentalis omnipotentiam Dei requirit, ut paulò antè in Nona Classe demonstratum est. Deinde Iesuita nonnihil mutat statum causæ in verbis Irenæi. Nam ut ex Irenæo & Augustino constat, docebant Marcionita, Deum à Lege & Prophetis prædicatum, non esse Patrem Domini nostri Iesu Christi: Et Deum quidem Creatorem notum esse, Patrem verò Christi ignorari: Irenæus lib. 1. cap. 28. Fult igitur his verbis, quæ citantur à Iesuita, Irenæus non probare, ut Bellarminus dicit, Christum esse Filium Creatoris, imò ipsum Creatorem mundi huius, sed, Patrem Domini nostri Iesu Christi esse Creatorem mundi. Hanc esse intentionem Irenæi, hæc eius verba apertissimè testantur:* Alij, *inquit*, alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ideo quæ secundùm nos naturæ sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, & alia concupiscentem, &c. *Confutat ergo Marcionitas, qui negabant mundi Conditorem esse Patrem D. N. Iesu Christi tali argumento: Panis & vinum sunt creatura Fabricatoris mundi. Panis & vinum offeruntur in Cœna Patri D. N. Iesu Christi. Ergo Pater D. N. Iesu Christi est fabricator mundi. Sin minùs: Marcionitæ non possunt dicere, panem esse corpus Christi. Quomodo enim conuenient, panem, creaturam mali Dei esse corpus Christi, & rem alienam ab eo usurpari, & Patri offerri? Hoc argumento Irenæi Transsubstantiatio magis euertitur, quàm confirmatur.*

Secundum testimonium Irenæi quod ex eodem capite & libro citat Bellarminus hoc est: Quomodo rursus dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur? *Et paulo infrà:* Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. *Ex his verbis Bellarminus tria argumenta colligit: Primum est*; Corpora nostra incorruptibilia fiunt, quia aluntur corpore Christi: Ergo corpus Christi non solùm animis, sed etiam corpore percipitur, ex Irenæi sententia. *Secundum est*: Panis terrenus post inuocationem Dei, seu mysticas preces, non est amplius communis panis, sed est cibus constans duabus rebus, una terrena, altera cœlesti. Non potest autem res illa cœlestis esse, nisi corpus Christi: igitur verè est in Eucharistia corpus Christi. *Tertium est*: Ita panis mutatur ex terreno in cœlestem per inuocationem Dei, sicut corpora nostra mutabuntur per Eucharistiam ex mortalibus in immortalia. Sed corpora nostra reipsa fient immortalia, non autem sola significatione: Igitur panis terrenus re ipsa fit corpus Christi, non sola significatione.

Respondeo præcipuè ad primum argumentum; Corpora nostra ad incorruptibilitatem aluntur corpore Christi in Eucharistia: Ergo verè est & realiter corpus Christi in Cœna. Vt enim aluntur corpora nostra corpore Christi, non necesse est reipsa in Eucharistia illud esse. Et expendere debebant Iesuitæ, quo sensu corpora nostra Irenæus sæpius dicat corpore Christi nutriri, alimentumque & augmentum ex eo percipere. Nihil enim naturaliter corpus nostrum nutrit, nisi quod per alterationem in carnem nostram & sanguinem conuertitur. Hoc verò cùm de corpore & sanguine Christi sine impietate dici nequeat, apparet, Sacramenta sine signa visibilia, quæ suo modo & sunt & dicuntur corpus & sanguis Christi, sola esse, quæ non permutata, sed in sua natura & substantia persistentia, verè corporibus augmentum & nutrimentum ita suppeditant, ut interim res ipsas cœlestes, quæ simul cum eis fide & animo suscipiuntur, corporibus nostris incorruptionem, certamq; resurrectionis spem tribuant. Nam qui mente & spiritu per fidem veram & efficacem corporis & sanguinis Christi participes fiunt, adeò in anima renouantur & sanctificantur, ut corpus etiam mortale, & ex natura sua interitui obnoxium verè reparari, & in certam spem immortalitatis futuræ renouari sentiant. Distinguenda igitur est alimenti illius natura, ac proinde ipsa etiam fumendi ac nutriendi ratio: Carnem nostram spirituali isto cibo ali, nemo inficiatur. Quomodo autem hoc accipiendum? Nimirum, quia Christo communicamus in spem beatæ resurrectionis & immortalitatis, cuius arra & pignus sub symbolis externis proponitur. Idcirco & animo & corpore nos in ipsum coalescere & unum cum eo fieri necesse est, ut spiritualem vitam ipse ex massa sua nobis infundens, corpora quoque nostra immortalitatis capacia reddat. Hanc autem nostri cum Christo coalitionem non fieri corporali vel naturali aliqua substantiarum commixtione, ipse Irenæus apertissimè, testatur libro quinto, ubi prolixè declarat, nos membra Christi esse, propter Spiritum eius in nobis habitantem, quia videlicet istius

unionis intermedium sit vinculum, quo Christo adhæremus. Cum igitur manifestissimum sit, Irenæum non aliam docere nouitiam quæ in Cœna fruimur, quàm perpetuam illam quæ etiam extra Cœnæ Dominicæ usum nobis constet, & per fidem spiritualiter fiat, tota illa & satis longa disputatio Bellarmini iam sublata est. Dicit enim inter alia, si vera hæc esset sententia, Irenæi argumentum vel nihil concluderet, vel esset supervacaneum. Nam qui negant resurrectionem carnis non admittunt illam redundantiam gratiæ ex anima in corpus, &c. Quid enim hæretici vel alij sentiant, hoc nihil ad nos: illud satis hoc loco sit nos probasse, Irenæum de nulla corporali commixtione corporis Christi cum nostris corporibus, & propterea etiam de nullo corporali esu carnis Christi in Eucharistia loqui. Quod deinde dicit Bellarminus; quid opus erat tantopere urgere Eucharistiam ad probandam resurrectionem? Nónne satis erat dicere, Christum per fidem apprehensum viuificaturum animas, & corpora nostra? &c. *Nam eandem ob causam in genere quis rogare posset, Cur Christus Cœnam suam instituerit, & etiamnum hodie celebretur? Respondetur autem, hoc fieri, quòd Cœna, eiusque symbola, arra & pignus sint fidei in Christum viuificantem animas & corpora nostra.*

Si Bellarminus spirituali hoc nutrimento seu alimento non contentus, nimis præcise hanc Irenæi phrasin urgeat, quibus corpora nostra carne Domini ali seu nutriri dicit, nihil aliud efficiet, quàm ut carnem Christi naturali alterationi obnoxiam fateri cogatur. Illud etiam concedat necesse est, corpus Christi in ventrem descendere, & in intestina trajici. Nam ut inquit Cyrillus, ideo oportet naturalis vitæ corpus huic corruptibili naturæ corporis coniungi, quia hæc aliter ad incorruptibilitatem & vitam traduci non potest. *Quod si etiam coniunctio realis, substantiarum corporis Christi cum nostris corporibus, requiritur ad incorruptibilitatem & resurrectionem: negare non poterimus, carnem Christi ut ore & corde, sic etiam ventriculo & intestinis percipi, & cum his etiam substantialiter misceri: quoniam hæc quoque non minus quàm reliqua membra præstantiora ad incorruptibilitatem & immortalitatem perducentur. Sic igitur omnino statuendum cum Irenæo & alij Patres dicunt, corpora nostra corpore & sanguine Christi ali & nutriri: carnem & sanguinem nominari, quæ horum sunt figura, ut Tertullianus Christi verba interpretatur. Consentiunt autem in hoc, non recte eos facere, qui carnem nostram à spe resurrectionis ad incorruptibilitatem & immortalitatem excludunt, quam Christus certissime vitæ æternæ pignore in Sacra Cœna participem facit, & qua in hac etiam vita efficaciter incipit ad immortalitatem reformari, dum cibus ille anima sic ad carnem redundat, ut caro quotidie magis idoneum fiat Spiritus sancti domicilium & aptius anima instrumentum ad cultum diuinum, aliaque opera sancta Deo præstanda.*

Ad secundum Bellarmini argumentum quod attinet, negatur consequentia: Non enim sequitur, Eucharistia duabus rebus constat, re terrena & cœlesti: Res autem cœlestis est corpus Christi: Igitur corpus Christi verè est in Eucharistia. Nam etiam in Baptismo res terrena & cœlestis est, & cœlestis est sanguis: non autem sequitur, Ergo in aqua non potest nisi verus sanguis esse. Et tam abest ut his Irenæi verbis transsubstantiatio seu realis corporis Christi in Cœna præsentia confirmari possit, ut ijs potius solidissimè euertatur, sicut supra fol. 57. & 58. demonstratum est.

Ad tertium eius argumentum recte respondit Petrus Martyr in libro contra Gardinerum Obiecto 152. Sic videlicet mutari panem per consecrationem, & ex communi sacrum & cœlestem, quomodo per Eucharistiam corpora nostra fiunt immortalia ex mortalibus. At nostra corpora non mutantur substantialiter: ergo & panis ille Eucharisticus. *Respondet Bellarminus*, Quæ adferuntur ut similia, debere esse similia in re, de qua disputatur, non in omnibus, &c. *Respondeo, nequaquam similitudinem à Martyre statui in omnibus, sed in ipsa re de qua disputatur. Voluit Irenæus probare, corpora nostra verè resurgere, & fieri ex mortalibus immortalia: id ostendit hac similitudine: Sicut panis communis per consecrationem sit panis cœlestis & incorruptibilis: ita corpora nostra incorruptibilia per Eucharistiæ perceptionem fiunt incorruptibilia: verè autem mutatur panis Eucharistiæ: quod & nos credimus, sentimus ac docemus cum Irenæo. Quæstio verò hic iam oritur inter nos & Iesuitas hodie, de quali mutatione Irenæus sit loquutus? Nos dicimus, de sacramentali, vera tamen & efficaci: Iesuita contrà de reali & substantiali. Secundum Iesuitas igitur corpora nostra in resurrectione substantialiter immutabuntur. Et hac tandem fatetur Bellarminus cum Ioanne à Lovanio columna 574. dicit enim:* Respondeo cum Ioanne à Lovanio, Irenæum loqui de mutatione substantiali, tam panis, quàm corporum nostrorum. *Sed magna afficit Irenæum iniuria: de panis enim transsubstantiatione, aut substantiali mutatione neque hic neque alibi loquitur, sed docet passim, Panis substantiam etiam post consecrationem manere. Libro quarto capite tricesimo quarto dicit:* Panis, in quo gratiæ actæ sunt, est corpus Domini.

Domini. *Eodem loco de pane loquitur ſic*: Sanctificamus creaturam: offerimus ei ex creatura eius. *Neque prodigioſam Pontificiorum & Ieſuitarum Creaturam intelligit, qualis eſt, Accidens ſine ſubiecto, & qualem nullus unquam vidit: Sed apertè dicit; Creaturam quæ eſt ſecundùm nos, qualem nimirum cernimus, tangimus, edimus, bibimus: imò ut omnem Ieſuitis latebram praecludat, inquit: Ex illa augetur, & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.*

Falſum & illud eſt, Irenæum loqui de ſubſtantiali in reſurrectione corporum noſtrorum mutatione: nullus enim locus poteſt ex Irenæo proferri, ubi hoc doceat. Adverſatur etiam hæc doctrina apertiſſimè ſacræ Scripturæ. Iob enim clarè dicit decimo nono capite. Rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. *Deinde Paulus prima Corinth. decimo quinto, non obſcuris, ſed apertiſſimis clariſſimiſque verbis docet, hæc ipſa corpora in noviſſimo die reſurrectura, quæ nunc geſtamus, & quæ per mortem exſtinguuntur. Nec de tali mutatione corporum noſtrorum loquitur, quâ prior ſubſtantia in nihilum redigenda, & alia aſſumenda ſit, ſed de tali tantùm, quâ horum noſtrorum corporum ſubſtantia integra quidem permanſura, & ſolum illuſtriorem formam aſſumpturа ſit. Et perquàm ſignificanter loquitur:* Oportet hoc incorruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. *Quæ verba non de alio, quàm de hoc ipſo corpore intelligi poſſunt, quod nunc in hac vita habemus, & quod nunc fragile, caducum & immortale eſt, tunc autem incorruptibile & immortale fiet.*

TERTVLLIANVS.

Vide Danæum fol. 608. &c.

TErtullianus *libro ſecundo ad Vxorem, cùm hortaretur fœminas Chriſtianas, ut vel innuptæ manerent, vel non nuberent Gentilibus maritis, inter alia Argumenta, quibus hoc eis perſuadere conatur, unum ſumit ab Euchariſtiæ communicatione. Quotieſcunque enim privatim convenire eis licebat, non modò pariter omnes Sacramentum accipiebant, ſed quaſdam etiam myſteriorum portiones reſeruabant, quibus domi veſcerentur vel ante omnes cibos, ut eos ſic ſanctificarent, vel alio tempore, quo aſſidua memoria faciliùs unius ſe Eccleſiæ membra eſſe retinerent. Aut igitur, vult Tertullianus dicere, oportebit clam marito Ethnico ſumere Euchariſtiam, quod vix fieri poterit; aut illo ſciente, & tum exponetur Sacramentum contemptui:* Non ſciet, *inquit*, maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciverit, panem, non illum credit eſſe qui dicitur. Hic, *Bellarminus inquit*, ſatis apertè indicat Tertullianus, Euchariſtiam non eſſe panem materialem, licèt id videatur Gentilibus, ſed eſſe Chriſtum. *Reſpondeo, Ieſuitam hic ſenſum Tertulliani manifeſtè corrumpere & depravare. Vult enim Tertullianus dicere, Gentiles non ſcire Euchariſtiam eſſe Sacramentum corporis Chriſti, aut myſterium rei ſacræ alicuius, quale homines Chriſtiani eſſe credunt: ſed prophanum panem ſolummodo credere, ſicuti Chryſoſtomus de Baptiſmi quoque aqua ſcribit in 1. Corinth. Homil. 7.* Ethnicus cùm audit lavacrum Baptiſmi, perſuadet ſibi ſimpliciter eſſe aquam. At repugnat, *inquit Bellarminus*, ratio Grammaticæ. Nam Tertullianus ait: Etſi ſciverit, panem, non illum credit eſſe, qui dicitur: Non autem ait; Non illud credit eſſe, quod dicitur: certè Sacramentum eſt generis neutri, non maſculini. *Reſpondeo, Tertullianum non reſpicere ad nomen Sacramenti, ſed ad nomen panis Euchariſtici, & tunc optimè convenit cum ratione Grammatica: panem eſſe credet (tantùm) non illum (panem) qui dicitur. Sed nemo melior Tertulliani interpres eſſe poterit quàm ipſemet Tertullianus: Is in libro, quem de Corona militis ſcripſit, de eadem re diſſerens, eam* Sacramentum Euchariſtiæ *vocat. Et libro primo contra Marcionem ſic ſcribit*: Chriſtus non reprobauit panem quo corpus ſuum repræſentat. *Hoc illud eſt, quod maritus à Religione Chriſtiana alienus videre non potuit: cùm enim in Chriſtum minimè crederet, ratione aſſequi non potuit, quomodo panis Sacramentum, ſeu corporis Chriſti myſterium eſſe poſſet.*

Vide Occlamp. Dialogum fol. 139.b.

Alterum teſtimonium quod Ieſuita ex Tertulliano adducit, exſtat in libro de Reſurrectione, ubi ſic inquit: Caro corpore Chriſti veſcitur, ut & anima Deo ſaginetur. *Reſpondeo Tertullianum vocare corpus Chriſti ipſum Sacramentum corporis.* Sed tum, *inquit Bellarminus* argumentum Tertulliani concidit: Dicent enim hæretici, qui negabant veram reſurrectionem, quòd ſicut ſola anima verum corpus Chriſti percipit, caro autem non ipſum corpus, ita ſolam animam verè tantùm reſurgere. *Sed quæro à Ieſuita, Noſtrane caro Chriſti corpore & ſanguine veſcatur & ſaginetur, vt reliquis cibis? Si affirmat, tum Chriſti corpus cum noſtro in vna eademque hypoſtaſi coniungitur. Cibus enim in eius rei, quam alit, hypoſtaſim tranſit. Si verò noſtra & Chriſti hypoſtaſis vna eademque eſt, præclarè equidem nobiſcum actum erit. Sin dicat hæc abſurda eſſe, ergo de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti loquitur eſſe Tertullianum confitentur.*

ORIGENES.

Vide Duacenum fol. 611. &c. Plessium quoque de Missa p. 692.

Ad primum locum, quem Bellarminus ex Origenis Homil. 13. in Exodum citat supra in Pio primo Papa respondsum est.

Alium deinde adducit ex Homil. 5. in diversa loca Evangelij, in qua tractat de puero Centurionis: Quando, *inquit*, sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, &c. *Respondeo, Epulum hoc sanctum & incorruptum esse non negamus, fatemur etiam corpus & sanguinem Christi à nobis manducari & bibi: Illud verò sine transubstantiatione fieri posse quivis intelligit, nisi transubstantiationis præjudicio fascinatus.* Credere enim in Christum, est ipsum manducare, *Augustino teste. Ingredi autem Dominum sub tectum nostrum, quando Sacramentum percepimus, non negamus: at hic ingressus nullam transubstantiationem requirit.* Nam si Christum diligimus, eiusque Sermonem servamus, Pater & Filius ad nos venient, & nobiscum manebunt, *Ioan. 14. cap. Ipse quoque Origenes multoties* ingredi Dominum sub tectum nostrum *scribit*, si Evangelio credimus, si pium Ministrum recipimus, si pauperes hospicio excipimus. *Augustinus quoque in citatum locum Ioannis sic scribit tractatu septuagesimo sexto.* Deus Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus veniunt ad nos dum venimus ad eos. Veniunt subveniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo: ut sit nobis eorum non externa visio, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. *Sed de hoc loco Origenis vide supra plura in hoc libro cap. 8. de Adoratione Eucharistiæ.*

Tertium profert locum ex Homilia 7. in Num. ubi sic inquit Origenes: Tunc in ænigmate erat Manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei, & verus cibus, sicut ipse dixit, Quia caro mea verè est cibus. At certè, *inquit Bellarminus*, species cùm ænigmati opponitur, idem significat, quod veritas collata figuræ. Si autem Eucharistia esset corpus Christi solùm tropicè, non in specie, sed in ænigmate, dici deberet caro Domini: nam etiam Manna erat corpus Domini tropicè, id est, significativè. Et confirmatur argumentum ex verbis præcedentibus, ubi Origenes dicit, Hebræos habuisse Baptismum in ænigmate, dum transirent mare rubrum, nobis autem in specie per Baptismum conferri regenerationem. At vera regeneratio nobis datur in Baptismo, quam non dabat, sed adumbrabat solùm transitus maris rubri: ergo eodem modo vera caro nobis datur in Eucharistia, quam non dabat, sed in ænigmate significabat Manna Iudæorum. *Sensus verborum Bellarmini est: Quum ab Origene, sicut etiam ab alijs Patribus Sacramenta Veteris Testamenti cum Sacramentis Novi conferantur, tanquam umbra cum corpore, imago cum veritate, ænigma cum specie: Manna autem Sacramentum Veteris Testamenti significativè fuerit corpus Christi: sequi necessariò, quòd in Eucharistia sit verè ac realiter corpus. Respondeo ex Augustino, qui Sacramenta Veteris & Novi Testamenti usu, fine, & ipsis rebus significatis eadem esse docet. Sic enim contra Faustum scribit, libro decimonono capite decimo sexto.* Magno errore delirant, qui putant, signis Sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus Propheticus pronuntiavit promissas, & quas ritus Evangelicus annunciavit impletas. *Et Psalmo septuagesimo septimo.* Idem in mysterio cibus & potus illorum, qui nostrer, sed significatione idem, non specie, quia idem ipse Christus illis in Petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Omnes quidem eundem cibum spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt, id est, spirituale aliquid significantem. *Item, tract. 26. in Ioannem.* Manducauit Manna & Moyses, manducauit Manna Aaron, & Phinees, manducaverunt & multi alij, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum accepimus: Sed aliud est Sacramentum, & aliud virtus Sacramenti. *Et pòst:* Hunc panem, qui de cœlo descendit, significavit Manna, hunc panem significavit altare Dei, sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt: Audi Apostolum: Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, spiritualem quidem eandem, nam corporalem alteram, quia illi Manna, aliud nos, spiritualem verò quam nos. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituale. Bibebant, inquit, de spirituali Petra: Erat autem Petra Christus: Inde panis, inde potus, Petra Christus in signum, verus Christus in Verbo & carne. *Item in tractatu 45. in Ioannem.* In signis diversis eadem fides, si autem in signis diversis, quomodo in rebus diversis? Quem enim venturum esse credebant, nos venisse credimus. Videte ergo Fratres, quòd fide

fide manente signa mutata sunt. Ibi Petra Christus : nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno eiusdem Christi sacramento biberunt aquam de petra fluentem : nos quid bibamus, norunt fideles : Si visibilem speciem intendas, aliud est : si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt. *Item* : Eundem cibum & potum manducaverunt & biberunt, erant enim ibi, qui, quod manducabant, intelligebant, quibus plùs Christus in corde, quàm Manna in ore sapiebat. Breviter ergo dixerim. Quicunque in Manna Christum intellexerunt, eundem quem nos, cibum spiritualem manducaverunt, sic etiam eundem potum. Petra enim Christus. Eundem ergo potum, quem nos, sed spiritualem, id est, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. *Et mox* : Eundem ergo cibum & potum, sed intelligentibus & credentibus, non intelligentibus autem, illud solùm Manna, illa sola aqua, ille cibus corporalis esurienti, iste potus sirienti : nec ille, nec iste, credenti : Credenti autem, idem quod nunc. Tunc enim Christus venturus, modò Christus venit : venturus & venit, diversa verba sunt, sed idem Christus. *Item, De fide ad Petrum cap.* 19. *& lib.* 20. *cap.* 21. *contra Faustum.* Firmissimè crede, & nullatenus dubires : ipsum unigenitum Deum Verbum, carnem factum se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo, in odorem suavitatis, cui cum Patre, & Spiritu sancto, à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus, tempore Veteris Testamenti, animalia sacrificabantur, & cui nunc tempore Novi Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi una est Divinitas, sacrificium panis & vini, in fide & charitate, sancta Ecclesia per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi quam pro peccatis nostris fuerat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus. In isto autem sacrificio, gratiarum actio & commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis effudit. In illis ergo sacrificijs, quid nobis esset donandum, figuratè significabatur : In hoc autem sacrificio quid nobis iam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænuntiabatur Filius Dei pro impijs occidendus, in hoc autem pro impijs annunciatur occisus.

Ex quibus intelligitur, quòd non solùm nullum inter Veteris & Novi Testamenti Sacramenta discrimen statuatur quantum ad res ipsas attinet : sed nec quo ad modum præsentiæ & coniunctionis rerum cum signis. Alioquin hæc sacramentorum utriusque Testamenti collatio, in dissimilitudine visibilium specierum, & congruentia significationis eiusdem rei spiritualis, Christi videlicet, ex Augustini sententia nullâ ratione constabit, si cum visibili Manna, & aqua ex petra fluente, quæ Veterum Sacramenta fuerunt, ipsa invisibilis corporis & sanguinis Christi in pane & vino realis præsentia & perceptio conferri intelligatur. Sic enim non in signis tantum diversa, nec in rebus, quæ significantur, paria erunt Sacramenta, neque idem in ijs cibus & potus, secundùm intelligibilem mysterij significationem. Sed quia non ita sensit, ideo nec sic loquutus est Augustinus : illic Petra Christus in signo figuratus fuit, nobis in pane & vino verè & corporaliter præsens datur. Sed in carne, *inquit*, est manifestatus, *quasi diceret : Illis quidem Petra Christus in signo figuratus fuit, quia nondum exhibitus : nobis autem, quod in altari Dei ponitur, verus Christus est, quasi in carne manifestatus, sed idem tamen & eodem modo, utrobique in mysterio Christus. Eadem est igitur præsentia, coniunctio & perceptio rerum cum signis per fidem statuenda in utriusque Testamenti sacramentis, quæ ex suprà recitata Augustini sententia, externa tantùm & visibili specie, quatenus illa Christum promissum & venturum, hæc verò exhibitum testantur & significant, inter se discernuntur. Hoc rursum Augustinus contra Faustum copiosiùs his verbis explicans lib.* 19. *cap.* 14. Alijs mysteriorum signaculis passionem & resurrectionem Christi futuram promissam fuisse, alijs iam factam annunciari, *ideoque Veteris Testamenti Sacramenta abrogata dicit*, quia Christus non ampliùs promittitur nasciturus, passurus & resurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo (*hoc est, obscurè, & umbratili significatione*) significabant, & quòd in Novi Testamenti sacramentis annunciatur iam natus, passus & resuscitatus ut eo modo, quo hæc verba, nasciturus, passurus, resurrecturus sunt sublata, ira & quibus ista promissa significabantur. Et contra quomodo in Novo Testamento hæc verba successerunt, natus, passus & resuscitatus : ita hæc per nova Sacramenta iam facta annunciari. *Ex quibus apertissimè colligitur, non magis realiter existere, & corporali præsentia contineri res in Novi, quàm in Veteris Testamenti sacramentis.*

CYPRIANVS.

Vide Danegum fol. 615. &c.

Vide & Danielis Chamier. Decretal. Pontificij tanquam Achillem semper in prima acie collocant, exstat in Sermone eius de Cœna. Et nos quidem, *ait Cyprianus*, cùm caro essemus & sanguis, cor-

PRæcipuus locus, *quem Bellarminus ex Cypriano citat, quemque Pontificij tanquam*

Vide Dominici Petrinatis Epistolas cap. pag. 53. & seq.

corrupta & infirma corporis, animæque natura reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reverti, niſi verbo inveterato imponeretur malagma conveniens, & incurvatione deſperatæ infirmitatis contraria removerentur contrariis, & ſimilia ſimilibus convenirent. Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humaniras videbatur & latebat Divinitas: ita Sacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infudit eſſentia, ut eſſet religioni circa Sacramenta devotio, & ad veritatem cuius corpus ſacramenta ſunt, ſyncerior pateret acceſſus uſque ad participationem Spiritus, non quod uſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam eius hæc unitas perveniſſet. Solus quippe Filius Patri conſubſtantialis eſt, nec diviſibilis eſt, nec partibilis ſubſtantia Trinitatis, noſtra verò & ipſius coniunctio nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & voluntates confœderat. Hoc teſtimonium, *inquit Bellarminus*, nullam admittit ſolutionem, etiam ſi Adverſarij ſæpe ad illud

Vide Virſini Conſideratio-nem Cō-monefa-ctionis fol. 397. & ſeq.

reſpondere conati ſint. *Sed hanc eſſe vaniſſimam Ieſuitæ gloriationem ex ſequentibus Lectior intelliget. Remedium iſtud, ad curandum inveteratum corruptionis modum, Cyprianus eodem loco vocat alimoniam immortalitatis, qua corporalis ſubſtantiæ partem retinet, ſed inviſibili efficientia divinæ virtutis in ea probat adeſſe præſentiam. Hanc autem immortalitatis alimoniam, hoc loco dicit eſſe panem diſcipulis à Chriſto porrectum, qui non effigie, ſeu corporalis ſubſtantiæ ſuæ ſpecie, ſed natura mutatus, hoc eſt, ſpiritualem & inviſibilem illam divinæ virtutis efficientiam adeptus, hoc modo factus ſit caro, omnipotentia Verbi. Hoc autem quomodo intelligi debeat, ipſemet Cyprianus explicat à collatione viſibilis ſacramenti cum humanitate Chriſti. Nempe, quòd ſicut in perſona Chriſti, humanitas videbatur, ſed latebat in ea Divinitas; ita ſe ſacramento viſibili divina ineffabiliter infudit eſſentia; Sed divina eſſentia nequit ſe infundere in id quod non eſt: oportet igitur iuxta Cyprianum, manere elementum panis, in quod infuſio fiat. Quod à Paſchaſio hîc verbis explicatum videtur;* Non eſt omnino viſibilis quantitas in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus ſacramenti ſpiritualis, ſicut nec quantitas hominis Chriſti metienda eſt in corpore, ſed virtus in eo, & Divinitas eſt conſideranda. *Hac itaque Divinitatis in ſacramento viſibili facta infuſione, qua panis omnipotentia Verbi fit caro, non magis perit aut mutatur ſubſtantia panis, quàm humanitatis Chriſti per unionem. Ideoque hoc corpus Domini alibi dicit eſſe non ſolam farinam, ſed panem ex multorum granorum adunatione congeſtum. Quòd verò divina in ipſum infuſa dicitur eſſentia, inde aperiſſimè conſtat, panem non ideo fieri ſeu eſſe corpus Chriſti, quod ſicut in humanitate Chriſti unita latebat Divinitas, ſic in pane, vel ſub ſpecie panis, inviſibilis ipſius vera caro lateat & contineatur, ſed divina illa in panem infuſa eſſentia, inviſibili ſua virtute & efficientia, facit illum eſſe corpus ſeu carnem Chriſti. Hinc Paſchaſius myſterium hoc carnem ſimul & panem cœleſtis vitæ dici ait.*

Etſi verò hæc non contentioſo aut præiudicio aliquo faſcinato Lectori ſufficere poſſent, tamen quia Bellarminus ſingula ferè verba in hoc teſtimonio ponderat, ad aliqua paucis reſpondendum eſt, ut omnes intelligant, nihil prorſus ad tranſſubſtantiationis confirmationem facere. Primò dicit; Cyprianum dicere, panem non effigie mutari. *Reſpondeo per effigiem panis, corporalis eius ſubſtantiæ ſpeciem Cyprianum intelligere. Deinde ait,* Cyprianum dicere, panem mutari Natura: Panem autem, *inquit Ieſuita*, natura mutari, eſt naturaliter vel ſubſtantialiter mutari. *Negat verò hoc Cyprianus, quum dicit,* Panem non mutari effigie, *hoc eſt, ſpecie corporalis ſubſtantiæ*, ſed natura. *Aut quæ hæc eſſet contradictio, panem mutari non ſubſtantiæ corporalis ſpecie, ſed ſubſtantialiter, vel naturaliter? Opponit igitur Cyprianus Effigiem, hoc eſt, panis ſubſtantiam, eiuſdem Naturæ. Et per naturæ vocabulum non panis ſubſtantiam, aut eſſentiam, ſed eius virtutem, efficaciam, operationem, proprietatem & conditionem intelligit. Eſt autem hæc non nova, & à nobis conficta demum, ſed uſitata & recepta apud omnes Scriptores Latinos loquendi conſuetudo. Et quidem apud Patres uſitatiſſimum eſt, vt ex verè una, remotiore ſignificatione, metaphoricè aliud intelligant. Sic Ambroſius, de iis qui init. myſt. c. 9. loquens de Sacramento:* Si tantum, *inquit*, valuit ſermo Heliæ, vt ignem è cœlo deponeret, non valuit Sermo Chriſti vt ſpecies mutet elementorum. *Hic ſpecies non accipitur iuxta propriam ſignificationem, pro externa apparentia ſeu effigie, ſed pro efficacia, virtute & operatione. Quis enim non videt ſpecies elementorum non mutari, ſi ſpeciem pro effigie & externa apparentia intelligat? Sicut igitur ab Ambroſio ſpecies vſurpatur pro virtute & operatione, ſeu conditione & proprietate; ita etiam natura, & quidem magis propriè accipitur à Cypriano. Et quòd hic ſit ſenſus Cypriani, ex verbi eius in eod. Serm. clariſſimè patet.* Eſus, *inquit*, carnis Chriſti eſt quædam auiditas & quoddam deſiderium manendi in Chriſto. *Turrianus quidem Ieſuita ex authoritate Baſilij M. vocabulum* Naturæ *nunquam*

in

in dogmatibus Eccleſiaſticis, niſi pro Subſtantia uſurpari contendit. Horum tamen oblitum, ipſemet Turrianus in quodam libello de rebus ſacris, non prophanis agens, vocabulo Naturæ *pro conditione utitur, ut Volanus indicat contra Scargam fol.* 947. Vita, *inquit Turrianus*, ſubſtantialis, & vita per gratiam & participationem Spiritus ſecundùm habitudinem fidei non ſunt ὁὐσίαι id eſt, unius naturæ & conditionis. *Sic quum Witakerus obieciſſet Duræo Ieſuitæ Theodoretum, negantem panem propriam naturam amittere: Ieſuita reſpondit*, Naturæ nomine non ſubſtantiam, ſed qualitates & proprietates à Theodoreto ſignificari. *Vt quid igitur Cyprianum non eadem ſermonis uti forma patiuntur? Cùm igitur dicit Cyprianus, panis naturam mutari, vult dicere, panem Euchariſticum ſpiritualem & inviſibilem illam divinæ virtutis efficientiam acquirere, qua longè iam ſublimior & præſtantior evadat, quàm antè fuerit. Cùm enim antè eſſet panis communis & prophanus, nunc novam naturam & conditionem acquirit, ut ſit corpus vel caro Chriſti, hoc eſt, myſterium & ſacramentum corporis Chriſti: atque hoc Dei omnipotentis Verbo, qui ſolus poteſt communi creaturæ vim & naturam Sacramenti impartire. Quid autem Cyprianus per naturæ mutationem intellexerit ex Chryſoſtomo intelligitur, qui lib. de Virtutibus & Vitijs ſic ſcribit:* Eliæus potuit undarum mutare naturam ut ferrum ſuſtinere cogeret. *His verbis Chryſoſtomus, ut etiam Cyprianus, aquæ mutatam fuiſſe naturam affirmat: & nihilominus aquæ ſubſtantia remanſit. Tertiò objicit Bellarminus*, quòd Cyprianus dicit, panem factum carnem Omnipotentia Verbi. *Reſpondeo, Deus non ſolùm in hoc Sacramento ſuam exercet, oſtenditque potentiam immenſam & infinitam. ſed eandem in cæteris etiam ſuis omnibus myſterijs declarat, Leo inquit Serm. 4. de Natiuit.* Chriſtus dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altiſſimi & obumbratio Spiritus ſancti quę fecit ut Maria pareret Saluatorem, eadem fecit, ut regeneraret unda credentem. *Leo igitur, aliique veteres Patres Dei omnipotentiam in Baptiſmi ſactamento agnoſcunt: neque tamen ideo aquæ naturam ac ſubſtantiam neceſſariò tranſſubſtantiatam eſſe iudicârunt. Sic etiam idem Cyprianus in lib. de Chriſmate de olei ſanctificatione ſcribens illam etiam Dei ſummam, & naturæ maiorem potentiam uſurpat, ſic inquiens*: Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum; ſed virtus divina potentiùs operatur: adeſt veritas ſigno, & Spiritus ſacramento.

NICÆNVM CONCILIVM.

Vide Duræum fol. 625. & Occampadij Dialogũ fol. 144.

TEſtimonium quod ex Nicæno Concilio citat Bellarminus, ſic habet: Iterum etiam hîc in divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & calicem, ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & preciоſum ipſius corpus, & ſanguinem verè nos ſumentes credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola: propter hoc enim neque multùm accipimus, ſed parùm, ut ſciamus non ad ſatietatem, ſed ad ſanctificationem ſumi. Hîc iubet, *inquit Ieſuita*, Concilium, ut non hæreamus in ſpeciebus panis & vini, quaſi nihil ibi ſit, niſi quod oculi nobis renuncient, ſed fide intelligamus ibi verè eſſe corpus Chriſti, licèt corporalibus oculis non videatur. *Hanc eſſe Concilij mentem ſic probat: Primò*, quoniam Concilium, poſtquam dixerat, non humiliter hærendum eſſe in pane & vino, ſed mentem attollendam; adiungit, fide conſpiciendum Agnum Dei ſitum in ſacra menſa. Debuiſſet autem ſecundum adverſarios dicere, fide conſpiciendùm eſſe Chriſtum in cœlo ad dexteram Patris. Vult igitur Concilium, ut ad ipſam menſam attendamus, ſed in ipſa non tam ſymbola externa, quàm quod ſub ipſis latet conſideremus. *Reſpondeo, verba Concilij, & Ieſuitæ interpretato ſunt contraria. Nam quod Concilium dicit*, Mentem attollendam, *id Bellarminus interpretatur*, ad ſacram menſam attendendum. *Corrumpit ergo ſenſum verum ac genuinum verborum Concilij: quod ex ſequentibus clariùs intelligemus. Cùm enim Canon Nicænus prohibeat, ne in uſu Cœnæ Domini humiliter, ſeu dearſum intenti ſimus ad panem & calicem, quæ ſunt propoſita, ſed ut attollentes mentem (non in menſam, hoc enim non eſt attollere) ſed fide, in altum, ſeu in cœlum, ubi Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, iuxta articulos Fidei, cogitemus quod in hac menſa offeratur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: nihil aliud vult, quàm ſpirituali intelligentia fidei Chriſtum, quaſi Agnum Dei, in ſacrificio oblatum, & non ſub ſpeciebus panis & vini, iuxta Tranſſubſtantiatores, corporaliter præſentem, credi & accipi debere. Aliquin cur non in ſpecies panis & vini intentos nos eſſe iubet, ſi ſub iis corporaliter præſens eſt Chriſtus? Verùm de his longè aliter Orthodoxi Patres ſenſerunt, qui ſurſum & ſupra cœlos cœlorum, ubi cadauer corpus Chriſti propter mortem eſt, ut Aquilas aſcendere & ſubualare nos iubent in Cœnæ uſu, quia videlicet corpus & ſanguis Chriſti,*

Christi, ſurſum, vbi ab Angelis adoratur, accipiatur & deguſtetur: ſicut Paulus ea, quæ ſurſum ſunt, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quærere & ſapere nos, qui cum Chriſto reſurreximus, debere præcipit. Eò enim, qui ſic cum Chriſto in fide & ſpe iam conſurreximus, ad magnam cœli menſam, ad menſam Angelorum, vbi ipſe panis eſt, inuitari dicit Auguſtinus. Et hoc ſenſu verba iſta: Surſum corda: Habemus ad Dominum, *quibus ante communionem ad fidem in Chriſtum ſedentem ad dexteram Patris in cœlo, dirigendam admonebantur, in veteri Eccleſia vſurpata fuiſſe, conſtat ex quodam eiuſdem Auguſtini de Sacramentis ad Baptizatos Sermone, quem, quia in vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus tantùm exſtat, legere poterit qui volet in Orthodoxo Conſenſu fol. 126. b. Huc pertinet inprimis etiam Chryſoſtomi Sermo de Euchariſtia, in quo ad ſuperiora Synodi Niceнæ verba, quibus Surſum mentes attollendas & cogitandum eſſe præcipitur, quòd in hac menſa offeratur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, reſpiciens & quaſi digitum intendens, ſic inquit:* Quid facis homo, ſub horam myſticæ menſæ? Nónne promiſiſti Sacerdoti, qui dixit: Surſum corda: & dixiſti, Habemus ad Dominum: non vereris & erubeſcis, quòd in ipſa hora mendax inueniris? Menſa myſterijs inſtructa eſt, & Agnus Dei pro re immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa reſluit, Seraphim aſtant, ſex alis faciem regentia omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt. *In hâc Chryſoſtomi verbis ideo Surſum corda attolli debere intelligimus, quod quæ in myſtica menſa peraguntur, immolatio videlicet Agni Dei, & ſanguinis Chriſti ex latere ipſius in calice hauſtus, ignisque ſpiritualis, nempe Spiritus ſancti deſcenſus ſuper propoſita, non carnalibus oculis, ſed ſpirituali mentis ſurſum euectæ intelligentia ſint intuenda & conſideranda.*

Pergit Ieſuita, Ac ne fortè, *inquit*, dicant in Altari eſſe corpus Chriſti ſignificatiuè; & Concilium velle, vt non attendamus ad ſymbola, quatenus ſunt res materiales, ſed quatenus Chriſtum repræſentant: addidit Concilium illam particulam SITVM: hoc enim, quòd dicit, Agnum Dei ſitum eſſe in ſacra menſa, manifeſtè declarat, Agnum Dei verè & propriè, ac reipſa eſſe in menſa. *Reſpondeo: Vt longior tollatur diſceptatio, ex altero illo eiuſdem Concilij Niceni Canone de Baptiſmo interpretationem petamus, vbi hæc leguntur*: Aquam videbis, conſidera diuinam vim quæ in aquis latet. *Intelligis, quid hîc de Baptiſmo dicatur. neque tamen aliquis propterea Tranſubſtantiationem imaginabitur. Ergo multò minus illud* προκεῖσθαι, propoſitum *vel* ſitum *corporalem præſentiam declarat. Nemo autem negare poteſt, eandem vtriuſque locutionis eſſe rationem, vt quemadmodum ſacramentali demum præſentia, vis Dei in aqua Baptiſmi latitare, ita etiam Agnus Dei in Sacramento Cœnæ propoſitus eſſe intelligatur. Præterea Bertramus quoque ſacramentaliter dicit corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra menſa apponi. Denique Patres circa & poſt Nicenum Concilium docuerunt, corpus Chriſti non ſolùm in Cœna* προτίθεσθαι proponi *ſeu* apponi, *ſed etiam* προκείμενον, *hoc eſt*, propoſitum videri, *eoque ipſi ſatis perſpicui & optimi huius locutionis ſunt Interpretes. Eodem enim ſenſu in menſa proponi dicunt, quo videri. Cum igitur de corpore Chriſti proprie dici non poſſit, quòd oculis corporeis videatur in Cœna, neque etiam per ſe & abſolutè conſideratum in menſa ſacra* προκείμενον *dici exiſtimandum eſt: ſed vt viſu corporeo percipi intelligitur ſacramentorum, quæ panis eius ſymbolum videtur: ſic & proponi in ſacra menſa, ſimiliter ſacramentorum neceſſario ſequitur. Deinde vt videndi verbum in hac cauſa a Patribus non ad corporis, ſed ad mentis & fidei oculos refertur: ita etiam & τὸ* προκεῖσθαι *accipiendum erit, vt fidei conſpiciendum proponi, & animo ſpiritualiter apprehendendum & fruendum Chriſti corpus offerri declarent. Et hoc ſenſu Nicenus Canon habet*, Attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in illa ſacra menſa Agnum illum Dei, &c. *Nam fides etiam res locorum ſpacijs abſentes, ſibi facit præſentiſſimas.*

Vide expiscationem huius loci, alium Canonem de Baptiſmo eiuſdem Niceni Concilij in Occolampadij Dialogo fol. 144. b: Vide Dialogum 616. fol.

ATHANASIVS.

Locus vnicus quem Bellarminus ex Athanaſio citat, exſtat apud Theodoretum Dial. 2. & ſic habet: Corpus eſt, cui dicit: Sede à dexteris meis; cuius etiam fuit inimicus Diabolus cum malis poteſtatibus, & Iudæi, & Græci, per quod corpus Pontifex, & Apoſtolus fuit, & dictus eſt per id quod nobis tradidit, myſterium, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, & ſanguis Noui Teſtamenti, non Veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas autem, neque corpus habet, neque ſanguinem. In hoc loco, *inquit Bellarminus*, probare vult Athanaſius, Chriſtum verum corpus habuiſſe, & non ſolùm in eo fuiſſe veram Diuinitatem, ſed veram etiam carnem. Id autem probat, quia Chriſto dicitur à Patre, Sede à dextris meis: ſedere autem in certo loco, non Diuinitati, ſed corpori conuenit. Item probat ex eo, quòd Chriſtus vt Pontifex

tifex & Sacerdos corpus ſuum obtulit, & tradidit nobis, cùm ait: Hoc eſt corpus meum Vbi ſi non verum, & propriè dictum corpus intelligeret Athanaſius, hæreticis faueret, quos oppugnabat: illi enim fatebantur Chriſtum habuiſſe corpus quoddam apparens, atque adeò figuram corporis, ſed negabant verum corpus humanum habuiſſe. *Argumentum tale eſt: Athanaſius ex doctrina de Cœna Domini probat, Chriſtum aſſumpſiſſe & adhuc habere verum corpus, ideoque etiam dixit diſcipulis, Hoc eſt corpus meum. Ergo ſenſit carnem Chriſti realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie panis præſentem manducari: aliòquin fauiſſet hæreticis. Nego conſequentiam, vt quæ apertè falſa eſt, & ex diametro pugnat cum perpetua mente & ſententia non ſolùm Athanaſij, ſed primitiuæ etiam Eccleſiæ. Nam qua ratione deduxerint Veteres argumentationes ſuas ex doctrina de ſacra Cœna, ad refellendos hæreticos, qui humanæ naturæ veritatem in Chriſto negârunt, ex manifeſtiſſimis eorum teſtimonijs, ſuprà quoque à nobis citatis, liquidò conſtat. Sic enim Tertull. lib. 4. contra Marcionem ſcribit:* Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus illud ſuum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt. *Sic etiam Chryſoſtomus inquit:* Hæc ſymbola ſunt Domini Ieſu, quibus refrenamus & oppilamus ora hæreticorum. Dicunt enim ſæpius, quomodo paſſus eſt Chriſtus? Et nos viciſſim obijcimus: Si Chriſtus veram carnem non habuit, inania ſunt hæc ſymbola, quia ſcilicet res fictitias nobis REPRÆSENTANT. *Theodoretus Dialog. 2. Orthodoxus:* Dic, myſtica ſymbola, à Sacerdote Deo oblata, quarum rerum ſunt ſymbola? Eraniſtes: Dominici corporis & ſanguinis. Orth. Verine corporis, an non veri? Era. Veri. Orth. Optimè. Oportet enim imaginis eſſe Archetypum. Nam & pictores naturam imitantur, & rerum viſibilium pingunt imagines. Era. Verum eſt. Orthod. Si igitur veri corporis exemplaria ſunt diuina myſteria, corpus Domini nunc quoque corpus eſt, non in Diuinitatis naturam mutatum, ſed diuinæ gratiæ plenum. *Rurſus:* Nequaquam myſtica ſymbola poſt ſanctificationem propriam amittunt naturam. Manent enim in priore ſubſtantia, figura & ſpecie, & cerni & tangi poſſunt, ſicut antea. Intelliguntur autem quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, quaſi eſſent, quæ creduntur & adorantur. Confer igitur Archetypum cum imagine, & videbis ſimilitudinem: Oportet enim etiam typum ſimilem eſſe veritati, &c. *Et ſub finem Dialogorum inquit:* Si caro in naturam Diuinitatis mutata eſt, quam ob cauſam Antitypa corporis & ſanguinis percipimus? Superuacaneus eſt enim typus, ſublata veritate. *Sic igitur argumentati ſunt Patres ex Sacramento Cœnæ: Rei phantaſticæ non poteſt eſſe figura. Nam figura adhibetur, vt rem veram repræſentet. Omnis autem figura inanis eſt & ſuperuacanea, cui nulla ſubeſt veritas. Sed Euchariſtia omnium confeſſione & teſtimonio, eſt figura corporis Chriſti, & quidem non inanis aut ſuperuacanea. Ergo corpus Chriſti non eſt res phantaſtica, vt hæretici ſomniant. Item: Si Chriſtus non aſſumpſit verum corpus ſeu veram carnem, inania erunt Euchariſtica ſymbola, & Cœna Domini erit theatrica, ociosa & ludicra ceremonia. Sed hoc non eſt: Ergo nec illud.*

HILARIVS.

VERBA *Hilarij, quæ citantur à Bellarmino pro Tranſubſtantiationis confirmatione ex eius lib. 8. de Trinit. ſic habent.* Si verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt? *Et infrà:* De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt, &c. *Reſpondeo, Hilarius ad corporis Chriſti veritatem in Euchariſtia probandam & aſſerendam duobus his in primis argumentis vtitur: Primò, ab aſſumptione carnis: Secundò, à Sacramento communionis per hæc enim Chriſtum in nobis naturali carnis ſuæ verè tate & vnitate eſſe & permanere definit his verbis:* Si verè Verbum caro factum eſt, & nos, &c. *Item:* Si verè carnem corporis noſtri aſſumpſit Chriſtus, & nos verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus: Vnum cum eo per hoc erimus. *Et poſt:* De naturali enim Chriſti in nobis veritate ipſe ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus: Quòd autem hæc naturalis cum Chriſto nobis vnitas ſit, ipſe teſtatus eſt, dicens: Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. *Cùm igitur Hilarius ſequutus Eccleſiæ Orthodoxæ de corporis Chriſti, in Euchariſtia veritate, ſed ſub myſterio conſenſum, hæc tradat: inexcuſabilem Ieſuitarum omnium cacitatem non poſſum ſatis admirari, quòd in his Hilarij verbis veritatem corporis Chriſti per Tranſubſtantiationem pugnant. Cùm enim eadem ſit veritas, & verè carnis ratio, quam per incarnationem aſſumpſit Chriſtus, & quam ſub myſterio communionis participamus; conſequens*

De hoc loco vide Vſſini confeſſionem Commonefactionem fol. 444. & ſq. Vide etiã Dangum fol. 617. P. Martyrem in Tract. de Cœna Domini ſuper cap. 11. 1. Cor. fol. 179. Dialogũ Occolampad. fol. 161. b. Veratum de Orig. Miſſæ & Sacram. lib. 9. & 10.

consequens est, quòd sicut per assumptionem probare nec potuit nec voluit Hilarius naturalem eiusmodi corporis veritatem, cuius nulla natura humanæ proprietas, aut communis speciei notio & definitio est (tale enim neque à nobis assumpsum est, neque secundùm hanc corporis rationem factus est Christus per omnia similis & primogenitus ex fratribus suis) ita etiam ei propositum non fuisse à Sacramento communicatæ carnis talem ipsius veritatem probare, per quam nulla nobis cum ea naturalis unitas & coniunctio est. Cùm igitur is per Hilarium institutæ disputationis scopus sit, vt ab hoc Eucharistiæ & Incarnationis mysterio indubitatam carnis Christi veritatem, atque per hanc naturalem nostri cum ea unitatem, qua scilicet permanentem in nobis carnaliter, hoc est, carnis suæ communione Filium Dei habemus, probet & euincat; Rectè itaque ex his sic per contrarium infertur: Quemadmodum insensibilis illa nulla humani corporis notione & proprietate definita caro, non est in mysterio incarnationis assumpta neque etiam naturalis vlla cum eo vnitas & coniunctio est: Ita quoque non esse hanc veram illam carnem, quæ Domini professione & fide nostra, verè sit cibus, quam qui sub mysterio sumpserit naturaliter cum ea vnum efficiatur: de cuius veritate, ab vtroque illo Incarnationis, & sacræ Eucharistiæ mysterijs, nullus sit, Hilario teste, ambigendi locus relictus.

Alioquin si Hilarij verba de inuisibili corporis sub specie panis existentia, eiusque corporali manducatione intelligantur, tota per illud contra Arrium instituta eius corruet, & contra eum retorqueri poterit disputatio. Nam quia à naturali carnis Christi, quam assumpsit, & cuius sub mysterio verè participes efficimur, veritate, eiusque naturali, secundum proprietatem, vnitate, qua non solùm voluntatis consensu, sed etiam perfectæ vnitatis Sacramento, naturaliter vnum cum Christo, & inter nos, vt membra corporis eius, in ipso sumus, probari contra Arrium debet naturalis, & non voluntatis tantùm, inter Patrem & Filium, vnitas, apertissimè huius argumenti ratione monemur, & conuincimur, (quoniam ista inuisibilis existentia corporis sub specie panis, non est naturalis eius veritas, sed, vt Pontificij nugantur, spiritualis & supernaturalis essendi modus, quo Christi corpus peculiari sua prærogatiua, maximo discrimine à nostro discernatur, secundum quem non sumus naturaliter vnum cum Christo, sicut ipsi inter se fideles naturaliter vnum, vt corpus sunt) aut non posse Hilarium per naturalem veritatem, & vnitatem carnis Christi, de eiusmodi existentia corporis sub specie panis sensisse videri: aut omnino non constare argumenti ipsius rationem, sed planè contrarium inde pro Arrio inferri: videlicet quia veritas carnis Christi in Eucharistia, per corporalem ipsius sub specie panis existentiam, non est nostræ carnis proprietate naturalis, neque nos ideo communicatione ipsius naturaliter vnum cum eo sumus: Ergo etiam inter Patrem & Filium non esse naturalem, sed voluntatis tantùm, quod Arrius volebat, vnitatem. Quibus sic rectè consideratis, quid aliud, quàm naturalem istam vnitatem, quam per sacramenta cum corpore Christi habemus reali illa carnis sub specie panis existentia dissolui, atque sic, per quod cum Christo coniungi & consociari debebamus, separari nos, & ab eo seiungi, tristissimo rerum fine, infaustissimoque exitu controuersiæ constat?

CYRILLVS
Hierosolymitanus.

CYrillus Catechesi 4. *myst.* Cùm, *inquit*, Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente: Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? *Respondeo, quum Cyrillus affirmet, Christum panem & vinum corpus & sanguinem suum appellâsse, facilè quiuis intelligit, quæ eius sententia fuerit. Disparata enim de se inuicem non nisi figuratè dici possunt.* Vide Danæum fol. 631.

In eadem Catechesi, Aquam, *inquit*, aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauit? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. *Ad hæc verba exclamat Bellarminus*, Hæc tam sunt perspicua, vt omnino nesciam, quid fingi possit ad eorum peruersionem. *Respondeo*: mutari vinum in Christi sanguinem libenter concedimus, & firmiter credimus: Hæc verò mutatio nullam inferi Transsubstantiationem. Non enim omnis Mutatio est Transsubstantiatio. Mutantur symbola Eucharistica, quod fiunt corporis & sanguinis Christi sacramenta: Nec iis vtendum nunc est vt nudis, vacuis & inanibus, sed vt certis, veris & exhibitiuis, quia cum his ipsis corpus & sanguinem Christi percipimus. Nam hæc mutatione Spiritus sanctificatione continetur, sicut apertè idem Cyrillus scribit in 5. Catech. Quicquid Spiritus sanctus attigerit, Hoc sanctificatum & mutatum est. *Si enim hæc vini mutatio realis esset, qualis illa aquæ fuit, tum hæc non minus quàm illa in sensus incurreret. Neque etiam hanc mutationem illi similè esse Cyrillus affirmat, sed quia aquam verè*

potuit

potuit in vinum convertere, quin vinum poſſit in ſanguinem ſuum, hoc eſt, verum ſanguinis ſacramentum mutare, non eſſe dubitandum.

Quod autem dicit, Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis: *non eò ſit, ut ſubſtantiam panis & vini ex ſacramento excludat, ſolaq; accidentia relinquat: ſed per ſpeciem panis intelligit ipſum panem: Quod etiam apertiſſimè intelligitur ex Auguſtino, qui in epiſtola prima Cor. primo cap.* Quod vidiſtis, *inquit*, panis eſt & calix, quod etiam oculi veſtri renunciant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis. *Et in Sermone ad Neophytos:* Accipite, *inquit*, in pane quod pependit in cruce. *Hac autem phraſi Hilarius & alii Patres utuntur, ut ab externis ſignis oculos avertant fideles, & quæ ex natura ſua ſint non ampliùs intendant, ſed quid figurent ac ſignificent oculos animi & fidei defigere jubeant: & ſic auditores animos ſenſuum judicio avocent. Si verba Cyrilli Græca inſpiciantur res erit planiſſima. Ea ſic habent;* ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, *perverſè igitur interpres τύπον ſpeciem nominavit. Non enim idem eſt* τύπος ἄρτου, *& ſpecies panis: Ideòque nec Tranſſubſtantiatio inde probari poteſt, quod* ἐν τύπῳ ἄρτου *dari corpus Chriſti dicitur.*

Tertiò, ibidem dicit Cyrillus: Ne conſideres tanquam nudum panem, & nudum vinum: Corpus enim eſt & ſanguis Chriſti, ſecundùm ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet: ne ex guſtu rem iudices. *Hîc rurſus exclamat Ieſuita:* Quid clarius dici poteſt? *Reſpondeo: tam abeſt, ut his verbis Cyrillus, nullum in Sacramento reliquum eſſe panem, ſed corpus Chriſti tantùm, docere velit, ut potiùs contrarium apertiſſimè teſtificetur, ut remanere in Sacramento panem manifeſtè profiteatur. Verba enim ejus*, Ne conſideres tanquam nudum panem & nudum vinum, &c. *perinde valent ac ſi dixiſſet: Panis quidem eſt, non tamen nudus panis: ſed præterea etiam aliquid aliud. Ita cùm Pontificiæ culinæ Magiſtri dicunt, Papam non eſſe nudum ſeu purum hominem, dicere nolunt, ut opinor, non eſſe hominem: ſed & hominem eſſe, & præterea excellentioris cujusdam naturæ participem, qua communi hominum ſorte & conditione eximatur. Ex his igitur Cyrilli verbis ſic rectè concluſeris: Euchariſtia non eſt panis nudus: Igitur panis eſt, licèt non nudus.*

Quod autem Cyrillus in hac 4. Catecheſi de corporis & ſanguinis Chriſti Sacramento ſcripſit, id ſimiliter etiam ſimilique phraſis & orationis genere ac modo de Oleo ſacro, de Baptiſmo, aliiſq; nonnullis ceremoniis Catecheſ. 3. ſcripſit. De Oleo ſcribit ſic, & ſimul ſuam de Sacramento ſententiam declarat manifeſtè: Vide, ne illud putes eſſe unguentum tantùm. Quemadmodum enim panis Euchariſtiæ poſt ſanctæ Spiritus invocationem, non ampliùs eſt panis communis, ſed corpus Chriſti: ſic & ſanctum hoc unguentum, non ampliùs eſt unguentum nudum, neque commune, ſed eſt charisma Chriſti. *Hæc verba utrobique eandem mutationem apertiſſimè conſtituunt. Sicut Oleum eſt charisma Chriſti, ita panis eſt corpus Chriſti. Quemadmodum autem ſubſtantia Olei permanet integrà, etſi non ſit nudum & commune oleum: ſic panis remanet ſubſtantia licèt communis & nudus panis non ſit. De aquæ Baptiſmi ſic ſcribit:* Non tanquam aquæ ſimplici ſtudeas huic lavacro: ne aquæ ſimplicitati mentem adhibeas. *Ex hac locorum collatione ſic colligimus: Aqua baptiſmi licèt non ſit communis & nuda aqua, veram tamen aquæ ſubſtantiam retinet: Eòdem modo panis in Euchariſtia, licèt non ſit nudus & prophanus panis, tamen veram panis ſubſtantiam conſervat.*

Vtitur autem Cyrillus his phraſibus, Quis dubitet corpus & ſanguinem Chriſti eſſe? Non erit dignus (*Chriſtus*) cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutavit? Sub ſpecie panis datur tibi corpus. Ne conſideres tanquam nudum panem, & nudum vinum: corpus enim eſt & ſanguis. Panis hîc qui videtur à nobis, non eſt panis; etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, &c. *ut ab externis ſignis oculos avertant fideles, & quæ ex natura ſua ſint non amplius intendant, ſed quid figurent ac ſignificent conſiderent: Et ſic auditores animos à ſenſuum judicio abſtractos, ad illius panis contemplationem convertant, qui mundo vitam æternam acquiſivit. Atque ideo* ſpiritualem eum panem *quoque appellat: & de Chriſti ſanguine Catech. 4. ſic ſcribit:* Bibe vinum in corde tuo, ſpirituale ſcilicet vinum. *Deinde quamobrem Chriſtus Iudæos offendiſſet, exponit veramque craſſitiem illius, quem conceperant, erroris cauſam his verbis declarat:* Iudæi non audientes verba Chriſti ſecundùm ſpiritum, ſcandalizati abjerunt retrò, cò quòd exiſtimarent ſeſe ad humanarum carnium eſum incitari. *Item:* Guſtate, & videte, quòd ſuavis eſt Dominus. Num hoc corporeo palato, ut iſtud dijudicetis, vobis præcipitur? nequaquam: ſed potiùs certa fide.

Ambroſius.

A *Dilla teſtimonia, in quibus Ambroſius docet*, longe excellentiorem eſcâ nobis dari

Vide Danæum fol. 633.

dari in Eucharistia,quàm olim in Manna Iudæi habuerint: item mutari panem & vinum in corpus & sanguinem Christi,& non esse ampliùs panem & vinum , sed corpus & sanguinem , *jam antea à nobis responsum est.*

Secundò , *adducit Bellarminus locum ex cap.4.lib.4.de Sacram.qui sic habet* : Tu fortè dicis, meus panis est usitatus , sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorũ,ubi accesserit consecratio , de pane fit caro Christi. At si panis , *inquit Bellarminus*, tantùm mutaretur sacramentaliter , non desineret esse panis post consecrationem. *Respondeo:Ambrosius non dicit , quòd panis post consecrationem desinat esse panis , ut interpretatur Iesuita, sed de pane fieri carnem Christi ; quia panis mystica benedictione in carnem Christi mutatur , sic tamen,ut illa mutatione nulla substantiæ novitas introducatur.Vnde Chrysostomus:*Gratia divina panem sanctificante, liberatus est quidem *(panis)* à panis appellatione , dignus autem habitus est , corporis Domini appellatione. *Non igitur propter Transsubstantiationem.sed propter mutationẽ sacramentalem panis sanctificatus , vel de pane Christi corpus fit. Hanc fuisse sententiam Ambrosij,ipsemet docet paulo post superiora verba sic inquiens* : Si tanta vis est in sermone Domini Iesu,ut inciperent esse,quæ non erant:quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud convertantur. *Hic Scotus quidem dicit , Ambrosij sensum esse* , quòd maneant , in aliud scilicet mutata, ut si aqua mutata in vinum dicatur manere. *Sed Ambrosius duo distinctè dicit :* Vt sint quæ erant: Et in aliud convertantur. *Ipse igitur sui interpres est , quòd intelligat talem panis & vini post consecrationem mutationem , ut sint quæ ante consecrationem erant , & adiiciatur illis gratia : ut simul etiam ibi adsit corpus & sanguis Christi, quæ fidei & menti exhibentur.*

Vide Danielem Chamierum Delphinatem in Iesuitici Epistolii pag.344.

Tertiò *citat Iesuita locum ex Ambrosij libro de init.myst.cap.9. ubi inter alia sic scribit:* Fortè dicas , Aliud video , quomodo tu mihi asseris , quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, ut probemus.Quantis igitur utimur exemplis, vt probemus. non hoc esse , quod natura formavit , sed quod benedictio consecravit ? maioremque vim esse benedictionis , quàm naturæ , quia benedictione etiam natura ipsa mutatur ? *His deinde subjicit Ambrosius plurima virtutis divinæ exempla , quæ à Mose & reliquis Dei servis in commutanda rerum natura quondam sunt edita.Et sic concludit:*Quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret , quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam Sacramentum istud , quod accipis , Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret , non valebit Christi sermo , ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti : Quia ipse dixit , & facta sunt, ipse mandavit , & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere,quod non erat ? non potest ea , quæ sunt , in id mutare , quod non erant ? non enim minùs est novas rebus dare , quàm mutare naturas. Hic,*inquit, Bellarminus* , tam apertè loquitur de reali mutatione , ut nimia impudentia sit negare. *Respondeo : Nimia impudentia est , verba Ambrosii in alienum & falsum sensum pervertere. Hæc enim omnia verba Ambrosii in genere eò spectant, ut doceat istis exemplis majorem esse in mutandis rerum speciebus, potentiam gratiæ, quàm naturæ , non quòd eadem sit ratio mysticæ hujus & sacramentalis mutationis. Et hoc satis declarant illa verba Ambrosii , cùm ait :* Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere , quod non erat,non potest ea , quæ sunt , in id mutare , quod non erant ? Non enim minùs est dare,quàm mutare novas naturas rebus. *His verbis discrimen inter hanc mysticam mutationem , & exempla, quæ adducit , ostendere voluit , quæ non , ut in istis exemplis , res novis naturis mutatæ sunt , ita quoque substantia naturæ panis & vini mutetur , sed nova illis natura detur. Quoniam autem novas naturas rebus dare , hoc est , id quod jam conditum est,in melius commutare , ipsarum rerum essentiam manere declarat ,nullo modo potest hoc de Transsubstantiatione intelligi. Et sic verborum suorum sententiam ijs , quæ paulò antè ex Ambrosio adducta sunt , ipse paulò apertiùs explicat :* Tu fortè dicis , *inquit* , panis meus usitatus est, sed panis iste panis est , ante verba Sacramentorum , ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi. Hoc igitur adstruamus, quomodo , qui panis est , potest esse corpus Christi ? Consecratione: Consecratio autem fit verbis Domini,ut venerabile sacramentum conficiatur. Vtitur autem non suis , sed Christi verbis Sacerdos : Ergo sermo Christi conficit hoc Sacramentum , quo facta sunt omnia. Vides, quam operatorius sit sermo Christi : Si ergo tanta vis est in sermone Domini , ut inciperent esse , quæ non erant , quantò magis operatorius est , ut sint, quæ erant , & in aliud commutentur ? Ergo ut tibi respondeam: Non erat corpus Christi ante consecrationem , sed post consecrationem iam est corpus Christi, Ipse dixit,& factum est. Tu

ipse

ipſe eras, ſed eras vetus creatura, poſtquam conſecratus es, nova creatura eſſe cœpiſti: Quia omnis in Chriſto nova creatura. *His verbis docet Ambroſius, modum, quo panis eſt, vel de pane fit corpus Chriſti, ſic intelligi debere, ut hac mutationis ratione, panis & vinum non deſinant eſſe per eſſentiam, quod ſunt, & tamen in Euchariſtia per conſecrationem fiant quæ antè non fuerunt. Sic enim ſunt, hoc eſt, eſſe & manere dicuntur, quæ erant, & tamen in aliud commutantur, per gratiam videlicet, ut nimirum ea ſint certa indubitata & exhibitiva ſymbola corporis pro nobis traditi, & ſanguinis Chriſti pro nobis effuſi, adeoque etiam vera juſtitiæ & redemptionis noſtræ pignora. Et quod hic ſit genuinus Ambroſii ſenſus, ſimilitudo, quam adiicit de regeneratione noſtra, planè evincit. Ea enim perſpicuè ſignificat eandem mutationem eſſe in Sacramento, quæ eſt noſtri in Regeneratione: nempe ſacramentalis & ſpiritualis. Vnde idem Ambroſius*, Iſta, *inquit*, eſca, quam accipitis, iſte panis vivus, qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat, & quicunque panem hunc manducaverit, non morietur in æternum, quia corpus eſt Chriſti. *Hæc autem per gratiam accipiendi corporis Chriſti ratio, de quæ Ioannis ſexto capite concionatur, non requirit ullam panis realem in corpus Chriſti mutationem, per quam tranſubſtantiati panis loco corporaliter manducari poſſit: Vnde idem Ambroſius*, Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed qui vitæ æternæ ſubſtantiam fulcit: *ut legitur de Conſec. diſt. 2. c. Non iſte.*

Sed inquiunt, Ambroſius apertè dicit, Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. *Reſpondeo: Vbi ex Ambroſio, aut alijs Patribus didicerunt, Sacramentum conficere, idem eſſe, quod ſublata panis ſubſtantia, in locum, & ſub accidentibus ipſius, inviſibile Chriſti corpus ſubſtituere? Sanè hic conficiendi Sacramenti modus, non tam ipſius panis, quàm etiam corporis Chriſti, in ſpiritum & ſpectrum futura eſſet tranſubſtantiatio. Ambroſius autem Sacramenta non vocat accidentia panis & vini, ſed dicit eſſe corporalia ſigna, quæ ſicut corporalibus oculis, ita res ſacramentorum ſignatæ, cordis oculis videntur & intelliguntur.*

Amplius ex verbis Ambroſii inſtant Ieſuitæ: Ineptam uidelicet fore comparationem, ſi majorem verbis Chriſti in mutandis ſpeciebus elementorum poteſtatem tribuat Ambroſius, neque tamen mutatio ſubſtantialis iſtorum conſequatur, quam in naturis rerum à Prophetis permutatis eſt animadverſa. *Reſpondeo: Tantam Sacramentorum amplitudinem, majeſtatem, præſtantiam, ac dignitatem eſſe, ut quam omnipotentiam Deo in rebus ex nihilo producendis, vel naturis miniſterio Prophetarum immutandis admiramur, non minorem in ſanctificandis rebus creatis reputemus, quando nimirum res terrenæ & exiles ſunt certiſſima pignora corporis & ſanguinis Filij Dei, noſtræque juſtitiæ & redemptionis: Neque enim ab humano arbitrio dependet hoc, ſed divina virtus in hoc opere admirando, & ſupra humanæ rationis captum poſito, apertiſſimè ſe exerit.*

Hanc eſſe Ambroſii ſententiam de mutatione panis & vini in Euchariſtia, ex his etiam verbis intelligimus, quibus dicit, Sermone Chriſti ſpecies elementorum mutari. *Quòd ſi præciſè Ambroſii verba urgeamus, ſicut Bellarminus facit, non ſolam ſubſtantiam panis & vini, ſed & ipſas ſpecies elementorum in corpus & ſanguinem Chriſti permutari fatendum erit. Cùm igitur ab Ambroſio, aliisque Patribus ſine ullo diſcrimine tam ſpecies panis & vini, quàm ipſe panis & vinum permutari dicantur, quis adeò ſtupidus eſt, ut non intelligat, eo ipſo Tranſubſtantiationis figmentum validiſſimè expugnari, quo rerum ſubſtantiæ ita aboleri dicuntur, ut ſolis earum ſpeciebus vel accidentibus ſine omni ſubjecto locus in Euchariſtia relinquatur.*

Gregorius Nyſſenus.

Baſilii M. locus hic eſt omiſſus: de eo vide Dauæum fol. 639. vide etiã Poſſeuin. p. 704. Vide Dauæum fol. 642. & Poſſ. p. 705.

GRegorius Nyſſenus, *inquit Bellarminus*, in libro de vita Moſis, ubi de Manna Iudæorum diſputat, & eum cibum cum Euchariſtia confert, ſic loquitur de Euchariſtia: Panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque ullo humano opere nobis paratus. Is deſuper defluens invenitur in terris. Panis enim, qui de cœlo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmaticè hanc hiſtoria ſignificatur, non incorporea quædam res eſt: quo enim pacto res corporea corpori cibus fiet? Res autem, quæ incorporea non eſt, corpus omnino eſt. Hîc duo habemus, *inquit Ieſuita*, quæ excludunt omnes, quæ fingi poſſunt ab Adverſariis, expoſitiones. Nam primò Gregorius dicit, Panem Euchariſtiæ ſine ſemine, ſine aratione, ſine opere humano fieri: quod certè non convenit pani triticeo: loquitur igitur de vero corpore Chriſti, cui illa omnia conveniunt. Secundò dicit, eundem panem corpore manducari: non ergo loquitur de corpore Domini, ut eſt in cœlo, & ſola fide ſumitur, ſed de vero corpore, ut eſt in Euchariſtia. *Reſpondeo primò, Gregorius Nyſſenus hic eſt quidem perantiquus author, ſed nuper admodum editus, idq;*

non sine multiplici depravationum varietate. Cujus rei testis est vel hic ipse locus à Bellarmino productus: Nam is ab Hardingo contra Iuellum paulò aliter citatur, ad hunc modum: Panis qui de cœlo descendit non incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea cibus corpori fiet? Res verò, quæ incorporea non est, corpus omnino est. Hujus corporis panè non aratio, non satio, nó agricolarum opus efficit, sed terra intacta permansit: & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium Virginis perdocti, facilè saturantur. *Secundò respondeo, Nyssenum nullum hic neque de naturali Christi in nobis habitudine, neque de Sacramento verbum facere. Propositum illi fuit de Christi tantùm nativitate, deque eo corpore, quod à beata Virgine accepit, scribere: quod quidem non adumbratum modo, atque imaginarium, sed naturale & carnale, & verum fuit.*

Idem Gregorius in Oratione Catechetica cap. 37. postquam hominis renati structuram ex corpore & anima coagmentatam esse, atque utroque illo salvandos, aditum ad vitam apprehendere necessariò oportere docuit: Animam per fidem vitæ unitam vitæ communionem habere: corpus autem alio quoque modo in conjunctionem seu consociationem cum Servatore transire subiungit, ejusque hanc declarationem addit: Quemadmodum, *inquit*, qui per insidias venenum hauserunt, alio medicamento vim illius mortiferam restinguunt: (oportet autem sicut venenum, sic quoque remedium, hominis viscera penetrare, ut per illa in totum corpus virtus medicatrix diffundatur,) Ita nos quoque, qui venenum, quo natura nostra infecta & corrupta est, degustavimus, vicissim necessariò indigemus remedio, quod corruptioni huic seu infectioni medeatur, intraque nos absumptum, damnum illud, quod corpori prius venenum intulit contraria operatione sua depellat. At quale hoc potest esse remedium? Nullum certè, nisi corpus illud quod morte potentius esse declaratum est, & vitam nobis restituit atque reparavit. Nam sicut Apostolus ait: Modicum fermentum totam sibi massam confimilem reddit: Sic & illud corpus, quod à Deo immortale factum est, in nostrum corpus ingressum, totum hoc in se transmutat atque alterat. Nam ut venenum letiferum salutari medicinæ commixtum, totam mixturam corrumpit: ita immortale corpus eum, qui illud percipit, in suam naturam omnino transmutat. Non potest autem aliter quicquam in corpus nostrum pervenire nisi per cibum & potum visceribus inseratur. Necesse itaque est, ut natura nostra, quoad ejus fieri potest, vivificam virtutem illam intra corpus admittat. *Hæc omnia Nyssenus de iis, quos anima per fidem vitæ unitos, etiam quo modo corpore in consociationem cum Christo, & in instituto modo, per mysteria conjungantur, ostendere voluit: quæ si de substantiali symbolorum panis & vini in assumptum corpus & sanguinem Christi facta mutatione sensisset, ut Bellarminus vult, prorsus Capernaitica esset, sed res longè se aliter habet. Nam primò voluit docere, corpus Christi verum & salutare illud antidotum esse, quo nostrum corpus à corruptione corrupta ad vitam reformatur. Deinde, sicut remedium, ut veneno resistat, intra corpus assumi oportet: sic quoque immortale illud corpus intra nos recipi nostroque corpori conjungi oportere. Huc duplex illa pertinet similitudo de fermento & veneno, salutari medicinæ admixto. Quod autem hoc corpus Christi, & salutare illud antidotum cujus immortalitate ad vitam à corruptione reparamur intra nos assumi, & per cibum & potum in viscera nostra penetrare dixit Nyssenus, mystico sensu, & non de Capernaitico seu reali esu, quo corporis Christi substantia, sicut venenum, quod hausturn est, visceribus nostris inferatur, intelligi voluit. Hæc igitur ejus sententia est, immortale ejus corpus in corpus nostrum ingredi, & intra viscera nostra recipi, quia panis Eucharisticus, qui propter infusam Divinitatis gratiam, in corpus Christi transmutatur, intra nos assumitur, & substantiæ nostræ permiscetur. Atque hoc est, quod ait,* Necesse esse ut natura nostra, quoad eius fieri potest, vivificam illam virtutem intra corpus admittat. *Est enim panis Eucharistiæ per divinæ ordinationis assistentiam, in usu instituto, instar vivificæ virtutis illius immortalis corporis, cuius nos participes facit, ejusque immortalitatis & donorum consortes.*

Hanc esse Nysseni sententiam de corpore Christi, pro antidoto contra corruptionis venenum, intra viscera nostra assumpto, ex sequenti quæstione apertissimè, quam movet, ad eorum, quæ modo dixit explicationem: Quoniam videlicet nullum aliud, nisi illud immortale fectum Christi corpus, tale remedium præstare queat, illud autè unum sit, quomodo possit multis millibus sufficere? Quandoquidem, *ait*, nullum præterea, nisi illud à Deo assumptum corpus, hanc gratiam susceperit, & corpus nostrum aliter immortalitatem consequi non potest: nisi cum immortali corpore in incorruptionis participatione conjungatur: considerandum est, quomodo fieri possit, ut unum illud corpus tot fidelium millibus, per totum terrarum orbem perpetuò distributum, totum inter singulos dividatur, ipsum verò per se maneat integrum? Ut igitur quomodo verisimile hoc

fit,

sit, fides nostra intelligens nihil de ista quæstione dubitet, alciùs aliquantò & longiùs sermonem exordiri & producere oportet ad contemplandam naturam corporis nostri. *Post hæc docet Nyssenus*, hanc esse naturam corporis nostri, quòd non ex sese & in propria sua subsistentia vitam habeat, sed ex aliunde sibi per nutrimentum affluente virtute sese sustentet. Hominis, *inquit*, nutrimentum præcipuum panis est, & ad humidi naturalis perpetuitatem & conservationem potus, non mera aqua, sed etiam vino suaviter temperata, ad juvandum illum nobis insitum calorem. Iam ad ista qui respicit, seu hæc intuetur, is, inquam, potentia respicit ad corporis nostri molem: intra nos enim illa ingressa, sanguis & corpus fiunt, nutrimento per potentiam alterativam in corporis speciem convenienter immutato. *Quod si in hujus quæstionis explicatione idem sensisset Nyssenus, quod hodie Pontificij, nempe propter Divinitatis omnipotentiam, cui corpus unitum est, miraculosa ratione hoc pluribus in locis simul præsens esse posse: nihil prorsus ad rem pertinuisset, quod à nutrimento, quod corpus hominis ingressum, in ejusdem corporis speciem immutatur, unumque cum eo corpus fit, quæstionis explicationem desumpsit. Aut cur non potiùs ad eandem omnipotentiæ & miraculi rationem confugit? Certè sicut ista à nutrimento corporis humani sumpta explicationis ratio, ab usitato illo ad omnipotentiam Dei refugio quàm longissimè distat: ita dubitari non potest, hanc à Nysseno non fuisse eo propositæ quæstionis fine adductam, ut hac ostenderet & confirmaret, quomodo ipsa veri corporis Christi substantia tot millibus fidelium, miraculosa illa plurium locorum præsentia distribui posset. Vide plura de hoc in Orthodoxo consensu fol. 76. b.*

Optimi Ephremi testimonium hic locum habet quod omissum, de quo vide Danæum fol. 644. Vide Danæum fol. 645.

Gregorius Nazianzenus.

Hic Pater, *inquit Bellarminus*, in Orat. de obitu Gorgoniæ sororis suæ scribit: Ad altare (*Gorgonia*) cum fide procumbit, cumque, qui super illud colitur, magno cum clamore obtestans, &c. Quid autem, *ait Iesuita*, super altare colatur, dubium esse non potest, cùm nihil ibi ponatur à Christianis, nisi panis & vinum, mutanda in corpus & sanguinem Christi. Petrum Martyrem, *inquit Iesuita*, valde uffit, pupugitque hic locus, *&c. Scilicet. Dominum, ait Nazianzenus, qui super altare colitur maximo clamore obsecravit. Quis autem in altari Dominum coli negat, aut eum qui in altari colitur, Dominum à fideli populo precibus invocandum esse non intelligit? Non autem sequitur, Christus in altari colitur & invocatur: Ergo panis in altari positus in Christi corpus transubstantiatur. Vide suprà hoc de loco plura cap. 8. ubi agitur de Adoratione Eucharistiæ.*

Epiphanius.

Ephremi testimonium hic forte omissum, de quibus Vide Danæum fol. 646. & Plessium p. 707. Vide Danæum fol 647. & Pless. 708.

Locus, *qui ex Epiphanii Ancorato à Bellarmino citatur, sic habet*: Videmus quod accepit Salvator in manus suas, veluti Evangelista habet, quòd surrexit à Cœna, & accepit hæc, & cùm gratias egisset, dixit, Hoc meum est, Hoc & Hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile: non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum: hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad potentiam. *Et* voluit per gratiam dicere: Hoc meum est, Hoc & Hoc: & nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit esse ipsum verum, excidit à gratia & salute. *Respondeo: Quærit in hoc loco Epiphanius, quod etiam Bellarminus fatetur, quemadmodum homo ad Dei imaginem conditus sit, cùm non habeat, quæ divinæ naturæ conveniunt. Respondet, habere hominem quasdam Dei proprietates per gratiam, quibus Deum repræsentet: & hoc Eucharistia Sacramento illustrat, quæ quanquam nihil habeat corpori Christi simile, eam tamen Christus per gratiam corpus suum appellavit. Et credendum verissimum esse quod Christus dixit. Quemadmodum autem homo non est in ipsum Deum conversus, etiamsi Dei imaginem refert: sic panis & vinum, quibus caro & sanguis Christi significatur, nulla transubstantiatione in ipsum Christum convertuntur. Cùm enim hoc ipsum, quod Christus suum corpus esse dixit, Epiphanius rotundæ formæ & insensibile appellet, Christus autem nec rotundæ figuræ sit, nec sensu careat: satis claret, nihil minus Epiphanium sensisse, quàm ista symbola in ipsum Christi corpus & sanguinem transsubstantiari.*

Gazetij testimonium hic omissum de eo vide Danæum fol. 648. & Plessium p. 705. Vide Danæum fol. 649. & Occolamp. Dialogis fol. 146. Vide etiã Plessium p. 708. & seq.

Chrysostomus.

Primum *testimonium, quod ad probandam Transubstantiationem ex Chrysostomo adducit Bellarminus, homil. 60. ad populum Antioch. & homil. 83. in Matth. exstat*: Credamus, *inquit*, ubique Deo, nec repugnemus sei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit. Superet & sensum & rationem nostram sermo, quæso, ipsius, quod in omnibus rebus, sed præcipuè in mysteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed

verba quoque ejus tenentes : nam verbis illius defraudari non possumus, sensus verò nostet deceptu facillimus est, nulla dubitatione teneamur, sed credamus. *Sic Bellarminus verba Chrysostomi citat : & ad ea sic exclamat :* Sanè non potuisset Chrysostomus clariùs loqui, si Calvinistam aliquem ante se habuisset, quem ad fidem hortari voluisset. *Responde : Imò clariùs contra transubstantiatores loqui non potuisset, si verba ejus bona fide, non truncatè, quod Iesuita facit, in medium afferantur. Sic enim pergit Chrysostomus :* Et intellectus oculis intueamur. Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. *Vel, ut alia habet translatio :* Nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus omnia quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam rem sensibilem donum confertur, intelligibile verò, quod perficitur, regeneratio & renovatio. *Quod si secundum Chrysostomum corpus Christi solo intellectus oculo in Sacramento cernitur : non utique sanctissimus Pater sensit, panem & vinum, quæ corporeis oculis videntur, ipsum Christi corpus realiter existere, aut in id substantialiter permutari. Hinc ergo perspicitur apertissimè, qualem præsentiam corporis Christi in Sacramento ipse statuerit, & nos hodie statuere debeamus : non eam videlicet quam sensus nostri requirunt, sed quam solus fidei intellectus, prout caro Christi in crucem pro nobis est tradita percipit. Et quia expresse in his verbis non solum quæ ante nos jacent, aspicere prohibet, & à rebus sensibilibus, ad insensibiles & intelligibiles nos avocet, integram sanè elementorum substantiam restare profitetur. Nam si abolita panis & vini substantia ipsum Christi corpus extraneis accidentibus, sicut Iesuita fingunt, vestitum in altari iaceret, non certè ab aspectu ejus nos Chrysostomus arceret. Sed diligenter hoc solum, quod jacet, tanquam reale & verum Christi corpus spectandum proponeret. Huc pertinet inprimis Baptismi & Eucharistiæ collatio. Quemadmodum enim Baptismi aqua, juxta Chrysostomum, sine ulla sui substantiali permutatione, tamen, regenerationis & renovationis, qui ea abluuntur, participes efficit : sic etiam in altero sacramento, Eucharistia videlicet, sine substantiali mutatione panis, veri sanguinis & corporis Christi omnes fideles participes fiunt. Similiter omnes Patres magno consensu, non aliam in Eucharistia mutationem agnoverunt, quàm in Baptismo : ut res quidem sensibiles utrobique manere integras dicerent, ipsas autem res insensibiles ac intelligibiles in eis offerri prædicarent. Vide de toto hoc Chrysostomi loco Henricum Boxhorn in sua Harmonia doctissima fol. 90. & sequentibus.*

Vide etiam Occlamp. Dialogum fol. 160.

Ad secundum testimonium ; in quo Chrysostomus dicit, Christum videri, tangi, comedi, *&c. supra responsum est Classe 3. testimoniorum quæ Bellarminus ex Patribus citat. Quibus hæc addo : Christum videri, &c. in Eucharistia si prater mentem & sententiam Chrysostomi sola verba spectentur, falsissimum est, ipsis quoque Iesuitis iudicibus. Nam Scarga Iesuit. contra Volanum, ita corpus Christi videri & frangi docuit, ut figuratè & metonymicè corpori Christi tribui, quod solis speciebus competit, fuerit professus. Sed ut istud pernego Scarga, & mutata sua sententia, cum Bellarmino dicat, Christum ipsum videri, sed in specie aliena, non in sua, ipse tamen Chrysostomus mentem suam declarat, & quomodo ejus sint verba, ut plurimùm figurata & hyperbolica accipienda, clarissimè demonstrat. Nam cùm homil. 60. ad populum Antioch. dicat, ut modò indicavimus, nihil sensibile traditum nobis esse à Christo, sed rebus sensibilibus omnia insensibilia tradita esse, sanè velinde apertissimè intelligimus, non ita præsentem in altari statui Christum, ut quod oculi vident, id non esse panem, sed revera Christum perversè aliquis cum Iesuitis existimet. Non enim ideo videri panem & vinum toties in scriptis suis negat, ut non amplius restare panem & vinum credamus, sed ut divina mysteria & rerum cœlestium sacramenta illa esse scientes, sensus omnes nostros à rebus visibilibus avocemus, atque ut in ipsum corpus Christi & sanguinem oculos fidei & intellectus conjiciamus.*

Quod sub eodem testimonio Chrysostomi verba Iesuita citat, quibus dicit, Nullum unquam pastorem pavisse oves carne & sanguine suo, ut Christus facit, & multas matres dedisse filios aliis nutriendos : at Christum carne sua nos alere : *quibus Iesuita addit :* hæc comparationes omnino frigebunt, si tantùm in symbolo carne sua nos nutrit. *Respondeo*, Frigebunt sanè, *si tantùm imaginarium cibum credamus Christum in Cœna nobis exhibere, quod subinde Iesuita in hac disputatione nobis affingit.*

Cita ibidem alium locum ex homil. 24. in 1. *Corinth. ubi Chrysostomus dicit*, Magos hoc ipsum corpus adorasse in præsepi : nos autem aliquid ampliùs habere, quàm Magi habuerint; nam illi habuerunt in præsepi, nos in altari : illi in ulnis mulieris, nos in manibus Sacerdotis. At, *inquit Iesuita*, si tantùm in signo Christum habemus, non modò non simus Magis superiores, sed tantò inferiores, quantò inferior est imago Christi ipso vero Christo. *Respondeo : Conferuntur hic à Chrysostomo duæ præsentiæ, sed*


image
not
available

expoſitum, & in terra ſine altari collocatum, ore ſolo carnali percipieremus. Aliter autem caro Chriſti eſt in Sacramento, aliter in cælo, vt non vtrobique eadem localis præſentia ſit ſtatuenda. In Euchariſtia ſacramentaliter eſt & verè tamen, propter efficacem vim fidei, quâ apprehenditur in Cœna ſua, præſens. Hoc ergo modo Chriſtus in cælum aſcendens, ſicut loquitur Chryſoſtomus, carnem ſuam nobis reliquit, vt, quoad veram eius ſubſtantiam, & localem præſentiam, non alibi tamen niſi in cælo conſiſtat. Quod autem de Helia adducit ex Chryſoſtomo teſtimonium, vel hoc vnum docere eum poterat, non aliquam carnalem præſentiam corporis Chriſti in Sacramento eſſe ſtatuendam, ſed eam tantùm quam diuina Chriſti virtus & potentia efficit, vt quamuis corpore ſuo abſens & in cælo exiſtens, verè tamen præſentem fidei ſpirituique ſe noſtro participandum offerat. Nam quod de Chriſto dicitur, illum ita aſcendiſſe in cælum, vt tamen carnem ſuam nobis relinqueret, idem & Heliæ à Chryſoſtomo tribuitur, vt duplicem nimirum & ſurſum & deorſum illum fuiſſe Heliam dicat. Ac ſurſum quidem illum fuiſſe nemo dubitat, in quantum ſcilicet in corpore ſuo in cælum raptus fuerat, deorſum autem, non aliqua corporali præſentia, ſed ſpiritu atque virtute, quæ in eius Melote euidentiſſimè demonſtrabantur. Ex qua quidem pulcherrima & aptiſſima comparatione intelligitur, quo ſenſu dicatur Chriſtus carnem ſuam in cælum ſuſtuliſſe, & eam tamen in terra reliquiſſe, vt nimirum propter virtutis ſuæ potentem efficaciam, qua ſe nobis communicat carneque ſua in vitam æternam & immortalem nos in cælum per fidem ad ſe transferens vegetat, corpore ſe ſuo præſentem verè nobis exhibere credatur. Reſpondet Bellarm. Chryſoſtomum Chriſti carnem cum Helia non conferre, ſed tantùm cum eius Melote. *Reſpondeo: Cum Helia propriè confert, nempe carnem Chriſti in cœlos ſublatam, cum carne Heliæ eodem raptam, & carnem Chriſti in terris relictam, cum Heliæ Melote. Quemadmodum autem Melote Heliæ ſymbolum fuit ſpiritus & virtutis Heliæ in terris, ſic etiam panis ille myſticus certiſſimum ſignum & pignus eſt carnis Chriſti in Eccleſia.*

Ibidem citat alium locum Ieſuita ex Chryſoſtomo, qui legitur hom. 24. in 1. Cor. in fine ad hunc modum: Dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium. Aſcende igitur ad cœli portas, & diligenter attende, imò non cœli, ſed cœli cœlorum, & tunc quod dicimus intueberis. Etenim quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terra oſtendam: nam quemadmodum in Regijs non parietes, non tectum aureum, ſed regium corpus in throno ſedens, omnium præſtantiſſimum eſt: ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur: neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, ſed ipſum horum omnium Dominum tibi oſtendo. *Reſpondeo: Quod Chryſoſt. dicit myſterium Cœnæ facere, vt nobis terra ſit cœlum, id de tranſubſtantiatione aut corporali præſentia Chriſti in Cœna perperam à Ieſuita intelligi. Quam ob cauſam enim aliàs ad cœlum conſcendere iuberet nos Chryſoſt. vt Chriſtum apprehendamus: cùm dicit:* Aſcende ad cœli portas, & diligenter attende, imò non cœli ſed cœli cœlorum, & tunc quod dicimus intueberis. *Item:* Aquilæ facti in hac vita, ad ipſum cœlum, ſeu potiùs ſupra cœlum ſubuolemus, vbi cadauer, corpus Domini: ad alta enim oportet contendere eum, qui ad hoc corpus accedit, & nihil eſt in terra eſſe commune, *&c. Quorſum, inquam hæc diceret, ſi Chriſti corpus iuxta nos ſubſtantialiter in terra adeſſet, atque etiam manu & ore proprio percipereturꝰ Dum in hac vita ſumus, inquit, facit hoc myſterium, vt terra nobis cœlum ſit. Hoc explicans,* Aſcende igitur, *ait,* ad cœli portas, *&c. Intelligis igitur Lector, quo ſenſu Chryſoſt. dicat, myſterium Cœnæ facere, vt nobis terra ſit cœlum, in quo habeamus corpus Chriſti, nempe quatenus Chriſtum in viſibilibus ſymbolis Euchariſtiæ quaſi ob oculos propoſitum interiore mentis intuitu contemplamur, animo aſpicimus, fide contingimus, hoc eſt, quatenus externis ſignis fidem noſtram excitantibus & confirmantibus veluti ſcalis vtimur, quibus in cœlum uſque conſcendimus, & Chriſtum ibi ſuo corpore præſentem apprehendimus, non minùs verè, quàm ſi corporaliter manibus & ore eum complecteremur. Intelligis quoque Chryſoſtomum iuxta hanc explicationem, non decepiſſe auditores, vt Bellarminus nugatur: & quò minùs videretur hoc facere, cùm de Euchariſtia ſic loquitur, ſæpe hanc admonitionem adiecit,* Qui myſteriis initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur. *Item:* Qui myſteriorum eſtis participes, ſcitis quid dicatur.

Quæ deinde quinto loco profert longo ordine teſtimonia ex Chryſoſt. in quibus, vt vult Ieſuita, docet, Chriſtum in Euchariſtia non modò ab hominibus, ſed etiam ab Angelis adorari, *ad ea c. 8. De adoratione Euchariſtiæ reſpondimus.*

Vltimum teſtimonium, quod citat Bellarm. eſt in his locis, vbi dicit Chryſoſt. In Euchariſtia eſſe veritatem ſanguinis, *Sic enim hom. ad Neophytos:* Nunc ſi viderit inimicus non poſtibus impoſitum ſanguinem typi, ſed fidelium ore lucentem ſanguinem veritatis, multò

multò magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quantò magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? *Respondeo: Sicut corpus & sanguis Christi dupliciter intelliguntur & considerantur: sic etiam duplex eorum est veritas, nempe naturalis sine propriè dicta & sacramentalis, sine in mysterio considerata. Nam & typis seu signis & signis, præsertim diuinitus institutis, sua est veritas: Neque figuratas locutiones, vt falsas, repudiare quisquam potest, quin à Spiritu S. redarguatur. Ita etiam Isa. Propheta*, Verè fœnum, *ait*, populus iste. *Et Christus*, Caro mea verè est cibus. *Item*, Ego sum vera vitis. *Vbi transubstantiationem nemo sanus finget. Ex his autem Aug. verbis clarissimè apparet, vtrum sub figura, an sub veritate hoc Sacramentum fiat*: Veritas, *ait*, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: alioquin quomodo magnum erit: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita, nisi vera sit caro. Sed quia Christum fas vorari dentibus non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & sanguinem suum, consecratione Spiritus S. potentialiter creari, & quotidie pro mundi vita mysticè immolari, vt sicut per Spiritum S. de Virgine vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis & vini mysticè idem corpus Christi consecretur. Corpus Christi & veritas & figura est: Veritas, dum corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus S. in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur. (*Non dicit veritatem illam consistere in conuersione, vel mutatione substantiali panis in corpus Christi.*) Figura verò est, id quod exteriùs sentitur. *Sacramentalem hanc veritatem & præsentia modum, credimus nos & constanter propugnamus: crassam autem illam & monstrosam veritatem corporis in Eucharistia per transubstantiationem meritò repudiamus.*

Bellarminus dicit, ad hoc nihil omnino posse responderi, quòd sanguinis veritatem Chrysostomus ponat, non solùm in animo, sed etiam in ore fidelium. *Respondeo hyperbolicam & figuratam hanc esse locutionem: cuius generis multa apud Chrysost. occurrunt: nempe*, Lingua cruentatur hoc admirabili sanguine. *Item* Cùm videris omnes illo precioso sanguine cruentatos, num te cum hominibus in terra versari existimas? *Item*, Turbam circumfusam precioso illo sanguine intingi & rubefieri. *Et qua Iesuita citat reliqua col. 627. I.B.C.D. Quis tam insulsus, vel potius insanus est, qui non multiplicem in istis verbis troporum varietatem agnoscat? sed quanto quodque est absurdius, tanto ad transubstantiationem aptius.*

Hieronymus.

TEstimonium quod citat Bellarminus ex Hieronymi epistola ad Hedibiam, sic habet: Nos, *inquit*, audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Saluatoris. *Et infrà*: Nec Moses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus ipse conuiua; & conuiuium; ipse comedens, & qui comeditur. *Respondeo: Panem quem fregit Christus, deditque discipulis, esse corpus Christi, vnà cum Hieronymo fatemur, & credimus. Sed quis tum locutionem figuratam non hìc agnoscat, quum disparatum de disparato prædicetur? Scotus autem alijque Pontificij, hanc propositionem Hieronymi*, Panis est corpus Christi, *vel*, Panis fit corpus Christi, *non probant, sed eam diserìè falsam esse dicunt. Quod ad alterum locum pertinet Hieronymi*, Comedi Christum in Eucharistia, *sine omni dubitatione concedimus: de modo autem, quo comedendus sit, quærimus. Sed Iesuita hoc potissimùm in istis Hieronymi verbis vrget, quòd dicit*, Mosem non dedisse verum panem, *hoc est, corpus Christi, &c. Respondeo. Si Bellarminus ex his verbis colligere velit Veteris Testamenti sacramenta inania fuisse, nec id exhibuisse quod sacramenta Noui Testamenti, in ipsum Deum manifestè blasphemus est, atque etiam clarissimis ipsorum Patrum testimonijs ac sententijs refellitur. Quòd autem Hieronymus hìc dicit*, Mosem nobis non dedisse verum panem, *nempe corpus Christi, aliique Patres sacramenta Veteris & Noui Testamenti tanquam vmbram cum corpore conferunt, quo illud sensu ab illis fiat, obscurum non est. Quando enim Veterum sacramenta cum nostris conferunt, sæpe in illis duntaxat rem externam considerant, nec symbola cum symbolis, sed illorum symbola cum reipsa, quam nos in nostris significatam habemus, & fide percipimus, conferunt: symbola videlicet à re significata separantes, ex sensu & hypothesi multorum qui illis temporibus quid sibi externa illa symbola vellent, ignorabant, carnaliter tantum ea considerantes. Docet hoc Augustinus apertissimè in Psal. 39.* Antiqui, *ait*, quando adhuc sacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrant figuras figuratæ rei, multi scientes, sed plures ignorantes. *Et de Vtilitat. Pœnit. capite primo inquit:* Patres vestri manducârunt manna in eremo, & mortui sunt: non enim intellexerunt quod manducârunt. Itaque non intelligentes, cibum non nisi corpo-

Vide Oecolampadij Dialogum fol. 14. & Pfff 7.

corporalem acceperunt. *Rursus*: Eundem cibum & eundem potum, sed intelligentibus & credentibus: non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua. *Similiter quoque Christus Ioan. 6. ex sensu & hypothesi auditorum, Manna facit & corruptibilem & ventris cibum, eundem verò animæ cibo opponit, cùm tamen Paulus dicat*, omnes eandem escam spiritualem manducâsse. *Sic idem Apostolus* circumcisionem *dicit esse* maledictionis symbolum & legem inutilem, *ex hypothesi pseudofidelium, qui nudo tantùm signo, & aliis externis exercitijs gloriabantur. Eodem modo illud Christi intelligitur:* Caro non prodest quicquam *: hic enim Christus simpliciter loquitur ex sensu auditorum, qui nil nisi carnem, à Spiritu vivifico separatam, in ipso considerabant, cùm pro nudo & simplici homine eum haberent. Et hoc sensu Hieronymus quoque hic dicit*, Mosem non verum panem (*Manna intelligens*) nobis dedisse.

Vide Pisc. fol. 9. 711.

Alter locus qui à Bellarmino citatur, exstat in Commentar. Matth. capite vigesimosexto, vbi sic legitur: Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech, summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat: ipse quoque veritatem sui corporis, & sanguinis repræsentaret. *Quid ad hunc locum respondendum sit Iesuitæ eiusque interpretationi, vide supra fol. 62.*

Augustinus.

Vide Pisc. fol. 12.

QVid hic Pater de sacra Domini Cœna, eiusque in eadem præsentia docuerit, supra lib. 2. prolixè à nobis demonstratum est. Ex eo tamen Bellarminus quadam loca arripit ad transubstantiationis, & realis corporis Christi in Cœna probationem. Inter alia producit locum ex libro eius 3. de Trinitat. cap. 4. qui sic habet. Nec linguam quippe, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi, & sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. *Respondeo*: *Ex his Augustini verbis nihil aliud colligi potest, nisi, quod cùm in diuersis signis potuerit Apostolus significare Dominum nostrum Iesum Christum, non alia tamen signa corporis Christi nomine censeantur, nisi quæ in hunc finem à Domino sunt instituta, vt essent sacramenta corporis & sanguinis eius. Quia ergo in genere signorum ab Augustino ponitur Eucharistia, & quia, quod ex fructibus terræ accipitur, id Sacramentum vocatur, panem ideo & vinum integra manere oportet, vt corpus & sanguinem Christi nobis significent, non imaginarie & phantastice, vt Iesuita calumniatur perpetuò, sed verè, exhibitiuè & efficaciter. Nam ex terra accidentia non generantur, sed materiam panis & vini terra producit, quæ per manus hominum ad visibilem deinde productam formam, operante Spiritu sancto sanctificantur, vt sit tam magnum Sacramentum. Sic enim subiungit superioribus verbis Augustinus*: Quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum mysterium, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. At, *inquit Iesuita*, illa operatio Spiritus sancti necessaria non esset, si tantùm significatiuè esset Eucharistia corpus Domini. *Respondeo: Loquitur hæc Iesuita ex falso præsupposito. Nos enim credimus, sentimus, docemus ac profitemur coram toto mundo, non nudam neque vacuam significationem corporis Christi in Eucharistia nobis proponi, sed verè ac reipsa corpus ipsum Christi mentibus nostris percipiendum exhiberi, sicut verè symbola externa ac visibilia ore corporis percipiuntur. Necessaria est igitur inprimis Spiritus sancti operatio, vt & prophana elementa ad tantam dignitatem subuehat, & quæ sublimia in eis proponuntur dona, ad percipienda & amplectenda ea animos hominum exsuscitet.*

Alium deinde locum Iesuita adducit ex libro 2. contra aduersar. Legis & Prophet. cap. 9. qui sic habet: Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus: quamuis horribiliùs videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere. Hic notandum, *inquit Bellarm.* quòd dicit, non solùm corde, sed etiam ore sumi à nobis carnem Domini. *Respondeo: aut mentem Augustini non assequitur, aut quæ ab eo verè recteque dicta sunt, ipse malitiosè & petulanter depravat. Visitatissimum hoc est Patribus, ac præsertim Augustino, sicut suprà quoque indicauimus, totum aliquando Sacramentum, vt ex duabus partibus terrena & cœlesti constat, aliquando verò vnam visibilem partem nomine ipsius corporis vocare. Hic igitur Augustinus, vt in multis aliis locis, toti Sacramento corporis & sanguinis nomen tribuit, eaque non solùm fide, sed etiam ore*

ore percipi dicit. Nam externa quidem pars, quæ ſacramentaliter & impropriè corpus Chriſti dicitur, ore ipſo comeditur. Corpus autem Chriſti ſola fide percipitur. Ita verò quæ ſobriè ſemper in Sacramentis diſtinguenda ſunt, vt ſcilicet, quid alteruri conueniat parti, diligenter perpendatur, Ieſuita confundit, neque ſuum cuiuis relinquit. Nam ſi, vt ipſe ſentit, altera tantùm Sacramenti pars, hoc eſt, corpus ſeu caro Chriſti percipitur, altera ſanè pars quæ externa eſt, non habebit quo percipiatur, & ſic ſuperuacanea habebitur. In Sacramentis verò inſtituendis ſic ſe humanæ naturæ accommodauit Dominus, vt quia homines ex corpore & anima conſtant, rem corpoream corpori tribuat, cæleſtem autem & inuiſibilem ſoli animæ inuiſibili offerat. Abluitur ergo in Baptiſmo corpus, vt anima à ſanguine Chriſti ſanctificetur: paſcitur & potatur in Euchariſtia corpus, vt anima de Deo, quemadmodum Tertullianus loquitur, ſaginetur. Si ſic inter Sacramentum, & rem Sacramenti, hoc eſt, inter ſignum & ſignatum, rem terrenam & cæleſtem diſtinguerent Ieſuita, & quid corpori, quid item animæ tribuatur, agnoſcerent: & myſteria optimè intelligerent, & ex Scriptis Patrum rectè intellectis, in tam craſſos errores nunquam deuij abducerentur. Quoties enim vel vnicus Auguſtinus, de quo nunc agitur, cùm de eſu corporis Chriſti loquitur, ſolam fidem & cor, hominemque interiorem requirit, non autem os corporeum, non fauces, non ventrem, non dentes?

Alius locus qui citatur ex Auguſtino à Bellarmino exſtat Concione 1. in Pſal. 33. ibi explicans Auguſtinus titulum Pſalmi, in quo ſcriptum erat: Et ferebatur manibus ſuis: Hoc *inquit*, quomodo poſſet fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundùm literam non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, Hoc eſt corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. *Reſpondeo eodem modo quo ſuprà, Auguſtinum alteram partem Sacramenti pro altera vſurpaſſe, nempe, ſignatum pro ſigno, hoc eſt, corpus pro pane. Chriſtus enim manibus ſuis geſtauit non naturale ac proprium ſuum corpus, ſed panem, id eſt, ſymbolum ſui corporis. Et hoc ſenſu hæc eius verba accipienda eſſe ex ſecunda eius in hunc Pſalmum Concione manifeſtum eſt, in qua eundem locum repetit, atque etiam explicat, ſic inquiens:* Quomodo ferebatur in manibus ſuis? quia cùm commendaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat QVODAMMODO, cùm diceret, Hoc eſt corpus meum. *Quaſi diceret, Corporis ſui ſacramentum manibus portauit, ſuisque diſcipulis tradidit, quod Chriſti corpus eſt* Quodammodo: *At ſi verum ac reale corpus Chriſti ſub ſpecie panis latuiſſet, non ſe Chriſtus* Quodammodo *manibus ſuis, ſed omnino tuliſſet. Chriſtus autem non niſi* Quodammodo *ſe ſuis manibus geſtauit: ergo nulla realis præſentia corporis Chriſti fuit facta, aut tranſubſtantiatio panis & vini in corpus Chriſti: Ac proinde nihil dicit Ieſuita, quum inquit:* Illam particulam Quodammodo ſignificare, Chriſtum non ſe portaſſe in propria ſpecie, ſed in aliena, nec ſe portaſſe quomodo ordinariè portantur corpora humana, nimirum magno labore in humeris: vel alio ſimili modo, ſed myſticè & ſacramentaliter, ſic tamen vt verè ſub eo myſterio corpus eius contineretur. *Vbi obſeruanda etiam eſt Ieſuitæ iniquitas: Non vult admittere ſacramentalem locutionem, qua de ſignato dicitur, quod de ſigno proprie intelligendum eſt, qua Patres frequentiſſimè vtuntur, & ipſe interim nouam de ſpecibus ſeu accidentibus ſine ſubiecto fingit & nobis obtrudere conatur, quam ignorârunt Patres. Solutionem etiam noſtram priorem ſic refellere conatur:* Aug. *inquit*, non ſolùm dicit, Chriſtum ſuis ipſius manibus portatum, ſed addit rem iſtam eſſe difficillimam & impoſſibilem alijs hominibus. At quàm facile eſt vt quis ſeipſum in ſigno portet? certè cùm Princeps monetam ſuam in ſæculo portat, ſeipſum portat in ſigno, cùm in ea moneta imago ipſius inueniatur impreſſa, & vnuſquiſque noſtrûm cùm literas ad ſe datas legit, vbi nomen ſuum ſcriptum habet, nonne ſeipſum in ſigno portat? Cùm igitur tam frequenter & vſitatè hoc fiat, cur diceret Auguſtinus id non poſſe fieri, & vix etiam intelligi, ſi de ſigno tantùm loqueretur. *Reſpondeo: Ieſuita hic pro paribus ſumit, quæ toto cælo ſunt imparia, & longè diuerſiſſima. Signa enim Euchariſtica, nempe panis & vinum, non ſunt nuda & inania ſigna, vt imago Principis in moneta, ſed ſunt vera, certa, indubitata & exhibitiua, quod ſæpius iam contra Ieſuitam monuimus.*

De loco Auguſtini Pſal. 98. vide ſupra ca. 8. de Adoratione Euchariſtiæ.

Locus, quem Bellarminus ex Serm. ad Neophytos citat, ſic habet: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod manauit de Chriſti latere. *Reſpondeo, his verbis nullam exiſtentiam corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini docere vult Auguſtinus, ſed monere & inſtruere Neophytos, de vero vſu & fine inſti-*

De hoc loco vide Vſſini Conſideration. Commanſeſtion. cuiuſdã fol. 410. 411. &c.

tutionis


image
not
available

nem Sacramenti, esset Sacramentum. Deinde cùm Augustinus dicat, Carnem quam forma panis opertam in sacramento accipimus, & sanguinem, quem sub specie & sapore vini potamus, esse carnis & sanguinis sacramentum: quo significatur visibile & palpabile Christi corpus plenum gratia, omnium virtutum & divina Majestate: *manifestum est, quòd carnem & sanguinem, quatenus externè in sacramento accipiuntur, non pro ipsamet vera carne, nec pro vero sanguine, intelligat, qua soli invisibili illa existentia non discernuntur, sed hac potissimùm nota, quòd hæc sint verum Christi corpus, plenum gratia & divina majestate: illa verò quæ sunt sacramentum non item. Sola itaque res sacramenti, quæ per carnem & sanguinem sacramentalem significatur, ut plenum gratia, & divina majestate, ita etiam verum Christi corpus est. Atque hoc etiam tertiò magis adhuc perspicuè confirmant sequentia verba, cùm ait:* Cœlestis panis, qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm revera sit sacramentum illius corporis, quod in cruce immolatum fuit. *Si cœlestis panis sive sacramentalis caro, aliud est revera, aliud suo modo vocatur: non utique revera hoc est, aut propriè, quod suo modo esse dicitur. Est autem, ut alibi idem Augustinus scribit*, Sacramentum corporis Christi, secundùm quendam modum corpus Christi, quia videlicet tantæ rei sacramentum non nisi nomine rei appellatur. *Hoc ipso apertissimè ostenditur, non idem numero & substantia esse illam carnem, quæ suo modo corpus Christi vocatur; & tamen revera est sacramentum illius, & ipsum in veritate corpus. Hæc sententia Augustini clarissimè, ex duobus similibus exemplis, quibus utitur, intelligitur. Ita enim cœlestem panem, qui revera sacramentum est corporis Christi, suo modo corpus Christi vocari vult, sicut immolatio carnis in sacramento, quæ Sacerdotis fit manibus, hoc est, actio ipsius in Cœna, vocatur passio, mors & crucifixio Christi. Item, sicut Baptismus sacramentum fidei, fides est, hoc est, non rei veritate, sed significante mysterio. Itaq. sacramentalis caro nihil aliud est, quàm vera carnis seu veri corporis Christi significans mysterium & sacramentum. Quod itaq. Augustinus* carnem esse dicit, quam forma panis opertam in sacramento accipimus, *non intelligendum est de vera & propria Christi carne, per substantialem ipsius sub forma sive specie panis existentiam, quod Pontificii faciunt, sed de intelligibili sacramenti significatione, qua sic forma panis operiri dicitur, quatenus, qui exteriore forma, qua videtur, panis est, intelligibili significatione mysterii, est caro Christi: caro videlicet carnis sacramentum. Aliud est autem vera caro, aliud vera carnis sacramentum, quamvis suo modo caro dicatur. Nunquam verò in mentem venit Augustino, ut veram Christi carnem forma panis opertam invisibiliter contineri, atque ita sui ipsius sacramentum esse diceret. Propterea subjungit:* Carne & sanguine utroque invisibili, significatur visibile & palpabile Iesu Christi corpus, &c. *Cùm carnem & sanguinem invisibilem, spiritualem & intelligibilem, dicit esse sacramentum, quo significatur verum & visibile Christi corpus, symbola panis & vini intelligit: quæ etsi quoad naturæ speciem, visibilia sunt, tamen non visibili aliquo modo, sed invisibili ratione & intelligentia sunt caro & sanguis Christi: quatenus videlicet hac in mysterio repræsentant. Non sunt naturæ veritate caro & sanguis, sed in mysterio & intelligibili significatione: quoniam sub velamento corporeo panis & vini, spirituale Christi corpus & sanguis existit. Quoad substantiam, panis creatura est, secundùm nos, quoad mysterium & sacramentum, corpus est Christi.*

Huic sententiæ & verborum Augustini interpretationi suffragatur etiam Lombardus Sententiarum Magister, qui lib. 4. distin. 10. Hæc Augustini explicans verba sic scribit: Attende hic, *inquit*, diligenter, quia tropo quodam hic utitur Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, & visibilis species vini nomine sanguinis. Invisibilis verò & intelligibilis dicitur caro Christi, quia secundùm illam speciem non videtur caro, sed intelligitur, ita & sanguis. Caro ergo invisibilis dicitur esse Sacramentum carnis visibilis, quia species panis, secundùm quam non videtur, est sacramentum, carnis visibilis, quia in carne invisibili, id est specie, secundùm quam caro Christi non videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile & palpabile, ubi in sua forma apparet. Ita & de sanguine, accipi debet. *Probat etiam hanc interpretationem Glossator cap. Virum verbo, distinct. secunda: nam duplicem corporis Christi appellationem, aliam in figura sub specie panis, aliam in ipsa corporis veritate docet, & superiora Augustini verba interpretans, sic ait:* Cœlestis panis, id est, cœleste sacramentum, quod repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed impropriè: unde dicitur, Suo modo, non rei veritate, sed significante mysterio: ut sensus sit, vocatur Christi corpus, id est, significat.

Cyrillus Alexandrinus.

De Cyrilli locis qui citantur à Iesuitis vide Prifini Consideratione cuius dam fol. 423. & seq.

EX *epistola Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, quæ ab Ephesina Synodo approbata fuit, hunc locum citat Bellarminus primò*: Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrûm Redemptoris effectinon ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati; &c. sed ipsius Verbi propriam factam. *Respondeo: docet his verbis Cyrillus, eos, qui per mysticas benedictiones sancti corporis & sanguinis Christi participes fiunt, hæc non ut communis hominis sanctificati, & Verbo secundùm dignitatis unitatem, per inhabitationem conjuncti, sed ut Verbi propriam, & sic verè vivificatricem carnem & sanguinem percipere. Qualis autem, hæc in veritate carnis Christi participatio sit, tunc optimè intelligemus, si, quoniam ista Nestorianæ hæresi, de carne Filii hominis in suæ naturæ persona communis, opposita sunt, breviter consideremus, quomodo Verbi propria & verè vivificans sit caro, ex Cyrillo hujus rei omnium locupletissimo Interprete. Fatebatur quidem Nestorius, Deum Verbum in ista summa, & inseparabili conjunctione ad hominem suam ducere carnem, velut proprium inhabitationis suæ Templum, ipsiusque passionem, & proprietates sibi appropriare. Hoc autem intellexit per quandam relationem tantùm, sicut proprium est hominis, quo indutus est, vestimentum, & quatenus injuriam, quæ vesti fit, suam esse propriam ducit homo.* Propter indutum, *inquit*, indumentum veneror, & propter occultum adoro visibilem. Indivisibilis à visibili Deus. *Secundum hanc humanitatis ad Deum Verbum unionem & conjunctionem, eodem modo Deum visibilem, & hominem uocari dicit Deum propter nominum videlicet communionem, non autem eandem dignitatem. Cyrillus autem & Ephesina Synodus longè aliter carnem, & omnia, quæ carnis sunt Verbi propria esse docet, non ex relativa illa, sed quæ est secundùm hypostasin & substantiam, unione, per quam caro Christi, non alterius à Deo Verbo per se & seorsim hominis, sed Dei Verbi, in unitate hypostasis, & personali sua subsistentia propria esset, nempe, quia non, ut alij homines, in propria sua naturæ, sed in æterna Verbi eam gestante & sustentante persona, subsistentiam suam haberet, Propter quod etiam propria utriusque naturæ in unitate hypostasis & suppositi proprietatum seu idiomatum communicatio & permutatio esset: de quo sic Cyrillus libro vigesimo in Iohannem.* Idem in eodem Deus & homo, in quo sua quidem ducit Deus Verbum ea, quæ carnis sunt propria, quoniam ipsius est, & non alterius ab ipso corpus, communes autem quoque facit, tanquam cum sua carne, divinæ suæ Majestatis operationes, ut posset etiam vivificare mortuos & sanare infirmos.

Ab hoc igitur unionis modo, quæ est secundùm hypostasin & subsistentiam, caro Christi verè est, & dicitur Verbi propria, & non in suæ naturæ persona alterius, & communis hominis caro. Verum hac ratione non ipsa tantùm carnis natura, sed & omnes proprietates, & affectiones ipsius Verbi per assumptionem, in unitatem hypostasis sunt propriæ; & de Deo Verbo, in unitate personæ, per communicationem idiomatum dicuntur. Cùm igitur ab hac assumptione in unitatem personæ caro dicatur Verbi propria, sequitur, quia insensibilis & incircumscripta caro non est assumpta, neque sic in unitate personæ subsistit, non esse, nec dici posse veram illam, quæ Verbi per assumptionem propria sit, carnem. Quoniam verò Cyrillus & Ephesina Synodus carnem & sanguinem Christi à sanctificatis, & qui in mystica benedictione participes ejus fiunt, non aliter: quàm ut Verbi propriam carnem percipi docet, prorsus hinc fit impossibile, hæc de corporali præsentia & manducatione carnis, invisibiliter & insensibiliter sub specie panis existentis, dicta intelligi posse. Quemadmodum enim caro, quatenus Verbi per assumptionem est propria, non potest à veris & naturalibus proprietatibus ipsius, in unitatem personæ coassumptis, segregari: Sic etiam manducatio carnis, ut Verbi propria, non potest esse, nisi in humana forma, & proprietate visibilis carnis. Hæc autem cùm non possit esse corporalis, consequens est, ut modum manducandæ carnis Christi, ut Verbi propriæ Synodus intellexerit, & voluerit esse spiritualem. Hæc ex Orthodoxo Consensu folio vigesimo septimo.

Secundò citat Iesuita Cyrilli verba ex libro quarto in Iohannem, capite decimo tertio, ubi explicans illud; Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Firmam, *inquit*, fidem mysterii adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud, Quomodo? aut cogitemus, aut proferamus. *Respondeo: Vtitur hic Iesuita fallacia Homonymiæ: Neque enim omne* Quomodo, *impium & prohibitum est. Nam ista interrogatio, est aliquando pia admiratio, cum discendi studio conjuncta, & à Patriarchis in Veteri Testamento usurpata, Abrahamo videlicet, Gedeone, nec non ab ipsa quoque matre Domini. Eadem voce usi sunt etiam S. Patres primitivæ Ecclesiæ: Augustinus in Sermone ad Infantes ait:*

Vide Ocolamp. Dialogis fol. 157. b.

Vide etiã de hoc loco Dialogum Oecolamp. fol. 150. Vide etiã Viretum de Origine Missæ & Sacram. lib. 3. c. 20. vide etiam Plessium p. 715.

ele, Potest alicui talis cogitatio oboriri, &c. Quomodo ergo panis est corpus ejus? *Et Ambrosius lib. 4. cap. 4. de Sacram.* Hoc igitur asseveramus: Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? *Aliud deinde* Quomodo *est, quod quadam indignatio & execratio est; cujusmodi Capernaitarum fuit, de quo Cyrillus hoc loco loquitur; qui Christo de carnis sua manducatione differenti, non credebant: sed extremè eum, ut Augustinus testatur, aversabantur & execrabantur, velut facinus aut flagitium mandantem. Cùm igitur nos non Christi verba, nec quod Christus tradidit & mandavit, sed quod Transsubstantiatores extra & contra Dei Verbum finxerunt, in dubium vocemus, & de eo quæramus,* Quomodo? *frustra hic locus Cyrilli nobis objicitur, non enim impium illud Capernaiticum, sed fidelium Veteris & Novi Testamenti* Quomodo *usurpamus.*

Vide Oc. colamp. Dialogift. fol. 356. & 357.

Tertiò, citat locum Bellarminus ex eodem libro quarto, capite decimo quarto, Ibi docet, *inquit Iesuita*, non solùm animam per Spiritum sanctum in beatam vitam ascendere, sed etiam corpus nostrum corruptibile per contactum & manducationem carnis Christi incorruptibilis, immortale fieri. *Verba Cyrilli hæc sunt*: Si solo tactu corporis Christi corrupta redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam gustamus, & manducamus? *Item*: Oportuit ut non solùm anima per Spiritum sanctum in beatam vitam descenderet: Verùm etiam ut rude atque terrestre corpus hoc, cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur. *Hinc colligunt*, naturalem participationem rectè accipi de corporali præsentia, qua caro Christi nostris corporibus substantialiter & immediatè conjungitur. *Respondeo: Ipsemet Cyrillus suam mentem & sententiam apertissimè declarat his ipsis verbis, quum dicit*, nos carnem Christi non tantùm manducare, sed etiam tangere & gustare. *Sicut enim carnem tangimus & gustamus, ita eandem manducamus, & naturali participatione cum ea conjungimur. Atqui corporaliter eam non tangimus & gustamus*, propriè loquendo: *sed spiritualiter tantùm per fidem; nisi quis cum ratione insanire & dicere velit, eam propriè corporeo tactus & gustus sensu percipi, sed tamen invisibiliter. Ergo nec corporaliter & realiter iam manducamus*, propriè loquendo; *nec participatio naturalis corporaliter, sed fide tantùm spiritualiter fit. Quòd verò Cyrillus ait*: Corpus nostrum cognato sibi tactu, gustu & cibo ad immortalitatem reduci; *quia disertè loquitur de tactu, gustu & cibo corporali, manifestum est sacra ab eo symbola intelligi, quorum sumptione externa, corpus nostrum ad beatam immortalitatem reducitur, non propterea solum, quòd corporalis ille tactus, gustus & cibus certissimum testimonium & pignus est immortalitatis corporum mox secutura: sed etiam quia sic quoque incipit corpus in hac vita anima per Spiritum sanctum regenerata instrumentum esse, ad sancta & Deo placentia opera: vel, ut Paulus loquitur*, incipit sisti hostia viva, sancta, accepta Deo, *dum sua quoque in hoc sacramento exercitia habet, ut postea in omnem æternitatem Templum Spiritus sancti sit & maneat.*

Quartò, alium locum citat ex capite decimo septimo, ejusdem libri, in quo dicit, idipsum, *de quo nempe jam diximus*, repeti, atque illustrari insigni similitudine, de cera liquefacta, & alteri ceræ admixta. Sic enim Christus in nobis est, *inquit Cyrillus*, & nos in Christo, quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii ceræ similiter liquefactæ ita misceuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur. *Hinc ergo colligunt*, carnis Christi naturam substantialiter in nostris corporibus existere, & cum his immediatè uniri, per Eucharistiæ communicationem. *Respondeo: In declaranda naturali illa Christi & fidelium unione, utuntur etiam hac similitudine Patres*: Sicut parùm fermenti totam massam fermentat: Sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo Christus in nobis manet, & nos in Christo. *Ex quibus intelligimus, Veteres hujusmodi similitudinibus usos fuisse, non ut modum unionis, qui corporalis est, aut physica substantiarum confusione fit, sed ut unionis illius effectum singularem exprimerent, ac docerent, sic nos spiritualiter per fidem Christo conjungi, sic totos ejus massæ inseri & insinuari, ut toti cum eo in unum corpus arctissimè coalescamus, longè verius, longè arctiùs, quàm si caro ejus in ipsa viscera nostra trajiceretur, quàm si naturaliter transmutata in substantiam corporum nostrorum transiret, ut eo modo, videlicet spiritualiter, per fidem illa nobiscum communicata, seu Spiritus sancti virtute per fidem apprehensa, & nostra facta, omnia etiam quæ insunt, nostra fiant, ut ejusdem Spiritus, quo ζῶ & suam illam massam vivificat, communicatione fruamur, ut similis lux, similis vita, similis iustitia & lætitia in nostra etiam misera massa excitetur, atque adeò nos omnium spiritualium bonorum fruitione æternùm simus cum Christo capite nostro beati. Si verò nimis morosè hanc similitudinem de cera liquefacta urgeant, concedant etiam necesse est, sanctissimam & gloriosissimam Christi car-*

Vide Oc. colamp. Dialogift. fol. 356.

nem subſtantialiter in ventrem deſcendere, & intra ipſa viſcera noſtra eſſentialiter trajici, ibique delitescere, quod monſtroſum & impium eſt aſſerere. Denique, Si Beatus Cyrillus ſentit, orali manducatione in Euchariſtia ſic recipi corpus Chriſti, ut ipſum cum corporibus noſtris eſſentialiter miſceatur, ſicut cera liquefacta alii ceræ liquefactæ miſcetur, ut in hoc demum illius naturalis participationis ratio conſiſtat: ſequetur, etiam in infidelibus, qui Sacramentum ſumpſerunt, eandem illam naturalem participationem fieri: hoc verò quum falſum ſit & impium, apparet, ex ſimilitudine hac, corporalem illius participationis modum, qui videlicet realis & immediata ſubſtantiarum applicatione conſtet, probari ac defendi non poſſe. Sin dicant, Impios ponere obicem, quò minus fiant membra corporis Chriſti, in ſeſe ſubſtantialiter præſentis, *hoc ipſo ſeſe refutant, & ſententiam noſtram confirmant. Inde enim ſequitur, naturalem participationem non in corporali ſubſtantiarum commixtione conſiſtere, ſed Spiritus ſancti efficacia & fidei inſtrumento propriè fieri. Aut igitur has Cyrilli ſententias ad oralem manducationem corporis Chriſti, & hujus realem in noſtra corpora trajectionem detorquere deſinant: aut impios quoque naturalis unionis in Chriſto participes eſſe concedant. Impiis autem etiam ipſi adverſarii noſtri non concedunt naturalem participationem, quia fide carent, ideoque non vivificantur Spiritu Chriſti. Conſequitur ergo, naturalem participationis modum de efficacia intelligendum eſſe, & qui fide conſtet.*

Quinto, etiam hec verba ex Cyrillo in 15. cap. Ioan. citat Ieſuita: An fortaſſis putas ignotam nobis myſticè benedictionis virtutem eſſe? quæ cùm in nobis ſit, nónne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? *Rurſus*: Non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtus in nobis eſt, verùm etiam participatione naturali. *Reſpondeo: Modò jam oſtendimus, hæc non poſſe de corporali & immediata ſubſtantiarum commixtione intelligi. Vide etiam ſuprà hac de re in Hilario plura, itemq; in Gregorio Nyſſeno.*

Vltimo loco Cyrilli Epiſtolam ad Caloſſyrium citat, & paucis dicit, quòd in ea tria doceat. Primò, firmiter eſſe credendum verbis Domini, Hoc eſt corpus meum. *Secundò*, in Euchariſtia eſſe corpus Domini, etiam extra uſum manducationis. *Tertiò*, tranſmutari panem in veritatem carnis Chriſti. *De primo ſic reſpondeo: Non ſic vult Cyrillus credendum eſſe verbis Chriſti, quaſi verum ejus corpus realiter ſub pane, aut ſpeciebus panis velatum exiſtat aut contineatur, hoc enim non docent verba iſta*, Hoc eſt corpus meum, *ut libro 1. & aliis locis ſatis eſt explicatum: ſed vult, ut Chryſoſtomus etiam docet, ita credendum eſſe verbis Chriſti, ſicut rebus ſenſibilibus νοητὸν, & ſpirituale donum datur. De ſecundo etiam ſuprà diximus. De tertio reſpondeo: Ex eadem epiſtola facilè colligi poteſt, quòd non aliam tranſmutationem ſeu converſionem Cyrillus intelligat, quàm quæ Sacramentis omnibus competit, nempe ut externa ſymbola in res ipſas divinas mutata dicantur, quia verè & efficaciter illas repræſentant, & omnes fideles rerum iſtarum cœleſtium participes efficiunt. Scribit enim diſertè*; Chriſtum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa in pane & vino. *Apertè igitur ſubſtantialem panis in corpus Chriſti mutationem negat, & monſtroſo Tranſſubſtantiationis figmento contradicit. Nam quòd Ieſuitarum nonnulli panem & vinum quidem in altari à Cyrillo poni dicunt, ſed ante ipſam conſecrationem, ipſius Cyrilli verba hoc vaniſſimum eorum commentum repudiant, quæ corpus Chriſti & ſanguinem in pane & vino percipi aperiè teſtantur. Priuſquam enim conſecratio fiat & panis ille tanquam prophanus & communis in menſa jaceat, nec corpus nec ſanguinem Domini percipientibus exhiberi poteſt, ut cui benedictio vivificativa nondum acceſſerit.*

Theodoretus.

De hoc loco vide Aſmonianum Noſtrationam fol. 176. &c.

Vide Aſmonianum fol. 176.

EX *Theodoreti Dialogo 1. hæc verba ad Tranſſubſtantiationem ſuam detorquet Bellarminus.* Servator noſter nomina commutavit, & corpori quidem id, quod erat ſymboli, ac ſigni nomen impoſuit: ſymbolo autem quod erat corporis. *Hæc ille. Quæ verba pro ſe accipiunt adverſarij. Sed paulo poſt ita ſubjungit, reddens cauſam mutationis nominum*: Volebat enim, *inquit*, eos qui ſunt myſteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, ſed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Hic, *dicit Ieſuita*, docet Theodoretus, panem vocatum eſſe corpus, ut ex nominis mutatione intelligeremus, & crederemus rei mutationem. *Reſpondeo: Si per* Rei *nomen intelligat Ieſuita panis & vini ſubſtantias, eaſque mutari dicat à Theodoreto tradi, falſum & alienum ſenſum verbis Theodoreti Ieſuitam aſſingere dico. Res enim ſic ſe habet*: Dicit Theodoretus: Chriſtum propterea pani tribuere nomen ſeu appellationem corporis, ut qui myſteriorum participes fiunt, non attendant

tendant ad naturam eorum quæ in Eucharistia visibilia sunt, sed credant illi transmutationi quæ ex gratia facta est. *Hic primò Theodoretus dicit*, Non esse attendendum ad naturam visibilium, sed credendam transmutationem. *Ne verò Transmutationem illam interpretetur aliquis de Pontificiorum Transsubstantiatione, mox seipsum interpretatur & explicat, qualem nimirum transmutationem intelligat, ac dicit:* Christus visibilia symbola, appellatione corporis & sanguinis honoravit, NON transmutans NATVRAM symbolorum: sed naturæ symbolorum adjiciens gratiam, *ut scilicet sint etiam corpus & sanguis Christi. Intelligit ex hu Theodoreti verbis apertissimè Lector, quid olim Græca Ecclesia intellexerit per transmutationem panis & vini in Eucharistia: non videlicet Naturæ, vel substantiæ panis & vini mutationem; sed adjectionem gratiæ.*

Alter locus, quem Iesuita ex Dialogo secundo citat, sic habet: Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt, sicut priùs: intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Hic locus, *inquit Bellarminus*, Calvini, Petri Martyris & aliorum Sacramentariorum causam penitus destruit. Nam apertissimè asserit hoc loco Theodoretus præsentiam corporis Domini in Eucharistia, cùm dicit, intelligi, credi & adorari corpus Domini in Eucharistia. *Argumentum Iesuitæ tale est: Quicquid intelligitur, creditur & adoratur in Eucharistia, id ibi actu ac verè, seu realiter præsens est, At corpus Christi in Eucharistia intelligitur, creditur & adoratur: Ergo verè ibi præsens est. Negatur Major: nam eo ipso, quòd intelligitur & creditur adesse, apertissimè innuitur & significatur, non realiter adesse, aliòquin intellectu & fide non opus ad hanc rem esset. De adoratione suprà diximus.* Sed *inquit Iesuita*, Theodoretus dicit, ideo intelligi, credi & adorari: quia panis Eucharistiæ fit verè id, quod intelligitur, creditur & adoratur. *Respondeo: mentitur Iesuita, Theodoretum dicere, panem Eucharistiæ* VERE *id esse, quod intelligitur, &c. sed ipse de suo hanc vocalam addidit verbis ejus.*

Pugnat autem hæc tota Bellarmini interpretatio, non solùm cum scopo Theodoreti in hac disputatione, sed etiam cum ejus claris, perspicuis & apertis verbis, quemadmodum paucis declarabo. Disputans enim ea loco Theodoretus contra Eranistem hæreticum, qui pariès Eutychis, de conversa humanitate in Divinitatem, & sublatis in Christo humanæ naturæ proprietatibus, defendebat, quærit primò, mystica symbola, Divinitatis ne, an corporis & sanguinis Christi, typus & figura sint? *Respondet ei Eranistes*, non dubium esse, quin illorum typi & symbola sint, quorum nomina acceperunt: *nempe, corporis & sanguinis Domini. Hoc cùm rectè ab eo dictum esset, quærit ulteriùs Orthodoxus*, an veri corporis & sanguinis, vel non veri symbola sint? *Et cùm* veri esse corporis & sanguinis symbola esse affirmaret Eranistes, *inde sic concedit Orthodoxus:* Si igitur veri corporis exemplaria sunt divina mysteria; Ergo corpus Domini nunc quoque verum corpus est, & non in Divinitatis naturam mutatum. *Contra quod Eranistes, ab ipsa etiam mysteriorum doctrina, de Dominici corporis in aliam naturam mutatione, argumentum proferens, vicissim quærit ab Orthodoxo:* Cùm mystica illa symbola, post sanctificationem, corpus & sanguis Christi dicantur, an credat se etiam percipere corpus & sanguinem Domini? Omnino, *inquit Orthodoxus. Inde sic Eranistes infert:* Quemadmodum symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante sanctificationem Sacerdotis, post verò mutantur, & alia sunt: Sic quoque corpus Domini post Ascensionem in divinam naturam mutatum est. *Orthodoxus hanc illationem sic rectè retorquet à mystica videlicet illa symbolorum mutatione, quæ non secundùm substantiam & naturam fiat, ideoque etiam corpus Christi nullam naturæ & proprietatum ipsius mutationem subisse ostendens. Sic enim inquit:* Implicatus es laqueis, quos contexuisti. Nequaquam enim mystica symbola, post sanctificationem propriam naturam amittunt, manent enim in priore substantia, & figura, & specie, & tangi, & videri possunt, sicut antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, quasi essent illa, quæ creduntur. Cùm itaque oporteat typum similem esse veritati, corpus etiam illud Christi priorem habet & retinet formam, figuram & circumscriptionem.

Hæc tota Theodoreti disputatio eò spectat, ut quàm verè panis substantia in Eucharistia manet, tam verè corporis substantiam in Christo remanere confirmet. Dicit igitur, signa vel symbola mystica etiam post sanctificationem non recedere à sua natura, sed manere in sua priore substantia & figura, & forma, &c. & nihilominus, *hoc est, quanquam hæc symbola naturam propriam & priorem substantiam integram & solùm retinent*, credi

tamen & intelligi esse ea quæ dicuntur, & adorari tanquam ea quæ creduntur. *Et hinc colligit*, verum quoque corpus suum, omnibus proprietatibus absolutum, etiam post Ascensionem in cœlos Christum retinuisse: *Intelligis igitur Lector, Bellarmini sententiam, cum Theodoreti verbis & sententia ex diametro pugnare. Theodoretus dicit*, Panis & vinum non recedunt à natura sua: Non mutant naturam: *Bellarminus autem dicit, & cum eo Pontificij Doctores omnes*, Panis & vinum penitus amittunt naturam suam, eorum substantia annihilatur, & in aërem recedit. *Theodoretus inquit*, Panis & vinum manent in priore substantia: *Iesuitæ contrà*, Sola accidentia, & species panis & vini manent, absque priore substantia. *Non igitur pro Bellarmino Theodoretus Orthodoxus, sed Eranistes Eutychianus hæreticus facit, qui contra Orthodoxum dixit*; Quemadmodum symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante sanctificationem Sacerdotis, post verò mutantur (scilicet natura & substantia sua:) Ita quoque corpus Dominicum post Ascensionem in diuinam naturam mutatum est. *Euertit igitur Bellarmini sententia veritatem corporis Christi, & Eutychianam hæresim confirmat. Si symbolorum panis & vini substantiam auferri, & per realem successionem, aut præsentiam corporis & sanguinis Christi consumi credidissent & docuissent Theodoretus, sicut Bellarminus & socij eius faciunt; an non causam habuissent & occasionem maximam Eutychiani hæretici, vt inde inferrent, eodem similiter modo veram Christi humanitatem, sublatis naturæ suæ proprietatibus, per vnionem à Diuinitate fuisse consumptam? Illud sanè dubitari non potest, si in Ecclesia notum, atque receptum fuisset tum Transsubstantiationis dogma, quin Eranistes, pro Eutychete disputans, contra hoc quod Theodoretus de permanente symbolorum substantia, tanquam vulgò notum atque concessum sumebat, hanc realem Transsubstantiationem erat obiecturus, atque hinc, velut à typo, ipsam quoque proprietatum corporis Christi mutationem probaturus.*

GELASIVS.

AD Gelasij locum, quem citat Bellarminus ex eius libro de duabus naturis, suprà fol. 123. prolixè & sufficienter respondimus, quò benevolum Lectorem remittimus.

LEO.

Vide Orientem pacificum Dial. fol. 153. & Possevinum p. 719.

LEO I. Episcopus Rom. Serm. 6. de Ieiunio 7. mensis sic inquit, vt citatur à Bellarmino: Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis, Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur. *Respondet Petrus Martyr, Argumentum Leonis in eo consistere, quòd non esset Eucharistia symbolum corporis Christi, si Christus non verum haberet corpus.* Sed fallitur, *inquit Bellarminus*, nam adhuc esset symbolum corporis, quale ponebant Eutychiani, nimirum apparentis: &c. *Respondeo: Imò ipse Iesuita & fallis & fallitur. Nam Eucharistia est veri, non ficti corporis sacramentum: Testatur hoc luculenter Augustinus, vt citatur à Prospero, inquiens*, Panem cœlestem sacramentum esse corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quodque mortale in cruce positum est. *Sic etiam, vt paulò antè dictum est, Orthodoxus apud Theodoretum quærit ab hæretico*, panis & vinum in Eucharistia verine corporis & sanguinis, an non veri symbola sint? *Et cùm veri corporis & sanguinis symbola esse recte fateretur hæreticus, hinc sic concludit Orthodoxus*: Si igitur veri corporis exemplaria sunt diuina mysteria: Ergo corpus Domini nunc quoque verum corpus est, & non in Diuinitatis naturam mutatum, *seu vt Iesuita loquitur, apparens. Idem Orthodoxus ibidem dicit*, Imaginis, *qualis videlicet in Eucharistia est panis & vini symbolum*, oportet esse archetypum, seu veritatem. *Id deinde illustrat simili à pictoribus sumpto*: qui naturam imitantur & rerum visibilium imagines pingunt. *Non igitur, dicit Leo, ore verum corpus sumendum, sed de corporis veritate non ambigendum esse, vt ex Eutychis doctrina necessariò sequebatur. Et potius transsubstantiationem & oralem manducationem his verbis explodit, quàm confirmat, vt quæ veritatem corporis tollunt. Addit autem Leo quæ omnem dubitationem auferunt.* Hoc enim ore sumitur (quod ad Sacramentum attinet) quod fide creditur &c. *id est, quantum ad rem Sacramenti attinet, fide accipitur.*

Deinde verò Bellarminus inquit, Leo dicit, id ipsum ore sumi, quod fide creditur. *Ad hoc suprà responsum est in Augustino.*

Tertiò dicit, qui respondet, Amen, dum suscipit Sacramentum, non confirmat confessione sua, id quod accipit, esse symbolum, sed esse corpus: Sacerdos enim non dicit, Accipe symbolum, sed accipe corpus. *Respondeo, Accipiens Sacramentum, voce* Amen, *non confitetur se accipere Symbolum vel Signum tantùm, nudum videlicet & inane, seu vacuum, sed simul*

mul etiam rem ipſam ore ſcilicet animæ. Deinde, Sacerdos quidem non dicit, Accipe ſymbolum; ſed, Corpus: non autem addit, reale vel ſubſtantiale: ſed ex natura eius rei quæ ibi peragitur, ſacramentale intelligit.

Vt autem mentem ac ſententiam Leonis verborum Lector melius intelligat, res ſic ſe habet: Voluit his verbis Leo veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, adversùs impiam Eutychis hæreſin, à myſteriorum doctrina & inſtitutione populo probare & confirmare: Quaſi diceret; cùm Chriſtus in ſacra ſua Cœna communione, corporis & ſanguinis ſui communicationem nobis pollicetur, nihil de veritate eius dubitari oportet: Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur, id eſt eius quod fide creditur ſacramentum, adeoque certum & infallibile pignus & teſtimonium eſt, quod à ſacra Dei menſa ſumitur: ſicut alias vulgò dicimus, nos ea credere, quæ ſcriptis & ſermone teſtamur. Quare non magis ipſam carnis Chriſti in pane veritatem ore ſumi & percipi, quàm carnem iſtam, cuius veritatem ab Euchariſtia contra Eutychianos aſſeruit, inſenſibilem & incircumſcriptam eſſe, fide credi debere ſenſit, & populum Leo docere voluit: ſed ab eo, quod ore ſumitur, velut eius, quod fide creditur, antitypo, certam ipſius veritatis edi & exiſtare confeſſionem.

Porrò quod fruſtra ab ijs, Amen, *reſponderi, ait Leo, à quibus contra id, quod accipitur, diſputatur, inde tanto magis perſpicuè intelligi ipſius ſententia poteſt. Erat enim, ut ex Amb. lib. 4. cap. 5. de myſterijs colligi poteſt, in uſitato veteris Eccleſiæ more, quòd, cum communicantibus Sacerdos Euchariſtiam porrigens, diceret:* Corpus Chriſti ſit tibi in remiſſionem peccatorum & vitam æternam: *reſpondere ſoliti ſint*, Amen, *quod & Euſebius in Epiſtola Cornelij, Romani Epiſcopi, notat, inquiens:* accipiendo illum panem, dicendum erat, Amen. *Hoc verò non ſic otioſè dici, ait Ambroſius, ſed quaſi iam in ſpiritu, qui*, Amen, *dicit, hoc ipſe confiteatur, quod accipiat corpus Chriſti.* Quare, quod confitetur lingua, hoc teneat, *inquit*, affectus. *Vnde noluit Ambroſius, certitudinem corporis Chriſti re vera ſumpti, in corporali oris perceptione, ſed in ſpiritu & affectu*, Amen, *dicentis conſiſtere, ſicut hoc ipſum etiam Auguſtinus Serm. ad infantes interpretatur.* Myſterium Dei, *inquit*, accipitis & ad id, quod eſtis, Amen, reſpondetis & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergo corpus Chriſti, & reſpondes Amen. Vtinam teneat cor, quod dicit os, utinam habeat Fides, quod verbo reſpondes. Eſto membrum corporis Chriſti, & verum ſit Amen tuum. *Vt itaque in membris Chriſti verum eſt hoc*, Amen, *ſic etiam ab illis tantùm, in veritate illius*, Amen, *corpus Chriſti verè participatur. Cæterum* ab Eutychianis ideo fruſtra, Amen, reſponderi, dicit Leo, quia veritatem carnis, cuius ſacramentum accipiunt, negant & evertunt. *Quo ipſo talem in Euchariſtia communione veritatem carnis Chriſti à populo credi voluit, cuius Eutychiani, propterea quod contra eam diſputantes, fruſtra* Amen *reſponderent, nullam participationem haberent. Non igitur iſta hac, veri corporis modo & proprietate carens, veritas eſt, quæ corporaliter poſſit ore percipi & manducari. Nam contra tale corpus, quod non ſua natura propriàs, ſed eaſdem cum Diuinitate Chriſti proprietates haberet, non diſputabant, neque pro tali corpore aſſerendo fruſtra*, Amen, *reſpondere, opinione ſua, videri poterant Eutychiani. Summa autem iſtorum omnium, quæ contra Eutychianos Leo adfert, hæc eſt, Aut abſtinendum eſſe Euchariſtia, tanquam communis fidei ſacramento, aut certè fruſtra, & abſq. omni fructu, ea utendum: aut verò omnino in rectò & ſalutari ipſius uſu, veritatem carnis Chriſti, in vera naturæ ſuæ proprietate, contra Eutychianos confitendum eſſe. Alioquin fruſtra Euchariſtiam comedi, &* Amen, *ab ijs reſponderi, qui tali fide veritatem carnis Chriſti non credunt, cuius hac oris ſumptione, & reſponſione per*, Amen, *externam profeſſionem faciunt. Sicut in ſimili Irenæus, à ſacrificio communis Euchariſtiæ contra Marcionitas infert:* Aut prorſus abſtinendum iſto ſacrificio, aut in ipſius oblatione fatendum eſſe, Deum Patrem Chriſti, cui hoc ſacrificium offerretur, in primitijs ſuorum munerum, mundi & creaturarum conditorem eſſe.

Euſebius Emiſſenus ſeu Fauſtus Rheginenſis.

EX Sermone de corpore Domini *Euſebij Emiſſeni, ſeu quicunque fuerit author eius*; citat Bellarminus hæc verba: Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis verbo ſuo ſecreta poteſtate commutat. *Hîc exclamant Ieſuitæ & omnes Sacrificuli*, Hoc eſſe ipſiſſimam Tranſubſtantiationem. *Reſpondeo: Emiſſenus ſententiam ſuam apertè declarat, & qualis illa mutatio Sacramentorum ſit intelligenda, ex collatione alterius mutationis; quam per Spiritus ſancti regenerationem conſequuntur in Baptiſmo fideles, apertiſſimè demonſtrat.* Non enim deberi nobis videri novum aut impoſſibile dicit, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutentur, quandoquidem & nos ipſi in Chriſto etiam renaſcamur corpuſque ipſius efficiamur; *Quæ autem & qualis illa ſit in Chriſtum tranſmutatio*

Vide p. 1055. p. 720.

tatio seu conversio nostra, his mox verbis in eodem Ser. exponit: Dudum alienus, *inquit*, in vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecùs mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ non videndo sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptivus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens, maior factus es teipso, invisibiliter sine quantitatis augmento, cùm idem atque ipse esses, multò aliter fieri fidei processibus meruisti. In exteriori, nihil additum est, & totum in interiori mutatum est, ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus. *His certè Emisseni verbis nihil clarius adduci potuit, ad ostendendam non substantiam, sed sacramentalem panis & vini in corpus & sanguinem Christi conversionem. Hac nimirum collatione à mutatione hominum sumpta, quorum non exterior carnis substantia, sed interior mentis effectio, ut ex sordibus renascatur in mundiciem, virtute divina permutatur. Nulla enim similitudinis, qua Emissenus utitur, vis esset, si maior & sublimior aliqua in Sacramento mutatio intercederet, quàm ea est, quæ virtute Spiritus sancti in mentibus hominum efficitur. Ad hæc, ne quis crassam hanc corporis Christi sub accidentibus delitescentiam ab Emisseno statui credat, corpusque ipsum Christi dentibus frangi, aut ore percipi temerè putet, observa ut in hac comparatione semel cæpta procedat, & quam præsentiam corporis & sanguinis Christi in hoc divino Sacramento statuat.* Sicut ergo, *inquit*, sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subitò novam indutus es dignitatem. Et sicut hæc quæ in te Deus læsa curavit, infecta diluit, maculata detersit, nec oculis, nec sensibus sunt credita, ita cùm reverendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente contige, cordis manu, & maximè hausto interiore suscipe. *Hæc clarissima Emisseni verba apertissimè docent, sic & nos in Christum, & sacramenta in corpus & sanguinem Christi permutari: ut quemadmodum nullam nostri mutationem esse factam, quoad substantiam carnis, omnes nostri sensus renunciant, sic corpus Christi non ullis humanis sensibus, aut spectandum aut contingendum proponi, sed sola mente, fide & spiritu, & videndum & manducandum commonefaciat. Diversum autem Iesuita docent, qui mutationem substantialem panis & vini in corpus ipsum, & sanguinem Christi fingentes, & externo corporis gestu in terram provoluti illud adorant, & ore manducari non tantum ab hominibus, sed à soricibus & muribus etiam blasphemè dicunt.*

Denique clarius hæc probat adhuc Emissenus exemplo mutationis quo utitur, à Manna Patribus dato, ad panem Eucharistiæ. Nam quod in Manna, ut omne delectamentum præstaret, desiderium cuiusque faciebat hoc, *ait*, efficere fidem, in hac mystica mutatione, ut, videlicet quod panis est in specie, in spirituali gustu fidei corpus sit Christi. *In quo argumento observandum est Manna & panem Eucharisticum inter se conferri; Omne cuiusque cibi delectamentum & carnem Christi, illud in externi, hoc in interni hominis gustu & desiderio, ut, quod ibi delectatio in ore & faucibus obtinebat, hic benedictio in sensibus operetur. Ubique igitur in usu & in interiori effectu valet argumentum hoc, nec magis de reali aliqua materiæ panis, quàm Mannæ commutatione potest intelligi. Unde idem ait:* Fide hæc æstimanda sunt, non specie, nec exteriore visu, sed interiori effectu, sicut hoc cœlestis confirmat auctoritas, dicens: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Quasi diceret: Huius mysticæ mutationis intelligentiam veram in eo consistere, ut sciamus, Cœnæ communionem, non propter hoc institutam esse, quod exterior usus in specie præbet, sed quod interiori virtute & effectu accipit fides iuxta promissam à Christo carnis suæ, in spiritualem animæ cibum manducationem. Ex his igitur iudicet iam Lector, nullo præiudicio fascinatus, à quorum partibus stet Emissenus, & quàm nihil veneranda illa Antiquitas cum portentoso illo & monstruoso Pontificiorum Transsubstantiationis dogmate, commune unquam habuerit.*

GREGORIVS M.

Ad probandam Transsubstantiationem citatur etiam locus ex Gregorio M. qui lib. 4. Dialog. cap. 58. sic inquit: Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, unum quid ex visibilibus, atque invisibilibus fieri? *Item:* Vno tempore & momento & in excelsis rapitur, ministerio Angelorum, consociandum corpori Christi, & ante oculos Sacerdotis in altari videtur. *Respondeo: Non possunt hæc ex Iesuitæ sententia, de ipsius Filij Dei per realem corporis & sanguinis eius sub specie panis & vini existentiam, oblatione & sacrificio intelligi. Quomodo enim, quod precibus Sacerdotum, per ministerium Angelorum, corpori Christi ei con-*

vide infr. p. 712.

consociandum, ipse in sacrificium realiter oblatus Christus esse, dici potest? Vnde etiam Scholastici hæc Gregorij verba tropicum sensum habere atque ex suscipientis affectu & mente intelligendæ esse docent. Sed, ut intelligi hæc Gregorij verba debeant, ex Augustino quoque cognosci potest. Is enim de Pœnit. medit. cap. 20. & Homil. 50. de Vtil. Pœnit. cùm lapsos in graviora delicta, interim à sacramento cœlestis panis per Ecclesiasticam disciplinam separari iubet, & esse duplex altare dicit, sic utrumque distinguit: Ad hoc altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad divinorum mysteriorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere, quoniam hoc tempore Deus commendat patientiam suam. Accedunt enim ignorantes, quoniam patientia Dei eos ad pœnitentiam adducit: illi autem secundùm duriciem cordis sui thesaurizant sibi iram, in die iræ & revelationis iusti iudicij Dei. Ad illud aurem altare Dei, quo præcursor pro nobis introiuit Christus, quo caput præcessit, cæteris membris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus Apostolus dixit: Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistit, adunato scilicet corpore, cui caput est, quod iam ascendit in cœlum; ipse est, cui dixit Apostolus: Plebs sancta, regale Sacerdotium: quomodo ergo in interiora veli, & in illa sancta sanctorum introire audebit aut poterit, qui disciplinæ modum contemnens, noluit paulisper à visibilibus (divinorum scilicet mysteriorum signaculis) separari.

HESYCHIVS.

Vide Occultadium Dialogum fol. 247. a & b. Videetiam Pleff. p. 719.

HEsychius, ut citatur à Bellarmino, lib. 6. in Leuit. cap. 22. inquit: Sanctificationem mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationem, ei qui verus est Sacerdos, videlicet Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere, & imputare: quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum. *Respondeo: His verbis Hesychius nullam Transsubstantiationem statuit, sed per verbum Christi externa elementa, quæ sub sensus nostros cadunt, ita efficaciter sanctificari docet, ut non quod carnis in eis contemplatur sensus, sed quod fides intelligit piorum mentibus spectandum proponant. Magnum autem miraculum est, nec ullis humanis viribus, sed soli potentiæ Dei adscribendum, ut aliud foris videatur, & à sensibus percipiatur, aliud verò solo mentis & fidei intuitu, sub nullos cadens sensus, videatur. Iesuita autem, quantum quidem in ipsis est, potentiam Dei labefactant, quòd in externis & visibilibus elementis res ipsas cœlestes adeò non posse nobis exhiberi credunt, ut nisi externa elementa in res ipsas permutentur, sensualiterque, secundùm Berengarianam Palinodiam, corpus Christi participandum conferant, non alio loco Sacramenta quàm pro signis prophanis, communibus, nudis & inanibus habeant. Sed inscitiam eorum alterum, Baptismi videlicet sacramentum revincit: in quo cùm nulla, quod ad externum elementum attinet, mutatio intercedat, rerum tamen internarum siue cœlestium, ablutionis scilicet, regenerationis & renovationis fideles participes facit. Quòd si tanta Baptismi vis est, ut quod externa figurat corporis ablutio, id in homini interiori repurgando Spiritus sancti potentia faciat, cur non eandem in altero quoque Sacramento virtutem Dei agnoscunt, ut nimirum quòd panis in pascendo corpore operatur, id Christum in pascenda anima non efficere posse credant, nisi ex pane corpus ipsius formantes, in ventrem & intestina illud per summam impietatem trajiciant.*

DAMASCENVS.

EX Damasceni lib. 4. de Fide c. 14. hunc locum adducit Bellarminus: Quemadmodum omnia quæcunque fecit Deus, Spiritu sancto cooperante fecit, sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. *Et infrà:* Panis, vinumque & aqua per invocationem Spiritus S. supernaturaliter transmuratur in corpus, & sanguinem Christi: & non sunt duo, sed unum, & idem. Non est figura panis, & vinum corporis, & sanguinis Christi; absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum. *Rursus:* Non est figura panis, & vinum corporis & sanguinis Christi, sed ipsum corpus deificatum, ipso dicente: Hoc est corpus meum, non figura corporis, sed corpus, sicut hoc antè Iudæis dixit: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem ipsius, non habebitis vitam æternam. Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. *Item:* Si quæras quomodo panis fiat corpus Christi, & vinum sanguis Christi. Ego tibi respondeo: Spiritus sanctus accedit, & facit hæc, quæ rationem cogitationemque superant divina mysteria, corpus Christi. *Item:* Non descendit ex cœlo corpus Christi, sursum assum-

Vide P. Martyrem in Tractatu decimo super 11. cap. 1. Cor. fol. 287. Vetum de Origine Missæ & Sacram. lib. 7 c. 6. Vide in primis Chamierum in epist. Iesuiticis p. 82. Vide etiam Pleff. p. 737.

assumptum, sed ipse panis & vinum supernaturaliter in corpus & sanguinem Dei transmutantur. *Respondeo, Etsi Damascenus his verbis occasionem primus dederit, ut supra quoque monuimus, imperitis & superstitiosis hominibus qui vera mysteriorum cognitione & doctrina imbuti non fuerunt, dum hæc ita crassè & carnaliter intelligerent, ut Pontificiam Transsubstantiationem inde fabricarent: Rationes tamen firmissimæ sunt, quibus probari potest, Damascenum hac non de Transsubstantiatione, hoc est, de sublata & desinente panis & vini substantia, in qu. eorum locum realiter substituta corporis & sanguinis Christi successione, sed de mystica & spirituali transmutatione, seu arcana salutis humanæ dispensatione, in communicatione rerum cum signis, quæ est ipsa gratia & virtus sacramenti, ex vera & destinato suo fine, in recto ipsius usu sensisse & intellexisse. Hæc ut vera esse, quæ diximus, Lector intelligat, aliquas saltem rationes in medium afferam, qui plures desiderat, & mentem vel sententiam Damasceni penitiùs inspicere flagitat, Orthodoxum consensum à fol. 69. ad folium 73. usque legat. Itemque Fortunati Crellij Disceptationem de re Eucharistica, cum Gregorio de Valentia: fol. 21. & seq.*

Primò, Damascenus Christi corpus, quod in cœlos assumptum est, de cœlo descendere negat, sed panem & vinum manente substantia & corporali eorum in mysteriorum institutione usu, in corpus & sanguinem Christi transmutari affirmat. Alioquin panem & vinum transsubstantiari, hoc est, corporali præsentia, & successione corporis Christi desinere & aboleri, non est Divinitatem eis adiungi, Sicut rectè hoc Thomas observavit par. 3. Sum. q. 75. art. 2. Vbi hanc Damasceni sententiam, velut Transsubstantiationi contrariam abiecit, quod Divinitatis cum pane & vino coniunctio sit rerum existentium, quæ panem & vinum manere præsupponat. Sed adeò frigidè & sophisticè respondet, ut everso potiùs violentem quàm fidelem interpretem Damasceni sententiæ se esse non obscurè ostendat. Nam si panis substantia non mutatur, per Divinitatis coniunctionem, certè non magis mutata ideo dici poterit, quod per hanc Divinitatis coniunctionem corpus Christi fieri dicatur. Quoniam igitur panis neque substantiali transmutatione fit corpus Christi, neque reali copulatione ei adiungitur, quod sursum assumptum de cœlo non descendit: longè alium supernaturalis illis transmutationis modum & sensum esse oportet, quàm vulgò multis iam annis fœdissima inscitia decepti Pontificij senserunt.

Secundò, hanc esse Damasceni sententiam hoc confirmat, quòd dicit: Panem & vinum assumi, propter humanam infirmitatem, quæ non consueta *adversatur. Atque ideo non sine manifesta sententiæ huius explicatione dicit,* Transmutationem, *de qua loquitur,* Spiritus S. operatione supernaturaliter factam, non nisi sola fide percipi, *ut scimus nihil esse aliud quàm exterioris Sacramenti interiorem veritatem & visibilis mysterij invisibilem virtutem, seu efficientiam, qua carne & sanguine Christi spiritualiter, & ad vitæ participationem in fide fruuntur fideles. Qua veritas & interior virtus, non vi aliqua verborum fit, aut pronunciatione, sed Spiritus sancti operatione, quæ fieri petitur solenni illa Prece in Liturgijs, postquam iam Cœnæ verba recitata sunt: ne ex intentione consecrantis, & virtute pronunciationis verborum Transsubstantiationem Pontificiam ex Damasceno somniemus: Nam quia Damascenus ad Liturgias se refert, ex ipsis etiam de sensu & intellectu eorum quæ disputat meritò iudicari debet.*

Tertiò, hanc Damasceni sententiam adhuc magis confirmat, quòd panem non figuram corporis, sed corpus supernaturali quadam, in illud Spiritus sancti adventu, facta transmutatione vult, *eo videlicet sensu, quo hoc antea Christus explicauit, sic inquiens:* Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verè est cibus, &c. *Sentit igitur Damascenus, verba Cœnæ Dominicæ eo modo, quo panis est & dicitur corpus Christi, & hoc verè in Cœna communicatur, definiri & indicari debere, ex doctrina Christi Ioan. 6. c. de spirituali & vivifica carnis suæ manducatione. Talem igitur hanc supernaturalem, panis in corpus Christi, mutationem docere voluit Damascenus, qualis est carnis Christi apud Ioannem tradita & commendata manducatio.*

Quartò, quod in primis notandum est, Damascenus dicit, Κρ@- κ, οὐ@- μεταβαλόντα, *quod interpres malè vertit,* panis & vinum transmutantur.

Denique illud etiam diligenter observandum est, quòd Damascenus orthodoxam fidem tradens, pleraque quibus in explicanda transmutationis ratione utitur, ex Gregorio Nysseno desumpserit, & propterea illa etiam non aliter quàm ex Nysseni sententia intelligi debere. Hoc si fiat, nemo eum de substantiali aliqua panis in corpus Christi mutatione loquutum esse dicet.

Quicquid autem sit de Damasceno, illud tamen etiam constat, inclinante iam eius tempore vera ac cœlesti doctrina, & revelante se apertè iniquitatis mysterio, cum tot pudendis & non ferendis erroribus scatere, ut scripta

eius

eius non magnam admodum apud omnes pios authoritatem mereantur. Nam præterquam quod cultum Imaginum pertinaciter defendit, & fide sanctos mortuos colendos tradit; de Purgatorij etiam pœnis multa fabulatur, sicut precibus Gregorij Traianum Imp. hominem impium & Ethnicum liberatum ex cruciatibus inferni affirmare ausus fuerit. De Macario autem antiem quandam fabulam recitat, eum nimirum cum cranio hominis demortui colloquutum, à quo audiverit, quòd defunctorum animæ sacrificij Missæ tempore minùs tractentur, & non tanta suppliciorum atrocitate excrucientur. Nec minus impia & absurda sunt, quæ ex eodem authore citat Turrianus Iesuita, libellum quendam eius de Corpore Christi ex tenebris proferens, quem se reperisse in Bibliotheca Cardinalis cuiusdam Sfortiæ dicit, in quo ille corpus Christi, *ait* elevari in crucem, frangi, distribui, & in nobis sepeliri, nec tamen corrumpi: sæpenumero etiam sceleratis manibus fœdè tractari & projici, imò à muribus quoque & soricibus arrodi ac vorari, non tamen corrumpi, neque interitum capere, *quæ nec à Scholasticis quidem approbata sunt. Vide plura in hanc sententiam de Damasceno in libello incerti authoris, in scripto*, Dialla cticon de veritate, natura atque substantia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. *fol.* 40. *& seq.*

THEOPHYLACTVS.

Vide P. Martyrem in Tract. de Cœna super 11. cap. 1 Cor. fol. 181. Occolampadij Dialogum fol. 161. Brentium de Orig. Missæ. & Sacram. lib. 7. c. 6 Danielem Chamierum in 2. tom. Iesuitic. cap. 58.

EX *Theophylacto in cap. 26. Matt. hoc testimonium profert Bellarminus*: Portò dicens; Hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit; Hoc est figura: sed, Hoc est corpus, Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis videatur panis. *Alium deinde citat locum ex eodem, qui 1. Corinth. 11. explicans illud*, non dijudicans corpus Domini: *Sic ait*, Si certiores essemus, quisnam, & quantus sit ille, qui nobis in conspectu adiacet, nulla ferme rei alterius ope indigeremus, sed solus ille, & continentiam nobis, & vigilantiam compararet. *Respondent aliqui, eundem authorem scribere. Sed in græco Exemplari hæc vox* TANTVM, *non inuenitur. Nihilominus hæc verba commode etiam exponi possunt, quasi istorum verborum explicationis loco, in cap. 14. Marci, & cap. 6. Ioan.* Panem sanctificatum, qui in mysterijs manducatur, non esse Figuram TANTVM carnis Domini, sed ipsam carnem, dicente Christo, panis quem ego dabo, caro mea est, Nisi ederitis carnem Filij hominis, &c. Non dixit; Panis quem ego dabo, figura carnis meæ est, sed caro mea est. *Loquitur enim Theophylactus, de spirituali intellectu, usu & virtute mysterij, in quo cum occulta salutis nostræ dispensatio contineatur & fiat, recte non figura, sed veritas esse dicitur. Non enim figura verus est cibus, nec vitam æternam dat figura: sed caro & sanguis Christi, ut ipsemet Ioan. 6. cap. testatur. Quo itaque respectu & sine hac sic dicta accipienda sunt, eo etiam modo panis in mysterio manducatus, non nuda & simplex figura tantùm, sed & ipsa caro est, sicut nimirum, ut idem docet Theophylactus, in eam, divina hoc efficiente gratia, convertitur & mutatur, spiritualiter videlicet, & in ipsa mysteriorum virtute, qua iuxta Cyprianum, adest veritas signo, & Spiritus sacramento. Et ut hac mystica conversio, seu mutatio, quam Theophylactus dicit invisibilis Spiritus sancti operatione & gratia, in ipsa Sacramenti sanctificatione fieri, ex veteris Ecclesiæ Patrum sententia intelligi debeat, eleganter & orthodoxè explicat Paschasius capite decimo & undecimo, his verbis:* Panis in corpus, vinum & aqua in sanguinem vertitur, ut per hoc significetur, QVID Fides percipiat. *Et Bertramus*: Panis & vinum in corporis Christi carnem, & proprij cruoris undam, omnipotenti Spiritus virtute INTERIVS convertitur: Quod Fides aspicit, animam pascit, & æternæ vitæ substantiam administrat. *Eodem sensu Theophylactus panem mysticum, non corporaliter, & per essentiam, sed spirituali conversionis modo, carnem Christi esse vult intelligi.*

Vide Bullerum p. 739.

Hoc primò inde potest apertissimè colligi, quòd ad veritatem carnis Christi, in usu Eucharistiæ confirmandam, citat verba CHRISTI *Ioannis sexto capite, quæ non de figura, sed de carne sua danda, & edenda loquantur. Secundùm quod igitur verba institutionis* Hoc est corpus meum: *spirituali suo sensu explicantur ex hisce verbis Christi*: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita: Qui edit carnem meam, manet in me, & ego in ipso: *non utique respondens tantùm figura est, sed & veritatem ipsius rei, in verbo promissionis, adiunctam habet hoc mysterium.*

Secundò ex his ipsis verbis Theophylacti, quibus panem mysterij negat esse figuram tantùm, *constat, quòd non corporalem esum; sed spiritualem carnis Christi, in mysteriorum celebratione traditum & commendatum esse, intelligi velit. Quod igitur* panem, carnem Christi esse dicit, *id non magis, realis alicuius præsentiæ & manducationis fine & respectu dictum ab eo credendum est; quàm hac corporalis præsentia & manducatio, ex illa*

Con-

Concione Christi Ioan. 6. rectò eius ac genuino sensu probari potest. Quia etiam omnem veræ carnis Christi manducationem, præter spiritualem illam ἀνθρωποφαγίαν & σαρκοφαγίαν esse agnoscit, non certè eiusmodi mutationem panis in corpus Christi docere voluisse Theophylactus existimandus est, qua realis aliquis esus corporis Christi introducatur.

Tertiò, hoc nos etiam docent illa verba Theophylacti: Manente & seruata specie (*id est, substantia*) panis, cui assueumus, in virtutem carnis Christi, fieri transelementationem. *Hoc enim nihil aliud est, quàm si diceret: In vero & spirituali Eucharistiæ usu, symbola rerum ipsarum non tantùm nomina, sed etiam virtutem & proprietatem assumere, non reali aliqua in se facta transfusione, sed ipsa Spiritus sancti gratia & operatione, in legitimè utentibus, hoc est, fidelibus: de quibus idem Theophylactus Ioan. 6. sic scribit:* Quisquis gratiam Spiritus sancti per diuinorum mysteriorum sumptionem susceperit, neque famem spiritualem, neque sitim patietur, qualem increduli. *Hoc igitur mutationis modo, nec alio, panis & vinum in Eucharistia in virtutem carnis & sanguinis Christi transelementatur, hoc est, usu, significatione & virtute mysterij, ultra communem naturam panis & vini elementaris transuehitur, ut quod foris exteriore specie, visu & gustu panis est & vinum, hoc interiore virtute & gratia, in fide & effectu Sacramenti, sit vel fiat corpus Christi. Hoc ipsum eleganti ſimè rectiſſimeque suprà explicat Bertramus, sic inquiens:* Panis ille, qui per Sacerdotis mysterium Christi corpus efficitur? aliud exteriùs humanis sensibus ostendit, aliud fidelium mentibus clamat. Exteriùs quidem panis est, quod antea fuerat, at interiùs longè aliud multoque preciosiùs intimatur, quia cœleste, quia diuinum, id est, Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed fidelis animi intuitu, vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur. Vinum quoque quod Sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficietenus ostendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in superficie, quàm substantia vini conspicitur? At interiùs si consideres, iam non liquor vini, sed liquor sanguinis Christi, credentium mentibus, & sapit, dum gustatur, & agnoscitur, dum conspicitur, & probatur, dum odoratur. Atque hoc modo panis ille, vinumque figuratè Christi corpus & sanguis existit. *Item:* Quoniam igitur confitentur, corpus & sanguinem Christi esse, nec hoc esse potuisse, nisi facta in melius commutatione: Ista autem commutatio non corporaliter facta est, necesse est, ut iam spiritualiter facta esse dicatur, quia secundùm aliud panis & vini species consistit, secundùm aliud autem corpus & sanguis. *Idem sentit ac docet etiam Paschasius, qui* panis & vini substantiam, in carnem & sanguinem Christi, efficaciter INTERIVS dicit ijs commutari, qui spiritualiter aliud gustant, quàm quod ore carnis sentiunt, & aliud vident, quàm quod corporis oculis intuentur.

Quartò, qui sensus, quæue sententia horum Theophylacti verborum sit, ipsemet declarat, sic inquiens: Qui manducat me, viuet propter me, dum quodammodo miscetur mihi, & transelementatur in me. *Hinc velut ab effectu intelligi facilè potest, de quo mutationis modo loquatur Theophylactus, Nam quemadmodum fideles tantùm, & quidem spiritualiter tantùm, in corpus Christi transelementantur, & in unam, sicut Chrysostomus loquitur, massam cum eo rediguntur, sic etiam pijs tantùm mysticè panis in carnem, hoc est, carnis Christi virtutem, eo quo diximus modo transelementatur. Hoc igitur vero & instituto Sacramenti fine & usu, ut nimirum carnis Christi participes effecti, unum cum ipso corpus simus, Panis non figura tantùm, sed & caro Domini rectè & est & dicitur. Non enim figura, sed participatio corporis Christi hoc efficit, ut in id quod sumimus, hoc est, in carnem ipsius transeamus. Sicut nec in corpus Christi transelementantur, qui figura tantùm participes sunt.*

Quintò, quòd Theophylactus, mysticam istam conuersionem seu transformationem, non de Pontificiorum Transsubstantiatione intelligat, apertissimè omnium inde intelligitur, quòd verba Cœnæ, Hoc est corpus meum, *de pane dicta esse asserit:* Gratias egit, *inquit,* fracturus panem, ut & nos eruditi, cum gratiarum actione panem esse offerendum. Porrò dicens, Hoc est corpus meum: ostendit, quòd panis, qui in altari sanctificatur, ipsum corpus Domini est, & non respondens figura. Non enim dixit: Hæc est figura, sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili operatione enim transformatur, etsi nobis videtur panis. *Item:* Nec quem conturbet, quòd panis credendus est caro. *In hac verborum Cœnæ explicatione duo distinctè dicit Theophylactus: Primum est, panem, qui in altari sanctificatur, & in mysterijs manducatur; manente eius substantia, corpus Christi esse. In quo sanè Pontificijs manifestè contradicit. Secundum est, Hunc panem, eo modo, quo corpus Christi est, ineffabili operatione Spiritus sancti transmutari. Non igitur sensit Theophylactus, panem desinere esse panem, sed suam substantiam retinere,*

nere, & credendam esse carnem, quòd in eam mysticè vel sacramentaliter Spiritus sancti virtute transmutetur vel transformetur.

CAPVT XIII.

Cœnam Domini non esse Sacrificium, in quo reale Christi corpus Deo Patri offeratur.

VOLVNT *Pontificii in Missa offerri verum & reale Sacrificium veri corporis & sanguinis Christi, pro redemptione animarum & salute fidelium. Vnde Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 1. ex Synodi Tridentinæ determinatione Sess. 22. can. 2. docet*, Sacrificium Missæ non solùm propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis: nec solùm pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atque adeò mortalibus. Præterea non solùm impetratorium esse spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium: & idcirco rectè offerri posse pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscunque aliis necessitatibus. *Hic igitur Quæstio oritur*, An nimirum Christus in Cœna tale sacrificium instituerit, & hodie in Missa offeratur, necne? *Pontificij affirmant, nos contrà negamus.*

Equidem Eucharistiam, vel Cœnam Dominicam Sacrificium esse & posse dici rectè sensu, nemo hactenus, quod sciam, ex nostris negavit: sic enim à Patribus primitiva Ecclesiæ sæpius appellatur: nec tantùm propter illa pietatis exercitia, qua veteris Ecclesiæ more in celebratione Cœnæ Dominicæ usurpata fuerunt, ut sunt eleemosynarum contributio, preces, gratiarum actiones, prædicatio & annunciatio mortis Domini, & similia, qua omnia sacrificiorum nomine in sacrâ etiam Literâ nuncupantur; quemadmodum etiam ista exercitia pietatis, qua occurrunt in Cœna Domini, fidei scilicet, pœnitentiæ, spei & dilectionis, quæ spirituales hostiæ à Petro nominantur: sed etiam propter ipsam Cœnæ actionem, sic appellatur. Passim enim tum Græci, tum Latini Patres, non solùm Eucharistiam nominant θυσίαν, προσφορὰν, τελετὴν, Sacrificium, oblationem, hostiam, victimam, sed utuntur etiam verbis, offerre, immolare & sacrificare.

Illud verò pernegamus, eo sensu Eucharistiam Sacrificium, oblationem, victimam, &c. *vel appellari, vel esse, sicut Papistæ volunt, quòd nimirum* in Missa, Christus verus Deus & homo, corporaliter & personaliter sacrificetur, immoletur & offeratur Deo. *Hoc nostrorum Theologorum ratio-*

nibus & argumentis probabo, quæ Bellarminus quoque citat, & refutare conatur, sed frustra, sicut ex Responsionibus nostris intelliget Lector.

PRIMVM *argumentum sumitur ex differentia Sacramenti vel Testamenti, & Sacrificij. Quicquid est Sacramentum, vel Testamentum, id non est Sacrificium. Sed Eucharistia, seu Dominica Cœna est Sacramentum & Testamentum. Ergo Cœna Domini non est sacrificium, eo nimirum sensu, ut Pontificij volunt. Major probatur: In Sacrificiis, homines Deo aliquid offerunt: at in Sacramentis à Deo hominibus aliquid datur: similiter Testamentum continet promissionem hæreditatis nobis à Deo factam. Deinde Sacramenti & Testamenti promissio fide accipitur: Sacrificium contrà ex fide procedit. Sacramentum & Testamentum ad nos à Deo descendunt, sacrificium à nobis ad Deum ascendit. Et sicut non idem est Oratio, & quod Oratione accipitur, ita non possunt esse idem Sacramentum & Sacrificium. Denique, sicut ridiculum est dicere, per Testamentum dari aliquid testatori ab hærede, quum contrarium fiat: sic etiam ridiculum est, si quis dicat, per Sacramentum Cœnæ nos Deo aliquid offerre, quum ipse potiùs nobis aliquid promittat & donet. Minor verbis Christi confirmatur, qui in Cœnæ institutione dicit*, Hoc poculum Novum Testamentum est in sanguine meo.

Missam non esse Sacrificium ratio ex corporis Christi.

Bellarminus contrà dicit, Tam Sacramentum, seu Testamentum, quàm Sacrificium esse Christi opus & actionem. *Ratio*: Idem enim Christus qui nobis seu seipsum per Eucharistiam præbet in cibum, seipsum quoque per Eucharistiam obtulit Patri, & quotidie per Ministros suos offert in sacrificium. Imò, *inquit*, inter alia dona, quæ nobis moriens Testamento suo reliquit, unum fuit corpus ipsius & sanguis, quo uteremur tum ut illa Deo offerremus, tum ut inde animæ nostræ reficerentur. *Respondeo, petit principium Iesuita: id enim pro argumento sumit, de quo est controversia. Negatur enim Christum seipsum in Eucharistia Patri obtulisse, suumque corpus & sanguinem oblationis causâ reliquisse.*

Deinde dicit, in nostro argumento non distingui rationes formales Sacramenti, seu Testamenti, & Sacrificij: ita enim argumentum procedere, ac si dicerent Iesuitæ, sacrificium, qua sacrificium est, esse Sacramentum, vel Testamentum, & contrà: vel dare, idem esse quod accipere: petere, idem quod promittere. At, *inquit*, non ita sumus hebetes, aut rudes, ut ista dicamus. Sed quod dicimus, hoc est: Eucharistiam Sacramentum esse, quatenus est signum

externum & visibile invisibilis gratiæ , & refectionis, quæ nobis confertur,dum Eucharistiam ritè sumimus : eandem esse Testamentum , quatenus est instrumentum publicum , & authenticum divinæ voluntatis & promissionis:eandem esse victimam & sacrificium , quatenus Deo offertur. *Respondeo , pugnantia loqui Iesuitam , nempe , Eucharistiam simul esse & non esse Sacrificium & Sacramentum. Esse quidem, quia dixit Eucharistiam esse opus vel actionem Christi in oblatione. Non autem esse,quia iam dicit, Sacrificium , quà Sacrificium , non est Sacramentum.*

Quòd verò addit : Non repugnat , unum & idem accipi, & dari : neque valet quicquam illa consequentia , Accipimus à Deo Eucharistiam , Ergo non possumus eandem illi offerre. Nam nihil omnino habemus quod Deo offeramus , nisi quod ab eo accepimus , 1. Paral. 29. *Respondeo : hac non est ratio consequentiæ in hoc nostrorum argumento , Eucharistia non est sacrificium , quia divinitus nobis datur : sed quia à Christo instituta est in usum Ecclesiæ,juxta illud, Accipite,edite, bibite,hoc facite , ideo à nobis non est Deo offerenda.*

II. SECVNDVM *argumentum sumitur ex ipsa Cœnæ institutione:& sic formari potest:Quod non continetur in Christi institutione , id cum ea pugnat. Sacrificium Missæ non continetur in Christi institutione : Ergo cum ea pugnat,& proinde Eucharistia non est Sacrificium , ut à Pontificiis describitur. Minor probatur : In tota actione Cœnæ non legitur,quòd Christus vel seipse Deo Patri suo obtulerit ,vel Apostolos,aut eorum successores id facere iusserit. Respondet Bellarminus* , hoc argumentum negativum, Illud non habetur expressum in Verbo Dei, Ergo non est factum , etiam pueris ridiculum esse. *Sed contrà, Determinatio usus vim habet interdicti , ne in alium usum convertatur. Certè si sacrificium , seu oblatio de Missæ substantia & præcipua ejus pars esset, ut Sacrificuli volunt , non utique Christus oblationem in institutione omisisset:unico autè verbo mentionem ejus fecit, sed dixit,* Accipite , edite, hoc facite in mei commemorationem: *non igitur vult, ut alius sit ejus usus præter sumptionem.*

Respondet Bellarminus : Nullus Evangelista scribit , in ultima Cœna Christum immolâsse agnum Paschalem , & eundem comedisse accinctis renibus , & cum baculis in manu : & tamen nemo dubitat ista omnia facta esse , quum esset Dominus observantissimus Legis, & Pascha parari iussisset. *Vult igitur Iesuita* , hinc colligi posse , etiam in Cœnæ institutione oblationem à Christo factam vel mandatam esse Apostolis , licèt ab Evangelistis nulla eius fiat mentio. *Respondeo : minimè verò. hoc sequitur. Diversa enim sunt institutio alicuius rei , & administratio ejusdem, & proinde etiam diversimode de iis scribimus & loquimur. In institutione agni Paschalis recensentur partes integrales omnes Exod.* 12. Immolabit agnum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam , & sument de sanguine eius, & ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum , in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni , & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua , sed assum tantùm igni. Caput cum pedibus eius , & intestinis vorabitis , nec remanebit quicquam ex eo usque manè. Si quid reliduum fuerit , igne comburetis. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis , & calceamenta habebitis in pedibus , tenentes baculos in manibus , & comedetis festinanter. *In his institutionis verbis integrè describitam habemus formam & ritum agni Paschalis:non igitur opus fuit, ut in administratione ejusdem , à Christo celebrata, eadem partes rursus integrè ab Evangelistis commemorarentur : sed satis fuit unam partem nominasse,ut ex ea totum intelligeretur, Similiter in institutione Cœnæ,partes integrantes omnes ab Evangelistis enumeratæ sunt , ita ut si cujus rei non fiat mentio : eam ad Cœnam non pertinere omnino credendum sit. Posteà verò quum mentionem fecerunt Cœnæ , easdem partes omnes & singulas non recensuerint, sed satis illis fuit simpliciter dixisse.* Erant perseverantes in fractione panis, *ut ex una parte reliquæ omnes, in institutione enumeratæ , intelligerentur.*

Sed adducit Iesuita adhuc aliud exemplum: Neque dicunt expresè,*inquit*, Evangelistæ, Christum in calice,quem sanguinis sui calicem appellavit , posuisse vinum. Nam illa verba : Non bibam ex hoc genimine vitis: suprà ostendimus dicta esse de calice,quem bibendum dedit Dominus post agni Paschalis manducationem , non de calice Eucharistiæ : & tamen quis hoc tempore inficiaretur in illo calice fuisse vinum ? *Respondeo : & nos suprà probavimus , verba illa Christum de calice Eucharistiæ , non de alio loquutum esse : ideoque etiam Lectorem eò remittimus.*

III. TERTIVM *argumentum sumitur à Sacerdotio Christi. Si Christus Sacerdos est in æternum ad reconciliandũ Patrẽ unico suo sacrificio, nulli alii constituendi sunt Sacerdotes qui Christum Deo offerant. Sed prius est verum: Psal.*110. Tu es Sacerdos in æternum, secundùm

dùm ordinem Melchisedek. *Hebr.* 7. Christus, propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium. *Ergo verum quoque est posterius. Vnde Paulus ad Hebr. eodem capite*, Illi plures facti sunt Sacerdotes, quòd mors eos prohiberet manere: &c. *His verbis non concedit Apostolus ullorum Sacerdotum multiplicationem, nisi propter mortem præcedentium: vivente enim Aarone nemo summi Pontificatus potestatem habuit, sed propter ejus obitum in eandem dignitatem successit Eleazarus. Christus autem non moritur, sed semper vivit, & Sacerdos manet: Ergo solus fungitur Sacerdotio: & proinde Missa non est tale Sacrificium ut Papistæ volunt.*

Respondet Bellarminus, Apostolum excludere absolutè multiplicationem Sacerdotum in eadem dignitate & potestate: non autem Sacerdotum inferiorum, & qui respectu Christi, Ministri sint & dicantur. Nam in Lege veteri ob mortem Aaronis, successit illi in eadem dignitate & potestate Eleazarus, Eleazaro, Phinees, &c. & si nunquam Aaron mortuus esset, nullus ei successisset: tamen vivente etiam Aarone multi alij erant inferiores Sacerdotes. Sic igitur Christo nemo succedit in eadem dignitate & potestate, quia nunquam moritur: tamen ipso vivente, multi inferiores ordinantur, qui sunt eius vicarii & administri. *Respondeo, fatemur & nos Apostolum, propter Christi Sacerdotium, non reiicere Ministerium Ecclesiæ, quòd dignitas ejus sit limitata, & propterea non æqualis gloriæ Christi: sed cum Iesuita dicimus, Apostolum absolutè excludere multiplicationem Sacerdotum in eadem dignitate & potestate: & propterea nihil contra nostrum argumentum affert Iesuita.* At, *inquit Iesuita*, nullus Catholicorum dixit unquam, Sacerdotes, qui sunt in Ecclesia, Christo in eadem dignitate & potestate succedere. *Respondeo, verbis quidem hoc negant, sed facto affirmant. Dicunt enim apertè*, Sacerdotes ipsis etiam Angelis esse sanctiores: esse mediatores Ecclesiæ, qui causam eius coram Deo agant: qui actione illa Sacrificii, offensam Patris placent, & impetrent Ecclesiæ propitiationem, & alia cùm spiritualia dona ad salutem necessaria, tum etiam corporalia ad hãc vitam pertinentia; imò redemptionem animarum, & earundem liberationem ex Purgatorio. *Synodus Tridentina docet*, Sacerdotibus potestatem datam esse, consecrandi, offerendi & ministrandi corpus & sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi & retinendi. *In Stella Clericorum: & Discip. Ser.* 122. *hæc verba leguntur*: Sacerdos est creator Creatoris sui: qui creavit vos, dedit vobis creare se: qui creavit vos absque vobis, creatur à vobis, mediantibus vobis. *Et tamen Scarga Iesuita Vilnensis art.* 9. *f.* 265. *dicere audet*, dictum hoc blasphemum, Sacerdos est creator sui Creatoris, non prodijsse à Catholicis, sed ab hæreticis. *Hæc quum ita sint, & præsertim quum Sacerdos sit creator sui Creatoris, ac verum Christum Deum & hominem offerat Deo in Missa; sic ut Missa & Crucis sacrificium idem & numero & subjecto sint: sequitur sanè, Sacerdotes Pontificios succedere Christo in eadem dignitate & potestate: & proinde quoque, vel ipso etiam Bellarmino confitente, verbis illis Pauli, cum suo sacrificio excludi.*

IV. QVARTVM *argumentum sumitur à Sacrificio Christi, & sic formari potest: Si Christi sacrificium in cruce semel factum, est perfectissimum, vim, virtutem & efficaciam habet infinitam, & in omnia sæcula durantem, non est repetendum. Sed prius est verum. Ad Hebræos enim* 9. *cap. docet Apostolus*, Summum Pontificem semel sub consummationem seculi, ad destructionem peccati apparuisse, & nunc in cœlum intrâsse, non ut offerat sepsum sæpius, sed ut appareat vultui Dei pro nobis: *Ergo sacrificii Crucis virtus & efficacia est infinita & perfectissima, adeoque in æternum durans. Deinde* 10. *cap. dicit*, Sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu semel factam. *Et rursus ibidem:* Vnica oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur. *Item*: Vbi est peccatorum remissio, non est amplius oblatio pro peccato. *Denique Christus ipse in Cruce pendens testatus est*, Consummatum esse: *Ioan.* 19. *Ergo. Verum igitur est posterius quoque, In Eucharistia nullum reale sacrificium corporis & sanguinis Christi esse repetendum. Aliquin nihil sublimius & majus de Christo sentiremus, quàm de brutis animalibus, quæ in Lege immolabantur: quorum sacrificia idcirco imperfecta habebantur, quòd subinde iterabantur.*

Adhæc Bellarminus, Fatemur, *inquit*, sacrificium crucis vim infinitam & sempiternam habere ad sanctificandum, atq; inde sequi concedimus, nó esse opus alio sacrificio crucis, aut eiusdem sacrificii crucis repetitione; id est, non esse opus, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idé Christus sæpius moriatur. Negamus autem inde sequi, non posse sine crucis Christi iniuria multiplicari sacrificia repræsentantia sacrificium crucis, & ejus fructú nobis applicantia. Nam si ita esset, non solùm tollerentur Missæ de medio, sed etiam efficeremus omnia sacrificia Testa-

menti Veteris fuisse peracta in injuriam crucis Christi. Nam sacrificium crucis non solùm vim habuit sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos: inde enim dicitur, agnus occisus ab origine mundi, Apocalyp. 13.

Respondeo, primò, *Apostolum in his locis Epistolæ ad Hebræos generaliter loqui, nulla adhibita distinctione, vel exceptione sacrificii repræsentativi, ut à Sacrificulis accipitur, vel alterius generis.* Semel, *inquit*, oblatus est. Non necesse habet quotidie pro peccatis offerri. Vbi est peccatorum remissio, ibi non est ampliùs oblatio pro peccato, &c. *Itaque Apostolus docet, Christum semel oblatum, nec ampliùs, sive cruento, sive incruento modo, sive repræsentativè, sive aliter offerendum esse.*

Secundò, *propter vim infinitam Sacrificij Crucis, concedit Iesuita, non opus esse alio sacrificio Crucis, aut ejusdem sacrificij repetitione, propter finitam autem virtutem sacrificij Missæ id repetendum esse docet. Vnde lib. 2. de Missa cap. 4. dicit*: Valor sacrificij Missæ finitus est. *Et hoc communi Theologorum sententia & usu Ecclesiæ sic probat*: Si Missæ valor infinitus esset, frustra multæ Missæ, præsertim ad rem unam eandemque impetrandam, offerrentur. Si enim una infiniti valoris est, certè ad omnia impetranda sufficiet. Quorsum igitur aliæ? *Contrà verò Caietanus Cardinalis tract. 2. de Celebrat. Missæ, cap. 2. quæst. 1.* Virtus, *inquit*, Missæ infinita est, quia est virtus Jesu Christi in seipso. *Rursus*: Quantitas sacrificii est infinita, ita quòd est impetrativum, meritorium, & satisfactorium infinitè. Vnde effectus ejus est infinitus, sicut & passionis Christi. *Hujus ergo Cardinalis verbis responsio Bellarmini prostratur quoque. Si enim virtus Missæ est Christi, quam habet in seipso, cur Bellarminus dicit*, Missæ valorem esse finitum. *Sin vis & efficacia Missæ est infinita, sicut passionis Christi, ut Cardinalis docet, ergo non solum juxta Pauli doctrinam, sed ipsius Bellarmini quoque concessionem, non est repetenda.*

Tertiò, *distinguit hoc loco Iesuita, inter sacrificium Crucis & Missæ*: illud infinitam vim habere dicens, & propterea non repetendum, hoc verò finitam virtutem habere affirmans, ideóque sæpius repetendum. *Alibi tamen concedit*, idem esse sacrificium Missæ, cum sacrificio Crucis numero & subiecto. *Et lib. 1. de Missa, cap. 10. docet*, Sacrificium Missæ non esse opus nostrum, sed Dei: Per oblationem, *inquit*, quam Spiritus sanctus mundam appellat, non debent intelligi opera nostra, id est, sacrificia, impropriè dicta: sed Sacrificium à Deo institutum, quod ab ipso Deo, non à nobis vim suam habeat. *Quòd si opus Dei est, cur dixit suprà, valorem ejus esse finitum?*

Fatemur tamen, Eucharistiam posse aliquomodo esse & dici Sacrificium repræsentativum Crucis sacrificij: verum non hypostaticum, seu reale, ut Papistæ volunt, sed typicum & symbolicum, sicut erat etiam sacrificium Melchisedechicum & Aaronicum: in quo gratias agimus Filio Dei, pro ineffabili illo beneficio, quod nobis præstitit in cruce, oblatione corporis & sanguinis sui, in redemptionem animarum nostrarum.

QVINTVM *argumentum: Testamenti confirmatio à morte testatoris pendet. Sed Missa est Nouum Testamentum: imò quot sunt Missæ tot sunt Testamenta: Ergo morte testatoris, hoc est, Christi sunt confirmanda: & ideo unica illa mors Christi, aut non creditur, aut pro non sufficienti habetur. Respondet Iesuita:* Si Catholici dicerent, in sacrificio Missæ verè Christum mori, hoc argumentum aliquid virium habere videretur: Sed dicunt omnes, Christum non mori nisi in Sacramento, seu signo repræsentante unicam illam mortem, quam aliquando obijt. V.

Respondeo primò: *Si in signo tantùm moritur: ergo non verè moritur: & proinde non est verum & reale in Missa Sacrificium. Nam Bellarmino teste lib. 1. de Missa, cap. 27.* Sacrificium verum & reale, veram & realem occisionem exigit, nam in occisione ponitur essentia sacrificii: *& hoc paulò pòst repetit. Vnde Emanuel Vega Hispanus Iesuita, mortem non signo visibili & inanimato, sed personæ Christi sub speciebus latenti imputat, inquiens:* Hoc consecrari & offerri quod cùm per se vivat, tamen iussu Dei in formam rei mactatæ redigatur. At signum per se non vivit.

Secundò, *si probare possumus, Papistas docere, non in signo, sed verè Christum mori, vicit argumentum nostrum, ipsius Bellarmini confessione. Hoc autem facile probari potest. Nam lib. 1. de Missa, cap. 27. dicit: Bellarminus:* Verum & reale sacrificium, veram & realem mortem aut destructionem rei immolatæ desiderat. *Sed Missa est verum & reale sacrificium: ergo mortem aut destructionem rei immolatæ, hoc est, veri Christi, desiderat. Idem dicit:* Quid est immolatio, nisi rei viventis in honorem Dei mactatio? *At in Missa immolatur vivus & verus Christus: Ergo ibidem etiam mactatur & occiditur. Rursus lib. 1. de Missa, cap. 27. dicit:* Christus per consecrationem ad manducationem, & per hoc ad destructionem ordinatur. *Vbi autem Christus destruitur, ibi & moritur. At licet per destructionem, comestionem intelligas, nihilo-*

nihilominus procedit argumentum: Nam caro & ſanguis non ſunt apta ad cibum, niſi animal moriatur.

Sed inſtat: Solùm occiſio & mors requiritur in oblatione rei viventis, & quæ in forma rei viventis offertur, ut quum offeruntur agni, vituli, boves, & ſimilia, quorum deſtructio in morte conſiſtit. At quum forma ſacrificii eſt rei inanimæ, ut panis, vini, thuris & ſimilium; non poteſt requiri occiſio, ſed ſolùm conſumptio rei illi conveniens. In Miſſa igitur offertur quidem Chriſtus, qui eſt res vivens, & offertur in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem, ubi ſolùm requiritur mors repræſentata, non autem mors re ipſa: ſed ut eſt ſacrificium reale, & propriè dictum, offertur in forma panis & vini, ſecundùm ordinem Melchiſedech, & proinde in forma rei inanimatæ. Quare conſumptio huius ſacrificij, non debet eſſe occiſio, ſed manducatio. *Reſpondeo: Si Chriſtus offertur in forma rei inanimatæ, ut dicit Ieſuita, non offertur verè ac realiter: Nam in typo Chriſtus typicè, non perſonaliter & verè habetur & moritur. Deinde blaſphemia eſt dicere, Chriſtum non realiter coram Deo, ſed fictè ſolùm mori, per manducationem autem deſtrui & conſumi in ventriculo, Religioſiùs certè Gloſſa ordinaria dicit*: Quàm citò hoſtia dentibus teritur, tam citò corpus Chriſti ab Angelis in cœlum defertur. *Tertiò, mirandum ſanè eſt, iſtiuſmodi homines in Miſſa mortem repræſentatam Chriſti urgere, è contrà verò præſentiam repræſentatam ejuſdem reijcere.*

VI. SEXTVM *argumentum ſumitur ab authoritate Primitivæ Eccleſiæ, ejuſq; Doctorum:*

Si ſacrificium ſeu oblatio, quam Irenæus ab Apoſtolis, quibus hoc conſilium dederit Chriſtus, Eccleſiam acceppiſſe, atque in univerſo mundo Novi Teſtamenti novam oblationem ab ea Deo, Patri Chriſti offerri *ſcribit; fuit ipſa Communio & diſpenſatio Cœnæ, quæ propter celebratam in ea unicæ oblationis & ſacrificii, quo conſummati ſumus, memoriam vocabatur Sacrificium, ſed myſticum & incruentum: Non fuit Sacrificium Miſſaticum, hoc eſt, privata vel ſolitaria alicuius ſacrificuli actio ſeu oblatio, in qua reale corpus Chriſti pro aliis Deo Patri offerretur. Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens.*

Aſſumptione probo ex Patribus primitivæ Eccleſiæ, qui ſic frequenter Sacrificii vocabulum pro Communione Cœnæ uſurparunt: ut videre licet apud Cyprianum de Lapſis: Auguſtinum lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. 6. 19. & 20. & contra literas Petil. lib. 2. cap. 25. Contra Fauſtum l. 20. c. 18. 24. Epiſtola 59. & 118. Chryſoſtomum Homil. 17. ad Hebræos: & ad Timoth. homil. 6. qui & in Liturgia ſua dicit, Chriſtum nobis miniſterium & celebrationem incruenti ſacrificii in Cœna tradidiſſe. *Inde autem hæc Sacrificii appellatio deſcendit, quod, qua ratione actio & communio Cœnæ eſt corporis in mortem traditi, eadem quoque ſit ſacrificij in corpore ſacramentum. Vnde ſic Heſychius*: Si Chriſtus non eſſet crucifixus, ſacrificium corporis eius non ederemus. *Synodus Epheſina*: Annunciantes mortem unigeniti Filij Dei Jeſu Chriſti, & reſurrectionem eius, atque in cœlum aſcenſionem pariter confitentes, incruentum celebramus ſacrificij cultum, & ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamus, participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Jeſu Chriſti effecti. *Et Cyrillus*: Sanctum ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis celebramus ſacrificium, non communis hominis alicuius corpus & ſanguinem eſſe, quod proponitur, credentes; ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. *Nazianzenus in Orat. contra Iulianum*; Incruentum ſacrificium vocat, quod fideles in Sacra communione manibus ſuis accipiebant, quatenus per hoc Chriſto, ipſiusque paſſionibus & Diuinitatis communicārunt. *Sed & apud Baſilium in Epiſtola ad Cæſariam*; Sacrificium vocatur, quod Sacerdote conſecrante & diſtribuente, propria cuiuſque manu accipitur, cum omni libertate, & ori admovetur. *In Canone 28. Concilii Conſtantinopolitani ad Trullum*: Incruentum oblationis ſacrificium dicitur, totus ille ſacræ ſynaxis ritus. *Et quia hoc Sacrificium veteris Eccleſiæ memoriale tantùm fuit alterius veri & unici Sacrificii, quod repeti nunquam vel debet vel poteſt, ideo etiam à Patribus promiſcuè vocatur* Figura, Memoria, Signum, Imago, Similitudo & Sacramentum *unici illius veri, quod in Chriſti corpore & ſanguine peractum eſt Sacrificii. Item*: Commemoratio carnis & ſanguinis, quæ pro nobis oblata ſunt. *Sic enim Auguſtinus de Civit. Dei lib. 10. dicit*: Quod hominibus vocatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificii, in quo caro Chriſti, poſt Aſcenſionem, per Sacramentum memoriæ celebratur. *Non dicit, ut Pontificij hodie, Realiter ſub ſpecie panis præſens in ſacrificium offertur. Chryſoſtomus homil. 17. ad Hebræos, Sacrificia Iudæorum in lege, cum Chriſti ſacrificio in Evangelio confert. Ait autem* ſacrificia legis multa extitiſſe atque imperfecta, & proinde fuiſſe quotidie iterata atque repetita: hoc verò Evangelij ſa-

crificium unum atque perfectum esse, propterea que sempiternum: *ideoq; præstantissimo cuidam medicamento comparat, quod semel adhibitum sanitatem affert, ut non sit necesse sæpius sumi. Præterea etiam nobis, qui sub Evangelio sumus, sacrificium quoddam reliquum esse docet, & quidem quotidianum: sed tamen eiusmodi, ut ad conservandam illius unici, semel in cruce facti sacrificij memoriam modò referatur. Et quanquam in multis locis immolemus, tamen unum solum esse sacrificium ait, quia unicum illud Christi sacrificium spectet. Ideo addit:* Quomodo una est hostia, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium *(id est, Sacramenti celebratio)* exemplar illius est. *Quid autem per hoc vocabulum (Exemplar) intelligat, in iis, qua proximè præcedunt, ostendit.* Quæ, *inquit*, formam tantùm alicuius habent, Exemplar ostendunt, non autem virtutem. Sicut in imaginibus exemplar hominis habet imago, non etiam virtutem. *Ex his Chrysostomus sic concludit: Hoc autem, quod facimus, in commemorationem quidem fit ejus, quod factum est.* Hoc enim facite, *inquit*, in mei commemorationem. *Ex quibus non obscurè intelligimus, quomodo veteres Patres Oblationis & Sacrificij vocabula usi sint, & quo sensu Cænam oblationem, Sacrificium, &c. nominârint. Theodoretus in cap. 8. Epistolæ ad Hebræ. ad quæstionem*, Cur Sacerdotes Novi Testamenti sacrificium dicantur peragere, quum Christus, offerens sacrificium, effecerit, ut alia sacrificia non essent necessaria? *Respondet*, Nos non aliud offerre, sed illius unius & salutaris sacrificij memoriam peragere. *Prorsus itaq; cum Vetustate non consentiunt, sed authoritate ipsius impudenter & deceptorie abutuntur, qui Sacrificium hoc Ecclesiæ à publica Communione Cœnæ hodie discernentes, illud in unius tantùm Sacerdotis actione, & realis corporis & sanguinis Christi oblatione consistere putant.*

SEPTIMO, *Argumenta validissima sumi possunt ex Canone Latino qui super Ecclesiæ Sacrificium conceptus & compositus fuit, atq; etiamnum hodie super id recitari solet.*

Primò, *In verbis Canonis commendantur Deo* dona & munera, sancta & illibata sacrificia. *Hæc verò in Primitiva Ecclesia nihil aliud erant, quàm oblationes fidelium, quibus suam animi devotionem & gratitudinem erga Deum testabantur, & ex quibus sacram & publicam communionem inde faciendam pars desumpta consecrabatur. Ergo in numularia illa oblata, in qua Sacerdos reale Filii Dei corpus Deo Patri in sacrificium offerre cogitat, non consistit verum Ecclesiæ sacrificium, nec ad hanc Pontificiorum oblationem verba Canonis directa sunt.*

Secundò, *Sacrificij fidelium oblatio, de quo verba Canonis loquuntur in ijs rebus celebratur, quæ ter à Sacerdote petuntur*, ut Deus accepta habeat, benedicat, & placatus accipiat, utque sereno vultu super hæc respicere dignetur. *His autem verbis, ut libro tertio capite vigesimo multis demonstratum est, non postulatur, ut corpus & sanguis Christi, sub specie panis & vini præsentia, & in sacrificium Deo oblata, acceptentur, utque super hæc sereno vultu Deus respicere dignetur; sed preces & oblationes populi, ut Deo placeant petitur. Non igitur corpus & sanguis Christi, per corporalem sub specie panis & vini præsentiam, sacrificium Dei offeruntur.*

Tertiò, *Sacrificium, quod ab Ecclesia secundùm Canonis verba offertur, in divina ejus acceptatione, confertur cum sacrificiis Abelis, Abraham & Melchisedechi, & petitur*, sic sereno vultu super hanc Ecclesiæ puram, sanctam & illibatam hostiam respicere, eamque acceptam habere Deus dignetur, sicut accepta habere dignatus est illorum munera, sacrificia & immaculatas hostias. *Hæc autem collatio brutorum animalium & rerum inanimatarum Veteris Testamenti, cum ipsomet Filio Dei in corpore & sanguine suo, sub speciebus panis & vini contento, & in sacrificium Deo Patri oblato, prorsus impia & blasphema est. Ista igitur Canonis verba de Filij Dei sacrificio intelligi & dici nulla ratione debent.*

Quartò, *Sacrificium illud illibatum, purum, & immaculata hostia sic in verbis Canonis ex Propheta Malachia vocatur. Malachias autem non loquitur de reali aliquo Filii Dei sacrificio, nec Patres hæc Prophetæ verba sic interpretati sunt. Sacrificium igitur id illibatum, & pura, immaculataq; hostia non intelligenda est ex verbis Canonis de substantiali corporis Christi sacrificio.*

Quintò, *Verba Canonis, quibus Sacerdos petit*, ut Deus dignetur oblationem fidelis populi benedictam, rationabilem & acceptabilem facere, ut nobis *(participantibus de hac oblatione)* fiat corpus & sanguis Christi; *non rectè intelligi hoc sensu posunt, ut per Transubstantiationem panis & vini in reale corpus & sanguinem Christi, Deus hanc oblationem benedictam rationabilem & acceptabilem faciat: sed intelligenda sunt ista Canonis verba eo modo quo supra fol. 231. & 232. ex Secretarum precibus, Alcuino & aliis interpretati sumus. Quemadmodum igitur hæc verba de nulla fidelium Transubstantiatione loquuntur: sic quoque nulla fit corporis & sanguinis Christi sub panis & vini speciebus, in reale sacrificium oblatio.*

Sextò,

Sextò, *Verba Christi, quibus ex fidelium oblatis Sacramenta ad publicam communionem consecrari solebant*, MYSTERIVM FIDEI *in Septima parte Canonis esse dicuntur. Nulla igitur per hoc realis præsentia, vel corporis Christi in Sacrificium oblatio traditur. Hæc enim, iuxta Chrysostomum, mysteriorum ratio & natura est*, ut id quod credimus: non intueamur: sed quòd aliud credimus, & aliud videmus: *vide supra fol.* 233.

Septimò, *Sacerdos, Octaua parte Canonis, suo & omnium fidelium nomine qui Eucharistiæ actioni intersunt, dicit*, quòd memores passionis & resurrectionis Christi, offerant præclaræ Maiestati Dei de donis & datis eius, hostiam puram, sanctam & immaculatam. *Hæc verò hostia de donis & datis Dei, in qua, ut paulò antè dictum est, memoria veri sacrificij peragitur, per naturæ veritatem & substantiam panis & vinum est, & non ipse Filius Dei, in corpore & sanguine suo, sub speciebus panis & vini contentus, & in sacrificium oblatus, ut suprà fol.* 234. 217. *ex Liturgijs & Patribus prolixè demonstratum est. Ergo sic Filius Dei, in memoriale sacrificium suæ ipsius passionis & resurrectionis, in Missa non offertur.*

Octauò, *Hæc, quæ in isto Ecclesiæ Sacrificio peraguntur, à Sacerdote in Decima Canonis parte pœtulantur, ut in testimonium diuinæ acceptationis*, per manus Angeli perferantur ad sublime altare, & in conspectu diuinæ Maiestatis. *Hæc verò de ipsius Filij Dei, sub speciebus panis & vini oblato sacrificio, nullo modo intelligi possunt, ut suprà quoque fol.* 237. *&* 238. *docuimus. Quæ ergo in isto Ecclesiæ sacrificio peraguntur, de Pontificia oblatione Filij Dei intelligi minimè possunt;*

Nonò, *De his, quæ in externa sacrificij communione distribuuntur, sic Decima tertia pars Canonis loquitur:* per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis & nobis præstas. *His autem verbis Canon non loquitur de corpore & sanguine Christi, per Transubstantiationem panis & vini in sacrificium oblato, ut suprà fol.* 239. *demonstratum est. Corpus igitur & sanguis Christi sub specie panis & vini in externa communione sacrificij nec distribuuntur nec offeruntur.*

Decimo & ultimo, Iuxta ritum & verba Latinæ Missæ, separatim corpus in pane, & sanguis separatim mysticè offertur in vino, quorum posit peractam in cruce sacrificij memoriam, coniunctio, per immissionem confractæ hostiæ in calicem, his verbis mysticè designatur: Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Christi. *Hoc autem modo nulla, per corporalem præsentiam, realis in sacrificium oblatio corporis & sanguinis Christi fieri posset: quam ob causam etiam* Concomitantia *à Pontificijs excogitata est. Quemadmodum igitur nulla realis est corporis à sanguine separatio: sic etiam nulla est ipsorum, per corporalem sub specie panis & vini præsentiam, realis in sacrificio Missæ oblatio.*

Hæc omnia, quæ hucusque diximus ex Gregorio M. confirmantur, qui Canonem *Latinæ Missæ, quem* Precem *vocat*, à Scholastico compositum esse dicit, ut super Oblationem fidelis populi diceretur: *non igitur dici vel recitari debuit Canon, iuxta Gregorium, ut per hunc Filius Dei in corpore & sanguine, sub speciebus panis & vini, in sacrificium offerretur.*

Argumenta Bellarmini, Quòd Missa sit Sacrificium, & eorundem Refutatio.

PRimum *argumentum, quo probare conatur Iesuita, quòd Christus in sua Cœna instituerit Sacrificium, depromit ex sacra Scriptura. Nam Genes.* 14. *sic legitur:* Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi: *ut in Vulgata Versione habetur.* Hunc locum, *inquit Bellarminus*, ita referunt Dauid Psal. 105. & Paulus Hebr. 7. ad Christum, ut dicant, Christum Sacerdotem fuisse secundùm ordinem Melchisedech. *Ex hoc loco sic argumentatur Iesuita: Quicunque Sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech, sacrificium debet offerre incruentum, sub speciebus panis & vini: quia Melchisedech, ut Sacerdos Dei altissimi, obtulit, vel sacrificauit panem & vinum. At Christus Sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. Ergo sacrificium debuit offerre sub speciebus panis & vini incruentum: hocautem fecit in Cœna institutione.* Argumenta Bellarmini ex Verbo Dei pro Sacrificio Missæ 1.

Negatur maior, quæ falsa est. Nam primò, non constituit Apostolus Paulus Ordinem Melchisedechicum in Oblatione panis & vini, sed in utriusque persona. Hic, *inquit*, Melchisedech Rex erat Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ, reuertenti à cæde Regum, & benedixit illi, cui & decimas ex omnibus impartitus est Abraham: Qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex iustitiæ, deinde verò etiam Rex Salem, quòd est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genere, nec initium dierum, neque finem vitæ habens, sed assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. *In his verbis Paulus Sacrificij,* Explicatur historia Melchisedech.

vel oblationis panis & vini mentionemnullam facit, quum tamen minima quæque obſernet, ac ſigillatim & minutatim ponderet, quicquid ſimile cum Chriſto habuit, & quidem adeò diligenter, ut non ſolùm ea, quæ à Moſe de Melchiſedecho recitantur, commemoret, ſed ea quoque omnia, quæcunque de analogia typi & veritatis dici poterant, & à Moſe reticentur, accuratiſſimè annotet. Eſſet autem craſſæ negligentiæ, ſingulas partes, etiam eas quæ minoris momenti erant: excutere: id verò quod caput rei eſt, ne uno quidem verbo attingere. Iuxta Paulum igitur typi & veritatis, hoc eſt, Melchiſedechi & Chriſti collatio in his partibus conſiſtit: 1. *Melchiſedech fuit ſimul Rex & Sacerdos: ita etiam Chriſtus. Et hic facta quædam Melchiſedechi recenſet, Regi & Sacerdoti ſimul conuenientia: quòd nimirum tanquam Rex munificus occurrerit Abrahamo reuertenti à cæde Regum: quòd illi tanquam Sacerdos benedixerit quo nomine etiam Abraham illi decimas ex omnibus dederit, & ille ab eo acceperit.* 2. *Ille fuit Rex iuſtitiæ & pacis vocatus: talis verè etiam eſt Chriſtus.* 3. *Melchiſedech proponitur quaſi principio & fine carens: cuius nec pater, nec mater, nec maiores, nec mors explicatur: talis renera eſt Filius Dei. Nam non ſolùm quoad Deitatem principio & fine caret: ſed etiam quoad Sacerdotium & Regnum: Solus enim manet Sacerdos æternus, pro Eccleſia perpetuò interpellans: & Regni illius non erit finis. Deinde, quoad humanitatem ſine patre eſt: quo ad Deitatem, ſine matre. Qui itaque eſt Rex iuſtitiæ & Pacis, Sacerdos æternus, ſine patre, ſine matre, ſine genere, neque initium, nec finem vitæ habens, is eſt iuxta Paulum, Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Talis eſt autem Chriſtus. Ergo propter duplex officium, & æternitatis ſpeciem, non propter panis & vini oblationem, Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Quæ quum ita ſint, tamen Bellarminum dicere non pudet, Paulum non tractare quis fuerit ordo Melchiſedech, ſed ſolùm oſtendere excellentiam Chriſti ſupra Aaronem. *Reſpondeo: Scopus quidem Pauli eſt, excellentiam Chriſti ſupra Aaronem oſtendere, primarium autem argumentum, quo hoc demonſtrat, in explicatione ordinis Melchiſedechici conſiſtit.*

Secundò, *ſi Ordo Melchiſedech, ut vult Bellarminus, in oblatione vel ſacrificio aliquo conſiſteret, Melchiſedechus certè non fuiſſet præſtantior Aarone & Leuitis, ut docet Apoſtolus Hebr.* 7.

Bellarminus verò Maiorem Syllogiſmi ſui aliquot rationibus probat. Primò, Vt Melchiſedech, *inquit*, ordinem haberet differentem ab ordine Aaronis, oportuit præcipuam differentiam eſſe in rebus oblatis. Ea autem fuit differentia, quòd Melchiſedeci fuit ſacrificium incruentum ſub ſpeciebus panis & vini. Leuitica verò cruenta erant ſub ſpeciebus animalium. *Reſpondeo. Si verum eſt quod dicit Bellarminus, falſum erit illud Apoſtoli*, Melchiſedechum excellentiorem fuiſſe Aarone & Leuitis. *Nam oblationes & ſacrificia cruenta Aaronica per ſe longè clarius ſacrificium Chriſti repræſentarunt, ac præſertim holocauſta, ut Apoſtolus docet, quàm oblationes panis & vini: nam pati, mori, mactari, ſanguinem fundere, pani non conueniunt. Ergo Ordo Melchiſedechicus in re alia, quàm in oblationibus & ſacrificijs conſtituendus eſt. Deinde, quum Apoſtolus differentiam ſacrificiorum iſtiorum diligentiſſimè explicaſſet, non iſtam tamen differentiam, ſeu diſtinctionem attulit, quod omnino facere debuiſſet, ſi præcipua differentia Melchiſedeciani & Aaronici ſacrificij in eo conſiſteret. Hic Ieſuita duas affert rationes, ob quas Apoſtolus huius differentiæ mentionem non fecerit. Prima eſt*, Ad Pauli propoſitum non pertinebat. *Secunda*, Iudæi nondum erant eius capaces. *Reſpondeo ad primam, Si vel ipſi Ieſuitæ credas, hic ſcopus fuit comparationis Paulinæ, ut officium Chriſti ſacerdotale deſcriberet. Quàm igitur alienum fuiſſet, in explicatione Sacerdotij Chriſtii primariam differentiam omittere? Ad ſecundam, Longè ſubliminora, & Iudæis creditu difficiliora Apoſtolus in hac ipſa Epiſtola tractauit, videlicet de perſona & officio Chriſti.*

Secundò probat ſuam Maiorem verbis Moſis: Sic enim legitur Gen. 14. Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. *Hic Ieſuita* fatetur quidem, verbum hoc nihil aliud ſignificare ex ſe, quàm proferre, ſeu adducere, tamen pro loci exigentia ſæpe etiam uſurpari pro adductione hoſtiæ ad immolationem, ut Iudic. 6. *Reſpondeo: verbum Hebraum* Hozi, *quo Moſes utitur, ſæpiſſime, & quidem propriè & per ſe ſignificat* educere, exportare, proferre. *Gen.* 8. Educ tecum. *Ezech.* 21. Educam gladium meum. *Pſal.* 35. Qui eduxit ventum. *Exod.* 8. Vt educerent pediculos. *Num.* 20. Elicies illis aquas de petra. *Exod.* 12. Coxerunt paſtam quam exportauerant ex Ægypto. *Iob.* 10. Cur è vulua extraxiſti me. *Num.* 17. Protulit florem. 2. *Reg.* 12. Qui extulerunt eam. *Deut.* 22. Quia exulit nomen malum. *Num.* 14. Mortui ſunt viri, qui protulerunt infamiam terræ. *Iob.* 8. De corde ſuo proferent ſermones. *Iſa.* 42. Iudicium gentibus proferet. *Eodem ſenſu accipitur hoc verbum Pſal.* 68. *Iſa.* 45. 2. *Paralip.* 9. *Ezech.* 14. & 47. *Gen.* 38. *Ierem.*

38. *Ierem.* 38. *Ezech.* 38. *Vnde etiam Graci verterunt* ἐξωϑύησεν: *Germani* Er trug herfur: Er trug entgegen. *Inepte igitur à Bellarmino unicus locus de adductione hostiæ contra nos adducitur: præsertim quum ibi omnes circumstantiæ satis probent, agi de sacrificio vel hostia: Apud Mosem verò legitur, panem & vinum data fuisse Abrahamo à Melchisedecho, idque pro regia liberalitate, & antiqua consuetudine, quo defessi ex prælio reficerentur. Confirmat hanc interpretationem & sententiam Iosephus, qui lib. 1. Antiquit. ca.* 18. Ministrauit, *inquit*, Melchisedech Abrahami exercitui Xenia, & magnam copiam rerum opportunarum simul exhibuit: simulque ipsum adhibitum mensæ meritis laudibus extulit, &c. *Ad hoc nihil aliud respondet Iesuita, nisi hoc, Iosephum dicere quidem, panem illum datum Abrahæ, sed non negare fuisse Deo prius oblatum: De hoc verò Moses ne verbo quidem. Additpulatur etiam nobis Tertullianus contra Iudæos, & Ambrosius lib. 4. de Sacram. ca. 3. ubi dicunt*, Abrahamo de prælio reuertenti panem & vinum oblatum, scilicet, in commeatum, vel ad recreationem: *nam à Melchisedecho sacrificatum fuisse Abrahamo dicere non licet. Idem quoque dicit author Quæstionum Veteris & Noui Testamenti apud Augustinum. Contrà verò Bellarminus dicit*, Nulla erat causa cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahæ. Nam redijt Abraham, ut Scriptura ibidem habet, ex prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea, quæ ad cibum pertinent: imò in fine capitis dicitur, milites Abrahæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. Quid igitur opus erat pane & vino ijs, qui spolijs abundabant, & paulò antè comederant & biberant? *Respondeo: hoc non impedire debuit Melchisedechi munificentiam: nec decuit Melchisedechum deesse suo officio, cui proculdubio præda Abrahami incognita erat. Deinde serui quidem Abrahami dicuntur comedisse, sed pridie-nec, vel ea ipsa hora, qua hæc inter Abrahamum & Melchisedechum gesta sunt, non exprimitur. Valde etiam mirum est, Iesuitam tam emunctæ nasi suam hoc loco manifestissimam contradictionem non olfecisse. Nam ante hæc verba dixit*, Non negamus data illa in cibum Abrahæ & socijs, sed dicimus prius fuisse Deo oblata, & conseerata, & tum data hominibus, ut de sacrificio participarent. *Quibus mox subiungit verba citata verba:* Nulla causa erat cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahæ. Nam redijt Abraham cum ingenti præda, &c. *Et lib. 4. de Sacram. ca. 24. ait:* Non constat an Melchisedech dederit panem & vinum comedendum Abrahæ, an solùm Deo obtulerit: Scriptura enim disertè id non dicit. *Deinde dicit Iesuita*, Cùm Scriptura tot in locis describat sacerdotium Melchisedechi, debuit profectò alicubi tradere quale fuerit sacrificium, id quod hoc loco fit: oportet igitur per panem & vinum, non prophanos cibos, sed sanctificatos & Deo prius oblatos intelligere. *Sed ad hoc antea responsum est, quum diximus, iuxta Paulum, Ordinem & proinde Sacerdotium Melchisedechi quatenus cum Sacerdotio Christi comparatur, in alijs rebus, quàm in oblationibus & sacrificijs consistere.*

Tertiò, *Maiorem suam putat efficacissimè ex his verbis Mosis probari posse*: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: Hæc ratio, *inquit*, ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melchisedech panem & vinum protulerit, omnino cogit, ut intelligamus panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. *Respondetur: Vulgata editio aberrauit hic, ut alias sæpe, ab Hebræa veritate, quòd posuit particulam causalem, pro Coniunctiua quæ in Hebræo habetur. Fatetur hoc quoque Bellarminus, & dicit*, Non ad verbum in Hebræo esse, Erat enim Sacerdos: *sed*, Et erat Sacerdos: *ut sit sensus*, Regem Melchisedechum fuisse quoque Sacerdotem, ut clarum est ex argumento Apostoli: *& sic in Hebraica veritate distinguuntur actiones ipsius Melchisedechi Regis, & Sacerdotis: ut sic adductio, seu prolatio panis & vini ad munificentiam Regis pertineat: Benedictio autem, quæ sequitur, ad sacerdotium: Nihilominus Iesuita contendit, copulam* ET, *hoc loco accipiendam esse, pro* ENIM, *& citat tria loca Scripturæ, ubi sic accipitur, Sed non sequitur, particula* ET, *Genes.* 20. & 30. *ca. item Isa.* 64. *accipitur pro* ENIM: *Ergo etiam hoc loco, & alibi semper: Est enim argumentum ex puris particularibus formatum. Rectius sic argumentari licet: Copula* ET, *in plerisque locis, imò propriè & per se, non idem quod* ENIM *significat: legitur neque hoc loco idem significat. Adde, quòd de dissimilibus non idem iudicandum est. Sunt autem hic dissimilia exempla. In illis enim exemplis, quæ Iesuita adducit, necessariò particula* ET, *per* ENIM *est exponenda: nulla verò cogit necessitas ut idem hoc quoque loco faciamus.*

Sed inflat Bellarminus & dicit, In hebræo Codice, post illa verba: Et erat Sacerdos Dei altissimi, inuenitur accentus, quem Hebræi vocant Sophpasuch, qui indicat, ibi terminari periodum: Quare non potest illud, Et erat Sacerdos, coniungi cum sequentibus, Et benedixit, sed debet superiori-

oribus illis annecti, Protulit panem & vinum. *Respondeo: illam distinctionem periodum designantem, sæpe apud Hebræos confundi, & tum sensum ex circumstantijs eliciendum. Vnde etiam Sanctes Pagninus Hebrææ linguæ peritissimus, & Monachus olim Pontificius, illam periodum cum sequenti coniunxit, hoc modo:* Et ipse quum esset Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. *Sed contra hanc responsionem obijcit,* Non rectè dici, Melchisedechum, ut Sacerdotem, benedixisse Abrahæ, & proinde malè nostros interpretari hunc locum, Erat Sacerdos, & benedixit ei: vel (*ut habet Caluinus*) Cùm Sacerdos esset Dei, benedixit Abrahæ. (*Est autem hæc non Caluini, sed Pagnini Monachi interpretatio.*) Nam etiam Abraham Sacerdos erat, ut patet ex plurimis sacrificijs, quæ obtulit: non igitur Melchisedech ut Sacerdos, vel quia Sacerdos erat, benedixit Abrahæ, sed quia maior Sacerdos, vel quia absolutè maior erat, quum & Rex & Sacerdos esset. Non enim est solius Sacerdotis benedicere sed omnis maioris. Sic enim & Solomon Rex, benedicit populo 1. *Reg.* 8. *& Dauid* 2. *Reg.* 6. *& Iosue, cap.* 8. *&* 22. *Negat his verbis Iesuita, ex benedictione Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech agnosci. Sed oppono inprimis Bellarmino Turrianum, Iesuitam scilicet Iesuitæ. Hic enim contrarium planè dicit tract.* 2. *cap.* 15. Non solùm, *inquit*, similitudinem æternitatis, quæ Sacerdotio Christi ineſt, notauit Apostolus cùm ait, Melchisedech sine patre & sine matre, nec initium dierum nec finem habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in æternum: sed etiam similitudinem in fungendo sacerdotio, id est, in sanctificando & benedicendo, Hæc enim sunt, ut dixi, propria Sacerdotis; benedicere scilicet & sacrificare. *Si igitur propria Sacerdotis sunt officia, benedicere & sacrificare: respondeat Turriano Bellarminus, cur non solius Sacerdotis sit benedicere. Sed respondeo ad argumentum: Rectissimè dicitur, Melchisedechum benedixisse Abrahæ ut Sacerdotem: quia benedictio intelligitur respectiuè maioris benedicentis minori: ideoque ne communem aliquam benedictionem intelligeremus, addendum omnino fuit*, Erat enim Sacerdos, *ut non communis aliqua, vel legalis benedictio intelligeretur. Sic etiam Chrysostomus Orat.* 4. *contra Iudæos docet, Melchisedechum non simpliciter, sed ratione Sacerdotij maiorem Abrahamo ex sancta benedictione fuisse. Ait enim:* Cùm Abraham primogenitor Levitarum & Iudaicorum Sacerdotum, sub Melchisedech, qui typum gerebat nostri Sacerdotij, laici typum obtinuit, idque duplici modo declarauit, primùm quòd illi dederit decimas, deinde quod benedictionem ab eo acceperit: Enim laici benedictionem à Sacerdotibus accipiunt.

Quarta ratio, qua Maiorem propositionem confirmare vult Bellarminus, hæc est, Nihil est proprium Melchisedechici Sacerdotij, quàm oblatio panis & vini. Nam quòd Melchisedech benedixerit, & decimas acceperit, non est proprium illius Sacerdotij, sed commune etiam cum Sacerdotio Levitico, quòd Melchisedech non fuerit unctus oleo sensibili, nec successerit alteri, nec ei successerit alius, non est proprium Melchisedechi, sed commune cum Abel, & alijs nonnullis. Denique quòd non scribatur eius genealogia, & inde sit typus æternitatis sacerdotij Christi, præterquam quòd est quid extrinsecum ad Sacerdotium, non est proprium Melchisedechi, sed commune cum Iob, Helia & alijs, qui & Sacerdotes erant, & non describitur eorum genealogia. At panem & vinum offerre est proprium Melchisedechi, & ad sacerdotium maximè pertinet, quum sit proprius eius actus. *His utique Iesuita Apostolum, adeoque ipsum Spiritum sanctum corrigit, ob illa adiuncta, quibus probat, Christum rectè dici Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. Sed respondeo: Illa adiuncta, non seorsim, nec distinctè, in diuersis, sed coniunctim omnia, in una & eadem persona requiruntur: talis autem præter Melchisedechum & Christum nemo adhuc inuentus est. Deinde assumptio illa Iesuitæ falsa est*, oblationem panis & vini propriam esse Melchisedechi. *Nam, ut est videre Exod.* 29. *& Leuit.* 28. *etiam in Lege tales oblationes fiebant. Ideo specifica differentia collationis inter Christum & Melchisedechum, in Sacerdotio & oblatione panis & vini non est, & ob hanc causam rectè, ut Aaronicæ similis, oblatio illa omissa est. Sed excipit Iesuita*, fuisse quidem in Lege etiam sacrificium panis & vini, sed ut pars quædam, & quasi condimentum alterius sacrificij, non autem ut sacrificium principale. *Respondeo: quæ in parte aliqua similitudinem habent, prorsus dissimilia dici non possunt. Deinde magis & minùs non faciunt speciem. Tertiò, non illa semper fuerunt condimenta, sed etiam sacrificia ipsa, ut habetur Levit.* 2. *c.*

Quintò, probat Maiorem suam consensu veterum Patrum, qui docent, panem & vinum à Melchisedecho in sacrificium Deo fuisse oblata: *& inde colligit*, ordinem Melchisedechi in oblatione panis & vini consistere, & proinde Christum quoque,

ut

ut reſponderet typo, inſtituiſſe in Cœna ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini. *Ad hunc conſenſum Patrum, Reſpondeo* Primò *in genere, non poſſe ex pleriſque Patribus, qui citantur, probari, eos ordinem Melchiſedechicum in oblatione panis & vini conſtituere: & ſi, maximè aliqui hoc faciunt, non poſſunt tamen illis ſuis allegoricis interpretationibus, abſque ſacrarum Literarum teſtimonijs, dogmata fidei extruere & ſtabilire.*

Secundò, *non tale ſacrificium intelligunt, quale Pontificij in ſua Miſſa celebrant: Sed primò, illud donarium Melchiſedechi, de quo ſuprà diximus, comparant tantùm cum ſacrificio Chriſti, quod ſemel in cruce obtulit. Ad hanc elaſſem pertinet locus ille quem Bellarminus ex Cypriani lib. 2. epiſtol. 3. ad Cæcilium adducit:* Quis magis, *inquit Cyprianus*, Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. *Vbi verba hæc*, Chriſtus obtulit hoc idem, quod Melchiſedech, *ſic ſunt exponenda, vel ipſis Pontificijs interpretibus, Chriſtum in cruce hoc idem in veritate obtulit, quod Melchiſedech iam antea in figura obtulerat. Ad eundem modum loquitur etiam Auguſtinus in Ioannem tract. 26.* Illis Petra erat Chriſtus: *non quidem realiter & reipſa, ſed tantùm ſymbolicè, quòd Chriſtum repræſentaret & ſignificaret. Quòdſi verba Cypriani ſimpliciter intelligenda eſſe dicat Bellarminus, & nullum figuræ locum relinquendum, tum Melchiſedechum verè ac realiter ipſius Chriſti corpus & ſanguinem obtuliſſe concedat neceſſe eſt:* Chriſtus enim, *inquit Cyprianus*, obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat: *obtulit autem Chriſtus corpus & ſanguinem: Ergo. Et ſi maximè ad oblationem Cœnæ referas, ſequitur tamen ex his, ſiquidem Pontificiorum vera eſt doctrina, Melchiſedechum ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem Chriſti obtuliſſe, ſi idem quod Chriſtus obtulit. Secundò, illud donarium Melchiſedechi, Patres, qui à Bellarmino citantur, Euchariſtico, ſeu gratiarum actionis ſacrificio, & ſacræ communionis celebrationi comparant, atque eidem exæquant. Ad hanc Claſſem referenda ſunt ſequentia teſtimonia.* 1. *Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum, non procul à fine:* Melchiſedech, *inquit*, Rex Salem Sacerdos Dei altiſſimi, qui vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ. *Ex his tria falſiſſima colligit Ieſuita. Primùm*, Panem non prophanum in refectionem ventris, ſed ſanctificatum datum eſſe à Melchiſedecho. *Reſpondeo: hoc falſum eſſe inde conſtat, quòd addit, Melchiſedechum panem hunc obtuliſſe in nutrimentum: ergo in refectionem ventris. Et ipſemet Ieſuita hoc ipſo cap. col. 971. lit. A. ita ſcribit:* Nos non negamus data illa in cibum Abrahæ & ſocijs: ſed, *inquit*, priùs oblatione vel ſacrificio ſanctificata. *Reſpondeo: nihilominus panis & vinum fuerunt data in refectionem corporis. Deinde nego illam ſanctificationem ita intelligendam, ut Ieſuita facit: quum hiſtoria Moſaica eius ne verbo quidem mentionem faciat: ſed quia, ut Ioſephus ſcribit,* Melchiſedech Abrahamum & ſocios menſæ ſuæ adhibuit, *donaria illa menſæ impoſita oratione vel gratiarum actione benedixit vel conſecrauit, & ita ſanctificauit. Sic enim Paulus ſcribit* 1. *Timoth.* 4. Cibos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione. *Rurſus*: Quicquid cum gratiarum actione ſumitur, ſanctificatur per Verbum Dei & preces. *Secundum eſt quod ex his verbis Clementis Ieſuita falsò colligit, nimirum*, panem & vinum darià Melchiſedecho, ut Sacerdote Dei altiſſimi, proinde oblatum antea fuiſſe Deo, & eo modo ſanctificatum. *Nam non ſequitur, Sacerdos fuit Dei altiſſimi, ergo vel protulit hunc panem & vinum Abrahamo: vel eundem antea obtulit & ſacrificauit Deo: Quis enim hanc conſequentiam probaret? & hac neque à Moſe, neque à Clemente Alexandrino dicuntur. Eiuſdem ponderis eſt, quòd tertiò ex verbis Clementis colligit*, Panis & vinum Sacerdotis Melchiſedech typus fuerunt Euchariſtiæ, ergo Sacerdotium Chriſti ideo vocatur ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia in ſpecie panis & vini conſiſtit. 2. *Apud Cyprianum in Serm. de Cœna Domini hæc leguntur.* Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, ſummus Sacerdos panem profert & vinum: Hoc eſt, *inquit*, corpus meum. 3. *Euſebius Cæſarienſis in quinto libro Demonſt. Evangel. capite tertio.* Et ſanè, *inquit*, oraculi exitus admirabilis ei, qui contemplatur, quemadmodum Salvator noſter Ieſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus; ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſanè primus ipſe Salvator, ac Dominus noſter, deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus ſpirituale ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant; quæ ſanè myſteria Melchiſedech tanto antè

Spiritu

Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat. 4. *Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 1.* Cognovimus, *inquit*, Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech. *Et infrà:* Diximus quòd in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum: & quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis; quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult admistio aquæ? *Idem in cap. 5. ad Hebr. exponens illud:* Tu es Sacerdos in æternum, &c. Constat, *inquit*, pecudum victimas perisse, quæ fuerunt in ordine Aaron: sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur. 5. *Epiphanius hæresi 55.* Quod sanè, *inquit*, nunc viget in Ecclesia à Christo, & hucusque dum non ampliùs semen secundùm successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur. 6. *Hieronymus in epist. ad Marcellam*, Recurre, *inquit*, ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem huius Principem invenies civitatis, qui iam tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicauit. *Hic apertè videmus, cur Hieronymus donaria Melchisedechi mysterium Christianorum in Servatoris corpore & sanguine dedicâsse scripserit, videlicet, quòd typus essent Sacramenti Eucharistiæ, non autem sacrificij Missæ. Ne quis autem existimet Hieronymum hu verbis realem quandam præsentiam statuisse, quòd ait:* Melchisedech mysterium Christianorum in Saluatoris sanguine & corpore dedicâsse: *sciendum est, non solùm Hieronymum, sed etiam alios Patres eodem loquendi genere sæpe usos esse in alijs causis, in quibus tamen Bellarminus ipse nullam realem præsentiam concederet. Nam Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum*, Evangelium, *ait*, passione & sanguine Domini dedicatur. *Augustinus in Psal. 80. ait*, Quid est mare rubrum? *Respondet*, Sanguine Domini consecratum. *Rursus in Ioan. tract. 11.* Vnde rubet Baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? *Eodem modo Christianorum mysterium Melchisedech in Christi sanguine dedicauit. Idem Pater in Matth. cap. 26. lib. 4.* Postquam, *inquit*, typicum Paschæ fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat: assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschę transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione eius, Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. 7. *Chrysostomus Hom. 35. in Genes.* Videns typum, *inquit*, cogita, oro, & veritatem. *Et Homil. 36.* Postquam, *inquit*, & Melchisedech Rex Salem, panem & vinum attulit, (erat enim Sacerdos Dei altissimi) ab illo Abraham accepit oblata. 8. *Augustinus epist. 95. ad Innocentium Papam:* Melchisedech, *inquit*, prolato sacramento mensæ Dominicæ novit æternum eius sacerdotium figurare. *Et lib. 16. de Civit. Dei, cap. 22.* ibi, *inquit*, primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum. *Et libro decimo septimo cap. 17.* Vbique, *ait*, offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abrahamo. *Libro item primo contra adversos Leg. & Prophetarum cap. 20.* Ibi quippe, *inquit*, & hoc dictum est; Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius: videnttale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio: & quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, mutauit quippe sacerdotium secundùm ordinem Aaron. *Denique sermone undecimo de Sanctis:* Quid reverentius, *inquit*, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est; Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 9. *Theodoretus in Comment. Ps. 109.* Invenimus, *inquit*, Melchisedech Sacerdotem & Regem esse, & afferentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum. *Et infrà:* Sacerdos nunc est Christus non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum, qui offerunt, quandoquidem corpus suum Ecclesiam vocat. 10. *Leo 1. Serm. 2. de Anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum.* Tu es, *inquit*, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, non secundùm ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cum Veteris Testamenti lege cessauit: sed secundùm ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cùm huius divini sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis ereauit, eligitur; sed cessante privilegio Patrum, & familiarum ordine

ordine prætermisso eos rectores Ecclesia sacrificat, & sacrificat. Postico illo convivio, ac Cœnaque eis in mysticis tradidit formulam. 18. *Theodotii hujus c. 5. ad Hebr. explicans illud*: Tu es Sacerdos in æternum, &c. Apertissimè, *inquit*, Christo dictum id esse constat. Hic enim & solus Melchisedech, in morem illius pane & vino sacrificabat. *Et infrà*: In æternum dixit quia quotidie offertur in perpetuum, offertur per Dei Ministros oblatio, Christum Dominum, & Pontificem habens, & sacrificium, qui seipsum nostri ob gratiam sanctificat, frangit, & tribuit. 19. *Anselmus in cap. 5. ad Hebr.* Tu es Sacerdos, *inquit*, id est, sacra dans per te, & per tuos in æternum, hoc est, quamdiu durabit hoc seculum, quia non transibit sacerdotium Christi, ut aliud succedat, sicut transivit viticum.

11. *Eusebius Emissenus Ser. 5. de Paschate*: Melchisedech, *inquit*, oblatione panis & vini, hoc (nimirum quod in Eucharistia celebratur) Christi sacrificium figuravit. 12. *Arnobius in Psal. 109.* Christus, *inquit*, per mysterium panis, & vini, factus est Sacerdos in æternum. 13. *Eucherius lib. 2. cap. 18. in Genes.* Melchisedech, *inquit*, Sacerdos Dei summi, panem & vinum in sacrificium offerens. *Et infrà*: Sine aliqua sacerdotali genealogia, Christus homo extitit ex hominibus, utpote non ex tribu Levi; ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: utique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secundùm Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis ejus Sacramentum in 14. sacrificium offeramus. 14. *Primasius in Comment. cap. 5. Epistolæ ad Hebr.* Quare secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron, dicatur existere Sacerdos, diversæ causæ existunt: & prima quidem est, quia Melchisedech secundùm legalia mandata non fuit Sacerdos, sed secundùm cujusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium sanguinem: in cuius ordinis sacerdotii Christus factus est Sacerdos, non temporalis, sed æternus; nec offerens victimas legales, sed instar illius panem & vinum, carnem videlicet, & sanguinem suum. *Et infrà*: Vnde patet sacrificium pecudum periisse, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potiùs, quod fuit ordinis Melchisedech, quia Christus corroboravit, & Ecclesiam tenere docuit. 15. *Cassiodorus in Psal. 109.* Quem ordinem, *inquit*, Melchisedech per mysticam similitudinem justissimus Rex instituit, quando Domino, panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron: & Melchisedech manere potiùs institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione 16. celebratur. 16. *Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14.* Mensa illa (*Melchisedech*) mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, 17. & imaginem præ se ferebat. 17. *Oecumenius in Comment. c. 5. Epistola ad Heb.* Melchisedech, *inquit*, fuit primus, qui hostia sine sanguine, panem, inquam, & vinum obtulit. *Et infrà*: Non ad ipsum, *inquit*, tantùm, quæ à Deo semel facta est, hostiam & oblationem dixit, in æternum: sed ad nostri temporis Sacerdotes inspiciens, per quos Christus, &

Ex his testimoniis omnibus, quæ à Iesuitis citantur, nihil aliud colligi potest, quàm Patres nominatos docere voluisse, Panem illum, quem protulit Melchisedech, & vinum, adumbrâsse panem & vinum Cœnæ, non autem reale aliquod sacrificium, in quo Christus denuò offeratur. *Et hoc pacto mysterium Eucharistiæ commendare voluerunt, quòd nimirum jam olim quoque sicut nunc in Cœna, pane & vino, Abrahamo exhibitis, Christus fuerit adumbratus. Et ut maximè reale aliquod adumbrâsset, ut sacrificia legis, tamen nullum aliud quàm sacrificium Christi reale, hoc est, passionem ejus adumbrâsset, teste ipso quoque Thoma, qui par. 3. q. 73.* Quantum, *inquis*, ad Christum passum, omnia sacrificia Veteris Testamenti fuerunt ejus figuræ: Quod ad signa Eucharistiæ, Melchisedech offerens panem & vinum ea præsignificavit.

Tertiò, *plerique Patres docuerunt, Melchisedechum obtulisse non Deo, sed Abrahamo panem & vinum. Augustinus in Quæst. utriusque Testam. q. 109. Ambrosius de Sacra. l. 4. c. 3. & in Epist. ad Hebræos c. 7. Tertullianus contra Iudæos. Epiph. adversùs Melchisedecianos Hæresi 53.*

Nullum ergo firmum argumentum Iesuitæ colligere possunt ex hac Veterum allegoria: quum Patres doceant, Melchisedechum obtulisse Abrahamo panem & vinum: Pontificij autem dicant, Christum Deo Patri seipsum obtulisse in Cœna sub speciebus panis & vini. 18

Secvndvm *argumentum, vel testimonium, quòd Cœna Dominica sit sacrificium reale, sumit Bellarminus ex cap. 12. Exod. & similibus locis, ubi agitur de Agno Paschali: Et ita format argumentum*: Celebratio Agni Paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa, immolatio quædam 19

482 HIST. Ergo celebratio Dictio victimæ Deo oblatæ Eucharistiæ ; ut figura figurato respondeat, *primò, propositio major : Agnus Paschalis, ejusque mactatio & manducatio erant typus & figura Christi immolandi & manducandi.*

Agnus Paschalis *a cruce, & fide à nobis manducandi. Nam Ioannes Baptista vocat Christum*, Agnum Dei tollentem peccata mundi. *Ioan.* 1. *Vbi verò hoc factum sit, Petrus indicat, dicens*, Christum tulisse peccata nostra in corpore suo, super lignum. 1. *Pet.* 2. *Et Apocalyp.* 5. Dignus est agnus qui occisus est, & redemit nos Deo in sanguine suo. *Rursus Petrus dicit*, Redempti estis, non corruptibilibus, sed pretioso sanguine ; quasi agni immaculati. 1. *Pet.* 1. *Omnium autem significantissimè Ioannes Evangelista* 19 *cap. docet, figuram immolati Agni Paschalis in Christo impletam esse in cruce, quod Moses de Agno Paschali scripserit*, Os non comminuetis ex eo. *Ad hoc respondet Bellarminus in fine c.* 7. *l.* 1. *de Missa*, Agnum Paschalem utriusque rei typum fuisse, & passionis, & Eucharistiæ. *Sed falsum dicit : Nam Sacramenta Veteris Testamenti, non figuræ fuerunt propriè Sacramentorum nostrorum, sed Christi ipsius, qui utrobique nucleus, seu res & veritas est Sacramentorum.*

Probat autem Maiorem Iesuita duabus potissimùm rationibus : Prima, *est petita ex* 1. *Cor.* 5. *cap. ubi Apostolus dicit*, Pascha nostrum immolatus est Christus. Ex hoc loco colligit, Agnum Paschalem figuram immolationis Christi fuisse. *Resp. Et nos concedimus agnum hunc fuisse typum immolationis Christi, sed eius quæ in cruce facta est : Alioquin non rectè dixisset Apostolus*, immolatus est, *sed dicere debuisset*, immolatur, *si quidem agnus figura fuisset immolationis Missaticæ.* Alteram *rationem petit Iesuita ex consensu* Patrum, qui Agnum Paschalem Eucharistiæ figuram fuisse docuerunt. *Ad illa testimonia omnia, quæ longo ordine producit, uno verbo respondeo : Patres illos ceremoniam Agni Paschalis ad Cœnam Dominicam accommodâsse, propter similitudinem quam constituerunt in ipsa manducatione, qua Christum pro nobis crucifixum participamus. Hanc autem fuisse illorum Patrum sententiam ex nonnullorum, quos citat, testimoniis patet. Chrysost. in Serm. de prodit. Iuda.* Nemo sit Iudas in mensa : hoc sacrificium, cibus spiritualis est. *Et in* 1. *Cor.* 13. *c.* Pascha, *ait*, Iudæi celebrabant, ita ut in speculo & ænigmate: ineffabilia autem mysteria non intellexerunt quæ illis rebus adumbrabantur. Quòd Filius Dei carnem indutus mactandus esset, & orbem terrarum universum liberaturus : Græcis, Barbaris, sanguinem gustandum exhibiturus, cœlum omnibus apertutus, quæ illic bona sunt humano generi communicaturus : carnem hanc mactatam sumens supra cœlum subleturus, & ad dextram Patris collocaturus esset. *His verbis Chrysostomus de Agni Paschalis veritate disserit, de Missæ autem sacrificio ne unum quidem verbum dicit. Tertullianus contra Marcionem libr.* 4. Professus, *inquit Christus*, se concupiscere edere Pascha ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum fecit : Hoc est corpus meum, dicendo : id est, figura corporis mei. *Confirmat utique Tertullianus manifestissimè sententiam nostram, his verbis :* Acceptum panem & distributum Discipulis. *Hieronymus in caput* 26. *Matth. lib.* 4. Pascha nostrum immolatus est Christus : si tamen comedamus illud in azymis sinceritatis & veritatis. *Ex his paucis intelligimus quatenus & quo sensu Veteres Agnum Paschalem Cœnæ Dominicæ accommodârint.*

Negatur secundò Minor, celebrationem agni paschalis Sacrificium fuisse. *Nam etsi ita interdum vocetur, fit tamen id improprie, propter similitudinem aliquam quam habuit ad reliqua sacrificia, in quibus victimæ etiam mactabantur, sicut Agnus Paschalis. Non autem agnus hic ideo mactandus fuit, ut offerretur & sacrificaretur Deo, ut reliquæ victimæ legales, sed ut Israelitæ eum edendo totum absumerent, ut ipsa institutio Agni Paschalis satis clarè indicat Exo.* 12. *& Num.* 9. *Vnde etiam* Facere Phase *sæpius, quàm* Immolare, *vel* Offerre *& Sacrificare iubetur.*

Agnus Paschalis *an fuerit immolatio vel Sacrificium*

Deinde nec à solis Sacerdotibus, nec ad altare mactabatur Agnus Paschalis : sed nec aliud quicquam observabatur, quod Dominus faciendum præceperat in reliquorum sacrificiorũ oblatione. Etsi igitur omnis cultus, qui Deo ex præscripto ipsius exhibetur, suo quodã modo sacrificium & oblatio vocatur : & Num. 9. *Agnus Paschalis etiam* Corban *nominatur, quo nomine sacrificia & oblationes legales omnes generaliter appellantur, unde apud Marcum pro dono interpres reddidit : Non tamen idcirco ceremonia & ritus ille Agni Paschalis unquam inter sacrificia æterna, propriè sic dicta, numeratus fuit. Ad ideò quod de solis Sacerdotibus diximus, respondet Bellarminus*, id propterea factum, quòd hoc sacrificium fuerit institutum, antequam familia Aaron determinata sit ad sacerdotium : & ideo quantum ad hoc sacrificium, mansisse antiquum privilegium, ut omnes Patresfamiliàs Sacerdotio fungerentur. *Respondeo ; non hanc veram esse huius ritus causam, alioquin etiam in reliquis sacrificiis hoc privilegium mansisset, quorum multa etiam ante familiæ Aaronicæ determinationem habuerunt.*

TER-

III. TERTIVM *argumentum sumit Iesuita ex cap.24. Exod. ubi describitur dedicatio, ac celebratio Testamenti Veteris. Sanctum autem fuit hoc Testamentum seu fœdus solenni sacrificio, & sanguinis aspersione his verbis*, Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. *Hanc figuram impletam esse in ultima Cœna dicit Bellarminus. Ex hoc igitur fundamento sic argumentatur libr. 1. de Missa cap.8.* Sanguis Testamenti Veteris, apud Mosem, erat sanguis victimæ jam immolatæ, & verè ac propriè sacrificatæ: Ergo sanguis Novi Testamenti apud Christum, est sanguis victimę immolatæ,& verè, ac propriè sacrificatæ. Est autem sanguis ille sanguis Christi, ut ipse dicit: Hic est sanguis meus. Ergo ipse fuit victima in Cœna immolata, & sacrificata.

Negatur consequentia: nam sanguis ille Testamenti Veteris, non unius tantùm, sed duplicis rei fuit typus, nimirum realis, seu Crucis; & symbolicæ, vel Eucharisticæ & Sacramentalis oblationis. Paulus enim illa verba Testamenti Veteris, Hic est sanguis fœderis, *manifestissimè cum sacrificio Crucis comparat, Hebr. 9. cap. Similitudo autem verborum Cœnæ, quam habent cum verbis antiqui fœderis, indicare videntur, aspersionem illam sanguinis veterem, typum fuisse Cœnæ Dominicæ. Bellarminus autem septem conditiones ordine recitat Testamenti seu fœderis illius veteris, quas omnes dicit in Cœnam quadrare, nullam in Crucem. Sed sex ex illis conditionibus cum Iesuitæ proposito directè pugnant.*

Deinde Iesuita realis oblationis proprietatem in symbolicam hic transfert, quasi non sic apud Mosem sanguis victimæ immolatæ, esset signum futuri sanguinis Christi, ut in Novo Testamento panis & vinum sanctificata benedictione Christi elementa, sunt symbola præteriti. Quòd si absolutè ac simpliciter vera esset hac consequentia, sequeretur in Eucharistia sanguinem Christi visibilem & palpabilem esse offerendum, sicut fiebat in veteri fœdere sanciendo. At qui sacrificium à Sacramento discernit, & rationem permutationis nominum in Sacramento intelligit, sic rectiùs argumentabitur: Vinum est sanguis Christi. Ergo vinum sic erat priùs benedictum, ut sanguis erat victimæ immolatæ, ac verè sacrificatæ, quo figura figurato responderet.

IV. QVARTVM *argumentum, ad probandum sacrificium Missæ, petit ex vaticinio Prophetarum, inter quæ præcipuum est, quod apud Malachiam 1. cap. legitur, in eo enim præcipuum robur suum collocat. Verba Prophetæ hæc sunt:* Non est mihi voluntas ex vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim Solis, usque ad occasum, magnum est Nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in gentibus. Hoc testimonium, *inquit Bellarminus*, non potest intelligi de Sacrificio Crucis, quia illud non offertur in omni loco, sed semel tantùm uno in loco oblatum fuit. Nec de sacrificio aliquo Iudaico, quia Propheta dicit, à gentibus offerendum, & illud opponit Sacrificiis Iudæorum. Neque etiam de sacrificiis Gentilium piorum, qui erant in mundo ante Christi adventum: ut Melchisedech, Iob, &c. Hi enim inter gentes pauciſſimi erant, præsertim Prophetarum temporibus, quando idololatria mundum repleverat, ita ut David diceret, Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum Nomen ejus, Psal. 75. Nec denique de sacrificiis gentilium idololatrarum: non enim oblatio illa munda dici potest. Ergo intelligenda sunt hæc verba Malachiæ de sacrificio Missæ, hoc est, de oblatione corporis & sanguinis in Cœna.

Negatur primò *consequentia: nam Propheta nihil dicit de Missa, seu de illa histrionica actione, & representatione sacrificij Christi. Est igitur petitio principij: nam id, quod in controversia positum est, & quod omnino probandum erat, nempe Missam esse sacrificium, non probatur, sed pro concesso affirmatur à Iesuita.*

Secundò, *negatur quoque antecedens ab aliquibus, in quo inter alia dicitur*, hoc testimonium Malachiæ non posse dici, vel intelligi de sacrificiis piorum & gentilium, qui erant in mundo ante Christi adventum, eò quòd exiguus eorum numerus fuerit, præsertim Prophetarum temporibus. *Nam quis hoc Bellarmino Iesuita dixit? Non enim sequitur, mentio tantùm fit in sacris Literis Melchisedechi, Iobi, Ietronis, Rachabæ, Hiram Regis, Sabæ Reginæ, Naamani, Cyri & Nabuchodonosoris. Ergo nulli alij præterea fuerunt. Nam si Melchisedech fuit Sacerdos Altissimi, ut Moses testatur, habuit sine dubio cœtum aliquem, quem in veri Dei agnitione instituit. Idem etiam de aliis dici potest. De Nabuchodonosore Daniel testatur, quòd decreto mandârit, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sadrach, Mesach, & Abednego, dispereat & domus ejus vastetur, neque enim alium esse Deum qui possit salvare: quòdque nota fecerit publico scripto idem Rex omnibus populis, gentibus & linguis in universa terra, signa & mirabilia quæ in ipso fecerit Deus excelsus. Quis igitur negare ausit, quàm plurimos in aula Regis*

Explicatur locus Malach. 1.

menti Veteris fuisse peracta in injuriam crucis Christi. Nam sacrificium crucis non solùm vim habuit sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos: inde enim dicitur, agnus occisus ab origine mundi, Apocalyp. 13.

Respondeo, primò, *Apostolum in his locis Epistolæ ad Hebræos generaliter loqui, nulla adhibita distinctione, vel exceptione sacrificii repræsentativi, ut à Sacrificulis accipitur, vel alterius generis.* Semel, *inquit*, oblatus est. Non necesse habet quotidie pro peccatis offerri. Vbi est peccatorum remissio, ibi non est ampliùs oblatio pro peccato, &c. *Itaque Apostolus docet, Christum semel oblatum, nec ampliùs sive cruentosive incruento modo, sive repræsentativè, sive aliter offerendum esse.*

Secundò, *propter vim infinitam Sacrificij Crucis, concedit Iesuita, non opus esse alio sacrificio Crucis, aut ejusdem sacrificij repetitione, propter finitam autem virtutem sacrificij Missæ id repetendum esse docet. Vnde lib. 2. de Missa cap. 4. dicit*: Valor sacrificij Missæ finitus est. *Et hoc communi Theologorum sententia & usu Ecclesiæ sic probat*: Si Missæ valor infinitus esset, frustra multæ Missæ, præsertim ad rem unam eandemque impetrandam, offerrentur. Si enim una infiniti valoris est, certè ad omnia impetranda sufficiet. Quorsum igitur aliæ? *Contrà verò Caietanus Cardinalis tract. 2. de Celebrat. Missæ, cap. 2. quæst.* 1. Virtus, *inquit*, Missæ infinita est, quia est virtus Jesu Christi in seipso. *Rursus*: Quantas sacrificii est infinita, ita quòd est impetrativum, meritorium, & satisfactorium infinitè. Vnde effectus ejus est infinitus, sicut & passionis Christi. *Hujus ergo Cardinalis verbis respondet Bellarmini prostratur quoque. Si enim virtus Missæ est Christi, quam habet in seipso, cur Bellarminus dicit*, Missæ valorem esse finitum. *Sin vis & efficacia Missæ est infinita, sicut passionis Christi, ut Cardinalis docet, ergo non solùm juxta Pauli doctrinam, sed ipsius Bellarmini quoque concessionem, non est repetenda.*

Tertiò, *distinguit hoc loco Iesuita, inter sacrificium Crucis & Missæ*: illud infinitam vim habere dicens, & propterea non repetendum, hoc verò finitam virtutem habere affirmans, ideóque sæpius repetendum. *Alibi tamen concedit*, idem esse sacrificium Missæ, cum sacrificio Crucis numero & subiecto. *Et lib. 1. de Missa, cap. 10. docet*, Sacrificium Missæ non esse opus nostrum, sed Dei: Per oblationem, *inquit*, quam Spiritus sanctus mundam appellat, non debent intelligi opera nostra, id est, sacrificia, impropriè dicta: sed Sacrificium à Deo institutum, quod ab ipso Deo, non à nobis vim suam habeat. *Quòd si opus Dei est, cur dixit suprà, valorem ejus esse finitum?*

Fatemur tamen, Eucharistiam posse aliquomodo esse & dici Sacrificium repræsentativum Crucis sacrificij: verum non hypostaticum, seu reale, ut Papistæ volunt, sed typicum & symbolicum, sicut erat etiam sacrificium Melchisedechicum & Aaronicum: in quo gratiæ agimus Filio Dei, pro ineffabili illo beneficio, quod nobis præstitit in cruce, oblatione corporis & sanguinis sui, in redemptionem animarum nostrarum.

QVINTVM *argumentum: Testamenti confirmatio à morte testatoris pendet. Sed Missa est Nouum Testamentum: imò quot sunt Missæ tot sunt Testamenta: Ergo morte testatoris, hoc est, Christi sunt confirmanda: & ideo unica illa mors Christi, aut non creditur, aut pro non sufficienti habetur. Respondet Iesuita*: Si Catholici dicerent, in sacrificio Missæ verè Christum mori, hoc argumentum aliquid virium habere videretur: Sed dicunt omnes, Christum non mori nisi in Sacramento, seu signo repræsentante unicam illam mortem, quam aliquando obijt. V.

Respondeo primò: *Si in signo tantùm moritur: ergo non verè moritur: & proinde non est verum & reale in Missa Sacrificium. Nam Bellarmino tesse lib. 1. de Missa, cap. 27.* Sacrificium verum & reale, verum & realem occisionem exigit, nam in occisione ponitur essentia sacrificij: *& hoc paulò pòst repetit. Vnde Emanuel Vega Hispanus Iesuita, mortem non signo visibili & inanimato, sed personæ Christi sub speciebus latenti imputat, inquiens:* Hoc consecrari & offerri quod cùm per se vivat, tamen iussu Dei in formam rei mactatæ redigatur. At signum per se non vivit.

Secundò, *si probare possumus, Papistas docere, non in signo, sed verè Christum mori, vicit argumentum nostrum, ipsius Bellarmini confessione. Hoc autem facile probari potest. Nam lib. 1. de Missa, cap. 27. dicit: Bellarminus*: Verum & reale sacrificium, verum & realem mortem aut destructionem rei immolatæ desiderat. *Sed Missa est verum & reale sacrificium: ergo mortem aut destructionem rei immolatæ, hoc est, veri Christi, desiderat. Idem dicit*: Quid est immolatio, nisi rei viventis in honorem Dei mactatio? *At in Missa immolatur vivus & verus Christus: Ergo ibidem etiam mactatur & occiditur. Rursus lib. 1. de Missa, cap. 27. dicit*: Christus per consecrationem ad manducationem, & per hoc ad destructionem ordinatur. *Vbi autem Christus destruitur, ibi & moritur. Ac licet per destructionem, comestionem intelligas, nihilo-*

nihilominus procedit argumentum: Nam caro & sanguis non sunt apta ad cibum, nisi animal moriatur.

Sed inſtat: Solùm occiſio & mors requiritur in oblatione rei viventis, & quæ in forma rei viventis offertur, ut quum offeruntur agni, vituli, boves, & ſimilia, quorum deſtructio in morte conſiſtit. At quum forma ſacrificii eſt rei inanimæ, ut panis, vini, thuris & ſimilium; non poteſt requiri occiſio, ſed ſolùm conſumptio rei illi conveniens. In Miſſa igitur offertur quidem Chriſtus, qui eſt res vivens, & offertur in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem, ubi ſolùm requiritur mors repræſentata, non autem mors re ipſa: ſed ut eſt ſacrificium reale, & propriè dictum, offertur in forma panis & vini, ſecundùm ordinem Melchiſedech, & proinde in forma rei inanimatæ. Quare conſumptio huius ſacrificij, non debet eſſe occiſio, ſed manducatio. *Reſpondeo: Si Chriſtus offertur in forma rei inanimatæ, ut dicit Ieſuita, non offertur verè ac realiter: Nam in typo Chriſtus typicè, non perſonaliter & verè habetur & moritur. Deinde blaſphemia eſt dicere, Chriſtum non realiter coram Deo, ſed fictè ſolùm mori, per manducationem autem deſtrui & conſumi in ventriculo, Religioſius certè Gloſſa ordinaria dicit*: Quàm citò hoſtia dentibus teritur, tam citò corpus Chriſti ab Angelis in cœlum defertur. *Tertiò, mirandum ſanè eſt, iſtiuſmodi homines in Miſſa mortem repræſentatam Chriſti urgere, è contrà verò præſentiam repræſentatam ejuſdem reijcere.*

VI. SEXTVM *argumentum ſumitur ab authoritate Primitivæ Eccleſiæ, ejuſq; Doctorum:*

Si ſacrificium ſeu oblatio, quam Irenæus ab Apoſtolis, quibus hoc conſilium dederit Chriſtus, Eccleſiam accepiſſe, atque in univerſo mundo Novi Teſtamenti novam oblationem ab ea Deo, Patri Chriſti offerri *ſcribit; fuit ipſa Communio & diſpenſatio Cœnæ, quæ propter celebratam in ea unicæ oblationis & ſacrificii, quo conſummati ſumus, memoriam vocabatur Sacrificium, ſed myſticum & incruentum: Non fuit Sacrificium Miſſaticum, hoc eſt, privata vel ſolitaria alicuius ſacrificuli actio ſeu oblatio, in qua reale corpus Chriſti pro aliis Deo Patri offerretur. Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens.*

Aſſumptione probo ex Patribus primitivæ Eccleſiæ, qui ſic frequenter Sacrificii vocabulum pro Communione Cœnæ uſurparunt: ut videre licet apud Cyprianum de Lapſis: Auguſtinum lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. 6. 19. & 20. & contra literas Petil. lib. 2. cap. 25. Contra Fauſtum l. 20. c. 18. 24. Epiſtola 59. & 118. Chryſoſtomum Homil. 17. ad Hebræos: & ad Timoth. homil. 6. qui & in Liturgia ſua dicit, Chriſtum nobis miniſterium & celebrationem incruenti ſacrificii in Cœna tradidiſſe. *Inde autem hac Sacrificii appellatio deſcendit, quòd, quatione actio & communio Cœnæ eſt corporis in mortem traditi, eadem quoque ſit ſacrificij in corpore ſacramentum. Vnde ſic Heſychius*: Si Chriſtus non eſſet crucifixus, ſacrificium corporis eius non ederemus. *Synodus Epheſina*: Annunciantes mortem unigeniti Filij Dei Jeſu Chriſti, & reſurrectionem eius, atque in cœlum aſcenſionem pariter confitentes, incruentum celebramus ſacrificij cultum, & ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamus, participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Jeſu Chriſti effecti. *Et Cyrillus*: Sanctum ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis celebramus ſacrificium, non communis hominis alicuius corpus & ſanguinem eſſe, quod proponitur, credentes; ſed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. *Nazianzenus in Orat. contra Iulianum*; Incruentum ſacrificium vocat, quod fideles in Sacra communione manibus ſuis accipiebant, quatenus per hoc Chriſto, ipſiusque paſſionibus & Diuinitatis communicárunt. *Sed & apud Baſilium in Epiſtola ad Cæſarium*; Sacrificium vocatur, quod Sacerdote conſecrante & diſtribuente, propria cuiuſque manu accipitur, cum omni libertate, & ori admovetur. *In Canone 28. Concilii Conſtantinopolitani ad Trullum*: Incruentum oblationis ſacrificium dicitur, totus ille ſacræ ſynaxis ritus. *Et quia hoc Sacrificium veteris Eccleſiæ memoriale tantùm fuit alterius veri & unici Sacrificii, quod repeti nunquam vel debet vel poteſt, ideo etiam à Patribus promiſcuè vocatur* Figura, Memoria, Signum, Imago, Similitudo & Sacramentum *unici illius veri, quod in Chriſti corpore & ſanguine peractum eſt Sacrificii. Item*: Commemoratio carnis & ſanguinis, quæ pro nobis oblata ſunt. *Sic enim Auguſtinus de Civit. Dei lib. 10. dicit*: Quod hominibus vocatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificii, in quo caro Chriſti, poſt Aſcenſionem, per Sacramentum memoriæ celebratur. *Non dicit, ut Pontificij hodie, Realiter ſub ſpecie panis præſens in ſacrificium offertur. Chryſoſtomus homil. 17. ad Hebræos, Sacrificia Iudæorum in lege, cum Chriſti ſacrificio in Evangelio confert. Ait autem* ſacrificia legis multa extitiſſe atque imperfecta, & proinde fuiſſe quotidie iterata atque repetita: hoc verò Evangelij ſa-

crificium unum atque perfectum esse, propterea que sempiternum: *ideoq; præstantissimo cuidam medicamento comparat, quod semel adhibitum sanitatem affert, ut non sit necesse sæpius sumi. Præterea etiam nobis, qui sub Evangelio sumus, sacrificium quoddam reliquum esse docet, & quidem quotidianum: sed tamen eiusmodi, ut ad conservandam illius unici, semel in cruce facti sacrificij memoriam modò referatur. Et quanquam in multis locis immolemus, tamen unum solum esse sacrificium ait, quia unicum illud Christi sacrificium spectet. Ideo addit:* Quomodo una est hostia, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium *(id est, Sacramenti celebratio)* exemplar illius est. *Quid autem per hoc vocabulum (Exemplar) intelligat, in iis, qua proximè præcedunt, ostendit.* Quæ, *inquit*, formam tantùm alicuius habent, Exemplar ostendunt, non autem virtutem. Sicut in imaginibus exemplar hominis habet imago, non etiam virtutem. *Ex his Chrysostomus sic concludit: Hoc autem, quod facimus, in commemorationem quidem fit ejus; quod factum est.* Hoc enim facite, *inquit*, in mei commemorationem. *Ex quibus non obscurè intelligimus, quomodo veteres Patres Oblationis & Sacrificij vocalis usi sint, & quo sensu Cœnam oblationem, Sacrificium, &c. nominârint. Theodoretus in cap. 8. Epistolæ ad Hebræ. ad quæstionem*, Cur Sacerdotes Novi Testamenti sacrificium dicantur peragere, quum Christus, offerens sacrificium, effecerit, ut alia sacrificia non essent necessaria? *Respondet*, Nos non aliud offerre, sed illius unius & salutaris sacrificij memoriam peragere. *Prorsus itaq; cum Veteribus non consentiunt, sed authoritate ipsius impudenter & deceptoriè abutuntur, qui Sacrificium hoc Ecclesiæ à publica Communione Cœnæ hodie discernentes, illud in unius tantùm Sacerdotis actione, & realis corporis & sanguinis Christi oblatione consistere putant.*

Septimo, *Argumenta validissima sumi possunt ex Canone Latino qui super Ecclesiæ Sacrificium conceptus & compositus fuit, atq; etiamnum hodie super id recitari solet.*

Primò, *In verbis Canonis commendantur Deo* dona & munera, sancta & illibata sacrificia. *Hæc verò in Primitiva Ecclesia nihil aliud erant, quàm oblationes fidelium, quibus suam animi devotionem & gratitudinem erga Deum testabantur, & ex quibus sacram & publicam communionem inde faciendam pars desumpta consecrabatur. Ergo in numularia illa oblata, in qua Sacerdos reale Filii Dei corpus Deo Patri in sacrificium offerre cogitat, non consistit verum Ecclesiæ sacrificium, nec ad hanc Pontificiorum oblationem verba Canonis directa sunt.*

Secundò, *Sacrificij fidelium oblatio, de quo verba Canonis loquuntur in ijs rebus celebratur, quæ ter à Sacerdote petuntur*, ut Deus accepta habeat, benedicat, & placatus accipiat, utque sereno vultu super hæc respicere dignetur. *His autem verbis, ut libro tertio capite vigesimo multis demonstratum est, non postulatur, ut corpus & sanguis Christi, sub specie panis & vini præsentia, & in sacrificium Deo oblata, accipientur, utque super hæc sereno vultu Deus respicere dignetur; sed preces & oblationes populi, ut Deo placeant petitur. Non igitur corpus & sanguis Christi, per corporalem sub specie panis & vini præsentiam, sacrificium Deo offeruntur.*

Tertiò, *Sacrificium, quod ab Ecclesia secundùm Canonis verba offertur, in divina ejus acceptatione, confertur cum sacrificiis Abelis, Abraham & Melchisedethi, & petitur*, sic sereno vultu super hanc Ecclesiæ puram, sanctam & illibatam hostiam respicere, eamque acceptam habere Deus dignetur, sicut accepta habere dignatus est illorum munera, sacrificia & immaculatas hostias. *Hæc autem collatio brutorum animalium & rerum inanimatarum Veteris Testamenti, cum ipsomet Filio Dei in corpore & sanguine suo, sub speciebus panis & vini contento, & in sacrificium Deo Patri oblato, prorsus impia & blasphema est. Illa igitur Canonis verba de Filij Dei sacrificio intelligi & dici nulla ratione debent.*

Quartò, *Sacrificium illud illibatum, purum, & immaculata hostia sic in verbis Canonis ex Propheta Malachia vocatur. Malachias autem non loquitur de reali aliquo Filii Dei sacrificio, nec Patres hac Prophetæ verba sic interpretati sunt. Sacrificium igitur id illibatum, & pura, immaculataq; hostia non intelligenda est ex verbis Canonis de substantiali corporis Christi sacrificio.*

Quintò, *Verba Canonis, quibus Sacerdos petit*, ut Deus dignetur oblationem fidelis populi benedictam, rationabilem & acceptabilem facere, ut nobis *(participantibus de hac oblatione)* fiat corpus & sanguis Christi; *non rectè intelligi hoc sensu possunt, ut per Transsubstantiationem panis & vini in reale corpus & sanguinem Christi, Deus hanc oblationem benedictam rationabilem & acceptabilem faciat: sed intelligenda sunt ista Canonis verba eo modo quo suprà fol. 231. & 232. ex Secretarum precibus, Alcuino & aliis interpretati sumus. Quemadmodum igitur hæc verba de nulla fidelium Transsubstantiatione loquuntur: sic quoque nulla fit corporis & sanguinis Christi sub panis & vini speciebus, in reale sacrificium oblatio.*

Sextò,

Sextò, *Verba Chriſti, quibus ex fidelium obla-tiũ Sacramenta ad publicam communionem conſecrari ſolebant,* MYSTERIVM FIDEI *in Septima parte Canonis eſſe dicuntur. Nulla igitur per hoc realis præſentia, vel corporis Chriſti in Sacrificium oblatio traditur. Hæc enim, iuxta Chryſoſtomum, myſteriorum ratio & natura eſt,* ut id quod credimus : non intueamur: ſed quòd aliud credimus,& aliud videmus : *vide ſupra fol.* 233.

Septimò, *Sacerdos, Octaua parte Canonis, ſuo & omnium fidelium nomine qui Euchariſtiæ actioni interſunt, dicit,* quòd memores paſſionis & reſurrectionis Chriſti, offerant præclaræ Maieſtati Dei de donis & datis eius, hoſtiam puram, ſanctam & immaculatam. *Hæc verò hoſtia de donis & datis Dei, in qua, ut paulò antè dictum eſt, memoria veri ſacrificij peragitur, per naturæ veritatem & ſubſtantiam panis & vinum eſt, & non ipſe Filius Dei, in corpore & ſanguine ſuo, ſub ſpeciebus panis & vini contentus, & in ſacrificium oblatus, ut ſuprà fol.*234.217. *ex Liturgijs & Patribus prolixè demonſtratum eſt. Ergo ſic Filius Dei, in memoriale ſacrificium ſuæ ipſius paſſionis & reſurrectionis, in Miſſa non offertur.*

Octauò, *Hæc, quæ in iſto Eccleſiæ Sacrificio peraguntur, à Sacerdote in Decima Canonis parte poſtulantur, ut in teſtimonium diuinæ acceptationis*, per manus Angeli perferantur ad ſublime altare, & in conſpectu diuinæ Maieſtatis. *Hæc verò de ipſius Filij Dei, ſub ſpeciebus panis & vini oblato ſacrificio, nullo modo intelligi poſſunt, ut ſuprà quoque fol.* 237. *& 238. docuimus. Quæ ergo in iſta Eccleſiæ ſacrificio peraguntur, de Pontificia oblatione Filij Dei intelligi minimè poſſunt.*

Nonò, *De his, quæ in externa ſacrificij communione diſtribuuntur, ſic Decima tertia pars Canonis loquitur:* per quem hæc omnia ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis & nobis præſtas. *His autem verbis Canon non loquitur de corpore & ſanguine Chriſti, per Tranſubſtantiationem panis & vini in ſacrificium oblato, ut ſuprà fol.* 239. *demonſtratum eſt. Corpus igitur & ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis & vini in externa communione ſacrificij nec diſtribuuntur nec offeruntur.*

Decimo & ultimo, iuxta ritum & verba Latinæ Miſſæ, ſeparatim corpus in pane, & ſanguis ſeparatim myſticè offertur in vino, quorum poſt peractam in cruce ſacrificij memoriam, coniunctio, per immiſſionem confractæ hoſtiæ in calicem, his verbis myſticè deſignatur: Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Chriſti. *Hoc autem modo nulla, per corporalem præſentiam, realis in ſacrificium oblatio corporis & ſanguinis Chriſti fieri poſſet : quam ob cauſam etiam* Concomitantia *à Pontificijs excogitata eſt. Quemadmodum igitur nulla realis eſt corporis à ſanguine ſeparatio: ſic etiam nulla eſt ipſorum, per corporalem ſub ſpecie panis & vini præſentiam, realis in ſacrificio Miſſæ oblatio.*

Hæc omnia, quæ hucuſque diximus ex Gregorio M. confirmantur, qui Canonem *Latinæ Miſſæ, quem* Precem *vocat*, à Scholaſtico compoſitum eſſe dicit, ut ſuper Oblationem fidelis populi diceretur : *non igitur dici vel recitari debuit Canon, iuxta Gregorium, ut per hunc Filius Dei in corpore & ſanguine, ſub ſpeciebus panis & vini, in ſacrificium offerretur.*

Argumenta Bellarmini, Quòd Miſſa ſit Sacrificium, & eorundem Refutatio.

PRimum *argumentum, quo probare conatur Ieſuita, quòd Chriſtus in ſua Cœna inſtituerit Sacrificium, depromit ex ſacra Scriptura. Nam Geneſ.*14. *ſic legitur:* Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum : erat enim Sacerdos Dei altiſſimi : *ut in Vulgata Verſione habetur.* Hunc locum, *inquit Bellarminus*, ita referunt Dauid Pſal. 105. & Paulus Hebr.7. ad Chriſtum, ut dicant, Chriſtum Sacerdotem fuiſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Ex hoc loco ſic argumentatur Ieſuita; Quicunque Sacerdos eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſacrificium debet offerre incruentum, ſub ſpeciebus panis & vini: quia Melchiſedech, ut Sacerdos Dei altiſſimi, obtulit, vel ſacrificauit panem & vinum. At Chriſtus Sacerdos eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech. Ergo ſacrificium debuit offerre ſub ſpeciebus panis & vini incruentum : hocautem fecit in Cœna inſtitutione.*

Argumenta Bellarmini ex Verbo Dei pro Sacrificio Miſſæ I.

Negatur maior, quæ falſa eſt. Nam primò, non conſtituit Apoſtolus Paulus Ordinem Melchiſedechicum in Oblatione panis & vini, ſed in utriuſque perſona. Hic, *inquit*, Melchiſedech Rex erat Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui occurrit Abrahæ, reuertenti à cæde Regum, & benedixit illi, cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abraham: Qui primùm quidem ex interpretatione dicitur Rex iuſtitiæ, deinde verò etiam Rex Salem, quòd eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genere, nec initium dierum, neque finem vitæ habens, ſed aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. *In his verbis Paulus Sacrificij,*

Explicatur hiſtoria Melchiſedech.

vel oblationis panis & vini mentionem nullam facit, quum tamen minima quæque obſeruet, ac ſigillatim & minutatim ponderet, quicquid ſimile cum Chriſto habuit, & quidem adeo diligenter, ut non ſolùm ea, quæ à Moſe de Melchiſedecho *recitantur, commemoret, ſed ea quoque omnia, quæcunque de analogia typi & veritatis dici poterant, & à Moſe reticentur, accuratiſſimè annotet. Eſſet autem craſſæ negligentiæ, ſingulas partes, etiam eas quæ minoris momenti erant: excutere: id verò quod caput rei eſt, ne uno quidem verbo attingere. Iuxta Paulum igitur typi & veritatis, hoc eſt, Melchiſedechi & Chriſti collatio in his partibus conſiſtit: 1. Melchiſedech fuit ſimul Rex & Sacerdos: ita etiam Chriſtus. Et hic facta quædam Melchiſedechi recenſet, Regi & Sacerdoti ſimul conuenientia: quòd nimirum tanquam Rex munificus occurrerit Abrahamo reuertenti à cæde Regum: quòd illi tanquam Sacerdos benedixerit quo nomine etiam Abraham illi decimas ex omnibus dederit, & ille ab eo acceperit. 2. Ille fuit Rex iuſtitiæ & pacis vocatus: talis verè etiam eſt Chriſtus. 3. Melchiſedech proponitur quaſi principio & fine carens: cuius nec pater, nec mater, nec maiores, nec mors explicatur: talis reuera eſt Filius Dei. Nam non ſolùm quoad Deitatem principio & fine caret: ſed etiam quoad Sacerdotium & Regnum: Solus enim manet Sacerdos æternus, pro Eccleſia perpetuò interpellans: & Regni illius non erit finis. Deinde, quoad humanitatem ſine patre eſt: quo ad Deitatem, ſine matre. Qui itaque eſt Rex iuſtitiæ & Pacis, Sacerdos æternus, ſine patre, ſine matre, ſine genere, neque initium, nec finem vitæ habens, is eſt iuxta Paulum, Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Talis eſt autem Chriſtus. Ergo propter duplex officium, & æternitatis ſpeciem, non propter panis & vini oblationem, Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Quæ quum ita ſint, tamen Bellarminum dicere non pudet, Paulum non tractare quis fuerit ordo Melchiſedech, ſed ſolùm oſtendere excellentiam Chriſti ſupra Aaronem. *Reſpondeo: Scopus quidem Pauli eſt, excellentiam Chriſti ſupra Aaronem oſtendere, primarium autem argumentum, quo hoc demonſtrat, in explicatione ordinis Melchiſedechici conſiſtit.*

Secundò, *ſi Ordo Melchiſedech, ut vult Bellarminus, in oblatione vel ſacrificio aliquo conſiſteret*, Melchiſedechus certè non fuiſſet *præſtantior Aarone & Leuitis, ut docet Apoſtolus Hebr.* 7.

Bellarminus verò Maiorem Syllogiſmi ſui aliquot rationibus probat. Primò, Vt Melchiſedech, *inquit*, ordinem haberet differentem ab ordine Aaronis, oportuit præcipuam differentiam eſſe in rebus oblatis. Ea autem fuit differentia, quòd Melchiſedeci fuit ſacrificium incruentum ſub ſpeciebus panis & vini. Leuitica verò cruenta erant ſub ſpeciebus animalium. *Reſpondeo: Si verum eſt quod dicit Bellarminus, falſum erit illud Apoſtoli*, Melchiſedechum excellentiorem fuiſſe Aarone & Leuitis. *Nam oblationes & ſacrificia cruenta Aaronica per ſe, longè clariùs ſacrificium Chriſti repræſentarunt, ac præſertim holocauſta, ut Apoſtolus docet, quàm oblationes panis & vini: nam pati, mori, mactari, ſanguinem fundere, pani non conueniunt. Ergo Ordo Melchiſedechicus in re alia, quàm in oblationibus & ſacrificijs conſtituendus eſt. Deinde, quum Apoſtolus differentiam ſacrificiorum iſtorum diligentiſſimè explicaſſet, non iſtam tamen differentiam, ſeu diſtinctionem attulit, quod omnino facere debuiſſet, ſi præcipua differentia Melchiſedeciani & Aaronici ſacrificij in eo conſiſteret. Hîc Ieſuita duas affert rationes, ob quas Apoſtolus huius differentiæ mentionem non fecerit. Prima eſt*, Ad Pauli propoſitum non pertinebat. *Secunda*, Iudæi nondum erant eius capaces. *Reſpondeo ad primam, Si vel ipſi Ieſuitæ credas, hic ſcopus fuit comparationis Paulinæ, ut officium Chriſti ſacerdotale deſcriberet. Quam igitur alienum fuiſſet, in explicatione Sacerdotij Chriſti primariam differentiam omittere? Ad ſecundam, Longè ſublimiora, & Iudæis creditu difficiliora Apoſtolus in hac ipſa Epiſtola tractauit, videlicet de perſona & officio Chriſti.*

Secundò probat ſuam Maiorem verbis Moſis: Sic enim legitur Gen. 14. Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. *Hîc Ieſuita* fatetur quidem, verbum hoc nihil aliud ſignificare ex ſe, quàm proferre, ſeu adducere, tamen pro loci exigentia ſæpe etiam uſurpari pro adductione hoſtiæ ad immolationem, ut Iudic. 6. *Reſpondeo: verbum Hebraum* Hozi, *quo Moſes utitur, ſæpiſſime, & quidem propriè & per ſe ſignificat* educere, exportare, proferre. *Gen.* 8. Educ tecum. *Ezech.* 21. Educam gladium meum. *Pſal.* 35. Qui eduxit ventum. *Exod.* 8. Vt educerent pediculos. *Num.* 20. Elicies illis aquas de petra. *Exod.* 12. Coxerunt paſtam quam exportauerant ex Ægypto. *Iob.* 10. Cur è vulua extraxiſti me. *Num.* 17. Protulit florem. 2. *Reg.* 12. Qui extulerunt eam. *Deut.* 22. Quia extulit nomen malum. *Num.* 14. Mortui ſunt viri, qui protulerunt infamiam terræ. *Iob.* 8. De corde ſuo proferent ſermones. *Iſa.* 42. Iudicium gentibus proferet. *Eodem ſenſu accipitur hoc verbum Pſal.* 68. *Iſa.* 45. 2. *Paralip.* 9. *Ezech.* 14. & 47. *Gen.* 38. *Ierem.*

38. *Ierem.* 38. *Ezech.* 38. *Vnde etiam Graci verterunt* ἐξωλόθρευσεν: *Germani* Er trug herfur: Er trug entgegen. *Inepte igitur à Bellarmino unicus locus de adductione hostiæ contra nos adducitur: præsertim quum ibi omnes circumstantiæ satis probent, agi de sacrificio vel hostia: Apud Mosem verò legitur, panem & vinum data fuisse Abrahamo à Melchisedecho, idque pro regia liberalitate, & antiqua consuetudine, quo defessi ex prælio reficerentur. Confirmat hanc interpretationem & sententiam Iosephus, qui lib. 1. Antiquit. ca.* 18. Ministrauit, *inquit*, Melchisedech Abrahami exercitui Xenia, & magnam copiam rerum opportunarum simul exhibuit: simulque ipsum adhibitum mensæ meritis laudibus extulit, &c. *Ad hoc nihil aliud respondet Iesuita, nisi hoc, Iosephum dicere quidem, panem illum datum Abrahæ, sed non negare fuisse Deo prius oblatum: De hoc verò Moses ne quidem. Additulatur etiam nobis Tertullianus contra Iudæos, & Ambrosius lib. 4. de Sacram. ca. 3. ubi dicunt*, Abrahamo de prælio reuertenti panem & vinum oblatum, scilicet, in commeatum, vel ad recreationem: *nam à Melchisedecho sacrificatum fuisse Abrahamo dicere non licet. Idem quoque dicit author Quæstionum Veteris & Noui Testamenti apud Augustinum. Contrà verò Bellarminus dicit*, Nulla erat causa cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahæ. Nam redijt Abraham, ut Scriptura ibidem habet, ex prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea, quæ ad cibum pertinent: imò in fine capitis dicitur, milites Abrahæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. Quid igitur opus erat pane & vino ijs, qui spolijs abundabant, & paulò antè comederant & biberant? *Respondeo: hoc non impedire debuit Melchisedechi munificentiam: nec decuit Melchisedechum deesse suo officio, cui proculdubio præda Abrahami incognita erat. Deinde serui quidem Abrahami dicuntur comedisse, sed priùs ne, vel ea ipsa hora, qua hæc inter Abrahamum & Melchisedechum gesta sunt, non exprimitur. Valde etiam mirum est, Iesuitam tam emunctæ naris suam hoc loco manifestissimam contradictionem non olfecisse. Nam ante hæc verba dixit*, Non negamus data illa in cibum Abrahæ & socijs, sed dicimus priùs fuisse Deo oblata, & consecrata, & tum data hominibus, ut de sacrificio participarent. *Quibus mox subiungit ex dicta verba:* Nulla causa erat cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahæ. Nam redijt Abraham cum ingenti præda, &c. *Et lib. 4. de Sacram. ca.* 4. *ait*: Non constat an Melchisedech dederit panem & vinum comedendum Abrahæ, an solùm Deo obtulerit: Scriptura enim disertè id non dicit. *Deinde dicit Iesuita*, Cùm Scriptura tot in locis describat sacerdotium Melchisedechi, debuit profectò alicubi tradere quale fuerit sacrificium, id quòd hoc loco fit: oportet igitur per panem & vinum, non prophanos cibos, sed sanctificatos & Deo priùs oblatos intelligere. *Sed ad hoc antea responsum est, quum diximus, iuxta Paulum, Ordinem & proinde Sacerdotium Melchisedechi qualenus cum Sacerdotio Christi comparatur, in alijs rebus, quàm in oblationibus & sacrificijs consistere.*

Tertiò, *Maiorem suam putat efficacissimè ex his verbis Mosis probari posse*: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: Hæc ratio, *inquit*, ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melchisedech panem & vinum protulerit, omnino cogit, ut intelligamus panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. *Respondetur: Vulgata editio aberrauit hic, ut alias sæpe, ab Hebræa veritate, quòd posuit particulam causalem, pro Coniunctiua quæ in Hebræo habetur. Fatetur hoc quoque Bellarminus, & dicit*, Non ad verbum in Hebræo esse, Erat enim Sacerdos: *sed*, Et erat Sacerdos: *ut sit sensus*, Regem Melchisedechum fuisse quoque Sacerdotem, ut clarum est ex argumento Apostoli: *& sic in Hebraica veritate distinguuntur actiones ipsius Melchisedechi Regis, & Sacerdotis: ut sic adductio, seu prolatio panis & vini ad munificentiam Regis pertineat: Benedictio autem, quæ sequitur, ad sacerdotium: Nihilominus Iesuita contendit, copulam* ET, *hoc loco accipiendam esse pro* ENIM, *& citat tria loca Scripturæ, ubi sic accipitur. Sed non sequitur, particula* ET, *Genes.* 20. *&* 30. *ca. item Isa.* 64. *accipitur pro* ENIM: *Ergo etiam hoc loco, & alibi semper: Est enim argumentum ex puris particularibus formatum. Rectius sic argumentari licet: Copula* ET, *in plerisque locis, imò proprie & per se, non idem quod* ENIM *significat: igitur neque hoc loco idem significat. Adde, quòd de dissimilibus non idem iudicandum est. Sumi autem hic dissimilia exempla. In illis enim exemplis, quæ Iesuita adducit, necessariò particula* ET, *per* ENIM *est exponenda: nulla verò cogit necessitas ut idem hoc quoque loco faciamus.*

Sed inflat Bellarminus & dicit, In hebræo Codice, post illa verba: Et erat Sacerdos Dei altissimi, inuenitur accentus, quem Hebræi vocant Sophpasuch, qui indicat, ibi terminari periodum: Quare non potest illud, Et erat Sacerdos, coniungi cum sequentibus, Et benedixit, sed debet superiori-

oribus illis annecti, Protulit panem & vinum. *Respondeo: Illam distinctionem periodum designantem, sæpe apud Hebræos confundi, & tum sensum ex circumstantijs eliciendum. Vnde etiam Sanctes Pagninus Hebrææ linguæ peritissimus, & Monachus olim Pontificius, illam periodum cum sequenti coniunxit, hoc modo:* Et ipse quum esset Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. *Sed contra hanc responsionem objicit,* Non rectè dici, Melchisedechum, ut Sacerdotem, benedixisse Abrahæ, & proinde malè nostros interpretari hunc locum, Erat Sacerdos, & benedixit ei: vel (*ut habet Caluinus*) Cùm Sacerdos esset Dei, benedixit Abrahæ. (*Est autem hæc non Caluini, sed Pagnini Monachi interpretatio.*) Nam etiam Abraham Sacerdos erat, ut patet ex plurimis sacrificijs, quæ obtulit: non igitur Melchisedech ut Sacerdos, vel quia Sacerdos erat, benedixit Abrahæ, sed quia maior Sacerdos, vel quia absolutè maior erat, quum & Rex & Sacerdos esset. Non enim est solius Sacerdotis benedicere sed omnis maioris. Sic enim & Solomon Rex, benedicit populo 1. *Reg.* 8. & *Dauid* 2. *Reg.* 6. & *Iosue, cap.* 8. & 22. *Negat hùc verbis Iesuita, ex benedictione Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech agnosci. Sed oppono inprimis Bellarmino Turrianum, Iesuitam scilicet Iesuitæ. Hic enim contrarium planè dicit tract.* 2. *cap.* 15. Non solùm, *inquit*, similitudinem æternitatis, quæ Sacerdotio Christi ineſt, notauit Apostolus cùm ait, Melchisedech sine patre & sine matre, nec initium dierum nec finem habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in æternum: sed etiam similitudinem in fungendo sacerdotio, id est, in sanctificando & benedicendo, Hæc enim sunt, ut dixi, propria Sacerdotis; benedicere scilicet & sacrificare. *Si igitur propria Sacerdotij sunt officia, benedicere & sacrificare: respondeat Turriano Bellarminus, cur non solius Sacerdotij sit benedicere. Sed respondeo ad argumentum: Rectissimè dicitur, Melchisedechum benedixisse Abrahæ ut Sacerdotem: quia benedictio intelligitur respectiuè maioris benedicentis minori: ideoque ne communem aliquam benedictionem intelligeremus, addendum omnino fuit*, Erat enim Sacerdos, *ut non communis aliqua, vel legalis benedictio intelligeretur. Sic etiam Chrysostomus Orat.* 4. *contra Iudæos docet, Melchisedechum non simpliciter, sed ratione Sacerdotij maiorem Abrahamo ex sancta benedictione fuisse. Ait enim:* Cùm Abraham primogenitor Levitarum & Iudaicorum Sacerdotum, sub Melchisedech, qui typum gerebat nostri Sacerdotij, laici typum obtinuit, idque duplici modo declarauit, primùm quòd illi dederit decimas, deinde quod benedictionem ab eo acceperit: Etenim laici benedictionem à Sacerdotibus accipiunt.

Quarta ratio, qua Maiorem propositionem confirmare vult Bellarminus, hæc est, Nihil est proprium Melchisedechici Sacerdotij, quàm oblatio panis & vini. Nam quòd Melchisedech benedixerit, & decimas acceperit, non est proprium illius Sacerdotij, sed commune etiam cum Sacerdotio Levitico, quòd Melchisedech non fuerit unctus oleo sensibili, nec succesſerit alteri, nec ei succesſerit alius, non est proprium Melchisedechi, sed commune cum Abel, & alijs nonnullis. Denique quòd non scribatur eius genealogia, & inde sit typus æternitatis sacerdotij Christi, præterquam quòd est quid extrinsecum ad Sacerdotium, non est proprium Melchisedechi, sed commune cum Iob, Helia & alijs, qui & Sacerdotes erant, & non describitur eorum genealogia. At panem & vinum offerre est proprium Melchisedechi, & ad sacerdotium maximè pertinet, quum sit proprius eius actus. *His utique Iesuita Apostolum, adeoque ipsum Spiritum sanctum corrigit, ob illa adiuncta, quibus probat, Christum rectè dici Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. Sed respondeo: Illa adiuncta, non seorsim, nec distinctè, in diuersis, sed coniunctim omnia, in una & eadem persona requiruntur: talis autem præter Melchisedechum & Christum nemo adhuc inuentus est. Deinde assumptio illa Iesuita falsa est*, oblationem panis & vini propriam esse Melchisedechi. *Nam, ut est videre Exod.* 29. & *Levit.* 28. *etiam in Lege tales oblationes fiebant. Ideo specifica differentia collationis inter Christum & Melchisedechum, in Sacerdotio & oblatione panis & vini non est, & ob hanc causam rectè, ut Aaronica similis, oblatio illa omissa est.* Sed excipit Iesuita, fuisse quidem in Lege etiam sacrificium panis & vini, sed ut pars quædam, & quasi condimentum alterius sacrificij, non autem ut sacrificium principale. *Respondeo: quæ in parte aliqua similitudinem habent, prorsus dissimilia dici non possunt. Deinde magis & minùs non faciunt speciem. Tertiò, non illa semper fuerunt condimenta, sed etiam sacrificia ipsa, ut habetur Levit.* 2. *c.*

Quintò, probat Maiorem suam consensu veterum Patrum, qui docent, panem & vinum à Melchisedecho in sacrificium Deo fuisse oblata: *& inde colligit*, ordinem Melchisedechi in oblatione panis & vini consistere, & proinde Christum quoque,

ut

ut reſponderet typo, inſtituiſſe in Cœna ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini. *Ad hunc conſenſum Patrum, Reſpondeo* Primò *in genere, non poſſe ex pleriſque Patribus, qui citantur, probari, eos ordinem Melchiſedechicum in oblatione panis & vini conſtituere: & ſi, maximè aliqui hoc faciunt, non poſſunt tamen illi ſuis allegoricis interpretationibus, abſque ſacrarum Literarum teſtimonijs, dogmata fidei extruere & ſtabilire.*

Secundò, *non tale ſacrificium intelligunt, quale Pontificij in ſua Miſſa celebrant: Sed primò, illud donarium Melchiſedechi, de quo ſuprà diximus, comparant tantùm cum ſacrificio Chriſti, quod ſemel in cruce obtulit. Ad hanc claſſem pertinet locus ille quem Bellarminus ex Cypriani lib. 2. epiſtola 3. ad Cæcilium adducit:* Quis magis, *inquit Cyprianus*, Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. *Vbi verbà hæc,* Chriſtus obtulit hoc idem, quod Melchiſedech, *ſic ſunt exponenda, vel ipſis Pontificijs interpretibus, Chriſtum in cruce hoc idem in veritate obtulit, quod Melchiſedech iam antea in figura obtulerat. Ad eundem modum loquitur etiam Auguſtinus in Ioannem tract. 26.* Illis Petra erat Chriſtus: *non quidem realiter & reipſa, ſed tantùm ſymbolicè, quòd Chriſtum repræſentaret & ſignificaret. Quòd ſi verba Cypriani ſimpliciter intelligenda eſſe dicat Bellarminus, & nullum figuræ locum relinquendum, tum Melchiſedechum verè ac realiter ipſius Chriſti corpus & ſanguinem obtuliſſe concedat neceſſe eſt:* Chriſtus enim, *inquit Cyprianus*, obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat: *obtulit autem Chriſtus corpus & ſanguinem: Ergo. Et ſi maximè ad oblationem Cœnæ referas, ſequitur tamen ex his, ſiquidem Pontificiorum vera eſt doctrina, Melchiſedechum ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem Chriſti obtuliſſe, ſi idem quod Chriſtus obtulit. Secundò, illud donarium Melchiſedechi, Patres, qui à Bellarmino citantur, Euchariſtico, ſeu gratiarum actionis ſacrificio, & ſacræ communionis celebrationi comparant, atque eidem exæquant. Ad hanc Claſſem referenda ſunt ſequentia teſtimonia. 1. Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum, non procul à fine:* Melchiſedech, *inquit*, Rex Salem Sacerdos Dei altiſſimi, qui vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ. *Ex his tria falſiſſima colligit Ieſuita. Primùm*, Panem non prophanum in refectionem ventris, ſed ſanctificatum datum eſſe à Melchiſedecho. *Reſpondeo: hoc falſum eſſe inde conſtat, quòd addit, Melchiſedechum panem hunc obtuliſſe in nutrimentum: ergo in refectionem ventris. Et ipſemet Ieſuita hoc ipſo cap. col. 971. lit. A. ita ſcribit:* Nos non negamus data illa in cibum Abrahæ & ſocijs: ſed, *inquit*, priùs oblatione vel ſacrificio ſanctificata. *Reſpondeo: nihilominus panis & vinum fuerunt data in refectionem corporis. Deinde nego illam ſanctificationem ita intelligendam, ut Ieſuita facit: quum hiſtoria Moſaica eius ne verbo quidem mentionem faciat: ſed quia, ut Ioſephus ſcribit,* Melchiſedech Abrahamum & ſocios menſæ ſuæ adhibuit, *donaria illa menſæ impoſita oratione vel gratiarum actione benedixit vel conſecrauit, & ita ſanctificauit. Sic enim Paulus ſcribit 1. Timoth. 4.* Cibos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione. *Rurſus*: Quicquid cum gratiarum actione ſumitur, ſanctificatur per Verbum Dei & preces. *Secundum eſt quod ex his verbis Clementis Ieſuita falsò colligit, nimirum*, panem & vinum darià Melchiſedecho, ut Sacerdote Dei altiſſimi, proinde oblatum antea fuiſſe Deo, & eo modo ſanctificatum. *Nam non ſequitur, Sacerdos fuit Dei altiſſimi, ergo vel protulit hunc panem & vinum Abrahamo: vel eundem antea obtulit & ſacrificauit Deo: Quis enim hanc conſequentiam probaret? & hæc neque à Moſe, neque à Clemente Alexandrino dicuntur. Eiuſdem ponderis eſt, quòd tertiò ex verbis Clementis colligit*, Panis & vinum Sacerdotis Melchiſedech typus fuerunt Euchariſtiæ, ergo Sacerdotium Chriſti ideo vocatur ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia in ſpecie panis & vini conſiſtit. 2. *Apud Cyprianum in Serm. de Cœna Domini hæc leguntur:* Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, ſummus Sacerdos panem profert & vinum: Hoc eſt, *inquit*, corpus meum. 3. *Euſebius Cæſarienſis in quinto libro Demonſt. Evangel. capite tertio.* Et ſanè, *inquit*, oraculi exitus admirabilis ei, qui contemplatur, quemadmodum Salvator noſter Ieſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus; ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſanè primus ipſe Salvator, ac Dominus noſter, deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus ſpirituale ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant; quæ ſanè myſteria Melchiſedech tanto antè

Spiritu

Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat. 4. *Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 1.* Cognovimus, *inquit*, Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech. *Et infrà:* Diximus quòd in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum: & quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis; quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult admistio aquæ? *Idem in cap. 5. ad Hebr. exponens illud:* Tu es Sacerdos in æternum, &c. Constat, *inquit*, pecudum victimas perijsse, quæ fuerunt in ordine Aaron: sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur. 5. *Epiphanius hæresi 55.* Quod sanè, *inquit*, nunc viget in Ecclesia à Christo, & hucusque dum non ampliùs semen secundùm successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur. 6. *Hieronymus in epist. ad Marcellam*, Recurre, *inquit*, ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem huius Principem invenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicauit. *Hic apertè videmus, cur Hieronymus donaria Melchisedechi mysterium Christianorum in Servatoris corpore & sanguine dedicâsse scripserit, videlicet, quòd typus essent Sacramenti Eucharistiæ, non autem sacrificij Missæ. Ne quis autem existimet Hieronymum hu verbis realem quandam præsentiam statuisse, quòd ait:* Melchisedech mysterium Christianorum in Saluatoris sanguine & corpore dedicâsse: *sciendum est, non solùm Hieronymum, sed etiam alios Patres eodem loquendi genere sæpe usos esse in alijs causis, in quibus tamen Bellarminus ipse nullam realem præsentiam concederet. Nam Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum*, Evangelium, *ait*, passione & sanguine Domini dedicatur. *Augustinus in Psal. 80. ait*, Quid est mare rubrum? *Respondet*, Sanguine Domini consecratum. *Rursus in Ioan. tract. 11.* Vnde rubet Baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? *Eodem modo Christianorum mysterium Melchisedech in Christi sanguine dedicauit. Idem Pater in Matth. cap. 26. lib. 4.* Postquam, *inquit*, typicum Paschа fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat: assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschę transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione eius, Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. 7. *Chrysostomus Hom. 35. in Genes.* Videns typum, *inquit*, cogita, oro, & veritatem. *Et Homil. 36.* Postquam, *inquit*, & Melchisedech Rex Salem, panem & vinum attulit, (erat enim Sacerdos Dei altissimi) ab illo Abraham accepit oblata. 8. *Augustinus epist. 95. ad Innocentium Papam:* Melchisedech, *inquit*, prolato sacramento mensæ Dominicæ novit æternum eius sacerdotium figurare. *Et lib. 16. de Civit. Dei, cap. 22.* ibi, *inquit*, primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum. *Et libro decimo septimo cap. 17.* Vbique, *ait*, offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abrahamo. *Libro item primo contra adverss. Leg. & Prophetarum cap. 20.* Ibi quippe, *inquit*, & hoc dictum est: Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio: & quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, mutauit quippe sacerdotium secundùm ordinem Aaron. *Denique sermone undecimo de Sanctis:* Quid reverentius, *inquit*, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 9. *Theodoretus in Comment. Ps. 109.* Invenimus, *inquit*, Melchisedech Sacerdotem & Regem esse, & afferentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum. *Et infrà:* Sacerdos nunc est Christus non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum, qui offerunt, quandoquidem corpus suum Ecclesiam vocat. 10. *Leo 1. Serm. 2. de Anniversario assumptionis sua ad Pontificatum.* Tu es, *inquit*, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, non secundùm ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cum Veteris Testamenti lege cessauit: sed secundùm ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cùm huius divini sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creauit, eligitur; sed cessante privilegio Patrum, & familiarum ordine

ordine prætermisso eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit.
11. *Eusebius Emissenus Ser. 5. de Paschate*: Melchisedech, *inquit*, oblatione panis & vini, hoc (nimirum quod in Eucharistia celebratur) Christi sacrificium figuravit. 12. *Arnobius in Psal.* 109. Christus, *inquit*, per mysterium panis, & vini, factus est Sacerdos in æternum. 13. *Eucherius lib. 2. cap. 18. in Genes.* Melchisedech, *inquit*, Sacerdos Dei summi, panem & vinum in sacrificium offerens. *Et infrà*: Sine aliqua sacerdotali genealogia, Christus homo extitit ex hominibus, utpote non ex tribu Levi; ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: utique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secundùm Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis ejus Sacramentum in sacrificium offeramus. 14. *Primasius in Comment. cap. 5. Epistolæ ad Hebr.* Quare secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron, dicatur existere Sacerdos, diversæ causæ existunt: & prima quidem est, quia Melchisedech secundùm legalia mandata non fuit Sacerdos, sed secundùm cujusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium sanguinem: in cuius ordinis sacerdotii Christus factus est Sacerdos, non temporalis, sed æternus; nec offerens victimas legales, sed instar illius panem & vinum, carnem videlicet, & sanguinem suum. *Et infrà*: Vnde patet sacrificium pecudum periisse, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potiùs, quod fuit ordinis Melchisedech, quia Christus corroboravit, & Ecclesiam tenere docuit.
15. *Cassiodorus in Psal.* 109. Quem ordinem, *inquit*, Melchisedech per mysticam similitudinem justissimus Rex instituit, quando Domino, panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron: & Melchisedech manere potiùs institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur. 16. *Damascenus lib. 4. de fide, cap.* 14. Mensa illa (*Melchisedech*) mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, & imaginem præ se ferebat. 17. *Oecumenius in Comment. c. 5. Epistolæ ad Heb.* Melchisedech, *inquit*, fuit primus, qui hostia sine sanguine, panem, inquam, & vinum obtulit. *Et infrà*: Non ad ipsum, *inquit*, tantùm, quæ à Deo semel facta est, hostiam & oblationem dixit, in æternum: sed ad nostri temporis Sacerdotes inspiciens, per quos Christus, & sacrificat, & sacrificatur, quique eis in mystico illo convivio, ac Cœna sacerdotii hujus tradidit formulam. 18. *Theophylactus in c. 5. ad Hebr. explicans illud*: Tu es Sacerdos in æternum, &c. Apertissimè, *inquit*, de Christo dictum id esse constat. Hic enim & solus Melchisedech, in morem illius pane & vino sacrificabat. *Et infrà*: In æternum dixit quia quotidie offertur in perpetuum, offertur per Dei Ministros oblatio, Christum Dominum, & Pontificem habens, & sacrificium, qui seipsum nostri ob gratiam sanctificat, frangit, & tribuit. 19. *Anselmus in cap. 5. ad Hebr.* Tu es Sacerdos, *inquit*, id est, sacra dans per te, & per tuos in æternum, hoc est, quamdiu durabit hoc seculum, quia non transibit sacerdotium Christi, ut aliud succedat, sicut transivit viticum.

Ex his testimoniis omnibus, quæ à Iesuitis citantur, nihil aliud colligi potest, quàm Patres nominatos docere voluisse, Panem illum, quem protulit Melchisedech, & vinum, adumbrâsse panem & vinum Cœnæ, non autem reale aliquod sacrificium, in quo Christus denuò offeratur. *Et hoc pacto mysterium Eucharistiæ commendare voluerunt, quòd nimirum jam olim quoque sicut nunc in Cœna, pane & vino, Abrahamo exhibitis, Christus fuerit adumbratus. Et ut maximè reale aliquod adumbrâsset, ut sacrificia legis, tamen nullum aliud quàm sacrificium Christi reale, hoc est, passionem ejus adumbrâsset, teste ipso quoque Thoma, qui par. 3. q. 73.* Quantum, *inquit*, ad Christum passum, omnia sacrificia Veteris Testamenti fuerunt ejus figuræ. Quod ad signa Eucharistiæ, Melchisedech offerens panem & vinum ea præsignificavit.

Tertiò, *plerique Patres docuerunt, Melchisedechum obtulisse non Deo, sed Abrahamo panem & vinum. Augustinus in Quæst. utriusque Testam. q.* 109. *Ambrosius de Sacra. l. 4. c. 3. & in Epist. ad Hebræos c. 7. Tertullianus contra Iudæos. Epiph. adversùs Melchisedecianos Hæres* 53.

Nullum ergo firmum argumentum Iesuitæ colligere possunt ex hac Veterum allegoria: quum Patres doceant, Melchisedechum obtulisse Abrahamo panem & vinum: Pontificij autem dicant, Christum Deo Patri seipsum obtulisse in Cœna sub speciebus panis & vini.

SECVNDVM *argumentum, vel testimonium, quòd Cœna Dominica sit sacrificium reale, sumit Bellarminus ex cap. 12. Exod. & similibus locis, ubi agitur de Agno Paschali: Et ita format argumentum*: Celebratio Agni Paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa, immolatio quædam

SI erat

erat victimæ Deo oblatæ. Ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victimæ Deo oblatæ esse debet, ut figura suprà respondeat. *Negatur primò, propositio major: Agnus enim Paschalis, ejusque mactatio & manducatio, fuerunt typus & figura Christi immolandi in cruce, & fide à nobis manducandi. Nam Ioannes Baptista vocat Christum*, Agnum Dei tollentem peccata mundi. *Ioan. 1. Vbi verò hoc factum fit, Petrus indicat, dicens*, Christum tulisse peccata nostra in corpore suo, super lignum. 1. *Pet. 2. Et Apocalyp. 5.* Dignus est agnus qui occisus est, & redemit nos Deo in sanguine suo. *Rursus Petrus dicit*, Redempti estis, non corruptibilibus, sed pretioso sanguine; quasi agni immaculati. 1. *Pet. 1. Omnium autem significantissimè Ioannes Evangelista 19 cap. docet, figuram immolati Agni Paschalis in Christo impletam esse in cruce, quod Moses de Agno Paschali scripserit*, Os non comminuetis ex eo. *Ad hoc respondet Bellarminus in fine c. 7. l. 1. de Missa*, Agnum Paschalem utriusque rei typum fuisse, & passionis, & Eucharistiæ. *Sed falsum dicit: Nam Sacramenta Veteris Testamenti, non figuræ fuerunt propriè Sacramentorum nostrorum, sed Christi ipsius, qui ubique nucleus, seu res & veritas est Sacramentorum.*

Agnus Paschalis an figura fuerit Eucharistiæ.

Probat autem Maiorem Iesuita duabus potissimùm rationibus: Prima, *est petita ex 1. Cor. 5. cap. ubi Apostolus dicit*, Pascha nostrum immolatus est Christus. Ex hoc loco colligit, Agnum Paschalem figuram immolationis Christi fuisse. *Resp. Et nos concedimus agnum hunc fuisse typum immolationis Christi, sed eius quæ in cruce facta est: Alioquin non recte dixisset Apostolus*, immolatus est, *sed dicere debuisset*, immolatur, *si quidem agnus figura fuisset immolationis Missaticæ.* Alteram *rationem petit Iesuita ex consensu* Patrum, qui Agnum Paschalem Eucharistiæ figuram fuisse doceant. *Ad illa testimonia omnia, quæ longo ordine producit, uno verbo respondeo: Patres illos ceremoniam Agni Paschalis ad Cœnam Dominicam accommodasse, propter similitudinem quam constituerunt in ipsa manducatione, qua Christum pro nobis crucifixum participamus. Hanc autem fuisse illorum Patrum sententiam ex nonnullorum, quos citat, testimoniis patet. Chrysost. in Serm. de prodit. Iudæ.* Nemo sit Iudas in mensa: hoc sacrificium, cibus spiritualis est. *Et in 1. Cor. 13. c.* Pascha, *ait*, Iudæi celebrabant, ità ut in speculo & ænigmate: ineffabilia autem mysteria non intellexerunt quæ illis rebus adumbrabantur. Quòd Filius Dei carnem indutus mactandus esset, & orbem terrarum universum liberaturus: Græcis, Barbaris, sanguinem gustandum exhibiturus, cœlum omnibus apertu-

rus, quæ istic bona sunt humano generi communicaturus: carnem hanc mactatam sumens supra cœlum sublaturus, & ad dextram Patris collocaturus esset. *His verbis Chrysostomus de Agni Paschalis veritate disserit, de Missæ autem sacrificio ne unum quidem verbum dicit. Tertullianus contra Marcionem libr. 4.* Professus, *inquit Christus*, se concupiviſſe edere Pascha ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum, dicendo: id est, figura corporis mei. *Confirmat utique Tertullianus manifestissimè sententiam nostram, his verbis*: Acceptum panem & distributum Discipulis. *Hieronymus in caput 26. Matth. lib. 4.* Pascha nostrum immolatus est Christus: si tamen comedamus illud in azymis synceritatis & veritatis. *Ex his paucis intelligimus quatenus & quo sensu Veteres Agnum Paschalem Cœnæ Dominicæ accommodârint.*

Negatur secundò Minor, celebrationem agni paschalis Sacrificium fuisse. *Nam etsi ita interdum vocetur, fit tamen id impropriè, propter similitudinem aliquam quam habuit ad reliqua sacrificia, in quibus victimæ etiam mactabantur, sicut Agnus Paschalis. Non autem agnus hic ideo mactandus fuit, ut offerretur & sacrificaretur Deo, ut reliquæ victimæ legales, sed ut Israelitæ eum edendo totum absumerent, ut ipsa institutio Agni Paschalis satis clarè indicat Exo. 12. & Num. 9. Vnde etiam* Facere Phasc sæpius, *quàm* Immolare, *vel* Offerre & Sacrificare *iubetur.*

Agnus Paschalis an fuerit immolatio vel Sacrificium

Deinde nec à solis Sacerdotibus, nec ad altare mactabatur Agnus Paschalis: sed nec aliud quicquam observabatur, quod Dominus faciendum præceperat in reliquorum sacrificiorū oblatione. Etsi igitur omnis cultus, qui Deo ex præscripto ipsius exhibetur, suo quodâmodo sacrificiū & oblatio vocatur: & Num. 9. Agnus Paschalis etiam Corban *nominatur, quo nomine sacrificia & oblationes legales omnes generaliter appellantur, unde apud Marcum pro dono interpres reddidit: Non tamen idcirco ceremonia & ritus ille Agni Paschalis unquam inter sacrificia externa, propriè sic dicta, numeratus fuit. Ad id verò quod de solis Sacerdotibus diximus, respondei Bellarminus*, id propterea factum, quòd hoc sacrificium fuerit institutum, antequam familia Aaron determinata sit ad sacerdotium: & ideo quantum ad hoc sacrificium, manssisse antiquum privilegium, ut omnes Patresfamiliàs Sacerdotio fungerentur. *Respondeo; non hanc veram esse huius ritus causam, alioquin etiam in reliquis sacrificiis hoc privilegium manssisset, quorum multa etiam ante familiæ Aaronicæ determinationem habuerunt.*

TER-

III. TERTIVM *argumentum sumit Iesuita ex cap.24. Exod.ubi describitur dedicatio, ac celebratio Testamenti Veteris. Sanctum autem fuit hoc Testamentum seu fœdus solenni sacrificio, & sanguinis aspersione his verbis*, Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. *Hanc figuram impletam esse in ultima Cœna dicit Bellarminus. Ex hoc igitur fundamento sic argumentatur libr. 1. de Missa cap.8.* Sanguis Testamenti Veteris, apud Mosem, erat sanguis victimæ jam immolatæ, & verè ac propriè sacrificatæ: Ergo sanguis Novi Testamenti apud Christum, est sanguis victimę immolatæ,& verè, ac propriè sacrificatæ. Est autem sanguis ille sanguis Christi, ut ipse dicit: Hic est sanguis meus. Ergo ipse fuit victima in Cœna immolata, & sacrificata.

Negatur consequentia: nam sanguis ille Testamenti Veteris, non unius tantùm, sed duplicis rei fuit typus, nimirum realis, seu Crucis; & symbolicæ, vel Eucharisticæ & Sacramentalis oblationis. Paulus enim illa verba Testamenti Veteris, Hic est sanguis fœderis, *manifestissimè cum sacrificio Crucis comparat, Hebr. 9. cap. Similitudo autem verborum Cœnæ, quam habent cum verbis antiqui fœderis, indicare videntur, aspersionem illam sanguinis veterem, typum fuisse Cœnæ Dominicæ. Bellarminus autem septem conditiones ordine recitat Testamenti, seu fœderis illius veteris, quas omnes dicit in Cœnam quadrare, nullam in Crucem. Sed sex ex illis conditionibus cum Iesuitæ proposito directè pugnant.*

Deinde Iesuita realis oblationis proprietatem in symbolicam hic transfert, quasi non sic apud Mosem sanguis victimæ immolatæ, esset signum futuri sanguinis Christi, ut in Novo Testamento panis & vinum sanctificata benedictione Christi elementa, sunt symbola præteriti. Quòd si absolutè ac simpliciter vera esset hac consequentia, sequeretur in Eucharistia sanguinem Christi visibilem & palpabilem esse offerendum, sicut fiebat in veteri fœdere sanciendo. At qui sacrificium à Sacramento discernit, & rationem permutationis nominum in Sacramento intelligit, sic rectiùs argumentabitur: Vinum est sanguis Christi. Ergo vinum sic erat priùs benedictum, ut sanguis erat victimæ immolatæ, ac verè sacrificatæ, quo figura figurato respondeat.

IV. QVARTVM *argumentum, ad probandum sacrificium Missæ, petit ex vaticinio Prophetarum, inter quæ præcipuum est, quod apud Malachiam 1. cap. legitur, in eo enim præcipuum videbat suum collocat. Verba Propheta hæc sunt:* Non est mihi voluntas ex vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim Solis, usque ad occasum, magnum est Nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in gentibus. Hic testimonium, *inquit Bellarminus*, non potest intelligi de Sacrificio Crucis, quia illud non offertur in omni loco, sed semel tantùm uno in loco oblatum fuit. Nec de sacrificio aliquo Iudaico, quia Propheta dicit, à gentibus offerendum, & illud opponit Sacrificiis Iudæorum. Neque etiam de sacrificiis Gentilium piorum, qui erant in mundo ante Christi adventum: ut Melchisedech, Iob, &c. Hi enim inter gentes pauciſſimi erant, præſertim Prophetarum temporibus, quando idololatria mundum repleverat, ita ut David diceret, Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum Nomen ejus, Psal.75. Nec denique de sacrificiis gentilium idololatrarum: non enim oblatio illa munda dici potest. Ergo intelligenda sunt hæc verba Malachiæ de sacrificio Missæ, hoc est, de oblatione corporis & sanguinis in Cœna.

Negatur primò *consequentia: nam Propheta nihil dicit de Missa, seu de illa histrionica actione, & repræsentatione sacrificij Christi. Est igitur petitio principij: nam id, quod in controversia positum est, & quod omnino probandum erat, nempe Missam esse sacrificium, non probatur, sed pro concesso affirmatur à Iesuita.*

Secundò, *negatur quoque antecedens ab aliquibus, in quo inter alia dicitur*, hoc testimonium Malachiæ non posse dici, vel intelligi de sacrificiis piorum & gentilium, qui erant in mundo ante Christi adventum, eò quòd exiguus eorum numerus fuerit, præsertim Prophetarum temporibus. *Nam quis hoc Bellarmino Iesuitæ dixit? Non enim sequitur, mentio tantùm fit in sacris Literis Melchisedechi, Iobi, Ietronis, Rachabæ, Hiram Regis, Sabæ Reginæ, Naamani, Cyri & Nabuchodonosoris, Ergo nulli alij præterea fuerunt. Nam si Melchisedech fuit Sacerdos Altissimi, ut Moses testatur, habuit sine dubio cœtum aliquem, quem in veri Dei agnitione instituit. Idem etiam de aliis dici potest. De Nabuchodonosore Daniel testatur, quòd decreto mandárit*, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sadrach, Mesach, & Abednego, dispereat & domus ejus vastetur, neque enim alium esse Deum qui possit salvare: quòdque nota fecerit publico scripto idem Rex omnibus populis, gentibus & linguis in universa terra, signa & mirabilia quæ in ipso fecerit Deus excelsus. *Quis igitur negare ausit, quàm plurimos in aula Regis*

Explicatur locus Malach. 1.

Nabuchodonosoris, in Babylon, quæ fuit sedes Regia, imò universa terra, ad verum hunc Deum conversos esse? Quis negârit, in Assyria & Persia plurimos Danielis, sociorum ejus, & reliquorum Iudæorum, qui in his regionibus etiam post liberationem Babylonicam manserùt, familiaritate & institutione, ad veram Religionem accessisse? Dubium certè nemini esse debet, Danielis scripta apud Gentes, ac præsertim earum Magos olim fuisse pretiosa, ac fortassis etiam accuratiùs, quàm apud ipsos Iudæos observata, in quibus veram doctrinam de Messia tradidit, addidit etiam vaticinia & oracula, quo tempore expectandus esset. Ex Lectione quoque Prophetarum crediderim opinionem illam in toto Oriente constantem natam esse, ut Suetonius & Tacitus referunt, in fatis esse, ut ex Iudæa oriundi rerum potirentur: eodemque ductu Magos stellam illam, quæ in Nativitate Christi apparuit, observâsse. Huc accedunt Sibyllina oracula, in quibus res à Christo gestæ ita sunt descriptæ, ut multi dubitent, sitne historia, an Prophetia ab illis descripta. Quemadmodum igitur non rectè collegit Propheta Heliæ, Dereliquerunt pactum Domini filij Israel, Ergo ego solus relictus sum: *dicebat enim Dominus ei,* Habeo in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal: *Ita non sequitur, mentio tantùm fit in Scriptura Mesehsedechi, Iobi, &c. Ergo nulli alii fuerunt pij inter gentes qui sacrificârint Deo. Idololatria quidem temporibus Prophetarum ita apploverat orbem, ut David diceret,* Notus est in Iudæa Deus, in Israel magnum Nomen ejus: *sed hæc notitia respectivè intelligenda est, Deum verum felicet magis notum esse inter Iudæos, quàm inter gentes. Fieri potest igitur, ut Malachias hic loquatur pro illorum temporum statu & conditione, nimirum de mundo sacrificio, quod etiam inter gentes per universum orbem terrarum ante Nativitatem Domini in usu fuit. Vt hic sit sensus: Iam nunc ubique gentium quàm plurimos inuenire licet, qui etsi Templo & sacris Leviticis careant, ipsum tamen verum Deum purè colant, & in spiritu ac veritate invocant.*

Sed demus Iesuitæ, Malachiam non loqui de sacrificiis Gentilium piorum: nihilominus tamen negamus antecedens in argumento Bellarmini ob insufficientem enumerationem partium. Nam non tantùm sunt sacrificia Iudaica, seu Leviticа, Crucis Christi, Gentilium piorum & idololatrarum, de quibus loquitur Iesuita: sed est aliud adhuc sacrificii genus, quod Bellarminus altiùs prætexit, nimirum spirituale, videlicet beneficentiæ, laboriosum, &c. quod iam inde ab origine mundi apud Patriarchas, Prophetas & omnes denique fideles usque ad Christum in usu quoque fuit. De tali spirituali sacrificio loquitur hoc loco Malachias: Vaticinatur enim ibi manifestè de vocatione gentiu, quæ per universum orbem terrarum prædicatione Evangelij sint colligenda: unde Nomen Domini, quod antea Iudæis omnium clarissimè innotuerat, etiam inter gentes magnum, vel celebre & gloriosum futurum sit. Gentes enim Dominum in Christo veræ fide agnoscentes, invocantes & confitentes, Nomen ejus celebrabunt & benedicent. Hic igitur verborum Prophetæ sensus est: Quemadmodum Deus præteritis temporibus clarissimè notus fuit Patriarchis, Prophetis & Iudaico populo, & ab illis etiam variis sacrificiorum generibus cultus: sic promulgato Evangelio Christi per totum orbem, similiter in toto mundo verissimè cognoscetur, & offeretur illi in omni loco munda oblatio. Gentes enim ad fidem veram conversæ, non sacrificabunt boves, oves, capros & similes pecudes: sed juxta vaticinium Oseæ decimo tertio capite: reddent vitulos labiorum, *id est, prædicabunt, confitebuntur, invocabunt, gratias agent & celebrabunt sanctissimum Nomen Dei per Iesum Christum, ex vera fide. Quoniam verò sub alterna sibi invicem non repugnant, nec in Veteri Testamento spiritualia sacrificia abolebant ceremonialia, ideo Malachiæ locum non restringi volumus ad sola spiritualia sacrificia, propriè & absolutè sic dicta, sed etiam cum antiquis & orthodoxis Patribus ad externam panis & vini oblationem referri debere dicimus: Ita tamen, ut essentia illius sacrificij, panis & vini benedictione, non autem veri & animati corporis Christi sub specie panis immolatione definiatur.*

Hanc esse sententiam Prophetæ, & fructus veræ fidei esse oblationem illam mundam gentium, suisipsius verbis manifestissimè Propheta declarat. Inquit enim, In omni loco incensum, vel suffitus offertur Nomini meo. *Primò* Incensum, *vel* suffitum *passim Deo offerendum dicit. Per* Incensum *autem preces adumbratas fuisse, David non obscurè docet, quum Psalmo centesimo quadragesimo primo orat, Disponatur oratio mea incensum in conspectu tuo. Adolebatur incensum hoc in altari aureo, & alibi hoc facere nefas erat. Per illud verò altare Christus figurabatur, qui in suo nomine Patrem nos invocare docuit. Vult igitur in præsenti Prophetа dicere, fore ubique locorum homines qui Deum fide vera invocent per Christum, & hunc suum Mediatorem agnoscant. Addit deinde* Minha, *seu* oblationem, *quæ ex farina coquebatur, sub una sacrificiorum specie reliquas omnes comprehendens: ut ostendat, non preces modò oblaturos esse fideles in Novo Testamento, sed etiam seipsos totos consecraturos Deo, ut sic illi cultum purum & obsequium fidele exhibeant. Hæc est illa munda &*

Munda oblatio quid.

Incensum quid.

Minha quid.

pura

pura oblatio, de qua Malachias loquitur, quam etiam Paulus à Christianis exigit, Hebræorum decimo tertio capite. Per Christum, *inquit*, offerimus hostiam laudis semper Deo: hoc est, fructum labiorum, confitentium Nomini ejus. Cæterum beneficentiæ & communicationis ne obliviscamini. Talibus enim victimis placetur Deo. *Et ad Rom.* 12. *c.* Obsecro, *ait*, vos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Et ne accommodetis vos ad figuram seculi hujus, sed transformemini, per renovationem mentis vestræ, ut probetis quæ sit voluntas Dei, quod est bonum, acceptumque & perfectum, &c. *Adde his, quod idem Apostolus* gentes oblationem vocat acceptabilem & sanctificatam per Spiritum sanctum. *Hoc enim propter ministerium suum dicit, per quod illa Deo adducebantur, Rom.* 15.

Malachiæ locus non de Missa intelligendus.

Non autem hunc locum Propheta accipiendum de Missatico sacrificio, vel oblatione quæ fit in Missa Papistica, his rationibus probo: Primò, *quia Propheta non loquitur de aliquo visibili seu externo sacrificio, sed illud potius abrogandum esse prædicit.* Secundò, *quia dicit*, Suffitus offeretur Nomini meo. *Nam oblatio suffituum in sacra Cœna non est à Christo instituta.* Tertiò, *obstat vocabulum* Minchæ seu mundæ oblationis: *id enim propriè significat sacrificium ex pane confectum. Nullum autem sacrificuli panem in Missa offerunt; nam post consecrationem panis substantiam manere negant, sed in carnem veram Christi realiter conversum asserunt. Proinde contradictionem implicant. Nam si Mincha est sacrificium Missæ, cur igitur negant panis substantiam manere? cur asseverant, esse transubstantiatum in corpus Christi? Aut igitur dogma de Transubstantiatione falsum est: aut Mincha sacrificium Missæ non designat.*

Bellarminus verò aliquot rationibus, ex ipsis quoque Prophetæ verbis desumptis, contrarium probare conatur: nempe, Malachiam non de spirituali aliquo, sed de novo, hactenus inusitato & incognito, vero tamen sacrificio loqui in Ecclesia nova celebranda.

1. Primum *argumentum sumit ex ipsa voce* Minha: *in qua duo considerat: primò*, Scripturam non solere nomen sacrificij absolutè ponere quum loquatur de sacrificio impropriè dicto, sed cum adjuncto aliquo, ut sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, &c. Malachias verò absolutè ponit Oblationem mundam. Ergo non loquitur de sacrificio spirituali, quod impropriè sacrificium appellatur, sed de vero & propriè sic dicto. *Negatur Minor: non enim Propheta absolutè oblationis meminit, sed cum adjunctò adjectivo* Munda. *Familiare autem est Hebræis uti adjectivo pro substantivo genitivi casus, & contrà: Idemque significat*, Sacrificium justitiæ & sacrificium justum: oblatio munda, & oblatio munditiæ. *Secundo dicit*, vocem Hebraïcam Minha significare propriè certum genus sacrificii externi, quod ex simila, oleo & thure confectum fuerit. Ergo non debet per hanc vocem spirituale sacrificium intelligi. *Respondeo, hanc vocem aut propriè intelligendam esse, aut figuratè seu μεταφορικῶς. Non propriè: sequeretur enim molam sive placentam ex farina in clibano, aut sartagine, sive craticula coctam, & oleo, sive thure conspersam: offerri debere in Novo Testamento: & sic ad legalem cultum, non autem ad Novum Testamentum pertineret hæc oblatio. Sunt autem legalia sacrificia per mortem Christi & Evangelii prædicationem abrogata. Ergo figuratè accipi debet, ut ferè illa omnia, quæ apud Prophetas exstant, quum de vocatione gentium loquuntur: Tunc enim spiritualem cultum externis legis ritibus describunt, & figuris verborum utuntur ex consuetudine loquendi sub lege petitis: Vt Isa. 2. de ascensione in montem Sion. Isa. 19. de altari Domini, quod futurum sit in medio terræ Ægypti. Isa. 66. de veris Israelitis offerendis Deo, ut sint oblatio Minha: idque Hierosolymis super montem sanctum Domini. Mich. 7. de concursu gentium per mare & terras Hierosolymam usque. Zachar. 14. de festo Tabernaculorum celebrando, & sacrificando Hierosolymis, & carnibus coquendis in lebetibus. Quam loquendi consuetudinem etiam Apostoli retinuerunt, qui in suis scriptis subinde ad legales ceremonias alludunt, & earù vocabulis utuntur. Sic Paulus Philip. 4. ait*, se accepisse electo mosynas, odorem bonæ fragrantiæ. *Roman.* 15. se esse Ministrum apud gentes, ut oblatio gentium fiat accepta: *alludens ad locum Isa. 66. ca. ubi Propheta prædicens de hominibus Deo per Evangelii prædicationem offerendis, ait*, perinde id fore, ac si oblatio Minha Deo in mundo vase offeratur. *Et Rom.* 13. *Paulus ea omnia, quæ ad plorum sanctimoniam, & carnis mortificationem pertinent*, vocat hostiam vivam, sanctam & acceptam Deo. *Vide etiam Apocalyp.* 10. *& 14. cap. Sic etiam hoc loco Malachias incensi & oblationis nomine, spiritualem illum cultum intelligit, quem fideles in Novo Testamento Deo exhibent, non fictitium Missæ sacrificium. Ad hoc respondet Bellarminus.* Negari non posse, quin sæpissime in Scripturis Testamenti Veteris, describantur res futuræ per typos, & ritus externos legis: tamen id tunc solùm fieri solere, quum describantur res novæ & futuræ,

quæ non fuerint eo tempore in usu : & ideo describi per figuras, seu per voces tunc cognitas, quia non potuerint aliter intelligi: Ea verò quæ sint communia omnibus temporibus, & locis, & quæ non minùs tunc in usu fuerint, quàm modò sint, non necesse esse per figuras significari : Sacrificia autem spiritualia, orationes, hymnos, eleemosynas & similia, communia esse omni loco, & tempori, & passim occurrere in Scripturis Veteris & Novi Testamenti : idcirco per vocem illam Minha non debere intelligi sacrificium spirituale, quod non fuerit novum, nec futurum, nec ullo modo inusitatum, vel incognitum ; sed verum aliquod sacrificium in Ecclesia celebrandum & tunc incognitum, nempe Missa. *Respondeo, Sacrificia illa spiritualia, de quibus loquitur Malachias, nova, inusitata & incognita Veteribus fuisse, juxta illas circumstantias quas exprimit Propheta. Nam inprimis, offerebantur Levitica sacrificia Prophetæ tempore ab hypocritis prorsus sine omni interno & spirituali Dei cultu : his opponit sacrificium Christianorum, & indicat, longè id fore aliud, ut quod vera fide sit offerendum. Deinde in Veteri Testamento spiritualis quoque Dei cultus fuit, ut est videre Psalm. 3. & 50. & alibi, sed illi figuræ externæ simul coniunctæ erant, quæ in Novo Testamento sunt sublatæ. Vnde Christus Ioannis quarto ait*, Veniet hora, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem spiritu & veritate. *Vbi non negat, Deum in spiritu à Patribus etiam adoratum esse: sed quia cultus ille adhuc sub figuris latebat, idcirco dicit in Novo Testamento simplicem, & quasi nudam veritatem exercendam. Ideo hoc sacrificium spirituale, de quo Malachias, etiam hanc ob causam novum, inusitatum & incognitum dici potest, quòd absq; Leviticis ceremoniis celebrandum & offerendum erat in spiritu & veritate. Adhæc, novum & inusitatum fore hoc sacrificium Malachias dicit, quod sparsa & promulgata voce Evangelij in totum terrarum orbem, ab omnibus sit offerendum. Expressè enim dat circumstantias adhit :* Magnum Nomen meum in gentibus: *Et*, Ab ortu Solis in occasum : *Item*, Offertur Nomini meo in omni loco. *Vaticinatur ergo de universali gentium vocatione, & prædicationem Evangelij, ac Christianorum sacrificia opponit cultui unius gentis Iudaicæ, qui intra Palæstinæ fines, imò intra muros Hierosolymæ tantùm continebatur, & in unico tantùm loco continebatur. Ex his omnibus sic respondet ad Bellarmini objectionem Irenæus lib. 4. cap. 34.* Oblationes hîc, oblationes illic: Sacrificia in populo Israel, Sacrificia in Ecclesia. Sed species immutata est tantùm : quippe quum iam non à seruis, sed à liberis offeruntur. *In quam etiam sententiam Angelomus scribit lib. 3. Anticim.* Mandatum novum scribo vobis, non alterum: sed ipsum quod dixi vetus, idem est novum. *Et Chrysost. lib. 3. contra Iudæos*, Sacrificium, *inquit*, novum eò vocatur, quòd à nova mente proficiscitur, nec igni & fumo, sed gratia & Spiritu Dei offertur.

Secundum *argumentum, quo probare vult Iesuita, Malachiam loqui non de spirituali, sed de novo ac reali aliquo sacrificio, sumit ex voce,* MVNDA. *Sic igitur argumentatur inde ; Opera bona, quæ à nobis procedunt, omnia sunt immunda, quum sint peccata, & quidem mortalia, suâ naturâ. Per oblationem igitur, quam Spiritus sanctus mundam appellat, non debent intelligi opera nostra, ideòl, sacrificia impropriè dicta, sed sacrificium à Deo institutum, quod ab ipso Deo, non à nobis vim suam habet. Respondetur, Quamvis piorum opera & sacrificia per se immunda sunt, quia imperfecta : tamen quia Deo per Christum offeruntur, defectus eis non imputatur, sed & propter Christum munda, Deoque accepta vocantur. Vnde Psalmo quinquagesimo David dicit*, Lavabis me, & ero nive candidior. *Sic Eusebius libro primo, capite sexto, de Demonstrat.* Preces nostras mundum sacrificium vocat. *Tertull. ad Scapulam*, Sacrificamus, *inquit*, pro salute Imperatoris pura prece. *Contrà verò obiicit Bellarminus*, si opera sunt munda ob imputationem, tunc si Malachias loquitur de Sacrificio spirituali, oportebit illa verba : Offertur Nomini meo oblatio munda, sic exponere : Offertur Nomini meo oblatio verè immunda, sed quam ego mundam esse reputo. Quæ expositio absurdissima est : nam Malachias indicat, oblationem illam Deo placere, quia est munda, non autem esse mundam, quia Deus eam reputet talem. *Sed oppono Iesuitæ Irenæum Martyrem, ut intelligat, nostram sententiam de imputatione antiquissimam & orthodoxam esse. Is igitur lib. 4. c. 34.* Ecclesiæ, *inquit*, oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificiũ REPVTATVM est apud Deum, & acceptum est ei, non quòd indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus ejus. *Rursus ibidem :* Quoniam cum simplicitate Ecclesia offert, justè munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est, &c. *Deinde non sunt contraria, ut Iesuita putat*, Est munda oblatio, & Deus eam reputat mundam. *Nam cui imputatur à Deo per Christum munditia, is non est nomine tenus, sed reipsa mundus, ac verè sic dici potest. Apud Ezech. 37. cap.*

cap. dicit Dominus, Ego ſaluabo eos, & mundabo eos: quem autem mundat Deus, is reuera mundus eſt. *Chriſtus de Apoſtolis dicit*, Vos mundi eſtis, *Ioan.* 13. *Quæro à Bellarmino, num Apoſtoli ſua natura mundi fuerint? Non dicet hoc, opinor. Ergo imputatione, propter fidem in Chriſtum. Non eſt igitur abſurda expoſitio, mundi eſtis, quia ego vos mundos reputo, nam tales verè fuerunt.*

Tertiò, *pro ſe citat conſenſum Patrum, videlicet Iuſtini, Irenæi, Tertulliani, Euſebij Cæſarienſis, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti & Damaſceni, hos omnes dicit*, locum hunc Malachiæ de ſacrificio Euchariſtiæ ſemper intelleXiſſe, non de ſpiritualibus ſacrificijs impropriè dictis. *Reſpondeo,*

Patres Malachiæ locum non de ſacrificio Miſſæ interpretati ſunt.

Patres nominatos de Cœna Dominicæ Sacramento loquutos, & in huius vſu, quem communem eſſe volunt Miniſtris & populo, ſimul docuiſſe ſpirituale ſacrificium à fidelibus Deo offerri, quum in ſacra Cœna non reale & externum, ſed ſpirituale tantùm ſacrificium agnouerint: nihil igitur dixiſſe de Miſſa, vel de externo quodam ſacrificio & actione quadam hiſtrionica ſolius Sacerdotis ſeparata à communione populi, verba ipſorum manifeſtiſſimè docent. Iuſtinus, *in Dialogo cum Triphone*,

Iuſtinus.

De noſtris, *inquit*, Gentium, quæ in omni loco offeruntur ſacrificijs, hoc eſt pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, iam tum loquutus Malachias, prædixit nos quidem glorificare Nomen eius, vos autem prophanare. *His verbis exponit quidem locum hunc Malachiæ de Euchariſtia, & pane & poculo Euchariſtiæ ſacrificium Noui Teſtamenti definit. Miſſæ hiſtrionicæ, & oblationis vini & animati corporis ac ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ne verbo quidem meminit. Et quæ eius ſit de hac re ſententia, ipſemet expreſſe eodem loco declarat*: Præcepit, *inquit*, Panem facere Euchariſtiam, in memoriam paſſionis, vt gratias agamus, & quòd mundum cum omnibus, hominis cauſa condidit: & quòd nos à peccatis liberauit, & poteſtates deleuit per paſſionem. *Ergo propter ſpiritualia ſacrificia locum hunc Malachiæ ad actionem Cœnæ Dominicæ Iuſtinus accommodat. Reſpondet Bellarminus*, Iuſtinum his verbis explicare cauſam finalem ſacrificij à Malachia prædicti, non ipſum Sacrificium. *Eſto. Finis igitur ſacrificij huius eſt, celebrare memoriam paſſionis Dominicæ, & gratias agere Deo pro redemptione noſtra, aliiſque beneficijs. Et quoad finem, concedit Ieſuita, Euchariſtiam Sacrificium ſpirituale eſſe. Audiamus nunc Iuſtinum de Sacrificio ipſo diſſerentem. Apologia* 2. Poſt precationem, *inquit*, noſ ſalutamus oſculo mutuo: deinde offertur præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus, quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem Patri omnium offert, per nomen Filij ſanctique Spiritus: atque ita Euchariſtiam aliquandiu celebrat. Poſt preces & Euchariſtiam totus populus accinit, Amen. Abſoluta grariarum actione præſulis, & ominatione totius plebis, Diaconi, quos vocamus, dant ſingulis præſentibus partem panis & ealicis diluti, ſupra quos facta eſt gratiarum actio: atque etiam deferre ſinunt abſentibus. Hoc autem alimentum apud nos vocant Euchariſtiam, ad quam nemo admittitur, niſi qui credit veram eſſe noſtram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro, & ſic viuens, vt Chriſtus docuit. Non enim vt vulgarem panem & vulgare poculum hoc ſumimus, *Et paulò poſt*: Dic, *inquit*, Solis vrbanorum & ruſticorum cœtus fiunt, vbi Apoſtolorum & Prophetarum Literæ, quoad fieri poteſt, prælegunturDeinde Præpoſitus facit verba adhortatoria, ad imitationem tam honeſtarum rerum inuitans. Poſthæc conſurgimus omnes, & preces offerimus. Quibus finitis, profertur, vt diximus, panis & vinum & aqua. Tum Præpoſitus, quantum poteſt, preces offert, & gratiarum actionem. Plebs verò accinit. Inde conſecrata diſtribuuntur ſingulis, & abſentibus mittuntur per Diaconum. *Quid, oro, hic Iuſtinus dicit ſimile Miſſæ ſacrificio hiſtrionico? Dicit Præſulem id offerre Deo, quod illi datum ſit ab Eccleſia: Ergo vel hæc vnica verba ſatis indicant, de quo ſacrificio Iuſtinus interpretatus ſit locum Malachiæ: Non de reali, ſeu viuo & animato, ſed de incruento panis & vini ſacrificio. Sed apertiſſimè rurſus in Dialogo cum Tryphone quale hoc ſit à Malachia prædictum Sacrificium, indicat, inquiens*: Verè Pontifices Dei reddimur: ſicut ipſe Deus teſtatur, dicens: quòd vbique gentium offerentur ei puræ, gratæque victimæ. A nemine autem Deus victimas niſi per Sacerdotes ſuos accipit. Vnde certò conſtat, quòd huius nominis ſacrificia, quæ Ieſus Chriſtus tradidit, hoc eſt Euchariſtiam panis & poculi vbicunque terrarum apud Chriſtianos fiant, Deus accipiat, & grata ſibi eſſe teſtetur. *Rurſus*: Equidem, *inquit*, & preces, & gratiarum actiones, ſi per homines dignos fiant, ſolas pro perfectis, & Deo gratis habeo. Hæc enim ſola facta Chriſtiani facienda acceperunt, &c. *Vult probare ſanctiſſimus Martyr, ſacrificium Noui Teſtamenti, de quo Malachias loquitur, Deo omnium eſſe gratiſſimum & acceptiſſimum. Argumentum, quo probat eſt, quòd à Sacerdotibus legitimis, hoc eſt, Chriſtianis fidelibus fiat; per hos enim tan-*

quam homines dignos fieri: *Addit*, hæc sola sacra vel sacrificia, *nimirum preces & gratiarum actiones*, Christianos facienda accepisse. *Intelligit ergo Lector, iustinum locum Malachiæ non de externo & reali aliquo sacrificio corporis & sanguinis Christi, sed de spirituali, quod ab omnibus fidelibus offerri posset, intellexisse.*

Irenæus libro quarto, capite trigesimo secundo. Discipulis, *inquit*, suis consilium dans, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec ingrati, nec infructuosi sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & Noui Testamenti nouam oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo (ei qui alimenta nobis præstat) primitias suorum munerum in Nouo Testamento, de quo inter Prophetas Malachias præsignificauit, *Et pòst*: Igitur Ecclesiæ oblatio, quam docuit Dominus offerre in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, non quòd indigeat à nobis sacrificio, sed quoniam is qui offert, ipse glorificatur in eo, quod offert, si acceptetur munus ipsius. Per munus enim erga Regem, & honos & affectio ostenditur, quod in omni simplicitate & innocentia Dominus, volens eos offerre, prædicauit, dicens: Cùm igitur offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid aduersùm te, dimitte munus tuum ante altare, & vade primùm reconciliare fratri tuo, & nunc reuersus offer munus tuum. Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, sicut & Moyses ait: Non apparebis vacuus coram conspectu Dei tui. *Et pòst*: Sacrificium in populo, sacrificia in Ecclesia; sed species immutata est tantùm, quippe cùm iam non à seruis, sed à liberis offeratur. *Et pòst*: Ab initio respexit Deus munera Abel, quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat: super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat aduersùs fratrem, diuisionem habebat in corde. *Et pòst*: Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium deputatum est, quemadmodum & Paulus ad Philip. 4. ait: Repletus sum, acceptis ijs, quæ à vobis missa sunt, in odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo. Oportet enim oblationes Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in conscientia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias earum, quæ sunt eius, creaturarum offerentes, & hanc oblationem Ecclesia solà puram offert Fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione, ex creaturis eius. *In his verbis Irenæus aliquoties dicit*, in eo sacrificio Noui Testamenti, quod à Prophetà Malachia prænunciatum sit, offerri Deo, Patri Domini nostri Iesu Christi, ex primitijs suorum munerum, & ex creaturis, quæ sint eius. *Ineptissimè igitur Iesuitæ hæc ad ipsius Filij Dei in sacrificio oblationem detorquent. Vt autem rectius verba Irenæi intelligantur, scopus disputationis eius diligenter est intuendus. Marcion, contra quem disputat eo loco Irenæus, & alij docuerunt, mundum & quæ in eo sunt creaturæ, non esse à Patre Christi, sed ab alio quodam malo Deo conditas: Irenæus igitur, ab Eucharistico Ecclesiæ sacrificio, velut alterius disputationis argumento, contra Marcionem probat, Deum Patrem Christi, esse Creatorem mundi & creaturæ: & sic argumentatur: Quum in Eucharistico Ecclesiæ sacrificio oblatio fiat Deo, Patri Christi, ex proprijs creaturis, pane nimirum & vino, quæ sunt eius: Ergo Deus, Pater Christi est Conditor mundi & creaturæ panis & vini. Quòd si, iuxta Iesuitarum sententiam, Irenæus Malachiæ verba intelligeret de sacrificio, in quo sub transubstantiati panis & vini speciebus tantùm, Christus corpore & sanguine suo verè & realiter offertur: facèret hoc ipsum pro Marcione: videlicet, Deum, Patrem Christi, non esse Conditorem mundi, neque ex creaturis ipsius panem & vinum esse: quod hæc ipsa in sacrificio Ecclesiæ reprobaret, tanquam non sua, ita vt transmutari ea oporteret in corpus & sanguinem Filij sui. Sed longè alia via incedit Irenæus, vt verba eius satis indicant. Sed quid multis opus est? Irenæus ipsemet sententiam suam clarissimè exponit lib. quarto, capite trigesimoquarto contra Marcionem*: Ecclesia, *inquit*, offert Deo cum gratiarum actione ex creatura eius. Est ergo altare in cœlo, illuc preces & oblationes nostræ diriguntur. *Et quòd nullam veram Filij Dei immolationem docuerit, ex illis verbis quæ statim hæc sequuntur, manifestissimè constat. Nam de hoc ipso Noui Testamenti sacrificio sic loquitur*: Sacrificia non sanctificant hominem; sed conscientia eius, qui offert, existens pura, sanctificat sacrificium. *Si veram Christi immolationem intellexisset Irenæus, Sacerdotem non à Filio Dei, sed contrà, Filium Dei à Sacerdotis conscientia sanctificari dixisset.*

Tertullianus *libro tertio contra Marcionem, declarans sacrificium à Malachia prædictum,*

ctum, In omni loco, *ait*, offertur ſacrificium Nomini meo, & ſacrificium purum: gratiæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus & hymni. *Vbi manifeſtiſſimè indicat, quid Propheta per Sacrificium Noui Teſtamenti intelligat, videlicet, relationem gratiarum actionis, laudem & hymnum. Sed contrà Bellarminus*, Tertullianus, *inquit*, deſcribit breuiter & more ſuo obſcuriùs totum ritum ſacrificij Miſſæ: ſiquidem in eo ſacrificio & ante & poſt conſecrationem & oblationem ſacrificij laudatur Deus, & oratur, & hymni canuntur, vt notum eſt. *Hæc verò dicendo nihil dicit Ieſuita, Si enim ante & poſt ſacrificium propheticum laudatur Deus, oratur, &c. Ergo ab eo ſacrificio ſpiritualia ſacrificia non excluduntur, quod probare vult Bellarminus.*

Idem Tertullianus, adhuc clariùs exponens Malachiæ locum in lib. contra Iudæos, Malachias, *inquit*, ita vaticinatur, indubitatè ideo, quòd in omni terra exire debeat prædicatio Apoſtolorum. Nam quòd non terrenis ſacrificiis, ſed ſpiritualibus Deo litandum ſit legimus, Cor contribulatum eſt hoſtia Dei. Et de ſpiritualibus addit, dicens: In omni loco ſacrificia munda offerentur Nomini meo. *Ergo, mundum illud ſacrificium de quo loquitur Malachias, ſecundùm Tertullianum, eſt Euangelij prædicatio, & contriti cordis oblatio. Et manifeſtè dicit*, in Nouo Teſtamento non ampliùs terrenis, ſed ſpiritualibus ſacrificij Deo litandum eſſe. *Ad hoc ſic reſpondet Ieſuita*: Tertullianus, *ait*, non vocat Euchariſtiam ſpirituale ſacrificium, quia non ſit verè ac propriè ſacrificium, ſed tum quia à Spiritu ſancto eſt, non ab humano & carnali ſenſu excogitatum, tum etiam quia non conſtat victima terrena, ſed cœleſti, *&c. Reſpondeo: Eſt fallacia à non cauſa vt cauſa. Nam etiam in Veteri Teſtamento ſacrificia à Spiritu ſancto, non ab humano & carnali ſenſu fuerunt inſtituta: nemo tamen vnquam ea propterea Spiritualia nominauit. Deinde, vt in Veterum ſacrificijs victima fuit terrena, ſic etiam in Euchariſtia elementa externa panis & vini terrena ſunt.*

Ruſus Tertullianus lib. 4. contra Marcionem expreſè dicit, ſimplicem Orationem de conſcientia pura illud eſſe ſacrificium, de quo loquatur Malachias. *Hic ludit Ieſuita ſed fruſtra, in nominibus* Incenſi, & Sacrificij, *quibus Propheta vtatur: &* Tertullianum, *dicit*, Incenſum interpretari, Orationem: Sacrificium verò, Euchariſtiam. *Sed hæc affingit Tertulliano, tantùm vt conſtrictus quoquo modo elabi poſſit. Nam incenſum & Sacrificium pro iiſdem accipit Tertullianus, vt reuera ſunt. Hæc enim ſunt eius verba:* dicente Malachia: Non eſt voluntas mea in vobis, inquit Dominus, & ſacrificia veſtra non excipiam de manibus veſtris: quoniam à Solis ortu vſque ad occaſum glorificatum eſt Nomen meum in nationibus: & in omni loco ſacrificium Nomini meo offeretur, & ſacrificium mundum, ſcilicet, ſimplex oratio de conſcientia pura. *Præterea, vt hoc maximè daremus Ieſuitæ, concedit tamen ille*, Malachiam non ſolùm de terrenis, ſed etiam de ſpiritualibus ſacrificijs loquutum eſſe: ideoque non tantùm de ſacrificio Euchariſtico, ſed etiam de gratiarum actione, inuocatione & alijs bonis operibus prædixiſſe: *hoc verò ab initio huius loci negauit, ſic inquiens*: Conſenſus veterum Patrum locum hunc Malachiæ de ſacrificio Euchariſtico ſemper intellexit, non de bonis operibus, quæ ab omnibus fieri poſſunt.

Euſebius *de Demonſtrat. Euangelica lib. 1. cap. 6. Malachiæ prophetiam non interpretatur de vero & reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſacrificio, ſed de ſpiritualibus credentium ſacrificijs*: Quod in omni loco, *inquit*, ſacrificium & incenſum offerri dicit Deo, quid aliud ſignificat, niſi non Hieroſolymis, neque definitè in hoc aut in illo loco id futurum? Sed in omni regione, & in omnibus gentibus, quidem, & orationis incenſum & ſacrificium, quod mundum dictum eſt, non per cruores, ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ. *Ad hunc locum reſpondet Bellarminus*, Euſebium non in genere per incenſum fidelium orationes, ſed ſacrificium quod per verba conſecrationis perficitur, intelligere. *Sed Ieſuita oblitus eſt eorum, quæ modo dixit, nempe* Tertullianum incenſum apud Malachiam interpretari per orationem de conſcientia pura. *Idem Euſebius eodem lib. cap. vltimo loco hoc Malachiæ adducto*, Sacrificamus, *inquit*, Deo altiſſimo ſacrificium laudis, ſacrificium diuinum, & auguſtum, & ſacroſanctum ſacrificium: ſacrificamus nouo more ſecundùm Nouum Teſtamentum hoſtiam mundam. Sacrificamus & incendimus, tanquam thymiama, aliàs quidem memoriam magni ſacrificij, ſecundùm ea, quæ ab ipſo tradita ſunt myſteria celebrantes & gratias pro ſalute noſtra agentes, & religioſos hymnos & preces Deo offerentes: aliàs verò noſmetipſos in totum ei conſecrantes, eiuſque Pontifici, ipſique Verbo corpore & animo dicantes. *Euſebius igitur Malachiæ locum interpretatur de ſpiritualibus Chriſtianorum ſacrificijs, videlicet de memoria magni illius ſacrificij in cruce peracti, &* gra-

gratiarum actione pro ſalute noſtra, de precibus & oblatione corporum noſtrorum. At, *inquit Bellarminus*, hoc ſacrificium nec eſt proprium Noui Teſtamenti, nec nouo modo offertur. *Sed hoc falſum eſſe, ex iis, quæ paulò antè diximus, manifeſtum eſt. His adde nouo more preces à Chriſtianis offerri, dum per Ieſum Chriſtum fiunt & finiuntur.*

Chryſoſtomus *in Pſal. 95. locum Malachiæ ad myſticam menſam refert, quam vocat incruentam hoſtiam: Sed iis hæc ſubiungit*: Eſt igitur primum ſacrificium ſpirituale illud ac myſticum donum, de quo Paulus ait Eph. 5. Imitatores eſtòte Dei, tanquam filij dilecti, & ambulate in dilectione, quemadmodum & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis Deo, ſacrificium & oblationem in odorem ſuauitatis. *Nec multò pòſt vocat ſacrificium illud* Salutare donum *nempe, quòd in ſacro illo myſterio Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum vera fide recipimus. Et Orat. 2. contra Iudæos tractans hic Pater eundem locum Malachiæ*, Non, *inquit*, per ſumum ac nidorem, non per ſanguinem ac redemptionis pretia, ſed per ſpiritus gratiam offertur.

Hieronymus. Hieronymus *etiam in caput primum Malachiæ*, Vt ſciant, *inquit*, carnalibus victimis ſpirituales victimas ſucceſſiſſe, & thymiama, id eſt, Sanctorum orationes Domino offerendas. *Et in Zachariam lib. 2. cap. 8. illud ipſum ſacrificium, de quo Malachiæ loquitur*, precibus contineri docet, atque huc Dauidis verba refert: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Auguſtinus. Auguſtinus *contra aduerſar. Legis & Prophet. lib. 1. cap. 20. tractans hunc locum Malachiæ.* Eccleſia, *inquit*, per ſucceſſiones Apoſtolorum immolat in corpore Chriſti ſacrificium laudis. *Lib. 18. de Ciu. Dei, cap. 35.* Hoc, *inquit*, ſacrificium per Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedech, quum in omni loco à Solis ortu uſque ad occaſum Deo iam videant offerri, ſacrificium Iudæorum iam ceſſari negare non poſſunt, aut alium Chriſtum expectant. *Et Pſal. 80.* Incenſum, *ait*, de quo Malachias loquitur, Ioannes in Apocalypſi interpretatur Orationes Sanctorum. *His omnibus docet Auguſtinus, Sacerdotes immolare Deo ſacrificium laudis in corpore Chriſti, gratias agendo Deo, & ſanctificando panis & vini creaturam.*

Theodoretus. *Theodoretus quidem in Comment. ad Malachiam dicit*, Secundùm Malachiæ prædictionem nunc immolari Agnum immaculatum, loco victimarum irrationabilium, quæ erant in lege Iudæorum: *ſed quid ſibi velit, mox explicat, quum dicit*: Offert autem Eccleſia Dominici corporis ſymbola.

In fine diſputationis de Malachiæ loco obſeruatione dignum eſt, quum Patres verba Malachiæ ad Euchariſtiam accommodent, licèt manifeſtiſſimè ſe explicent, quomodo id intelligi debeat: Ieſuitas tamen illis omnibus diſſimulatis, quum primùm nomen Euchariſtiæ audierint, Patribus Miſſaticum ſacrificium affingere, ac ſi de illo loquuti ſint: Imò in tota hac diſputatione de ſacrificio Miſſæ, &c. obuijs quibuſque uoculis continuò occaſionem arripit Bellarminus concludendi, Ergo Euchariſtia ſacrificium eſt verè & propriè dictum. Ergo Miſſa eſt oblatio realis. Ergo loquitur de ſacrificio Miſſæ, *&c. Idem prorſus faciens, quod de lupo fertur in fabula: qui cum ſcholas adiret, & ouem mercedis loco promereri ſtuderet, lectionem ſuam recitans, in ſingularum ſyllabarum connexione*, Ouem, ouem *ſubinde ingeminabat: adeò tenaciter in lingua & imis ſenſibus* Ouis *hærebat, nec corrigere præceptor vitium poterat.*

VI

QVINTVM *argumentum principale ſumit Bellarminus ex verbis Inſtitutionis, & prima celebratione Cœnæ, quæ habetur deſcripta Matthæi vigeſimoſexto, Marci decimoquarto, Lucæ vigeſimoſecundo, & priori ad Corinthios vndecimo cap. Sic autem argumentatur.*

Chriſtus in vltima Cœna ſeipſum ſub ſpecie panis & vini Deo Patri obtulit, & idipſum fieri iuſſit ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, uſque ad mundi conſummationem.

Sed hoc eſt ſacrificium verè, ac propriè dictum obtuliſſe, & offerendum inſtituiſſe.

Ergo celebratio Euchariſtiæ eſt ſacrificium propriè dictum.

Chriſtus ſeipſum non obtulit in cœna in ſtatu ſtante.

Negatur propoſitio Maior. Nam primò *ex tota orationis ſtructura & verborum genuino ſenſu nequaquam probari poteſt, Chriſtum ſeſe in Cœna realiter Deo Patri obtuliſſe, & idipſum facere iuſſiſſe Apoſtolos atque eorum ſucceſſores. Referunt Euangeliſtæ*, Chriſtum accepiſſe panem & calicem: *nullam hic mentionem ſacrificij alicuius faciunt. Referunt*, Chriſtum gratias egiſſe & benedixiſſe: *hoc verò non ſignificat* ſacrificare. *Referunt* Chriſtum panem & calicem dediſſe diſcipulis. *Si verbum* Dedit *interpretari quis velit, per* Sacrificauit, *illud obſtabit, quòd additur*, Diſcipulis: *Nam qui ſacrificat dat quidem, verùm non hominibus, ſed Deo: Chriſtus verò dedit, non Patri, ſed diſcipulis. Deinde, Chriſtus in exhibitione panis & vini, orationem ſuam non ad Deum Patrem, ſed ad diſcipulos*

pulas suos dirigendo, his loquendo & dando, si maximè sacrificâsset corpus & sanguinem suum, tamen non Deo, sed discipulis sacrificâsset: profundè etiam hodie discipulis Christi in Cœna sacrificandum esset.

Adhæc Euangelistæ referunt, Christum dixisse ad discipulos. *Quid obsecro? An dixit*, Offerte? *Minimè verò. Sed dixit*, Accipite. *Qui verò accipit, non offert: non enim dat alteri, sed accipit id, quod sibi ab altero datur. Quam verò ob causam iussit accipere? An, vt Deo Patri offerrent? Nequaquam: sed dicit*, Edite & bibite ex hoc omnes. *Hæc pugnant cum sacrificij ratione: Neque etiam edere & bibere significat, sacrificare. His addidit*: Hoc est corpus meum: & Hoc est sanguis meus Noui Testamenti. *Non audis dicentem Christum*, Hic panis & hoc vinum sunt sacrificium: vel oblatio corporis & sanguinis mei. *Et subinuxit*, Hoc facite: *atqui* Facite, *non significat*, sacrificate. *Quid autem facere debuerunt? Id indicat Pronomine* HOC: *quod demonstrat id, quod præcessit, & iam actum est. Ergo non* sacrificare *debuerunt*: sed gratias agere, panem & calicem accipere, frangere & distribuere, edere & bibere, idque in recordationem Domini.

Secundò, *commentum est fictitium de Transubstantiatione, qua fingunt statim in prima Cœna factum esse, vt substantia panis & vini sublata, Christus ipse sub accidentibus panis & vini corpus suum substantialiter latens, manu sua inclusum tenuerit, & in eo tum celebrando, tum in mensam reponendo, aliisque histrionicis gestibus occupatus fuerit, quibus sacrificuli hodie vtuntur.*

Tertiò, *etiam hanc ob causam negatur Maior Iesuitæ, quòd oblatio Christi vera & realis erga Deum Patrem, nulla alia fuit vnquam, quàm quæ in cruce facta est: semper enim Scriptura passionem & mortem Christi cum oblatione eius coniungit, & docet, vnicam oblationem Christi esse.*

Quartò, *Maiorem nego per distinctionem: Non enim absolutè negamus, Christum in vltima Cœna se Patri suo obtulisse, verè enim id dici posse concedimus, verùm non realiter, sed in figura, vel in mysterio: eodem prorsus modo, quo Christus in Veteris Testamenti sacrificijs oblatus fuisse dicitur: & vt Ioannes in Apocal.* 13. *cap. inquit*, Agnus occisus ab origine mundi. *Vt Christus in mensa occisus est sic etiam in mensa immolatus est: at in mensa mystice tantùm, non verè & reipsa occisus est. Ergo non verè & realiter, sed sacramentaliter duntaxat, & in mysterio in mensa immolatus est.* Astipulatur huic sententiæ *Augustinus etiam, qui Epist.* 23. *sic scribit*, Nonne semel immolatus est Christus in semetipso? Et tamen in Sacramento non tantùm per omnes Paschæ solennitates, sed etiam omni die populis immolatur. Nec vtiq; mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. *Et qua sit differentia inter Cœna & Crucis oblationem, Cyprianus de Vnctione Chrismatis luculenter exponit*: Dedit, *inquit*, Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, proprijs manibus, panem & vinum: In cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum. *Ergo, iuxta Cyprianum, in Eucharistia sacrificio non corpus, sed panem & vinum, in cruce autem corpus & sanguinem suum obtulit.*

Antequam autem Bellarminus ad probandam Maiorem sui Syllogismi accedat, prius dicit, se refutare velle impostutam Aduersariorum, qua Pontificijs affingant, quòd in verbis Institutionis, Facere, pro sacrificare interpretentur: hoc modo, Christus dixit, Hoc facite: sed facere est sacrificare, iuxta illud Vergilij, Cùm faciam vitula: *Ergo Dominus iussit sacrificare. Ad hoc dicit Iesuita*, Catholicos non tam ineptè argumentari, & proinde argumenta eorum mala fide referri. *Rectè verò hanc ineptam argumentationem esse fatetur Iesuita. Mox tamen probat, verbum Hebraum* Asah, Facere, sæpissime in sacris Literis pro Sacrificare vsurpari: *videlicet Leuit.* 15. 1. *Reg.* 18. *Hos.* 2. *&c. Respondeo, Verbum Hebraum generale esse, & ex adiunctis varias sortiri significationes. Vnde, si de sacrificijs sermo est, significat sacrificare, quando nimirum res, quæ offertur, cum ipso verbo componitur, vt Exod.* 29. *Num.* 28. *Psal.* 66. *&c. Quum verò Lucas & Paulus non Hebraicè, sed Græcè scripserint, ideo verbi Græci*, Ποιεῖν *quo vsi sunt, vis consideranda est.* Ποιεῖν *autem, neque in sacris Literis, neque in Ethnicorum scriptis sacrificare significat. Deinde Christus non simpliciter dixit*, Facite, *sed* Hoc facite: *& rursus* Hoc *non refert ad corpus & sanguinem, vt sit sensus*: Facite, *id est*, sacrificate corpus & sanguinem, *sed ad totam actionem præcedentem. Cuius rei Paulus certissimus interpres est: nam quum is dixisset*, Hoc facite: *mox subijcit*: Quotiescunque comederitis & biberitis. *Itaque Pronomen* HOC *in mandato Christi*, Hoc facite, *ad manducationem & actionem præcedentem refert, & ad totam Corinth. Ecclesiam, non ad solos Sacerdotes, vt Pontificij, accommodat. Quòd autem dicit, Pontificios non tam ineptè argumentari, vt* Facere *pro* Sacrificare *vsurpent, falsissimum est. Num Ioan. Faber Dominicanus, & maioris*

toris Ecclesiæ Anquitanæ quondam Concionator, in libro, cui titulus est, Euangelicæ Missæ perfecta demonstratio ex S. Literis, *&c. expresse hoc argumento vtitur*, Facere significat sacrificare, Christus iubet discipulos suos hoc facere. Ergo iubet eos sacrificare, seu offerre.

Post hæc accidit Iesuita ad probationem propositionis Maioris: Ac primò ex ijs quæ suprà dixit in primo, secundo & tertio generali argumento sic infert: Christus non fuit verè Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, neque impleuit figuram agni Paschalis, neque fuit verè sanguis Cœnæ, sanguis Testamenti Noui, nisi in Cœna sese obtulerit in sacrificium, vt satis demonstratum est. *Responde per inuersionem: Christus fuit verè Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, impleuit figuram Agni Paschalis, &c. Ergo Christus sese in Cœna non realiter obtulit in sacrificium, vt suprà satis fusè demonstratum est.*

Secundo, Christus dixit: Hoc est corpus meum: quod pro vobis datur: Luc. 22. vel vt habet Paulus 1. Corinth. 11. Quod pro vobis frangitur. Item: Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur: in remissionem peccatorum, vt Lucas & Matthæus addiderunt. Illa verba temporis præsentis, datur, frangitur, effunditur, non significant dari, vel effundi Apostolis ad manducandum & bibendum: sed dari & effundi Deo in sacrificium propitiatorium, in remissionem videlicet peccatorum, præsertim cùm clausulæ illæ addantur, pro vobis, & pro multis. *Argumentum sic formari potest: Vbi Christus de oblatione corporis & sanguinis sui præsenti tempore vtitur, ibi seipsum obtulit. In institutione autem Cœnæ sua Christus præsenti tempore vtitur. Ergo in illa Cœna Christus seipsum obtulit.*

Respondeo, Maiorem esse falsam. Vsitatissima enim est Scripturæ Enallage, de re iam instante, & mox, vel etiam diu post, sed tamen certò futura, loqui tanquam de præsenti. Sæpe etiam tempus præteritum pro futuro accipitur. Ioan. 10. Pono animam pro ouibus meis. *Matth.* 26. Væ homini illi, per quem Filius hominis proditur. *Rursus*, Filius hominis traditur in manus peccatorum. *Paulus de suo Martyrio iam instanti inquit*, Ego iam libor: 2. *Tim.* 4. *Respondet Bellarminus*, se fateri, in Scriptura sæpe accipi præsens, aut etiam præteritum pro futuro: sæpius tamen præsens pro præsenti, quàm pro futuro accipiendum, nemo inficiari posse. Probandum igitur esse hoc loco illud, Datur & funditur accipi debere pro futuro, non pro præsenti. *Respondeo, facilè hoc probari potest. Primò in Euangelio Matthæi Hebraicè scripto, hæc verba in futuro tempore vsurpantur. Deinde author veteris, seu vulgatæ translationis, à qua Iesuitis piaculum videtur recedere, verbum Græcum præsentis temporis, per futurum expressit*, Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur: *apud vtrumque Euangelistam Matthæum* 26. *& Lucam* 22. *cap. Tertiò, aliqui ex Patribus hæc verba sic etiam interpretati sunt. Origenes in Matth. tract.* 35. Effundetur *habet, non* Effunditur. *Chrysostomus in* 1. *Corinth.* 11. *cap.* Dabitur *legit, non* datur. *Eodem modo in Catena illud exponit*, Effundetur pro multis. Hoc dicens ostendit, quòd passio eius est mysterium salutis humanæ, per quod etiam discipulos consolatur. *Rursus*, De passione, *inquit*, & cruce sua loquebatur, videlicet quum verba Sacramenti pronuntiaret. *Et Sanctes Monachus contra Bezam fatetur*, Latinos maxima ex parte hæc verba legere in futuro tempore. *Denique Sacrificuli ipsi in Canone Missæ suæ, & in ipsa consecratione sic legunt*: Hic enim est calix sanguinis mei, Noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis EFFVNDETVR. in remissionem peccatorum. *Non tamen temerè Christum in Cœnæ institutione verbis præsenti tempore vsum credendum est, sed vt sic fidei vim & energiam ostenderet, qua olim factum est, vt Patres in Veteri Testamento quasi præsentem diem Domini in suis sacramentis viderint, & etiamnum hodie sit, vt rem præteritam, videlicet mortem Domini, & corpus ipsius quamuis longissimè à nobis distitum, velut ipsis oculis in nostris Sacramentis intueamur, & tanquam manibus attrectemus.*

Ad hanc nostram probationem sic respondet Bellarminus: Istæ, *inquit*, lectiones non pugnant inter se, imò vna inducit alteram: nam ex eo, quòd Dominus in præsenti dixit, Funditur, id est, offertur ac libatur Deo in repræsentationem effusionis futuræ in cruce, sequitur effusionem in cruce fuisse futuram, & simul etiam sequitur, deinceps vsque ad mundi consummationem fundendum sanguinem Christi, id est, offerendum, & libandum Deo in sacrificio Missæ, quod omnibus veteribus sacrificijs successit. Itaque omnes sunt veræ lectiones, siue dicamus, Funditur, id est; nunc in Cœna, siue Fundetur, id est, deinceps in sacrificio per Ecclesiam frequentando. Sed nulla negari debet, & præsertim prima, cùm Euangelistæ, & Paulus scripserint in præsenti, Datur, effunditur: & non oportet negare proprium & simplicem literæ sensum

sine

ſine urgentiſſima ratione. *Reſpondeo primò, petere Ieſuitam principium, non enim concedimus, tempus præſens figurare futurum hoc loco: ſed ſimpliciter dicimus, tempus præſens pro futuro eſſe poſitum. Deinde tempus præſens & futurum idem eſſe non poſſunt. Tertiò, de re una idem affirmare & negare non licet. Si verum eſt igitur, quod Ieſuita dicit, Funditur ſanguis Chriſti in Cœna, idque non figurata ſeu ſacramentali locutione ab eo intelligitur, ſed propria ac regulari prædicatione: quomodo alibi dicit cum ſociis*, ſanguinem incruentè fuſum eſſe in Cœna; *quum propriè loquendo ſanguis incruentè fundi non poſſit: aut quomodo Cœna incruentum erit ſacrificium, ſi jam tum in prima Cœna ſanguis Chriſti realiter eſt effuſus? Ergo vel ex ſanguine non ſanguinem: ex effuſione non effuſionem faciunt: aut ſi vera, realis & corporalis fuit effuſio ſanguinis facta in cruce: ipſi vanitatem commenti ſui apertiſſimè produnt, quo fingunt, ſacrificium illud ſuum in Miſſa reale eſſe, & incruentum tamen.*

Tertiò probat ſuam propoſitionem ex 1. *Corinth.* 11. *cap. ubi Paulus dicit*, Quod pro vobis frangitur. Frangi autem, *inquit*, non convenit Chriſti corpori niſi in ſpecie panis. Et quamvis utcunque poſſit fractio, etiam ad paſſionem Chriſti in propria ſpecie accommodari, propter confractionem cutis, nervorum ac venarum: tamen vix dubium eſſe poteſt, quin Apoſtolus reſpexerit ad ſpecies panis, cùm ait, Frangitur. Scriptura enim propriè uti ſolet hac voce, quum loquitur de pane. Nec tamen poſſumus de ſolo pane intelligere illa verba, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. Non enim panis pro nobis frangitur, ſed nobis. Oportet igitur illa verba intelligere de vero corpore, ſed ſub ſpecie panis, ut ſit ſenſus: Hoc eſt corpus meum, quod nunc pro vobis in ſpecie panis frangitur, id eſt, datur ac immolatur Deo. *In his verbis manifeſtè ſibiipſi contradicit Ieſuita, idem de eodem affirmans & negans. Concedit enim fractionem accommodari poſſe ad propriam ſpeciem, & Paulum ad ſpecies panis reſpexiſſe dicit. Mox tamen rurſus negat, illa verba de propria ſpecie dici poſſe, ſed de illo corpore quod eſt ſub ſpecie panis. Ad argumentum autem reſpondemus, Apoſtolum hoc loco Metonymia ſacramentali rei ſignificatæ tribuere, quod ſit proprium ſigni. Panis enim verè ac propriè frangi dicitur: hoc verò ad corpus tranſtulit: ut ſic repræſentaretur ingentes & nobis incomprehenſibiles illi cruciatus, quos & animo & corpore Redemptor noſter in cruce ſuſtinuit. Et ad Chriſti imitationem verbo præſentis temporis, pro futuro uſus eſt: ut hic ſit ſenſus verborum Pauli: Hoc eſt corpus meum, quod mox pro vobis frangetur, hoc eſt, mactabitur, accidetur & immolabitur, & in illa mactatione ſeu immolatione tormenta & cruciatus immenſos ſuſtinebit.*

Quartò, *probat ex Luc. vigeſimoſecundo cap. ubi dicit*, Hic eſt calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur: illud, effunditur, *inquit*, non conjunxit cum voce, Sanguine, ſed cum voce, Calix, ut ex Græco textu apparet, ubi ſic habetur, τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. At certè ſi Lucas dicere voluiſſet, ſanguinem fundendum in cruce tantummodo, dixiſſet, Hic eſt calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui, nimirum ſanguis, funditur: Nunc autem dixit, Hic eſt calix, qui funditur. Itaque indicavit ſanguinem fundi, ut erat in calice: & proinde fundi in Cœna. *Ad hoc verò argumentum ab initio hujus libri 9. reſpondimus, Lucam hoc loco per Metonymiam ſacramentalem attribuiſſe ſymbolo, vel ſigno externo, quod competit propriè ſignatæ rei, videlicet ſanguini Chriſti. Et ſic intellexit Lucam Baſilius quoque. Ipſa etiam verba* Qui pro vobis funditur, *hunc ſenſum indicant: nam calix non pro nobis, ſed nobis funditur: ſicut etiam panis non pro nobis, ſed nobis frangitur. Agnoſcit hoc etiam Bellarminus lib.* 4. *de Euchariſtia, cap.* 19. *ubi ſic ſcribit:* Illa verba, quæ dicuntur in inſtitutione, Qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum: non ſignificant bibi ſanguinem in remiſſionem peccatorum, ſed effuſum fuiſſe in remiſſionem peccatorum, & hoc per Euchariſtiam repræſentari. Euchariſtia enim, quia eſt ſignum & repræſentatio mortis Chriſti, eſt etiam ſignum voluntatis Teſtatoris, & omnium bonorum nobis promiſſorum, atque adeò etiam remiſſionis peccatorum. *In his duobus locis manifeſtè ſibiipſi Ieſuita contradicit. Nam in priore dicit, verbum*, Fundere, *non ad ſanguinem, ſed ad calicem Lucam referre, in poſteriore verò contendit*, verbum hoc non ad calicem Cœnæ, ſed ad crucis ſanguinem referendum.

Quintò, *probat quòd Chriſtus ſeipſum in Cœna obtulerit in ſacrificium, ex vera & reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna, tali argumento:* Chriſti corpus & ſanguis in Cœna ſumuntur, ut caro & ſanguis victimæ pro nobis oblatæ. Ergo neceſſariò in ipſa priùs immolantur & offeruntur Deo, quàm à nobis ſumantur. *Reſpondeo, Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti non eſt realis vel ſubſtantialis, ut Pontificii volunt. Neque enim, ut illi ſomniant, vel per tranſelementationem panis, vel per localem incluſionem, vel per affixionem durabilem præſens eſt corpus & ſanguis*

sanguis Christi: sed per unionem sacramentalem, qua fit, ut in usu à Christo instituto, corpus & sanguis ejus, tanquam victima & sacrificium nobis exhibeatur ad manducandum & bibendum: hoc est, cum pane corpus pro nobis traditum, & cum vino sanguis pro nobis effusus, imò totus Christus cum omnibus beneficijs suis offeratur omnibus, qui Cœnæ sacramento utuntur: & sacramentaliter quidem ab omnibus percipitur. Spiritualiter autem non nisi ab iis qui eo fidei habent, seu veræ fide præditi sunt.

Sextò, *Christum in Cœna seipsum realiter obtulisse, probat ex consensu Patrum, qui apertè dicunt*, Christum in Cœna seipsum Deo Patri sub specie panis & vini obtulisse, *& citat Irenæum, Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Augustinum, Hysychium. Respondeo primò falsum esse, Patres nominatos docere, Christum seipsum Deo obtulisse in Cœna sub specie panis & vini: sed hoc Iesuita ipsis affingit. Cyprianus enim sic dicit*, Christus, obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet & vinum, hoc est, suum corpus & sanguinem. *Secundò, negamus Patres nominatos docere, Christum seipsum in Cœna obtulisse, eo sensu, ut Iesuita vult: nimirum realiter, & reipsa, sed in figura & mysterio, eadem prorsus ratione, qua Christus etiam in veteris legis sacrificio immolatus fuisse dicitur: qua de re paulò antè plura diximus.*

VI. SEXTVM *argumentum, quo probat Iesuita, Missam esse sacrificium, sumit ex his verbis Actor.* 13. Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Ministerium illud, *inquit Iesuita*, Domino exhibitum non videtur aliud esse potuisse, quàm sacrificium, & sacrificium Missæ. *Argumentum tale est: Quicunque λειτουργεῖ, seu ministrat Domino, is sacrificat, vel sacrificium Missæ celebrat. Sed quidam in Ecclesia Apostolica ministrârunt Domino: Ergo sacrificium Missæ celebrârunt: & per consequens, Missa est sacrificium. In hoc argumento ne pueri quidem tanto Theologo Majorem concederent. Significari autem illa voce:* Ministrantibus, *sacrificium, probat primò ex Græca voce λειτουργοῦντων, & dicit,* illud significare non quodcunque ministerium, & quidem hoc loco non privatum & internum, sed publicum & externum. Non autem significare potest ministerium Verbi, aut Sacramentorum: quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim concionamur Deo, neque sacramenta Domino dispensamus, sed populo. Hicautem dicitur, Ministrantibus illis Domino. *Argumentum Iesuita tale est: Quicunque ministrat Domino, non concionatur, aut Sacramenta distribuit, sed Missam celebrat. At hi dicuntur ministrâsse Domino: Ergo non sunt concionati, nec sacramenta administrârunt, sed Missam celebrârunt. Quis, oro, hic risum ad Majorem tenere potest? Quis enim in concionibus sacris populum in Dei agnitione erudit, & sacramenta administrat, an non Deo servit, & Domino ministrat, quum ad honorem ac gloriam ejus hæc pertineant? An non Paulus vocat munus concionandi & sacramenta distribuendi,* Ministerium Christi? *Eph.* 3. *Et hos munere prophetandi ac docendi functos esse, de quibus, hoc loco scribit Lucas, quòd ministrârint Domino, illud indicat, quòd paulò antè* Prophetas & Doctores fuisse dixerat. *Vnde etiam Chrysost. & Græca Scholia rectè interpretantur* λειτουργοῦντων *ministrantibus, id est, inquiunt,* κηρυττόντων, *prædicatibus: Syrus & Arabs* θεραπευόντων, *precantibus: nam* λειτουργεῖν *retulerunt ad publicas preces, propter adjunctam jejunii mentionem. Sed inquit,* non concionamur Deo, eidemque non damus sacramenta: hic verò dicitur, hos ministrâsse Domino. *Quis verò hic non agnoscat elenchum Amphibologiæ, in phrasibus* concionari Deo, *&* ministrare Deo? *Non enim concionati sunt Deo, sed hominibus, verùm ad honorem & gloriam Dei. Instat Iesuita, & dicit,* Si ista esset causa, cur Lucas scripserit, Ministrantibus illis, non addidisset, & jejunantibus, nam etiam ad honorem Dei jejunamus. *Respondeo, quia Lucas phrasilla*, Ministrantibus illis, *munus concionandi, sicut diximus, & fortasse etiam Sacramenta administrandi expressit, jejuniorum etiam specialim mentionem facere debuit, quum illa voce hac*, Ministrandi, *nunquam comprehendantur. Secundò, voce illa*, Ministrantibus, *Sacrificium hoc loco intelligi, hac etiam ratione probat:* Licèt *inquit*, verbum λειτουργέω possit accommodari ad sacra & prophana ministeria, tamen quum accommodatur ad sacra, & absolutè ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii, ut patet ex cap. 1. Luæ, & Epistola ad Heb. c. 2. 8. 9. & 10. Vnde & Erasmus vertere ausus est, Sacrificantibus illis. *Respondeo, ex quibusdam locis, in quibus* λειτουργίας *nomen pro ministerio sacrificii ponitur; falsò colligit, ubiq; sic accipi: nam à particulari ad universale nihil sequitur. Paulus autem dicit Rom.* 15. εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, Ad hoc ut sim minister Jesu Christi inter gentes. *At verò Paulus non fuit ordinatus ad gentes, ut esset sacrificulus, sed minister Verbi: & ejus ministerium apud gentes non fuit sacrificare, vel Missas celebrare, sed prædicare Evangelium. Sic enim Rom.* 1. Paulus, *inquit*, seruus Jesu Christi, ex Dei vocatione Apostolus, separatus ad prædicandum Evangelium. *Gal.* 1. *dicit, se*

Liturgia & λειτουργεῖν quid.

vocatum à Deo, ut Filium ejus Evangelizaret intergentes. *An qualis* λειτουργὸς *seu minister Paulus fuerit: sacrificulus-ne, an verò minister Evangelij? Deinde Lucæ* 1. *quem locum Iesuita citat, per* λειτουργίας *nomen ministerium sacrificii Mosaici, non Missæ intelligitur. In cap.* 2. 9. *&* 10. *Epistolæ ad Hebræos* λειτουργίας *nomen nulla fit mentio: sed cap.* 8. *Christus vocatur* λειτουργὸς, *seu minister, non utique Sacrificii Missæ, sed sanctuarij cœlestis: & cap.* 10. *loquitur Apostolus de iis, qui legalia sacrificia administrárunt. Et ut maximè* λειτουργία *Sacrificii rationem interdum haberet, ut quum Paulus Philip.* 2. martyrium fidelium, *& Rom.* 15. prædicationem Evangelij *sic vocat, nihil prorsus tamen hoc ad Missaticum sacrificium pertinet: & Apostolum eo modo & sensu, quo Pontificii interpretantur, loquutum esse probare nunquam poterunt. His adde, quòd Bellarmini interpretatio vocis* λειτουργίας, *Missæ sacrificium evertit funditùs: dicit enim, vocem hanc significare Act.* 13. non privatum, sed publicum ministerium. *Iuxta hanc verò interpretationem Missa privata nullum erit sacrificium. Præterea ipsemet Bellarminus lib.* 1. *de Missa cap.* 15. *hunc locum Act.* 13. *aliter atque in hac controversia interpretatur*: Sunt, *inquit*, ista verba Lucæ generalia, neque explicatè continent certum aliquod ministerium. Non enim dixit Lucas, Offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi, sed in genere, Ministrantibus illis Domino. *Vbi generaliter hoc verbum interpretatur, de quovis ministerio, cùm refellere Kemnitium aliter non posset: Iam verò quum contraria interpretatio pro se facit, eandem vocem specificat, & ad certum ministerium, hoc est, Missæ sacrificium restringit. Quod ad Eras. interpretationem attinet, quam nobis obiicit, qui pro* Ministrantibus, *posuit*, Sacrificantibus, *tollerari illa sano sensu, quo ab authore est usurpata, posset, quòd sic transferri soleat sacrificii nomen non modò ad publicas Ecclesiæ Christianæ functiones, sed ad privatam quoque sanctorum vitam, ut Rom.* 12. *&* 15. *Eph.* 5. *Phil.* 2. *&* 4. *Heb.* 13. *&* 1. *Pet.* 2. *quomodo etiam nonnulli Patres Cænam Dom.* λατρείαν, ἱερουργίαν *& sacrificium nominárunt: sed quia nimirum est angusta, & ex ea Pontificij occasionem arripuerunt contendendi. Filium Dei ipsa quotidie in Missa sacrificari & offerri, idcirco reiicienda est.*

VII. SEPTIMVM *argumentum petit ex* 1. *Cor.* 10. *cap. versibus* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *&* 21. *Ex quibus sic videtur velle argumentari. Si Eucharistia comparatur à Paulo cum sacrificijs & oblationibus Iudæorum & gentium, ipsa quoque erit sacrificium vel Oblatio externa. Sed verum est antecedens, ideoque probat triplici comparatione: primò ex comparatione mensæ Domini cum mensa Iudæorum & Ethnicorum: Secundò, ex comparatione Eucharistiæ cum sacrificiis eorundem: Tertiò, ex comparatione societatis, quam habemus cum Deo per manducationem Eucharistiæ, cum societate, quam habebant Gentiles cum idolis per manducationem idolothytarum. Verum igitur est, Eucharistiam sacrificium esse. Respondeo, concedi totum argumentum à nobis: nemo enim negat Eucharistiam sacrificium esse, verùm non reale, in quo Christus substantialiter offeratur, ut Pontificij somniant, sed mysticum, sicut eodem loco explicatur etiam à Paulo*, Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? *&c.*

HACTENVS *ad argumenta Bellarmini, ex sacris Literis petita, pro Sacrificio Missæ, respondimus: nunc ad testimonia veterum Patrum accedit. Et* PRIMVM *argumentum, quod ordine* OCTAVVM *est, sumit ex nominibus* Sacrificii, hostiæ, victimæ, & ex verbis immolare, offerre, sacrificare, quibus Patres utuntur cùm de celebratione Cœnæ Domini verba faciunt. Passim enim tum Græci, tum Latini, non solùm dicunt Eucharistiam esse sacrificium seu oblationem, sed dicunt offerri Deo, immolari & sacrificari. *Et mox*: Hic igitur modus loquendi satis indicat, quid Patres sentiant, *&c. Hæ Iesuita. Argumentum sic formatur*: Si veteres Patres Cœnam Domini appellant sacrificium, hostiam, victimam, oblationem & immolationem: & si de Eucharistia loquentes, utuntur verbis immolare, offerre, sacrificare: sequitur Eucharistiam esse sacrificium. Sed verum est antecedens: Ergo & consequens. *Argumentum Bellarminianum pro sacrificio Missæ.* 2.

Respondeo: Concedimus totum argumentum, videlicet, quòd Patres Cœnam sic nominárint, & quòd sit Sacrificium. Cùm enim prisci illis temporibus Sacrificij *nomen non solum apud Ethnicos, sed etiam apud Iudæos sanctissimum adhuc haberetur, nec putaretur ulla sine sacrificio religio esse posse: atq; etiam plerisq; inuisi essent Christiani, quòd externa sacrificia abrogássent: Patres in primordio Ecclesiæ, ut huic rei remedium adhiberent, operæ precium sibi visi sunt facturi, si testarentur, Christianam Ecclesiam non esse sine sacrificio: quippe quæ unico, eodemque perfectissimo Christi sacrificio in cruce facto, cuius sacrificij virtus perpetua est, frueretur. Iam quia sanctissimi illius sacrificij memoria in sacræ Cœnæ Dominicæ mysterio celebratur, vocabula etiam sacrificij, oblationis, immolationis, hostiæ & victimæ κατ' ἐξοχὴν ad actionem Cœnæ Dominicæ quoque transtulerunt: ut ita significarent, tum sibi ab Ethnicis* *Eucharistiæ cum sacrificiis appellatur à Patribus.*

Ethnicis & Iudæis injuriam fieri, tum eosdem nullam justam ob causam ab Ecclesia Christiana, tanquam omnibus sacrificiis destituta, abhorrere, cùm potiùs illa longè præstantissimo sacrificii genere uteretur. Atque hoc quidem fuisse Patrum illorum consilium, si velimus replicare memoriam temporum, quum ex aliis eorum scriptis, tum ex Apologiis nomine Christianorum editis, perspicuum est. Vt verò ingenium est hominum à rebus spiritualibus proclive ad res externas & crassiores: gliscente indies superstitione, coacervatis erroribus, & puriore doctrina sensim obsolescente, res tandem eò devenit, ut post multa annorum secula, sacra Domini Cœna fuerit in crassum externumque sacrificium commutata: Pastores in Sacrificulos conversi: mensa in altaria: communio, in unius Sacerdotis actionem. Ac ne quid fortè ad transformationem deesse videretur, ipsa etiam elementa, ipsas rerum substantias in hoc Missæ sacrificio commutari, vel, ut illi quidem loqui solent, transubstantiari, posterioribus seculis Pontificij tradiderunt.

Nominârunt igitur Patres Eucharistiam Sacrificium, *non eo sensu, ut Iesuitæ somniant, quòd ibi corpus & sanguis Christi ad expianda vivorum & mortuorum peccata, & impetranda omnis generis bona tum spiritualia, tum corporalia, atque averruncanda omnia mala externis istis ritibus sub speciebus panis & vini à Sacerdote realiter offeratur. Est igitur tota hæc disputatio Iesuitica Elenchus Amphibologiæ, in vocibus* sacrificij, oblationis, *&c. & verbis* offerre, sacrificare, *&c. quæ Iesuita longè alio sensu interpretantur, quàm à Patribus fuit usurpata.*

Patres quo sensu Sacrificij nomen Cœnæ accommodarint.

Vt autem vera esse quæ dicimus Lector intelligat, sciendum Patres alios aliter sacrificij, oblationis, &c. nomina etiam ad Cœnam accommodasse: ab ipsâdem quoque diversis in locis lucubrationum suarum: alio atque alio sensu, prout occasio tulit, hæc, & similia nomina usurpata esse: nimirum, vel propter ritum consecrandi: *vel* propter memoriam passionis & sacrificii Christi in cruce peracti: *vel* propter gratiarum actionem: *vel* propter preces publicas, quæ in celebratione Cœnæ fiebant: *vel etiam*, quia dum Cœna vera fide peragitur, nosipsos totos Deo consecrare, eidemque hostiam viventem sistere debemus: *vel denique* propter contributionem à ditioribus ante Cœnam factam, ex qua pars una in usum Cœnæ sumebatur, reliqua inter pauperes distribuebatur. *Ergo non locuti sunt Patres de ἱλαστικῷ seu propitiatorio, vel de reali & propriè dicto sacrificio, sed de ἰωαβελικῷ, symbolico & mystico. Hoc ut melius ac plenius cognosci possit, ex multis pauca saltem testimonia Antiquitatis adscribemus.*

Primò, *propter ritum consecrandi, Veteres sæpe panem & vinum offerri aiunt, & panis ac vini oblationem in Cœna vocant: quum nimirum ad imitationem Christi, panis & vinum* per Verbum Dei & gratiarum actionem sanctificatur & consecratur. *Sic* Tertullianus *de præscript. hæret. cap. 40. dicit*, in mysterio panis oblationem celebrari. Cyprianus *lib. 1. epist. 6. & lib. 2. epist.* 3. Panem & vinum sacrificia Dominica, & Dominicam oblationem *vocat: ac pro eodem aliquoties usurpat sanctificare, vel, consecrare, & offerre calicem. Sic etiam* Chrysostomus *hom. 19. in Matth. dicit*, sacrificium panis & vini offerri. *Eodem modo* Augustinus *quoque ad Paulinum epist. 59.* sancti altaris oblationem *vocat*, quum id quod est in mensa Domini, benedicitur & sanctificatur, *& ut ipse loquitur*, ad distribuendum communitur. *Et* Theodoretus *Dialogo 2. & Psal. 59. inquit*: Mystica corporis & sanguinis Christi symbola, ab Ecclesia in sacrificio offerri. *In* Ancyrano *quoque Concilio Can. 2.* Sacerdotes sacrificare & offerre, *(id est, consecrare)* dicuntur panem & calicem Domini. *Ibidem, sicut etiam in aliorum Conciliorum decretis*, Oblationes facere *dicuntur*, qui panem & calicem sanctificatum plebi porrigunt. *Intelligis igitur, Patres oblationem panis & vini pro consecratione horum symbolorum usurpare.*

Secundò, *Patres Eucharistiam oblationem & sacrificium frequentissimè vocant, propter* Memoriam veri ac unici illius sacrificii Christi, quod in cruce oblatum est, *& quod memoria ejus celebratur verbis & rebus mysticis: Nam in Cœnæ administratione non solum commemoratio fit sed etiam mystica repræsentatio sacrificii, hoc est, passionis & mortis Christi, dum fractione panis cruciatus & dolores, quos in anima & corpore simul passus est Christus, & potu vini sanguinis eius effusio adumbratur & quasi oculis subjicitur.*

De commemoratione mortis Christi & sacrificii unici, Eusebius *de Demonst. li. 1. cap. 10. inquit*, Christus cæteris omnibus perfectis, admirabilem oblationem & sacrificii singulare Patri suo fecit *(scilicet in cruce)* pro salute nostrûm omnium: nobis verò MEMORIAM dedit pro sacrificio offerendam perpetuò. Cyrillus *in epist. Synodica ad Nestorium*, Annunciantes, *inquit*, secundùm carnem, mortem, resurrectionem & ascensionem unigeniti Filii Dei, celebramus incruentum sacrificium, & ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, *&c.* Chrysost. *ad Heb. hom. 17. disputans de quotidiana in Cœna Domini oblatione, tandem ait*: Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus. Hoc sacrificiû exêplar illius est:

Hoc

Hoc quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod semel factum est, non aliud facimus, sed id ipsum semper offerimus. Magis autem recordationem sacrificij operamur, quia ipse dicit: Hoc facite in mei commemorationem. Ambrosius *in cap.* 10. *Epist. ad Heb.* Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem: sed recordationem facientes mortis eius. Et una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium *(panis & vini)* exemplar illius est: hoc quod facimus in commemorationem fit ejus, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Augustin. *contra adversar. Legis & Proph. lib.* 1. *c.* 18. Sacrificium laudis honorificabit me. *Ps.* 49. Quod est autem sacratius laudis sacrificium quàm in actione gratiarum? Vnde majores agendæ sunt Deo gratiæ, quàm pro ipsius gratia per Dominum N. I. Christum? Quod totum fideles in Ecclesia sacrificio sciunt, *&c. De Fide ad Petrum Diaconum c.* 19. In ipso autem sacrificio *(videlicet panis & vini, ut paulò antè nominaverat)* gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, *In Ps.* 79. Ecce, *inquit*, innovavit nos Christus, donavit nobis omnia peccata, & conversi sumus. Si obliviscamur quid nobis donatum est, & à quo donatum est, obliviscimur munus Saluatoris: cùm autem non obliviscimur munus Saluatoris, nonne quotidie nobis Christus immolatur? Et semel pro nobis Christus immolatus est, cùm credidimus tunc fuit nobis cogitatio, modò autem reliquiæ cogitationis sunt, qua meminimus, quis ad nos venerit, & quid nobis donaverit ex ipsis reliquiis cogitationis: hoc est, ex ipsa memoria quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui prima gratia sua nos innovavit. *His verbis, Augustinus apertissimè docet, Christum immolari nobis, quum per Evangelii prædicationem ad fidem convertimur, & gratia Dei innovamur. Imò, ex ipsa memoria beneficiorum Christi Christum nobis immolari, Augustinus dicit: hoc est, ut alio loco dicit,* Tunc cuique Christum occidi, quum credit occisum. Theodoretus *in cap.* 8. *ad Hebræos*, Cur, *inquit*, Sacerdotes Novi Testamenti mysticam Liturgiam, seu sacrificium peragunt, cùm Christus, qui est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, offerens sacrificium, effecit, ut alia sacrificia non essent necessaria? *Huic quæstioni sic respondet*: Clarum est iis qui in rebus divinis sunt eruditi, nos non aliud offerre, sed illius unius & salutaris sacrificii memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit Dominus: Hoc facite in mei recordationem. Theophylactus *in cap.* 10. *ad Hebr.* Quæret aliquis, num & ipsi sine sanguine immolamus? Ita quidem: sed Christi mortis dum reminiscimur, eundem semper offerimus: quin potiùs illius oblationis memoriam facimus: perinde ac si esset hoc tempore immolatus.

De repræsentatione unici sacrificii Christi *sic scribit* Dionysius *Eccles. Hierarch. ca.* 3. Sacerdos sacra & divina opera Jesu celebrat, quæ ipse ad salutem generis humani peregit & venerabilem eorum ac intelligentiæ propriam, oculis intellectus intuitus, ad symbolicam eorum sacram operationem venit. *Vocat συμβολικὴν ἱερουργίαν, non immolationem Christi offerendi Patri suo, sed mysteriorum celebrationem, quod Graecus Paraphrastes Pachymeres sic interpretatur*, ἀφ' ὧν ὁρᾶται καὶ πιστεύεται; *id est*, ad panem & poculum venit, *quorum fractio & distributio magni illius & singularis sacrificii Christi memoria est. In* Liturgia *quæ Basilij nomine circumfertur*, panis & vinum vocantur ἀντίτυπα & salutiferæ passionis Christi ὑπομνήματα seu monimenta. *Nazianzenus in Apologia, Eucharistiam vocat magnorum mortis Christi mysteriorum antitypum. Et in Oratione in Iulianum, Incruentum sacrificium vocat non actionem sacrificuli, sed quod fideles in sacra communione manibus suis accipiebant, quatenus per hoc Christo, ipsius que passionibus & Divinitati communicarent.* Sic Ambrosius *lib.* 4. *cap.* 4. *de sacramentis*: Oblationem quam Ecclesia in peragenda sacrificii memoria adscriptam & acceptabilem fieri rogat, dicit esse figuram corporis & sanguinis Christi ipsiusque veri sacrificii, quo se apud Patrem pro nobis offert, imaginem. Quotiescunque enim offerimus sacrificium, mors Domini, ascensio & resurrectio significatur. Augustin. *epist.* 23. & 120. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in sacrificio *(panis & vini)* non solùm per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim sacramenta similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent, sed ex similitudine, sæpe nomina earum accipiunt. Eadem etiam similitudine, sicut dies Paschæ vocatur Resurrectio Domini, eò quòd sit memoria resurrectionis Domini. *Idem in Serm. de verbis Evangelicis*, Illius ergo, *inquit*, panis & calicis oblatio, mortis Christi est commemoratio & annunciatio, quæ tam verbis quàm

rebus mysticis agitur: per quæ nostris mentibus mors illa preciosa altiùs & fortiùs commendatur. *Et contra Faustum lib.20.cap.* 18. Hebræi, *inquit*, in victimis pecudum quas offerebant Deo, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: Christiani iam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis Christi. *His verbis inter se confert sacrificia Levitica, sacrificium Christi in cruce, & immolationem corporis ejus in Cœna: & inter hæc talem ostendit differentiam: in cruce redditum fuisse in veritate, sacrificium corporis & sanguinis Christi: in veterum sacrificiis fuisse figuras & similitudines, promittentes futurum Christi sacrificium: in Cœna Domini per sacramentum memoriæ, celebrari memoriam seu commemorationem & gratiarum actionem perfecti & consummati sacrificii Christi in cruce. c.*21. Hujus sacrificii, ait, caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi, per ipsam veritatem reddebatur: per ascensum Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. *Lib.* 10. *cap.*5. Sacrificium, *inquit*, hoc visibile, invisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum est. *Et ejusdem libri cap.* 20. *ait*, Cuius rei (*nempe oblationis seu sacrificii Christi in cruce facti*) sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. *In libro Sententiarum Prosperi:* Sicut cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. *Ibidem*: Cùm frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur. *Cùmque D. Augustinus, ut ex modo citatis locis apparet, visibile Christianorum sacrificium dicat esse veri & invisibilis sacrificij sacramentum, Sacramenta verò dicat esse rerum, quas in mysterio significant & repræsentant, similitudines: ideo etiam his consentanea sententia de hoc memoriæ sacrificio quomodo & quibus in rebus offerendis institutum sit, clarissimè docet lib.* 83. *quæst. cap.* 61. *& de Catechismo cap.*4. Christus, *inquit*, qui semeripsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, huius sacrificii similitudinem & holocausti eius imaginem, in passionis suæ memoriam celebrandam dedit, & commendavit, *&c. Hæc verba apertissimè ostendunt sicut ipsa sacrificii, quod in Eucharistico illo memoriæ, & sacræ synaxis cultu institutum est, actio, similitudo tantùm sit unici illius & veri sacrificij, ita quoq; hanc similitudinem in holocausti illius, quo seipsum obtulit Christus, imagine & repræsentatione, & non in realiter sub panis & vini specie contento & oblato Christi corpore & sanguine, veteres Patres celebrari & credidisse & sensisse. Ex Scholasticis Doctoribus quoq;* Lombardus *lib.*4. *dist.*12. Quæritur, *inquit*, si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio, & si Christus quotidie immoletur vel semel tantùm immolatus sit? Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur & consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. *Et ibidem*: Semel Christus mortuus est in cruce, ibique immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. *Ex his testimoniis intelligit Lector, Patribus actionem Cœnæ, id est, oblationem panis & vini, esse passionem, mortem & crucifixionem Christi, ejusdemq; oblationem & sacrificium: non quòd realis ibi fiat oblatio, & sacrificium hypostaticum, sed quòd sacrificium in cruce semel oblatum, tum verbis commemoretur, tum ritibus externis, in primis fractione panis & fusione vini aliquo modo repræsentetur: quomodo panis & vinum est corpus & sanguis Christi. Nam sicut oblatio panis & vini, est oblatio & sacrificium corporis & sanguinis Christi: hoc est, quo modo fractio panis, est fractio corporis in cruce, & vini effusio, est effusio sanguinis Christi in cruce: eo modo etiam panis est illud corpus, & vinum ille sanguis: eodemque modo manducatio hujus panis, est manducatio illius corporis: & potio huius vini est potio illius sanguinis, non realiter, naturaliter & substantialiter, sed mysticè & sacramentaliter. Et rursus, sicut panis & vinum, sunt corpus & sanguis Christi, ita ipsorum oblatio, est oblatio vel sacrificium Christi, non reale, naturale aut substantiale, sed mysticum & sacramentale. Nam fractus panis Eucharisticus sic est corpus Christi, ut est sacrificium corporis Christi: hoc est, eodem modo est corporis in mortem traditi & sacrificii sacramentum. Vnde etiam promiscuè & eodem sensu apud Patres dicunt, corpus in mysterio comedi, mysticè corpus immolari, & passionem corporis in mysterio tradi: videlicet quia panis Eucharistiæ, non est simpliciter corpus, sed quatenus pro nobis in mortem traditus est. Sic Aug. epist.*23. Panis Eucharistiæ non aliter est corpus Christi, quàm corpus in sacrificio panis offerri dicitur.

Hæc omnia quàm procul distent à sacrificio

Missatico,

Missatice, in quo se non solùm memoriam celebrare, sed ipsam crucis hostiam repetere dicunt, prudentibus iudicandum relinquo.

3. Tertiò, *Patres hanc etiam ob causam Cœnam Domini sacrificium vocârunt*, quòd in eius actione & celebratione sacrificia Deo spiritualia fideles offerunt. *Ac primùm*, quòd preces solennes, publicæ & communes à Ministris simul & populo in Cœna sacra Deo offeruntur: *Sic* Irenæus *lib.* 4. *cap.* 33. *de oblatione Noui Testamenti in Eucharistia loquens*: Vult, *inquit*, nos quoque sine intermissione offerre munus in altari, Est ergo altare in cœlis: illuc enim preces & oblationes nostræ diriguntur. Basilius *in Liturgia dicit.* Fac nos idoneos, vt tibi offeramus sacrificium laudis. *Sic etiam* Tertullianus *in Apologetico cap.* 20. *& ad Scapulam. Hieronymus in Psal.* 51. *Tunc acceptabis sacrificium, vel quum te pro nobis offers Patri, vel quum à nobis laudes & gratiarum actiones accipis.* Chrysostomus 2. *Corinth. homil.* 18. Quia & in precibus viderit quis populum simul offerre cùm pro energumenis, tum pro pœnitentibus; communes enim preces fiunt, & omnes vnam dicunt orationem. *Secundò*, quòd in Cœna gratiarum actio, inprimis pro redemptione, offertur: *Augustinus de Fide ad Retrum Diaconum cap.* 19. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, vnigenitum Dei Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse, sacrificium & hostiam Deo, in odorem suauitatis, CVI nunc cum Patre & Spiritu sancto sacrificium PANIS & vini in fide & charitate sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Christi, quam pro nobis fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum. In isto autem sacrificio GRATIARVM ACTIO est & commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. In illis sacrificijs quid nobis esset donandum figuratè significabatur: In hoc autem sacrificio, quid nobis sit iam donatum, euidenter ostenditur. In illis sacrificijs pronuntiabatur Filius Dei pro impijs occidendus: In hoc autem pro impijs annunciatur occisus. Iustinus *in colloquio cum Tryphone:* Equidem & preces, & gratiarum actiones, si per homines dignos fiant, solas pro perfectis, & Deo gratis habeo. Hæc enim sola sacra Christiani faciendi acceperunt, vt alimento sicco atque humido admonerentur eorum, quæ propter eos Deus Dei Filius perpessus esse narratur. *Et alibi in Apologia* 2. Post precationem nos salutamus osculo mutuo, deinde offertur præcipuo fratri panis, & calix aqua dilutus, quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem Patri omnium offert per nomen Filij sanctique Spiritus, atque ita Eucharistiam aliquandiu celebrat: post preces & Eucharistiam totus cœtus accinit, Amen. *Et paulò pòst:* Confurgimus, *inquit*, omnes & preces offerimus, quibus finitis, profertur panis & vinum & aqua: tum Præpositus, quantum potest, preces offert & gratiarum actionem: plebs verò accinit. Chrysostomus *Matth.* 8. *homil.* 16. Reuerenda, *ait*, & salutaria illa mysteria, quæ omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur: Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere. *Atque sic etiam* Tertullianus *contra Iudæos, & lib.* 4. *contra Marcion.* hanc oblationem *vocat* gratiarum actionem, & de hoc spirituali laudis & precum sacrificio, ex conscientia pura litantis, *intelligit locum ex Malachia. Hæc etiam veteris Ecclesiæ sacrificij ratio & intelligentia inuenitur apud* Eusebium *in libro de Demonstratio. Euangel. capite* 10. Cùm itaque, *ait*, illius sacrosancti sacrificij memoriam, in mensa Dominica peragendam, per symbola corporis, salutarisque sanguinis ipsius, iuxta Noui Testamenti institutum acceperimus, rursum à Propheta Dauid dicere iubemur, Parasti in conspectu meo mensam, contra eos, qui affligunt me, vnxisti oleo caput meum, & calix meus tanquam optimè inebrians me. Expressè igitur in his mystica significatur vnctio, & veneranda mensæ Christi sacrificia, quibus litantes incruentas hostias; & rationales, ipsique acceptas victimas, in omni vita nostra, vt offeramus Deo omnium maximo, per ipsum summum Sacerdotem edocti sumus. *Et pòst*: A solis ortu vsque ad occasum, inquit Propheta. Nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur Nomini meo, & hostia munda. Quare sacrificamus Deo sacrificium laudis, sacrificamus diuinam, venerandam, & hostiam sacrosanctam, sacrificamus nouo ritu, iuxta Noui Testamenti institutum, victimam impollutam ac sacrificium Deo acceptum, Spiritus contritus dicitur. *Et pòst*: Sacrificamus ergo, & adolemus alias quidem memoriam magni illius sacrificij, in traditis ab ipso mysterijs, celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra per hymnos religiosos, & pias preces agentes, alias autem nos, totos

ipſi, & ſummo Sacerdoti conſecrantes, & Verbo eius & corpore & animo mancipantes. Et hoc eſt, *inquit Irenæus lib.4. ca. 23.* incenſum illud, de quo legitur apud Malachiam, quòd ab ortu Solis, vſque ad occaſum, glorificabitur Nomen Domini inter gentes, & in omni loco offeretur incenſum Nomini eius, & ſacrificium purum. Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri Fabricatori Deo, in conſcientia pura, & fide ſine hypocriſi, in ſpe firma, & dilectione feruenti, primitias earum, quæ ſunt eius, creaturarum offerentes: & hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert Fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione, ex creatura eius. *Hanc etiam ob cauſam Patres vetuſtiſſimi Cœnam Dominicam vocárunt* Euchariſtiam: *quòd in eius celebratione fiat recordatio maximorum Dei beneficiorum, præſertim verò redemptionis humani generis, & pro iiſdem gratiarum actio. Tertio*, quòd in Cœnæ celebratione fideles ſeſe totos Deo vouent & conſecrant. *Sic* Auguſtinus *epiſt.* 59. Vouentur omnia quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio, maximè illud ſacramentum, quo ſacramento prædicatur votum maximum, quo nos vouimus in Chriſto eſſe manſuros, vtique in compage corporis Chriſti, cuius rei ſacramentum eſt, quòd vnus panis & vnum corpus multi ſumus. Quomodo & in Scriptura ſacrificia nominantur, *Rom.cap.12. ver.1. & 1. Pet.cap.2. ver.5. Philip.c.2. Idem lib.10. de Ciuit. Dei cap.6.* Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, vbi ei demonſtratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur. *Et de Gratia Noui Teſtamenti ad Honoratum dicit*: Sacrificium Noui Teſtamenti eſt, quando altaria cordis noſtri munda & pura in conſpectu diuinæ Maieſtatis offerimus. Tertullianus *quoque hoc ipſum ſacrificium* contriti cordis oblationem, & ſimplicem de conſcientia pura orationem vocat. *Quarto, panis, vinum, aliaque munera, olim à locupletibus ante Cœnæ actionem in menſa offerebantur. Iſtarum verò contributionum pars, quæ cedebat pauperibus, & quæ ad Cœnæ Dominicæ actionem inde ſumebatur*, ſacrificium & oblatio à Veteribus appellabatur, *ad imitationem Scripturæ Noui Teſtamenti, Philip.4. & Heb. 13. cap. vbi iſtæ contributiones etiam* Sacrificia *nominantur. Vnde* Cyprianus *Serm.1. de Eleemoſyna*: Locuples, *inquit*, matrona in Dominicum venis ſine ſacrificio: & partem de ſacrificio quod pauper obtulit, ſcilicet in Cœna, ſumis. *Sic etiam* Auguſtinus *epiſt.* 122. Sic, *ait*, ſunt illæ in terra captiuitatis ſuæ, quomodo erant illi in ea terra: vbi nec ſacrificare more ſuo poterant Domino, ſicut nec iſtæ poſſunt vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi Sacerdotem per quem offerant Deo. *His aliiſque Patrum teſtimonijs conuictus Lombardus lib.4. diſtinct.12. ingenuè fatetur, Sacrificium Crucis verum eſſe Sacrificium, actionem verò Sacerdotis (id eſt, Miſſam) non propriè dici Sacrificium.*

Reſponderi etiam aliter poteſt ad hoc Bellarmini argumentum, Patres Cœnam Domini vocárunt ſacrificium, Ergo Miſſa eſt ſacrificium. *Eſt enim Ignoratio Elenchi. Nam Cœna Domini nihil commune habet cum Pontificiorum Miſſa: Ideoque non valet conſequentia à Cœna Domini ad Miſſam Papiſticam.*

His autem phraſibus ſacrificandi, immolandi, & offerendi corpus & ſanguinem Domini, *quibus certis de cauſis, vt dictum eſt, antiquiſſimi Patres vſi ſunt, progreſſu temporis valdè obſcurata & deprauata eſt vera doctrina de Cœna Domini. Nam paulatim nomen ſacrificij, oblationis & immolationis, ab eo ſenſu, quo vſurpatum eſt à Patribus, detorſerunt quidam ad quandam repetitæ & renouatæ oblationis ſpeciem: & obſoleſcente paulatim puriore doctrina, contrà autem ſuperſtitionibus ac erroribus indies gliſcentibus, tandem Cœnæ Dominica in externum ac reale ſacrificium commutatum, prodigioſum Tranſſubſtantiationis dogma fabricatum, & hiſtrionicum Miſſæ ſacrificium extructum eſt.*

Bellarminus contra hæc, quæ diximus de Patribus, quo nimirum ſenſu Euchariſtiam Sacrificium appellárint: varia adducit.

Primò, negat eos Cœnam Domini Sacrificium nominâſſe, ratione precum, laudum, gratiarum actionis, eleemoſynarum, &c. quia Patres, cùm de oblatione Euchariſtiæ loquuntur, apertè dicunt, ſolis Sacerdotibus licitum eſſe id ſacrificium offerre Deo: illa verò priora cuiuis è populo etiam licet offerre. *Sic igitur vult argumentari:* Quicquid ſolis Sacerdotibus licitum eſt facere, id eſt ſacrificium reale & ſubſtantiale veri & realis corporis & ſanguinis Chriſti. Sed Euchariſtiam ſolis Sacerdotibus, offerre licet. Ergo, Euchariſtia eſt ſacrificium realis corporis & ſanguinis Chriſti.

Hic videt Lector non planè cæcus, Maiorem falſiſſimam eſſe, nec opus habere longa refutatione. Melchiſedech Sacerdos erat Dei altiſſimi, is, iuxta Ieſuitas, obtulit Deo panem & vinum, & quia Sacerdos, ideo ſoli illi licuit offerre: ergo obtulit reale & ſubſtantiale corpus & ſanguinem Chriſti. In Veteri Teſtamento ſolis Sacerdotibus licuit offerre victimas; & tamen

Deprauatio vocum Sacrificij, Immolationis, Oblationis &c.

Bellarmino quid Patres per Sacrificium intelligant, eaſque ſententia refutatio. I.

men illorum ſacrificia non erant realia, vt in ijs verum corpus & ſanguinem Chriſti offerrent, ſed erant vmbræ tantùm & typi vnici ſacrificij Chriſti. Minor quoque falſa eſt: nam ratione Sacerdotij omnibus Chriſtianis licet Euchariſtiam celebrare: hoc eſt, in celebratione eius orare, Deo preces offerre, gratias agere, mortem Domini commemorare, &c. ſunt enim omnes fideles Noui Teſtamenti Sacerdotes, vt eſt videre 1. Pet. 2. & aliis in locis. Teſtatur hoc etiam Iuſtinus in Colloquio cum Tryph. Verè, *inquit*, Pontifices Dei reddimur: (*intelligit autem omnes Chriſtianos*:) ſicut ipſe Deus teſtatur, dicens: quòd vbique gentium offerentur ei puræ gratæque victimæ: A nemine autem Deus victimas, niſi per Sacerdotes ſuos accipit. Vnde certò conſtat, quòd huius nominis ſacrificia, quæ Ieſus Chriſtus tradidit, hoc eſt Euchariſtiam panis & poculi vbicunq; terrarum apud Chriſtianos fiant, Deus accipiat, & grata ſibi eſſe teſtetur. *Et paulo pòſt:* Equidem, *inquit*, & preces, & gratiarum actiones, ſi per homines dignos fiunt, ſolas pro perfectis, & Deo gratis habeo. Hæc enim ſola ſacra Chriſtiani facienda acceperunt, vt alimento ſicco atque humido admonerentur eorum, quæ propter eos Deus Dei Filius perpeſſus eſſe narratur. *Eadem etiam ratione, in celebratione Cænæ communem fieri oblationem vel ſacrificium à Miniſtro & populo, apertiſſimè Chryſoſtomus docet, in 2. Corinth. 18. homil. vbi ſic ſcribit:* Quin & in precibus viderit quis populum multum ſimul offerre: Nam communes preces & à populo & à Sacerdote fiunt, & omnes vnam dicunt orationem. Bene precatur Sacerdos populo, & bene precatur populus Sacerdoti. Nam, Cum Spiritu tuo: quibus verbis populus reſpondet Sacerdoti, nihil, inquit, aliud eſt, quàm hoc; Ea quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnium: neque enim ille ſolus gratias agit, ſed populus omnis. *Et mox:* Non modò Sacerdos gratias agit Deo, ſed populus etiam totus. Quid autem miraris, quando Sacerdotem & populum in precibus colloquentem vides?

Ergo ratione Sacerdotij etiam populus Euchariſtiam offert & celebrat. Ratione autem miniſterij, cuius partes multæ ſunt, qua ad reliquos fideles non pertinent, ſoli Miniſtro Verbi Euchariſtiam celebrare licet. Vt enim Nouum Teſtamentum omnes fideles communi Sacerdotum nomine appellat, ita inter Miniſtros Eccleſiæ, & reliquos fideles diſtinguit: neq; vſſiam in Nouo Teſtamento Miniſtri Verbi, quatenus ſunt Miniſtri Verbi Sacerdotes appellantur. Nec tamen propter Miniſterium hoc externum, vllus vnquam Patrum docuit, Miniſtrum Verbi corpus & ſanguinem Chriſti realiter & verè offerre.

Deinde dicit, Patres diſertis verbis dixiſſe, ſacrificium, quod in Eccleſia offertur, eſſe corpus & ſanguinem Domini: ergo reale & verum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium intellexiſſe. *R. Falſa eſt conſequentia: nam de ſacrificio vel oblatione corporis & ſanguinis Domini in Cœna ſacramentali loquuti ſunt Patres: vnde etiam ſymbola Dominici corporis offerri ſæpe dixerunt.*

Sed inſtat Ieſuita: Auguſtinus altaris oblationem apertiſſimè vocat corpus Domini, quod in altari, vt verum & proprium ſacrificium offertur: epiſt. 59. *Reſpon. Auguſtinus eodem loco ſeipſù interpretatur, quid nimirum per oblationem, qua Deo fit in altari intelligat, videlicet* cùm id quod eſt in menſa benedicitur, ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur. *Reſpondet Bellarminus* ad diuerſas ſententias hæc apud Auguſtinum pertinere, ideoque malè cum ſuperioribus hæc poſteriora coniungi. *Inſpiciamus igitur ipſum locum Auguſtini integrum:* Precationes, *inquit*, accipimus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Orationes, cùm benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Eccleſia Dominica oratione concludit. Ad quem intellectum verbi Græci origo προσευχῆς nos deducit. Sic enim propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum. Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur votum illud maximum, quo nos vouimus in Chriſto eſſe manſuros. *Ex his intelligit Lector, Auguſtinò idem eſſe votum & orationem: eumq; de vna eademq; oblatione loquutum eſſe, tum quando dixit,* Oblationem Deo fieri, cùm id, quod eſt in menſa Domini benedicitur, ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur: & tum quando dixit, Vouentur omnia, quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio

Secundò, negat *Ieſuita* Patres Euchariſtiam nominaſſe ſacrificium, oblationem & immolationem, quia ſit commemoratio & repræſentatio veri ſacrificij, nimirum mortis Chriſti & dicit; vetiſſimum eſt quod Patres dicunt, Chriſtum ſemel tantùm immolatum fuiſſe, & illius immolationis memoriam & ſimilitudinem eſſe actionem ſacræ Cœnæ: nam loquuntur de immolatione in propria ſpecie, ſiue de cruenta immolatione, quæ ſemel tantùm verè & propriè facta eſt: nunc verò, non propriè, ſed per repræſentationem agitur. Sed hoc non impedit

quò

quò minùs Patres exiſtimârint in Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium. *Argumentum Ieſuitæ tale eſt: Patres dixerunt in Cœna fieri ſacrificium repræſentatiuum eius quod in cruce ſemel oblatum eſt: Ergo exiſtimarunt in Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium. Negatur conſequentia: non enim ſequitur, in Cœna repræſentatur ſacrificium Crucis, Ergo verum & proprium in ea ſit ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. Et eſt in hoc argumento elenchus* Amphibologiæ, *in nomine* Repræſentationis. *Nam Patres hac voce non intelligunt commentitiam illam & hiſtrionicam Pontificiorum repræſentationem, ſed myſticam & ſymbolicam, vt ipſi Patres ſe ſatis explicant, quum dicunt*, immolationem Chriſti in cruce repræſentari, cùm hoſtia frangitur, & ſanguis Domini de calice in ora fidelium funditur: *Hæc enim ſunt Auguſtini verba. Et rurſus de Trinitate idem inquit*: Quia Domini morte liberati ſumus, huius rei memoriam edendo, & potando quæ oblata ſunt, ſignificamus, vel repræſentamus. *Item*: Corpus Chriſti dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ſumimus, in memoriam Dominicæ paſſionis.

Ad Lombardi locum reſpondet Ieſuita, Lombardum non quærere, an quod Sacerdos gerit, ſit dicendum ſacrificium & immolatio? ſed, an quod gerit ſit dicenda Chriſti occiſio: nam per nomen ſacrificij & immolationis intelligere occiſionem. Ad hoc autem reſpondere eum, Chriſtum ſemel tantùm verè immolatum, id eſt, occiſum fuiſſe: nunc autem non propriè immolari, id eſt, occidi, ſed ſolùm in Sacramento & repræſentatione. *Sed hæc Ieſuita affingit verbis Lombardi: nam in reſponſione expreſè negat, non ſolùm veram & realem occiſionem, ſed etiam Chriſti ſubſtantialem oblationem, quamuis præſupponat externum ſacrificium. Dicit enim*, Illud vocari ſacrificium, quod offertur & conſecratur. *Igitur, Quicquid offertur & conſecratur, illud eſt ſacrificium. In Euchariſtia autem panis & vinum non conſecratum offertur: non enim conſecrata, ſed communia accipiunt ſanctificationem: Ergo in Euchariſtia panis & vini tantùm eſt ſacrificium, & per conſequens, non vinum aut animatum aliquod. Deinde Lombardus dicit*, Verum ſacrificium fuiſſe in cruce: *Ergo non eſt in Cœna verum reale, vt Pontificij volunt, ſed tantùm ſymbolicum & myſticum. Vtitur igitur in hoc Lombardi loco explicando Ieſuita, elencho* Compoſitionis, *quia duas Lombardi quæſtiones & reſponſiones pro vnica ponit. Non enim quærit*, An quod gerit Sacerdos, ſit dicenda Chriſti occiſio? *ſed primò quærit*, An quod gerit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificium, vel immolatio? *hoc eſt, an Chriſtus realiter in Cœna Deo offeratur in ſacrificium, vt Tridentinum Concilium & Ieſuita omnes docent. Ad hoc reſpondet*, Chriſtum non verè & propriè, ſed repræſentatiuè tantùm & commemoratiuè in Cœna offerri: quia, *vt Auguſtinus ſcribit*: Illius panis & calicis oblatio, eſt quædam mortis Dominicæ annuntiatio. *Secundò quærit*, An ſemel tantùm, an verò quotidie in terris Chriſtus offeratur? *Ad hoc reſpondet*, Semel in cruce, quotidie in Sacramento: quia ibi ſit recordatio illius, quod factum eſt ſemel: *Recordatio autem hæc eſt ſymbolica, non eſſentialis alicuius corporis ſub ſpecie panis latentis: Et propterea anathematizat Concilium Tridentinum Lombardum dicentem*, In Miſſa non offerri Deo proprium & verum ſacrificium.

Ad finem capitis 15. lib 1. de Miſſa, ſex rationibus probat Ieſuita, Patres ſenſiſſe ſacrificium Miſſæ, non ſolùm commemoratiuum, ſed etiam verum & proprium eſſe. *Reſp. Si verum & proprium ſacrificium Cœnam vocaret, ob præſentem panis & vini conſecrationem ad participationem ordinatam, non multùm repugnaremus: ſed per verum & proprium, intelligit reale & ſubſtantiale corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium.* Prima, *autem ratio hæc eſt: Auguſt. de fide ad Petrum c. 18. & contra Fauſtum l. 20. c. 18.* ſicut dicit actionem Cœnæ eſſe commemorationem ſacrificij Crucis iam peractì: *ita dicit*, ſacrificia Veteris Teſtamenti fuiſſe commemorationem ſacrificij Crucis poſtea futuri. Et tamen negari, *inquit Ieſuita*, non poteſt, quin ſacrificia illa vetera fuerint in ſe verè & propriè dicta ſacrificia, *Reſpondeo, Veterum ſacrificia fuiſſe quoad ſe verè & propriè ſacrificia: quoad verò ſacrificium Crucis, non niſi analogicè. Ita Cœna Dominica quoad ſe, & ſymbola externa, eſt ſacrificium Euchariſticum: quoad verò Crucem, eſt ſacrificium commemoratiuum, quia panis ſymbolum eſt corporis Chriſti: eiuſdemq; oblatio ad benedictionem, eſt ſymbolum vel ſignum immolationis corporis Chriſti in Cruce.* Secundò, *dicit*, Si Patres putaſſent, ſacrificium Euchariſtiæ non eſſe ſacrificium, niſi repræſentatiuum, nunquam dixiſſent in numero multitudinis, offerri Deo victimas & ſacrificia: ſed ſolùm in ſingulari Sacrificium. Vnum enim tantùm eſt quod repræſentatur, & ideo nomen eius non poteſt niſi in ſingulari efferri. *Argumentum tale eſt: Sacrificium repræſentatiuum Noui Teſtamenti non poteſt innumero plurali efferri, quia vnicum tantùm eſt quod repræſentatur, & ideo non poteſt niſi in ſingulari efferri: Patres autem de Euchariſtia ſacrificio loquentes, ſapiſſime plurali numero*

mero vſi ſunt. Ergo per Euchariſtiæ ſacrificium non intellexerunt tantùm ſacrificium repræſentatiuum. Reſpondeo ad Minorem: quia Chriſtus vnici ſui ſacrificij memoriam ſub duabus ſpeciebus panis & vini inſtituit, ideo Patres non ratione multiplicationis perſonæ Chriſti, eiuſq; ſacrificij, ſed duorum illorum elementorum ratione ſæpe plurali numero vſos eſſe. Et quid mirum videtur Ieſuita, quòd Patres ob hanc cauſam pluraliter de Euchariſtia loquti ſunt, quum ipſe Paulus de ſacrificio Crucis plurali numero vtatur? Nam Hebr. 9. dicit: Ipſa cœleſtia melioribus hoſtijs, quàm iſtis mundantur. *Deniq; non valet conſequentia: Patres pluraliter loquti ſunt de Euchariſtiæ ſacrificio, quòd in eo offerantur victimæ & ſacrificia: Ergo Euchariſtia eſt verum, reale & ſubſtantiale ſacrificium veri corporis & ſanguinis Chriſti.* Tertiò, *dicit*, Baptiſmus eſt Sacramentum repræſentatiuum mortis Chriſti, Rom. 6. & tamen nulli Veterum Baptiſmum ſacrificium Deo oblatum vnquam appellauerunt. Ergo ſola repræſentatio in cauſa non eſt, quòd actio Cœnæ Domini ſacrificium appellatur. *Reſpondeo. Concedit iam Ieſuita, repræſentationem cauſam eſſe, cur Veteres ſacrificium nominárint Cœnam, ſed non ſolam: quod libenter fatemur, vt in præcedentibus apparet.* Quartò, *dicit*: Si celebratio Euchariſtiæ non eſt oblatio vera Deo facta, ſed ſolùm repræſentatio quædam oblationis in Cruce peractæ: Ergo non poſſumus verè Deo dicere, Offero tibi munus: ſeu, Accipe Domine hoc ſacrificium. *Negatur conſequentia, nam ſymbola illa Euchariſtica, panis videlicet & vinum, non ſunt nuda & vacua, ſeu inania, vel vmbrarum ſigna, ſed ſigna exhibitiua rerum, quæ in vſu legitimo verè exhibentur: & propterea cum hac repræſentatione verè aliquid Deo offertur, exhibetur & porrigitur. Deinde omnium Patriarcharum & Prophetarum ſacrificia erant typica, figuratiua & repræſentatiua ſacrificij crucis: & tamen non erant inania & vacua ſacrificia: nam in ijs* odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, *Gen.* 8. *Ipſimet ſacrificuli eiuſmodi gratiam in offerendo petunt, quam veteres Patriarchæ obtinuerunt.* Offerimus, *aiunt in Canone*, præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris: & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, &c. *Quòd ſi Patrum illorum ſacrificia repræſentatiua, vſque adeò Maieſtati diuinæ accepta & grata erant, vt ſacrificuli his verbis fatentur: cur repræſentationem illam oblationis in Cruce, quæ ſit in Euchariſtia, vacuam & inanem vocat Ieſuita? Ambroſium in Pſal.* 118. *Serm.* 20. *ait:* Quotidie ſe ſanctus offert, quotidie apparet. Non eſt enim vacuus, qui de plenitudine eius accepit, Non erat vacuus Dauid, qui ait: Repletum eſt gaudio os noſtrum: quia gaudium eſt fructus Spiritus ſancti. Et ſicut de plenitudine Verbi nos omnes accepimus, quemadmodum dixit Ioannes, ita & Spiritus ſanctus de plenitudine ſua repleuit orbem terrarum. Non erat vacuus Zacharias, qui repletus eſt Spiritu ſancto & prophetauit aduentum Domini Ieſu. Non erat vacuus Paulus, qui euangelizabat in abundantia, & repletus erat, accipiens odorem bonæ ſuauitatis, & ab Epheſijs placentem Deo hoſtiam. Non erant Corinthij vacui, in quibus abundabat Dei gratia, iuxta eiuſdem Apoſtoli teſtimonium. *Et de Incarnationis Dominicæ ſacramento:* Nihil, *inquit*, inuenio, quod in ſpecie munerum reprehendam, niſi quod & Cain munera ſua diſplicuiſſe cognouit, & Dominus dixit; Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccaſti. Vbi igitur eſt crimen? vbi culpa? non in oblatione muneris, ſed in oblationis affectu. Si in oblationis affectu, honor & excellentia Eccleſiaſtici ſacrificij demonſtranda eſt. *Ergo ſacrificium verum & oblatio Deogratæ & accepta non in Tranſſubſtantiatione, ſed in vera fide & deuotione offerentis conſiſtit, alioquin non recte hæc dixiſſet Ambroſ.* Quintò *dicit*, Patres ad nomen ſacrificij ſæpe addunt epitheta. Cyprianus libro 2. epiſt. 3. vocat plenum ac verum ſacrificium. Chryſoſt. homil. 60. ad populum: & omnes Græci paſſim vocant ſacrificium terribile, & plenum horroris. Auguſt. libr. 20. de Ciuit. Dei cap. 20. vocat ſummum & veriſſimum ſacrificium. Lib. de Spiritu & litera cap. 11. appellat veriſſimum & ſingulare ſacrificium. Euſeb. lib. 1. Demon. Euang. cap. vlt. vocat ſacrificium Deo plenum. Ergo non repræſentatiuum, ſed reale & ſubſtantiale corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna ſacrificium agnouerunt. *Negatur conſequentia: his enim epithetis nihil tale docere voluerunt. Et eſt elenchus* Non cauſæ vt cauſæ. *Vocatur enim plenum & verum, ſummum & veriſſimum ſacrificium, reſpectu Veteris Teſtamenti ſacrificiorum, & ob repræſentationem vnam ſingularis ſacrificij Crucis. Vocatur horribile & tremendum; ob eius effectum & repræſentationem. Quicquid enim nobis aliquam maieſtatis iudiciorumque Dei recordationem affert, à Patribus horrendum & terri-*

terribile vocatur. Sic Cyrillus in Apologia habet: Lectio diuinarum & terribilium Scripturarum. *Chrysost. in* 1. *Corinth. homil.* 40. Baptismi verba *vocat* Verba arcana, ac metuenda, & horribiles Canones dogmatum de cœlo transmissorum *vocat. De manu etiam ac voce Diaconi sic dicit:* Manu illa tremenda & continua voce clamans alios vocat, alios arcet. *Hoc autem sacrificium, de quo agimus, cor nostrum contremiscere facit, eò quòd in eo mysterium illud, cuius erat priscis seculis & populis ignota ratio, est expositum: quòd nobis in memoriam renocat, peccati horrorem & Filij Dei mortem, vulnera & cruciatus pro peccatis nostris: quòd nobis in mentem renocat omnes mortis causas & circumstantias, Crucis dedecus, aeris obscurationem, terræmotum, petrarum fissionem, monumentorum resignationem & descensum ad inferos. Has ob causas Chrysostomus etiam dixit, prima Corinthiorum homilia decima septima.* Quamuis quis lapis esset, illa nocte audita, quomodo cum discipulis tristis fuerit, quomodo traditus, quomodo ligatus, quomodo abductus, quomodo iudicatus, quomodo denique omnia passus, cera mollior fiet, & terram, & omnem terræ cogitationem abijciet. *Est igitur ineptissimum sophisma*, Eucharistiæ sacrificium est horrendum, & nos cohorrescere facit: Ergo in eo Christus realiter Deo Patri offertur, *Vocatur etiam ab Eusebio*, Sacrificium Deo plenum, tum quòd nobis repræsentat Christum verum Deum, tum etiam, quòd dignè manducantes diuinæ naturæ participes facit: *Vnde & Gregorius Nyssenus explicans illud dictum*, Exivit sanguis & aqua, *dicit*, per divinum Baptisma tum per sancti sanguinis participationem & usum consecrari nos & Divinitatem induere credimus. Sextò *dicit*: Patres apertissimè dicunt, exhiberi Deo cultum latriæ illi soli debitum. At si non esset hoc sacrificium nisi repræsentatio & memoria sacrificij Crucis, non esset cultus latriæ. Non enim commemorare sacrificium alterius, sed verè & propriè sacrificare est cultus latriæ. *Respondeo*: elenchus est Divisionis: *Cultus enim latriæ à repræsentatione Crucis separari nõ potest. Veterum sacrificia quoq; cultus latriæ erant, & tamen repræsentabant sacrificium Crucis. Quid igitur prohibet, quo minùs Eucharistia sit simul cultus latriæ, & repræsentatio sacrificij Crucis?*

Secundò, probat veteres Patres loquutos esse de vero ac reali veri corporis & sanguinis Christi in Cœna sacrificio, EX RITV ALTARIVM. *Et sic argumentum eius formari potest. Si veteres Patres ad Eucharistiam celebrandam semper Altaria habuerunt, etiam peculiare habuerunt sacrificium, quod in eo oblatum fuit, & Eucharistia in iis celebrata ex Patrum sententia sacrificium fuit verè ac propriè dictum: Sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Connexum maioris probat lib.* 1. *de Missa ca.* 2. *&* dicit, Altare & Sacrificium esse relatiua. *Et ca.* 16. *eiusdem libri dicit*, altaria non consueuisse erigi nisi ad sacrificia propriè dicta. *Respondeo: Puerile est æstimare sacrificium ex ritu solum Altarium, ac si non posset etiam ex Mensæ appellatione iudicari vel æstimari sacrificium.*

Assumptionem probat ex Dionysij Ecclesiast. hierarch. ca. 3. *ex Tertulliano lib. de Pœnitentia: Cypriano lib.* 1. *epist.* 9. *Eusebio lib.* 1. *Demonst. Evang. cap.* 6. *Optato libr.* 6. *contra Parmenianum: Ambrosio lib.* 5. *epist.* 33. *Nazianzeno Orat. in Gorgoniam: Nysseno lib. de Baptismo: Chrysostomo Homil.* 52. *ad populum: Homil.* 20. *in* 2. *Corinth. Hieronymo contra Vigilantium: Augustino lib.* 8. *de Civit. Dei cap. ult. & lib.* 22. *c.* 8. *&c.* ubi Altarium mentio fit. *Respondeo, suprà demonstravimus, ante Constantinum M. primas illas & antiquissimas Ecclesias, nulla prorsus Altaria habuisse, sed Mensis usas esse in Cœnæ Dominicæ celebratione trecentorum annorum à nato Christo spatio. Post ea verò tempora κακοζηλίαι Iudaica & Ethnica in quibusdam Ecclesijs erecta sunt, & demum sub Carolo M. mysterium iniquitatis operante, & crescentibus superstitionibus recepta ab omnibus. Licèt autem Dionysius, Tertullianus, Cyprianus & alij mentionem Altarium faciant, non tamen sequitur, eos de veris, hoc est, lapideis seu fixis Altaribus, ad sacrificandum & immolandum exructis loqui eos, nam Mensas sic vocant, idque propter eam, quæ illis cum veteris legis Altaribus intercesit similitudinem. Deinde, ut sacrificium, oblationem, immolationem, victimam & hostiam vocant Veteres, quum de Cœna Domini loquuntur: sic etiam Altare vocant. Quomodo autem sacrificium & oblationem in doctrina de Cœna Domini vocent, hactenus explicavimus, atq; hoc inprimis ostendimus, quòd nunquam de externo & reali sacrificio corporis & sanguinis Christi, ex Pontificiorum sententia, intellexerint. Sequitur Ergo, Altare similiter intellexisse, non respectu alicuius realis aut externæ oblationis corporis & sanguinis Christi, quæ in actione Cœnæ fiat, sed similiter ut sacrificium, de quo antea dictum est. Nam ut sacrificium & oblatio corporis & sanguinis Christi externa & realis in actione Cœnæ non est, qualem Pontificij commiscuntur; ita etiam altare hoc respectu nullum est aut dici potest. Quicunq; igitur Altaria in hunc finem erigunt, ij evertunt crucem Christi, in qua obtulit unicum & æternum sacrificiũ, sdq; non amplius offerri voluit, sed tãtum semel oblati nos participes fieri voluit. Mẽsam*

etiam nobis dedit, in qua manducemus corpus pro nobis in mortem traditum, & bibamus sanguinem pro nobis effusum in remissionem peccatorum: non altaria erigere insist, super quibus denuò sacrificemus.

Tertiò, *idem probare vult ex nomine* Sacerdotis. *Argumentum eius sic formari potest: Si Patres, aliquos in Ecclesia Christi peculiariter vocant Sacerdotes: sequitur eos peculiare sacrificium, quod ab ijs offerretur, agnouisse. Nam Sacerdotes propriè ordinantur ad sacrificium. Sed verum est prius, Ergo & posterius. Assumptionem probat ex Augustino lib. de Ciuit. Dei 20. cap. 10. Chrysostomo de Sacerdotio: Gaudentio tract. 2. de Exodo: Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos: Ambrosio in Psal. 38. Eusebio lib. 5. Demonstrat. Euangelicæ cap. 2. Cypriano in Epistolis: Tertulliano de præscript. & de velandis virginib. Dionysio: cap. 1. 3. & 5. Eccles. hierarchiæ. Respondeo: quum Patres, Ministros Ecclesiæ Noui Testamenti peculiariter vocant Sacerdotes, ad Vetus Testamentum illi quidem alludunt, & Veteris Testamenti consuetudinem hac in re imitantur: Propriè verò Sacerdotes in Nouo Testamento vocantur omnes fideles, qui Deo spirituales hostias offerunt. 1. Pet. 2. Apocal. 1. 5. & 20. cap. Nec de Ministris Euangelij speciatim hoc nomen in Nouo Testamento usurpatur: quod non solùm Veteres senserunt & obseruárunt, Augustinus de vita Christ. lib. 1. Cyrillus in Leuit. cap. 13. & in Ioannem lib. 6. cap. 30. Origenes super Leuit. homil. 9 c. 6. & super Iudicum homil. 6. Hieronymus in Malach. cap. 1. tom. 6. sed ipsemet quoque Bellarminus fatetur,* quòd in Nouo Testamento Ministri Ecclesiastici non dicantur Sacerdotes. *Addit tamen,* causam huius in promptu esse. Quia enim tempore Apostolorum adhuc vigebat Sacerdotium Iudaicum, & offerebantur sacrificia cruenta in Templo Hierosolymitano, Apostoli non utebantur nominibus sacerdotij, sacrificij, templi, altaris, & similium rerum, ut facilius distinguerent sua sacra à Iudaicis: &c. *Respondeo, hanc ipsam ob causam nos quoque ne hodie quidem his nominibus utendum censere, ut nostra sacrificia distinguantur à Mosaicis, & ne videamur, si ijsdem vtamur vocabulis, eosdem illos ritus reuocare in Ecclesiam Christi, & confirmare.*

Inst at: Apostolus ad Hebræos 5. c. Omnis, *inquit,* Pontifex constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia. *Et cap. 8.* Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Ergo quum in Nouo Testamento sint Sacerdotes, etiam ij aliquid Deo offerre debent, nec solùm populum docere & Sacramenta ministrare. *Negatur consequentia. Agit enim Apostolus hoc loco de Pontificibus Veteris Testamenti, quos cum Christo sic comparat, ut non similitudinem solam inter eos esse doceat, sed potius, ut Christum Pontificibus Veteris Testamenti longè anteponat. Errant igitur, quicunq; particulam uniuersalem,* Omnis Pontifex *generaliter accipiunt de quibuslibet Sacerdotibus, siue Veteris, siue Noui Testamenti: quum particula mox addita,* Sicut & Aaron, *apertè ostendat, loqui sibi Paulum de Veteris Testamenti Pontificibus, & propterea uniuersalem restringendam esse ad legales Pontifices: Quibus omnibus Christum opponit, ut ex his verbis intelligitur, quæ paulò post sequuntur,* Ita & Christus. *Hoc igitur ex Apostoli dictis sequitur.* Oportere in Nouo Testamento esse Pontificem, qui offerat sacrificia pro peccatis. *Atq; hoc argumentum recte concedi potest de Christo, de quo solo loquitur Epistola ad Hebræos, non de innumerabili illa sacrificulorum turba, quæ est apud Pontificios.*

Sed ulteriùs urget hanc instantiam Bellarminus: Probat his verbis, *inquit,* Apostolus, Christum non esse Sacerdotem, si nihil habeat quod offerat. Ergo doctissimi Patres nomen Sacerdotis non tribuerunt ijs, qui solùm docent & Sacramenta administrant, sed ijs præcipuè qui aliquid offerunt Deo. *Respondeo, alia ratio fuit Sacerdotum Veteris Testamenti & Sacerdotis Christi, quàm Sacerdotum Noui Testamenti: proinde, ab ijstis non valet consequentia ad hos. Nec Patres eo respectu Ministros Noui Testamenti Sacerdotes appellarunt, quo in Veteri Testamento nominati sunt, sed longè alio, ut paulò antè indicauimus.*

Quarto, *probat,* Patres sacrificium verum & reale in Eucharistia agnouisse, ex ijs pro quibus sacrificium Veteres offerebant. *Si, inquit,* Eucharistia nihil esset aliud nisi Sacramentum, certè non prodesset nisi sumenti & manducanti. Prodest autem etiam non sumentibus, idque non tantùm præsentibus, sed etiam absentibus: quia offertur pro peccatis viuorum & mortuorum: pro pace & incolumitate: pro omnibus deniq; necessitatibus, tum spiritualibus, tum corporalibus. *Argumentum tale est: Si Eucharistia non tantum sumenti & manducanti, sed etiam non sumentibus, non solùm præsentibus sed absentibus quoq; prodest, erit non tantùm Sacramentum sed etiam sacrificium reale & propriè dictum. Sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Assumptionem probat ex Patribus:* Ioannes, *inquit,* Chrysostomus Homil. 19. ad populum Antiochenum dicit: Altari assistens Sacerdos, pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam, iubetur Deo offerre. *Et Homil. 72. in Matthæum,* addit offerri etiam pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus. *Homilia*

21. *in Acta, & lib. 6. de Sacerdotio, & alibi addit*, etiam pro mortuis. *Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. scribit*, à suis Presbyteris oblatum sacrificium Eucharistiæ pro domo liberanda à Dæmonum vexatione, *& lib. 9. Confes. cap. 12. scribit*, sacrificium pro matre sua defuncta oblatum: *Et ne putemus meram esse ceremoniam pro defunctis offerre, ipse idem in Enchiridio, c. 110. scribit*, hostiam hanc pro non valde malis propitiationem esse. *Resp. Consequentia Majoris falsa est. Sacrificarunt Aaron & Iob pro aliis, ut & David pro avertenda peste, non tamen erant illa sacrificia realia, sed symbolica. Deinde ad assumptionem respondeo, non esse Patrum consuetudinem observandam, sed institutionem Christi. Non enim sequitur*, Patres hoc fecerunt, Ergo & nos facere debemus. Hoc olim in usu fuit, Ergo hodie quoque in usu sit. *Nam Deus apud Ieremiam inquit*, In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare. *Et Cyprianus*, Non videndũ est, *ait*, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo Verbo nobis præscripserit & prænonstrârit. Neque enim hominum consuetudinem sequi oporter, sed Dei veritatem, &c. *Et Chrysostomus dicit*: Quod sit præter Dei voluntatem, ac secus quàm ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum. *Christus autem nihil tale fecit & discipulos docuit, sed* dedit eis panem & vinum, jussitque eos edere & bibere in sui commemorationem. *Paulus quoq; 1. Cor. 11. iubet ex institutione & mandato Christi*, Panem edere & vinum bibere, *non pro amuletis aut averruncamentis uti. Deinde, illa testimonia Patrum commoda interpretatione admissa, non id probant quod Iesuita vult. Quod enim Chrysostomus dicit*, de oblatione Sacerdotum pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam, pro infirmis & sanis, pro fructibus terræ, &c. *id non de sacrificio reali corporis & sanguinis Christi, sed de oratione & precibus intelligendum puto, quibus petierunt à Deo, ut sicut symbolis pani & vino in Eucharistia concedat spiritualem gratiam, ita largiatur etiam multò magis toti Ecclesiæ gratiam & benedictionem suam: vel, sicut per consecrationem Ecclesiæ, Christi merita exhibeat & fideles eorum participes reddat, ita etiam alia minora beneficia, tam ad animam, quàm corpus pertinentia, sua Ecclesiæ per totum orbem dispersæ concedat. Colligo hoc ex Paulo, qui præcepit* Orare, *non* offerre pro omnibus. *Deinde ex Tertulliano, qui, Sacrificamus, ait* pro salute Imperatoris, PVRA PRECE. *En, Tertulliani tempore sacrificârunt pro Imperatorib.* pura prece, *non* reali sacrificio corporis & sanguinis Christi. *Præterea ex Cyrillo Hierosolymit. qui in Catechesi 5. dicit*: Postquam consummatum est illud spirituale sacrificium; & ille cultus in eruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægroris & afflictis. In summa pro omnibus qui egent auxilio. *Augustinus quidem dicit*: in ædibus Hesperii oblatum fuisse sacrificium corporis Christi, *non autem dicit, illud fuisse* reale: *nec oblationi & sacrificio, sed orationi vim omnem tribuit. Verba ejus hæc sunt suprà citato loco*: Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Zebudi appellatum, ubi cùm afflictione animalium & servorum suorum, domum suam, spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deoque protinus miserante, cessavit. *Fides ut & Hesperius & Augustinus cessationem maligni spiritus, non sacrificio corporis Christi, quod Hesperium ne petiisse quidem legimus, sed orationi soli ascribant: idque ex Christi admonitione, qui dicit*, Hoc genus Dæmoniorum non egreditur, nisi per orationem & jejunium. *Quòd autem Presbyter sacrificium Christi adhibuit, id non propterea fecit, quòd vim aliquam ei tribueret, sed confirmationis gratia. De sacrificio pro mortuis supra fol. 129. & seq. satis diximus.*

Quemadmodum autem hæc facta sunt, imitatione magis Veteris Testamenti, quàm ex Christi institutione & ordinatione: Iob enim sacrificâsse legitur pro delictis filiorum & amicorum: Aaron pro mitigatione iræ Dei: David pro averruncanda peste, 2. Reg. ultimo: pro vita Darii, & filiorum ejus, 1. Esd. 6. pro salute Heliodori, 2. Machab. 3. Sic etiam, si quæ maximè oblationes essent factæ in veteri Ecclesia pro Rege, Episcopis, &c. illæ tamen imitatione Veteris Testamenti non fuerunt reales & verè oblationes corporis & sanguinis Christi, sed tantùm symbolicæ & mysticæ.

QVINTO, idem probat ex Liturgiis Veterum, *& sic formari potest argumentum. Si Veterum Liturgiæ plenæ sunt nominum oblationis, sacrificii, victimæ, signorum, benedictionum, elevationum, aliorumq; ejusmodi rituum, non dubitandum quin Patres in Eucharistia verissimum agnoverint sacrificium. Sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Assumptionem probat* ex Liturgiis Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi: ex lib. 5. & 6. de Sacram. Ambrosii, &c. *Negatur consequentia majoris. Nam etiam*

etiam in Veteri Testamento fuerunt oblationes, sacrificia, victimæ: fuerunt elevationes armi ad quatuor plagas: nec carebant illæ oblationes precibus & sacrificiis, non tamen hæc sacrificia fuerunt realia, sed typica, mystica, & figurativa.

NONVM *argumentum, quod Missa sit Sacrificium*, ex conjunctione Legis & sacrificii sumit. Tanta, *inquit*, coniunctio est inter Legem seu religionem, ut omnino necesse sit, aut legem & religionem verè & propriè in Ecclesia Christi non reperiri, aut sacrificium quoque externum & propriè dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum autem est, si Missam tollas. Est igitur sacrificium externum & propriè dictum. *Respondeo: In hujus argumenti conclusione plus est quàm in præmissis. Sic igitur resolvendum: Omnis religio cum sacrificio externo conjuncta est: quia sine cultu Dei esse nequit. Christianismus est religio. Ergo Christianismus cum sacrificio conjunctus est. Concedimus totum argumentum Christiana enim religio habet adjunctum Sacrificium, verùm non reale corporis & sanguinis Christi, ut somniant Pontificii: sed typicum & repræsentativum.*

DECIMVM *sumit* ex comparatione Legis Christianæ ad Mosaicam. *Fitur autem tali argumento*: In populo Judaïco fuerunt sacrificia propriè dicta: Ergo & in populo Christiano esse debent. *Probat autem Iesuita consequentiam suam quinque rationibus. Prima hæc est*: Christus non omnino sustulit ea, quæ Deus in veteri lege instituit: Ergo etiam sacrificia non omnino tollere debuit. *Concedimus & hoc Iesuitæ. Transsubstantiatio autem, vel Missaticum sacrificium hinc non probatur, sed potius evertitur. Nam in veteri lege nulla fuit Transsubstantiatio: ergo etiam in nova esse non debet. Secunda est*: Sacrificiũ est summus cultus qui Deo tribui potest. *Repete consequentiam*: Ergo in populo Christiano debent esse sacrificia. *Damus & hoc Iesuita. Sed inquit*: Res verbis præstant: & inter res sacræ profanis: & inter sacras, publicæ privatis: & inter publicas eæ, quarum ipsa substantia in Dei honorem consumitur, quàm eæ quarum solus est usus. Tale autem est sacrificium propriè dictum. Quare si hoc cultus fuisset in veteri Lege, & non in nova, fuisset Deus in veteri lege longè maiori honore affectus, quàm in nova: & proinde Christus non gloria Patris sui, ut dicebat, sed ignominiam procurasset. *Respondeo, Cùm Christus in Eucharistia panis & vini benedictionem in sui memoriam, & simul gratiarum actionem instituerit, hujus sacrificii ritu utique gloriam Patris sui procuravit, longè præstantius, quàm in sacrificio Missatico fiat, in quo essentia corporis Christi, ipso Iesuita teste, consumitur & destruitur: & proinde in nova Lege majori ignominia afficitur, quàm in veteri. Tertiam rationem consequentiæ sumit ex causis, quæ populum Judaicum ad externa sacrificia impellebant, & omnes inveniuntur etiam in populo Christiano.* Habuerunt, *inquit*, illi sacrificia externa, & visibilia, quia & ipsi populus erant externus, & visibilis, nempe non ex solo spiritu, sed carne, & spiritu constans; At populus etiam Christianus externus, & visibilis est, & carne ac spiritu constat. Habuerunt illi sacrificia, ut Christi mortem, quæ est unicum pretium, & unica salus nostra, sæpe repræsentarent, & commemorarent, cùm eam præsentem intueri non possent. At nos etiam Christi mortem præsentem intueri nequimus; Ergo egemus sacrificio, quo sacrificium illud crucis iugiter commemoremus. Habuerunt illi sacrificia, quibus Deum colerent honore summo, & soli illi debito. At nos etiam debemus Deum colere honore summo, & soli illi debito. Habuerunt denique illi sacrificia, ut Deum placarent vel ab eo beneficia impetrarent, vel pro impetratis gratias agerent. At iisdem de causis & nos sacrificiis indigemus? imo quò nos plura à Deo beneficia accepimus, eò magis ad sacrificandum obligamur. *Respondetur ex Irenæo: Cùm offerimus Deo ex creaturis ejus panem & vinum, gratias agentes donationi ejus, & sanctificantes creaturam, gratitudinem ibi nostram declaramus re & verbis: & proinde causas quæ Veteres ad sacrificandum movebant, nos quoque habemus. Quid verò hoc ad sacrificiũ Missaticum? Quarta ratio consequentiæ hæc est*: Recipiã Christiani retinent omnia alia genera honoris, & cultus, quibus Hebræi Deum colebant, nimirum adorationem, invocationem, votorum nuncupationem, hymnos, psalmos, cantica, dies festos, jejunia, eleemosynas, & similia. Quis igitur sibi persuadere possit solum illud genus honoris, quod est proprium Dei, nobis à Christo prohibitum esse, cùm omnia alia sint ab eo permissa? præsertim cùm Christus nihil ardentius procuraverit, quàm Dei gloriam & honorem? *Respondemus rursus ex Irenæo, non genus sacrificiorum mutatum à Christo, Aaronica nimirum in Melchisedechica. Proinde hæc ratio sacrificium Missaticum potius evertit, quàm stabilit. Nam Iudæi nullum sacrificium reale carnis Christi sub specie panis latentis habuerunt: Ergo nec nos habeamus. Ultima consequentiæ ratio hæc est*: Sacrificia non sunt primùm in Lege Mosis instituta, sed ex lege naturę orta, ut patet ex sacrificiis Abel, Noe, Melchisedech, Iob & aliorum. Ergo etiãsi Christus omnia instituta legis Mosaicæ abrogare voluisset,

non tamen sacrificia omnino negare debuisset. *Negatur consequentia : nam etiam Circumcisio ante legem Mosis institutа fuit: non autem sequitur, eam idcirco à Christo non abrogari debuisse. Sed ut in locum Circumcisionis instituit Christus Baptismum, sic pro sacrificiis veterum instituit Ecclesia suæ Eucharistiam : hoc est, ceremoniam, non substantiam sacrificiorum abrogavit, & externa sacrificia non mutavit in reale corporis & sanguinis sui, sed tantùm in mysticum & commemorativum sacrificium.*

VNDECIMVM *argumentum, quo probare vult Iesuita, Missam esse sacrificium, sumit ex differentia Sacramenti & Sacrificii.* Primò, ait, commune est omnibus Sacramentis, ut ab alio dentur, & ab alio accipiantur; neque ullus sibi ipse Sacramentum administret. Eodem igitur modo si Eucharistia solummodò Sacramentum esset, nemo sibi eam ministrare posset: cujus tamen contrarium semper fuit in usu, quod attinet ad eos qui Sacramentum confecerant. *Respondeo: Eucharistiam simul Sacrificium & Sacramentum esse nos non negare: sed diverso respectu. Sacramentum est, quatenus est testimonium, quo erigitur & confirmatur fides: ut verè statuamus nos fieri participes Christi, effici membra corporis ejus, & ablui sanguine ejus : Sacrificium est, quatenus hæc fides intuetur sacrificium unicum Christi, & utitur ad huius commemorationem & gratiarum actionem ceremonia externa. Negamus verò Cœnam tale sacrificium esse ut Pontificii somniant, in quo verissimum Christi corpus & sanguis realiter offerantur Deo Patri, & ex opere operato applicentur aliis, ut mereantur remissionem peccatorum. Tale autem sacrificium esse Cœnam, Argumentum hoc Iesuitæ non probat: sed tantùm, Eucharistiam non solummodo Sacramentum, sed etiam Sacrificium esse quod nos libenter concedimus. Quod ipsum etiam argumentum attinet, est elenchus* non causæ ut causæ. *Non enim suispius communio causa vera est, ut Cœna sit sacrificium. Nam de Abrahamo scribitur Gen. 17.* quòd circumciderit carnem præputii sui: *at quis dicit Circumcisionem propterea fuisse Sacrificium? Manna etiam ab omnibus colligebatur, non autem ideo sacrificium fuit.*

Eucharistia Sacrificium & Sacramentum diverso respectu.

Hoc ipsum responderi potest ad duo reliqua argumenta. Nam secundò dicit: Sacramenta omnia in actione consistunt, non in re aliqua permanente, ut patet de Baptismo. Non enim aqua consecrata, sed ablutio est Sacramentum Baptismi. Sola Eucharistia non in actione, sed in re permanente consistit: cujus differentiæ vix alia ratio reddi potest, nisi quia Eucharistia non solùm Sacramentum, sed etiam Sacrificium esse debuit. *Concedimus enim sacrificium esse Cœnam, non autem tale ut Pontificii fingunt, idque etiam non probat hoc argumentum. Deinde idem elenchus hic committitur qui in priori argumento. Nam Petra, non erat solum actio transiens, sed etiam res permanens: erat enim Christus : non tamen ideo fuit sacrificium. Tertiò dicit,* causa, cur debuerit necessariò Eucharistia reipsa corpus Christi continere, nulla alia est, nisi ut posset verè & propriè Deo Patri à nobis offerri: ergo est sacrificium verè & propriè dictum. *Negatur quod in antecedente dicitur, corpus Christi realiter in Eucharistia contineri. Et est* Petitio principii, *id enim pro vero & confesso sumit, de quo est controversia.*

DVODECIMVM *& ultimum argumentum pro sacrificio Missæ quod Iesuita putat esse efficacissimũ,* petit ex cõsensu totius Christianæ Ecclesiæ. *Et ita argumentatur:* Missa, ut nunc est, Sacrificium est, vel ipsorum adversariorum testimonio. Missa autem, ut nunc est, tempore Gregorii M. absoluta est, & constat à tempore Papæ huius nihil ad Canonem Missæ additum esse. Gregorius autẽ hic ante annos circiter mille floruit. Ergo Missa pro Sacrificio haberi cœpit in Ecclesia, ab annis ut minimum mille. *Respondeo: Canonem Missæ absolutum quidem esse tempore Gregorii M. sensum autem ejus verum & genuinum, in quo ab initio compositus est, progressu temporis prorsus mutatum & depravatum esse, & sacrificio Missatico nullo modo convenire, sed ei post excogitatum demum Transsubstantiationis figmentum applicari cœpisse. Supra l. 3. c. 8. & l. 4. c. 10. solidè probavimus: & proinde falsum est, Missam pro tali sacrificio ab annis mille haberi cœpisse, ut hodie à Pontificiis habetur. Deinde, si maximè hoc verum esset, ab annis mille sic Ecclesiam de sacrificio Missæ sensisse, ut hodie Papistæ sentiunt, quod tamen falsissimum esse in præcedentibus libris demonstratum est, hic tamen consensus veritati nihil officeret. Nam Cyprianus inquit, ut paulò antè quod, indicavimus, li. 3. epist. 3.* Si solus Christus audiendus est, nõ debemus attendere quid aliqui ante nos faciendum putaverint, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominum consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Quòd si nec minima de mãdatis dominicis licet solvere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere? aut in aliud, quàm quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? *Et Augustin. lib. Quæstionum Veteris & Novi Test. q. 114. & 115. multis docet,* Antiquitatem præjudicare veritati nec posse nec debere: *quod ipsum etiam testantur Pontificii juris decreta. dist. 8. Adhæc alligavit Deus Ecclesiam suam*

non

non Consensui Maiorum: aut consuetudini hominum, sed Verbo suo sine cujus præscripto nihil in rebus sacris vel institui, vel suscipi ab hominibus voluit. Solam igitur Verbum Dei sequendum est, nec ab eo discedendum vel ad dextram, vel ad sinistram. Levit. 18. Dent. 4. Deniq; ex Bellarmino quæro, quis fuerit Consensus, & quæ sententia Patrum primitivæ Ecclesiæ ante & diu post Gregorium M? Eadem nimirum quæ nostra est, ut in præcedentibus libris satis probatum arbitror. Quòd si igitur consensus verorum ac orthodoxorum Patrum, diuturnitas temporis, & vetustas consuetudinis in dirimendo de Missa certamine aliquid valere debent, omnium judicio nos victmus, nostra enim Cœna mille annis Missa Pontificia antiquior est.

Nota conclusionē.

CAPVT XIV.

Missam non esse Sacrificium propitiatorium.

EXplicata primaria quæstione, An sit Missa Sacrificium, in quo Christi corpus & sanguis realiter Deo Patri sistantur & offerantur, *ut Pontificii somniant, sequitur nunc altera*, Quale sacrificium Missa sit, Eucharisticumne tantùm, an etiam propitiatorium, & impetratorium? *Ac primò, nos negamus Sacrificium esse Propitiatorium, ad expianda & delenda peccata, his rationibus.*

Argumentum primum quòd Missa nō sit Sacrificium propitiatorium.

Sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum. In Missa autem nulla fit sanguinis effusio. Ergo in Missa non fit remissio peccatorum, & per consequens, Missa non est Propitiatorium sacrificium. Major propositio sunt verba Apostoli. Hebr. 9. c. Minorem negare non possunt Pontificii, docent enim Missam incruentum esse sacrificium. Cùm ergo nullus in Missa sanguis effundatur, nullam esse aut fieri in Missa peccatorum remissionem invicta consequutionis necessitate concluditur.

II. *Si Christus omnia absoluit, quæ ad offerendum pro peccatis nostris sacrificium pertinebāt, & unico ejus sacrificio in Cruce oblato, peccata deleta sunt: & nobis Deus reconciliatus est: nullis aliis sacrificiis propitiatoriis pro peccatis locus relinquitur. Sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Connexi hypothetici consequentia manifesta est: Nam si Christus in Cruce semetipsum in sacrificium obtulit, ut nos in perpetuum sanctificaret, & æternam redemptionem nobis acquireret, ut multis docet Paulus in epist. ad Hebr. vis utiq; & efficacia eius in perpetuum durat. Alioqui nihilo honorificentius de Christo sentiremus, quàm de bobus & vitulis, qui sub lege immolabantur. quorum oblationes ideo ineffica-*

ces habebantur, quòd sæpius iterabantur. Quare aut Christi sacrificio, quod in Cruce implevit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit: aut unico illo sacrificio semel Christum pro peccatis in omnia secula defunctum esse.

Assumptionem hū manifestissimis Scripturæ locis probo: Christus jam in Cruce moriturus dixit: Consummatum est, *Ioan. 19. Quibus verbis testatus est, se unico illo Crucis sacrificio perfecisse & impleviſſe, quicquid ad salutem nostram pertinuerit. Hebr. 5. Apostolus dicit:* Consummatus factus est author salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant. *Ca. 9.* Semel in consummatione seculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem suiipsius patefactus est. *Ibid.* Christus semel mortuus est, ut multorum peccata tolleret. *Cap. 10.* Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel. Omnis igitur Saeerdos adstat quotidie operans & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic verò una pro peccatis oblata victima, in perpetuum sedet ad dextram Dei. Vnica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur. *Quibus omnibus insignem hanc sententiam subnectit:* Acquisita semel peccatorum remissione, nullam ampliùs restare oblationem. *Coloss. 2.* Delens quod adversùs nos erat chirographum ipsum è medio sustulit affixum cruci. *1. Pet. 3.* Christus pro peccatis semel passus fuit. *1. Ioan. 4.* Deus misit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris. *Respondet Iesuita*, illud dictum Christi, Consummatum est, non significare, ut somniemus, unica oblatione Crucis consummata & completa esse omnia, quæ in salutem nostram erant: sed significare, ut Chrysostomus & Augustinus, aliique exponant, consummatas fuisse pœnas & afflictiones, quas in carne passurus erat, vel, quod idem sit, consummata fuisse Prophetarum oracula, quæ passionem ejus prædixerant. *Hoc verò non contra nos facit. Nam si in sacrificio Crucis consummatæ sunt passiones & afflictiones à Prophetis prædictæ, consummata quoque eodem sacrificio, iisdemque afflictionibus omnia ad salutem nostram pertinentia; Sed verum est antecedens Bellarmini testimonio: Ergo & consequens. Consequentia hypothetici connexi manifesta est: Nam non solùm Prophetæ passionem Christi prædixerunt, sed etiam meritum ejus, hoc est, deletionem peccati, & per consequens consummationem nostræ salutis: & probatur ex 53. c. Isaiæ, ubi Propheta dicit,* Ipse vulneratus est propter transgressiones nostras, & contritus est propter iniquitates nostras. *Et quamvis Propheta his manifestissimè doceat, Christum non solùm affli-*

Notata Sacrificii Missatici.

gendum propter peccata nostra, sed etiam nos redemptorum suis afflictionibus à morte æterna, subiicit tamen aliam sententiam, qua hoc ipsum significantius illustrare conatur. Castigatio, inquit, pacis nostræ super eum. *A nobis mulcta vel pœna exigebatur propter peccata nostra: illam verò Christus in se recepit, ut ea persoluta, nobis pacem coram Deo conciliaret, adeoq; passione sua Deum nobis reconciliaret pretio redemptionis nostræ persoluto. Quum igitur passiones Christi à Prophetis prædictæ sint consummatæ in Cruce, consummata quoque iisdem est redemptio nostra, per mortem & passionem Christi ab iisdem Prophetis promissa.*

Ad loca citata Apostoli, & similia ex epist. ad Hebr. respondet Iesuita, illa de cruenta oblatione intelligenda esse, non de incruenta, quæ fit in Missa. Et vult hunc esse sensum Pauli: per unam Christi mortem sanctificati sumus, imò etiam consummati sumus, adepti videlicet non solùm remissionem peccatorum, sed etiam ornamenta iustitiæ, & ipsam beatitudinem: & hoc in sempiternum, id est, pro omni ætate & generatione, ut iam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat, vel ut idem Christus pro nobis, aut aliis sæpius moriatur. *Ex hac verò interpretatione sic argumentor. Si per unam Christi mortem sanctificati sumus, imò etiam consummati, adepti videlicet non solùm remissionem peccatorum, sed etiam ornamenta iustitiæ, & ipsam beatitudinem, idque in sempiternum: non opus habemus alia propitiatoria oblatione. Sed verum est prius: ergo & posterius.* Item: *Si non opus habemus ut Christus pro nobis, aut aliis amplius moriatur pro peccatis nostris, quia abundè pro iis satisfecit, ut Iesuita dicit: ergo Missæ sacrificium est reiiciendum, in quo dicunt, Christum verè & realiter Deo Patri offerri, imò in hoc sacrificio destrui, & per consequens mori.*

De cruenta & incruenta Christi sacrificio.

Quòd autem ad distinctionem illam attinet Iesuitæ & ejus sodalium, de oblatione & morte Christi cruenta facta in Cruce, & incruenta, quæ fit: in Missa: Respondeo, illam in Verbo Dei non posse demonstrari, sed à Pontificiis ad Missaticum sacrificium defendendum excogitatam & confictam esse. Nam quum nec vocabulum SEMEL, *quo utitur Paulus, nec virtus & efficacia sacrificii in cruce oblati, quæ, juxta eundem, æterna & perfecta est redemptio, patiantur Christum denuò offerri, omnis utiq. ab Apostolo, sive cruenta sive incruenta oblatio prorsus reiicitur. Vnde igitur hanc suam vanissimam distinctionem confirmabunt?* Per proprium, *inquit Paulus*, sanguinem Christus ingressus est SEMEL in sancta, æterna redemptione inventa. *Item:* Non ut sæpius offerat semetipsum: alioquin oportuisset illum sæpius passum fuisse. *Rursus:* Quatenus illud manet homines, ut semel moiantur, post hoc autem judicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, rursus absque peccato conspicetur. *Hebr. 9. cap. Mentionem quidem aliquot Patres incruenti sacrificii faciunt. Athanasius Cænam* vocat exanguem immolationem: *Cyrillus* incruentum sacrificium: *& Gregorius Nazianzenus exclamat*, ô sacrificia mittentes incruenta Sacerdotes. *Sic autem loquuntur Patres, ut distinguant, non inter sacrificium Crucis & Cænæ Dominicæ, ut falsò illis affingunt Pontificii: sed inter sacrificia & cultum Veteris & Novi Testamenti. Nam in Veteri Testamento Sacerdotes, boves, vitulos, arietes, capras & oves cum sanguinis effusione Deo obtulerunt & sacrificarunt: atque ut Paulus testatur Hebr. 9. cap.* nulla tunc peccatorum remissio sine sanguinis effusione fiebat. *Eodem modo Ethnici quoque suis idolis & Diis omnis generis animalia sacrificarunt: & longius proveeti, humanis etiam hostiis usi sunt. Hujusmodi crassa, carnalia & cruenta sacrificia, volunt Patres docere, in Novo Testamento locum non habere, sed potius incruenta & planè spiritualia in spirituali Regno Christi, inter quæ Cœna Dominica præcipuas sibi partes vendicat. Deinde Christianorum hoc sacrificium* Incruentum *vocant, quòd illius unici sacrificii quod Christus cum sanguinis sui effusione obtulit, in hoc sacramento memoriam renovamus, & illud ipsum sacrificium offerimus, sed incruentum, quia non iam Christi sanguinem effundimus, sed mortis Christi sacramentum procuramus, & illud cruentum sacrificium gratis animis celebramus. Hanc Patrum fuisse sententiam ex illorum scriptis manifestissimè colligitur. Cyrilli verba in epist. synodali contra Nestorium hac sunt.* Annuntiantes enim eam, quæ secundùm carnem est, mortem unigeniti Filii Dei, hoc est, Jesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, inque cœlos assumptionem confitentes, incruentam in Ecclesiis perficimus λειτουργίαν, hoc est cultum: (*non sacrificium*): accedimusque ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, efficimurque participes sanctæ carnis & pretiosi sanguinis, nostri omnium Salvatoris Christi. *Quod in hac annunciatione, & memoria mortis, resurrectionis & ascensionis Christi, & ad mysticas benedictiones accessu, incruentum sacrificii cultum celebrari & perfici ait Cyrillus, hinc colligi non obscurè potest, per hunc incruentum sacrificii cultum non intelligere eum realem veri corporis sub pane, & sanguinis, velut effusi, sub vino existentiam, sed memoriam tantùm, & cultum precum, laudis, & gratiarum actionis, nec non mysticam rerum sub symbolis representationem. Vnde etiam in libro de Recta fide ad Reginas idem Pater*

Patres quid per incruentum sacrificium intelligãt.

Vide de hoc loco Dialogũ Occolãp. fol. 150.

Vide Oecolãp. Dialogũ fol. 151.

In-

Incruentum sacrificium, ἀναιμάκτους θυσίας καὶ δωροφορίας, *id est*, incruentas & sine sanguine hostias & glorificationes *vocat, quas etiam à spiritibus, in cœlo sanctè offerri, simulq; in nostro sacerdotio accepta haberi dicit. Et contra Iulianum lib.*10. Nos, *inquit*, relicto crasso ministerio ludæorum præceptum habemus, ut tenue, & spirituale, & subtile sacrificium faciamus. Itaque offerimus Deo in odorem suavitatis, virtutes omne genus, fidem, spem, charitatem. *Hoc quoque sensu Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi Myst.*5. *incruentum sacrificium vocat* πνευματικὴν θυσίαν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, *hoc est*, spiritualem hostiam & incruentum cultum. *Et Clemens Romanus lib.*6. *Apost. Constitut. ca.*23. *de incruento hoc Ecclesiæ Noui Testamenti sacrificio loquens, ait*: Christus veniens in mundum, sacrificium alio modo mutauit. Nam pro brutorum sacrificio cruento, rationale & mysticum & incruentum sacrificium instituit, quod in mortis Christi commemorationem per symbola corporis & sanguinis sui celebramus. *Alioquin si incruentum hoc sacrificium de ipsa reali rerum sub symbolis existentia intelligamus, quomodo ἀναίμακτον, seu incruentum & sine sanguine rectè dici poterit?*

Alij Patres adhuc clariùs explicant quid incruentum sit Noui Testamenti sacrificium. Iustinus Martyr in Dial. cum Tryphone, Isaias, *inquit*, non pollicetur cruentarum victimarum instaurationem, sed veras & spirituales oblationes laudis & gratiarum actionis. *Eusebius de Demonst. Euang. lib.*1. *cap.*6. Incendimus, *inquit*, Orationis suffitum: & sacrificium quod appellatur purum, non per cruores facimus, sed per puras actiones. *De Demonst. Euang. lib.*2. Incruentum sacrificium λογικὰς θυσίας, rationabiles hostias nominat, & easdem laudis sacrificium. *Chrysostomus Orat.*3. *contra Iudæos*, Offerimus, *inquit*, non per fumum, nidorem & sanguinem, sed per Spiritus gratiam. *Homil.*11. *ad Hebr.* Non, *ait*, iam sanguinem aut adipem offerimus: omnia hæc soluta sunt, & pro eis introductum est rationale obsequium. Quid est autem rationale obsequium? Quæ per animum, quæ secundùm spiritum offeruntur. *Et in Opere imperfecto*, Christus, *inquit*, suo aduentu auferens iuge sacrificium Iudæorum, voluit, ut in posterum Deo offeratur sacrificium laudis, in voce: sacrificium iustitiæ, in opere: sacrificium panis, in Eucharistia. *Omniam autem luculentissimè Theodoretus in cap.*8. *ad Hebræ.* Cur, *inquit*, Noui Testamenti Sacerdotes mysticam liturgiam seu sacrificium peragunt, cùm Christus, qui est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, offerens sacrificium, effecit, ut alia sacrificia non essent necessaria? Sed clarum est ijs qui in rebus diuinis sunt eruditi, nos non aliud offerre, sed unius illius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim præcepit nobis ipse Dominus, Hoc facite in meam recordationem: ut per figurarum contemplationem, earum quæ pro nobis susceptæ sunt perpessionum recordaremur, & in benefactorem beneuolentiam conseruemus, & futurorum beneficiorum perceptionem expectemus. *Ex his omnibus intelligimus Patres nostras preces, memoriam beneficiorum diuinorum, gratiarum actionem, & similia religionis nostræ exercitia Sacrificia incruenta vocare, quòd nullam vel carnalem procurationem, vel sanguinis effusionem flagitant, ut in Iudæorum & Ethnicorum sacrificijs, sed omni modo cælestia sunt, & spiritualia, atq; in ipsa duntaxat animi contemplatione consistunt.*

III. *Si in Nouo Testamento est remissio peccatorum, nulla ibi est amplius oblatio. Sed verum est prius: ergo & posterius. Connexi hypothetici consequentia sumpta est ex cap.*10. *Epistolæ ad Hebræos: ubi Apostolus manifestè dicit, Vbi peccatorum est remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Assumptionem Apostolus eodem cap. probat ex Ieremiæ cap.*33. *Et per consequens oblatione Christi unica, peccata omnia expiata sunt, nec illa oblatio unquam iteranda est.*

Potest ex ijsdem verbis Apostoli contra propitiatorium sacrificium Missæ tale quoq; argumentum formari.

Ibi non est peccatorum remissio, ubi est oblatio pro peccato.

In Missa, ex Pontificiorum sententia, est oblatio pro peccato.

*Ergo in Missa non est peccatorum remissio: & per consequens non est Missa propitiatorium sacrificium. Bellarminus vere lib.*1. *de Missa c.*25. Non admittimus, *inquit*, ex hoc Apostoli loco posse colligi, Missam non esse sacrificium propitiatorium, seu oblationem pro peccato. Nam duo requiruntur ad remissionem peccatorum. Vnum, ut inueniatur pretium liberationis, seu satisfactio iusta, & debita diuinæ iustitiæ. Alterum, ut pretium in particulari applicetur hominibus. Quòd attinet ad primum, Sacrificium Crucis, remisit omnia peccata, præterita, præsentia & futura; siquidem pretium acquisiuit sufficientissimum pro peccatis totius mundi, & ideo illo sacrificio peracto, & peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est, pro acquirendo precio ad remissionem peccatorum. Et hoc solum est quod Apostolus eo loco scribit. Quantum ad secundum, nondum facta est remissio peccatorum omnium: nam adhuc sunt,

& erunt usque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit pretium liberationis, & remittenda peccata. Et lib. 2. de Missa cap. 2. ex his Apostoli verbis tale format argumentum: Vbi nondum facta est remissio, adhuc relinquitur hostia pro peccato. At remissio perfecta nondum facta est, sed quotidie fit, & fiet usque ad mundi consummationem: Ergo manet adhuc, & manebit usque ad mundi consummationem hostia pro peccato, nimirum sacrificium Missæ.

Respondeo, primò: *Si Missa non est oblatio pro acquirendo pretio ad remissionem peccatorum, sed tantùm applicatio pretij liberationis, ut hic dicit Iesuita: Ergo Missæ & Crucis sacrificium non est idem subiectò & numero, quod tamen alibi affirmat cum suis socijs. Quòd si Missæ & Crucis sacrificium idem est subiectò & numero, hoc est, natura & substantia, & propterea Missa idem est quod sacrificium Crucis, cur dicit Iesuita*, Sacrificio Crucis peracto, non restare vllam similem oblationem pro peccato? *Nam quod illud*, non restat vlla similis oblatio pro peccato, *sic interpretatur, Id est*, pro acquirendo precio ad remissionem peccatorum: *nihil est. Si enim idem prorsus sunt subſtantia, certè similia erit in Missa oblatio pro peccato, ei quæ facta est in Cruce; & eadem erit virtus redemptoria in Crucis & Missæ sacrificio.*

Secundò, *Si Missa tantùm est applicatio sacrificij propitiatorij, Ergo non est ipsum sacrificium propitiatorium: nemo enim sanus rem cum applicatione rei confundit; & per consequens, in Missa non fit sacrificium propitiatorium pro peccatis.*

Tertiò, *Missa non est illud instrumentum, quo applicatur hominibus pretium liberationis, ut Pontificij dicunt: ac si repræsentatoria illa actione, seu potius histrionica repræsentatione illa Missatica, tanquam externo sacrificio, merita passionis & mortis Christi quibuscunq; velit applicare sacrificulus possit: & qui curet pro se celebrari Missam, hoc opere Sacerdotis impetret gratiam & remissionem peccatorum. Opus quidem est applicatione, ut nobis profit sacrificium Christi: verùm Scriptura sancta non docet hoc fieri per Missam, aut aliam similem nouam & iteratam oblationem pro peccatis, sed alia media ostendit ab ipso Filio Dei instituta esse, nempe ut in Verbo & Sacramentis exhibeatur, & vera fide excipiatur, quod antea in Cruce oblatum fuit. Sic enim Paulus docet 2. Cor. 5. c.* Deus, *inquit*, reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis. *Rursus*: Posuit in nobis sermonem reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur velut Deo exhortante per nos. Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo. Fecit enim ut qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur iustitia Dei in illo. *Cùm autem reconciliatio cum Deo sit effectum sacrificij Christi, duo ex his Apostoli verbis contra Iesuitam colligi possunt. Vnum: Pastores Ecclesiæ esse Ministros applicationis sacrificij Christi: hoc est, ministros, non faciendi, ut Iesuitæ volunt, sed applicandi illius sacrificij cuius virtute cum Deo reconciliamur. Alterum: ipsam applicationem fieri, non sacrificando Christum, ut isti somniant, sed docendo, monendo, hortando, ijs denique præfandis omnibus quæ ad Euangelicam prædicationem pertinent. Sic enim Paulus*: Deditq; *inquit*, nobis ministerium reconciliationis, nomine Christi legatione fungimur. *Et*, Oramus Christi nomine, Reconciliamini Deo: &c. *Renouat nos Apostolus ad unicum Christi sacrificium, quum ait*, Christum pro nobis factum esse peccatum, *id est, oblationem pro peccato: nec dicit*, Sacrificamus Christum pro vobis: *sed*, Oramus, monemus, hortamur, ut cum Deo reconciliemini: *nempe, ut summum hoc, per Euangelij prædicationem vobis oblatum beneficium, qua decet fide ac reuerentia recipiatis.*

Contra hanc verò postremam solutionem Bellarminus obijcit, non hæc sola esse media, quibus sacrificium Christi & meritum eius applicetur hominibus, sed restare alia quoque ex quibus etiam sit Missæ sacrificium. *Respondeo, Iesuitam hoc quidem de Missa dicere, sed non probare: est q. hac obiectio nil nisi mera* principij petitio.

His argvmentis & Rationibus *accedit etiam Consensus Patrum, qui docuerunt, Oblationem illam fidelis populi, qua fiebat in veteri Ecclesia, esse proprium cuiusq; Eucharisticum, consistens in gratiarum actione & precibus, non sacrificium aliquod ἱλαστικὸν, seu propitiatorium, quod alijs esset ex ipsa operis operati virtute applicandum; sicut hac de hodierna Missæ sacrificio vulgaris & blasphema Pontificiorum opinio est.* Hæc enim, *inquit Irenæus*, est incensum, de quo loquitur Malachias, quod ab ortu usq; ad occasum Solis glorificabitur Nomen Domini inter gentes, & in omni loco offeretur incensum Nomini eius, & sacrificium purum. Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri Fabricatori Deo, in conscientia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma & dilectione feruenti, primitias earum, quæ sunt eius, creaturam offerentes: & hanc oblationem Ecclesia sola puram offert Fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione, ex creatura eius. *Et c. 34. inquit*: Offerimus ei, non quasi indigenti: sed gratias

IV.

agentes

agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quę à nobis sunt: sic nos indigemus offerre aliquid Deo, sicut Solomon ait: Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Qui enim nullius indigens est, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc, ut præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esuriui enim, &c. Sicut igitur non his indigens, attamen à nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi: ita ad ipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamuis non indigeret eis, ut discerent Deo seruire, &c. *His verbis Irenæus de causa & fine oblationis nostræ scribens, præceptam hanc à Domino esse dicit, tam in Veteri quàm in Nouo Testamento, nõ, ut nos Deo aliquid daremus, aut aliquid hac oblatione mereremur: sed ne infructuosi & ingrati essemus, ac ut Deo seruire disceremus. Quibus verbis Irenæus propitiatorium hoc Pontificiorum sacrificium Missæ solidissimè confutat. Vult enim nostram oblationem gratiarum actionem esse pro acceptis beneficijs, non propitiationem pro peccatis tam viuorum quàm mortuorum. Eodem modo de hoc Ecclesiæ sacrificio scribit Iustinus Martyr in Colloquio cum Tryphone:* Verè, *inquit:* Pontifices Deo reddimur, sicut ipse Deus testatur, dicens: Quòd ubiq; gentium offerentur ei puræ gratæq; victimæ. A nemine autem Deus victimas, nisi per Sacerdotes suos accipit: vnde certè constat, quòd huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, Eucharistiam panis & poculi, ubicunq; terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, & grata sibi esse testetur. *Et mox:* Equidem & preces & gratiarum actiones, si per homines dignos fiât, solas pro perfectis & Deo gratis habeo. Hæc enim sola sacra Christiani facienda acceperunt, ut alimento sicco atq; humido admonerentur eorum, quę propter eos Deus, Dei Filius, perpessus esse narratur. *Huc etiam pertinet descriptio ritus Eucharistiæ oblationis in communione Cœnæ veteris Ecclesiæ, quæ apud Iustinum legitur Apolog. 2. cuius iam sæpe mentio facta est. Augustinus etiam lib. 1. c. 18. contra Aduersarium legis,* Quod, *inquit,* sacratius est laudis sacrificium, quàm in gratiarum actione? Et unde maiores Deo agendæ sunt gratiæ, quàm pro ipsius gratia, per Dominum nostrum Iesum Christum: quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. *Origenes l. 8. contra Celsum:* Panis, *ait,* Eucharistiæ ille, bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodum gratias Deo agamus. *Chrysostomus etiam in Matth. c. 8. homil. 16.* Reuerenda, *inquit,* & salutaria illa mysteria, quæ omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur: Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputq; ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosq; faciunt debitas Deo gratias semper exoluere. *Sic etiam Tertullianus contra Iudæos, & l. 4. contra Marcionem hanc oblationem, vocat,* gratiarum actionem: *& de hoc spirituali laudis & precum sacrificio, ex conscientia pura litantio, intelligit Malachiæ locum. Ita quoq; sentit Hieronymus in Malachiam: Augustinus contra Iudæos c. 9. & Cyrillus l. 10. contra Iulianum. Hoc igitur genus oblationis & sacrificij, sicut pro aliis in applicationem offerri, & ex opere operato prodesse nequit, ita quoq; à Pontificia Missa multò quàm cælum distat longiùs. Apud Eusebium quoq; in Ecclesiastica historia,* incruenti huius sacrificij oblatio, gratiarum actio vocatur, *in epistola Dionysij ad Sixtum Romanum Episcopum: l. 7. c. 9. Et in l. de Demonst. Euang. c. 10.* sacrificium hoc dicit esse quotidianam celebrationem memoriæ corporis & sanguinis Christi. *Et paulò pòst sic scribit:* Excitamus illi altare incruentorum & rationabilium sacrificiorum, secundùm noua mysteria. Cùm itaq; illius sacrosancti sacrificij memoriam, in mensa Dominica peragendam, per symbola corporis salutaris; sanguinis ipsius, iuxta Noui Testamenti institutum acceperimus, rursum à Propheta Dauid dicere iubemur: Parasti in conspectu meo mensam contra eos, qui affligunt me: vnxisti oleo caput meum, & calix meus tanquam optimè inebrians me. Expressè igitur in his mystica significatur vnctio, & veneranda mensæ Christi sacrificia, quibus litantes incruentas hostias; & rationales; ipsius acceptas victimas, in omni vita nostra, ut offeramus Deo omnium maximo, per ipsum summum Sacerdotem edocti sumus. *Rursus:* A Solis ortu usq; ad occasum, inquit Propheta, Nomen meum glorificatum est inter gentes, & omni loco sacrificium offertur Nomini meo, & hostia munda. Quare sacrificamus Deo sacrificiũ laudis, sacrificamus diuinam, venerandam & hostiam sacrosanctam, sacrificamus nouo ritu, iuxta Noui Testamenti institutum, victimam impollutam, ac sacrificium Deo acceptum, Spiritus contritus dicitur. *Et pòst:* Sacrificamus ergo, & adolemus, aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, in traditis ab ipso mysterijs celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra per hymnos religiosos & pias preces agentes, aliàs autem nos totos ipsi & summo Sacerdoti consecrantes, & Verbo eius, & corpo-

corpore, & animo mancipantes. *Et l.5. de Demonſt.Euang.c.3 inquit*:Primus ipſe Saluator noſter ac Dominus, deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus, ſpirituale, ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones,ſacrificij munus obeuntes, pane & vino corporis illius & ſanguinis myſteria repræſentant.*Cum hac ſacrificij ratione,quam in publica Dominica Cœnæ communione, & fidelium oblationibus agnoſcunt Patres veteris Eccleſiæ, & in cuius celebratione incruentas & rationales victimas, per gratiarum actionem & preces,Deo à Chriſtianis offerri dicunt, prorsus non congruunt,qua de ſuo nunc temporis ſacrificio propitiatorio Miſſatico tradunt Pontificij.*

Argumenta Bellarmini,Quòd Miſſa ſit propitiatorium ſacrificium, & eorum refutatio.

SAcrificium Miſſæ propitiatorium eſſe,Bellarminus probat.

PRIMO *teſtimonijs Veteris Teſtamenti.* Scriptura,*inquit*, Teſtamenti Veteris apertè docet: fuiſſe in lege naturæ & Moſis ſacrificia propitiatoria.Nam lob.1.cap.legimus,S. Iob.qui in lege naturę viuebat,quotidie pro peccatis filiorum ſuorum ſacrificâſſe Deo: & Iob.vltimo, Deum ipſum iuſſiſſe, ut amici Iob.ſacrificarent pro peccato ſuo. Et Leuit.4.5.&6.cap.deſcribuntur varia ſacrificia pro peccato.

Sacrificia V. Teſt. improprie propitiatoria.

Reſpondeo, non propriè quædam ſacrificia Veteris Teſtamenti propitiatoria dicta fuiſſe, ex Paulo manifeſtè colligitur, qui Hebr.10.inquit, Non poteſt ſanguis taurorum & hircorum aufferre peccata. Quapropter ingrediens mundum, dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi. Holocautomata & hoſtiam pro peccato non approbâſti: Tunc dixi:Ecce adſum ut faciam, Deus,voluntatem tuam: *Quum ſuperiùs dixiſſet*, Sacrificium, & oblationem, & holocautomata, & hoſtiam prò peccato noluiſti,neque approbâſti, quæ iuxta legem offeruntur: Tunc dixit,Ecce adſum,Deus,ut faciam voluntatem tuam. Tollit prius ut poſterius ſtatuat. Qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam. *Sed ſacrificia Veteris Teſtamenti impropriè & figuratè propitiatoria appellata ſunt*, primò, *propter typum & ſignificationem, quia adumbrabant & ſignificabant futurum ſacrificium Chriſti, quod ſolum meruit remiſſionem omnium peccatorum coram Deo, nec aliud fuit propitiatorium ſacrificium vllo tempore & ætate. Attestatur hoc luculenter Auguſtinus quæſt.57. in Leuiticum, quem tamen locum Ieſuita pro ſe citat:* Illis, *inquit*, ſacrificijs vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum. *Et contra aduerſarium legis cap.*18. *ait*, Singulari & ſolo vero ſacrificio pro nobis Chriſti ſanguis effuſus eſt. Ideo primis temporibus ad hoc ſacrificium talibus ſignificationibus prophetandum, immaculatorum animalium ſacrificia Deus ſibi iuſſit offerri: ut quemadmodum illa immaculata erant à corporum vitijs, ita ſperaretur immolandus eſſe pro nobis, qui ſolus, immaculatus fuerat à peccatis. *Rurſus contra duas epiſtolas Pelagian. cap.* 6. Sacrificia, *inquit*, pro peccatis peccata appellabantur in lege, quæ omnia figuræ fuerunt carnis Chriſti, quod eſt verum & VNICVM ſacrificium pro peccatis, non ſolùm his quæ vniuerſa in baptiſmate diluuntur, verùm etiam his quæ poſt ex huius vitæ infirmitate ſurrepunt, propter quæ quotidie vniuerſa ad Deum Oratione clamat Eccleſia, Dimitte nobis debita noſtra, & dimittuntur nobis per ſingulare ſacrificium pro peccatis. *De fide ad Petrum Diaconum*, Nam & in ſacrificijs, *inquit*, carnalium victimarum,quæ ipſa ſibi ſancta Trinitas,quę unus eſt Deus Noui & Veteris Teſtamenti, à patribus noſtris præcipiebat offerri, illius ſacrificij ſignificabatur gratiſſimum munus, quod pro nobis ſeipſum ſolus Dei Filius ſecundùm carnem eſſet miſericorditer oblaturus. Ipſe enim ſecundùm Apoſtolicam doctrinam obtulit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Ipſe verus Deus & Pontifex, qui pro nobis non in ſanguine taurorum & hircorum, ſed in ſanguine, ſuo ſemel introiuit in ſancta. Quod tunc Pontifex ille ſignificabat, qui cum ſanguine in ſancta ſanctorum per annos ſingulos introibat. Iſte igitur eſt qui in ſe uno totum exhibuit,quod eſſe neceſſarium ad redemtionis noſtræ ſciebat effectum, idem ſcilicet & ſacerdos & ſacrificium, idem Deus & templum. Sacerdos, per quem ſumus reconciliati: ſacrificium, quo reconciliati. *Et contra Fauſtum lib.6. cap.5.* Omnia ſacrificia multis & variis modis unum ſacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, ſignificauerunt.

Nec ſequitur, ut Ballarminus falsò colligit, Si illa ſacrificia tantùm ſignificarunt futuram purgationem, non etiam purgabant: falſa erunt verba Scripturæ quæ Leuit.4. ſæpe repetuntur:Offerat ſacrificium,&orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.Similiter falsũ erit,quod legimus Iob.

ultimo,

ultimo, Dominum placari voluiſſe iram ſuam ſacrificijs. *Nam verè à peccatis purgabantur homines, & ira Dei placabatur, verum non illa externa Moſaicorum ſacrificiorum oblatione, ſed ſacrificio Crucis & merito Chriſti. Nec utebantur fideles ijs ſacrificijs, quòd ſentirent ſe propter & per illa conſequi remiſſionem peccatorum coram Deo: ſed utebantur tanquam ſignis, quibus Deus teſtaretur ipſis, ſeſe daturum illud promiſſum ſemen, qui futurus eſſet victima pro peccatis, & quòd vellet recipere credentes promiſſioni de Chriſto, & remittere peccata propter illam victimam. Et ipſi vtentes iſtis ſacrificijs, profitebantur ſe credere, quòd propter promiſſum ſemen conſequerentur remiſſionem peccatorum. Itaq; perinde uſi ſunt illis ſacrificijs, ut nos Sacramentis utimur.*

Secundò, *dicebantur propitiatoria Veteris Teſtamenti ſacrificia propter ſimilitudinem, quia in externa conuerſatione merebantur peccatorum remiſſionem, id eſt, reconciliabant eos Eccleſiæ, qui peccauerant ne ab ea excluderentur.*

Multiplex igitur eſt vitium in hoc Ieſuitæ argumento. Primò, *peccat contra regulam:* Mutato genere prædicationis non valet conſequentia. Secundò, *incurrit in fallaciam* à non cauſa ut cauſa, *quia aliud eſt loqui de reconciliatione cum Eccleſia: aliud, quomodo iſta reconciliatio obtineatur apud Deum.* Tertiò, à dicto ſecundùm quid: *aliud enim eſt ſignum, aliud res ſignata.*

Apoſtolus autem citato loco Epiſtolæ ad Hebræos 10. cap. tribus argumentis probat, Legalia ſacrificia propriè non ſanctificaſſe homines, ſeu non abſtuliſſe & expiaſſe eorum peccata, & propterea non fuiſſe propitiatoria, ſeu expiatoria ſacrificia, ut vult Ieſuita. Primum ſumit ex adiuncta eorum iteratione, his verbis: Lex vmbram obtinens eorum bonorum quæ futura erant, non ipſam imaginem rerum, ijſdem hoſtijs anniuerſarijs quas offerunt, nunquam in perpetuum poteſt accedentes ſanctificare. Alioqui none deſiſſent offerri? *Argumentum tale eſt:*

Si Legalia illa anniuerſaria expiationis ſacrificia ſanctificáſſent homines, deſiſſent offerri vtiq;.

At non deſierunt offerri, durante nimirum Aaronico ſacerdotio, ſed quotannis fuerunt repetita.

Sacrificia igitur illa non ſanctificárunt homines.

Connexum probat Apoſtolus, membro altero verſus 2. ſic inquiens: Propterea quòd qui ſacrificâſſent ac ſemel purgati eſſent, nullorum peccatorum ampliùs ſibi eſſent conſcij. *Argumentum ſic formari poteſt.*

Qui ſibi non ſunt conſcij peccati, non opus habent offerre ſacrificium pro peccato.

Si verò ſacrificia legalia ſanctificáſſent homines, non ampliùs ſibi fuiſſent peccati conſcij.

Ergo, ſi ſacrificia legalia ſanctificaſſent, tum qui illa obtulerunt, non opus habuiſſent iterum offerre, ſed offerre deſiſſent, quod verum non eſt.

Secundum argumentum ſumit Apoſtolus ex adiuncta peccatorum confeſſione, ſic inquiens: At in iſtis non fit repetita mentio peccatorum quotannis. *Sic vult argumentari.*

Sacrificia legalia ſi ſanctificaſſent, tum non fuiſſet opus aliud illa quotannis peccatorum confeſſionem repetere.

At peccatorum confeſſio quotannis requirebatur, ut eſt videre Leuit. 16. cap.

Sacrificia igitur legalia non ſanctificárunt, nec expiárunt peccata.

Tertium argumentum petit ab infirmitate ſacrificiorum legalium: Non enim poteſt, *inquit,* ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata. *Syllogiſmus hic eſt: Sanguis taurorum & hircorum non poteſt auferre peccata.*

Sacrificia autem legalia ſunt taurorum & hircorum. Ergo.

Maiorem probauit ab initio capitis, nimirum, quòd ſacrificia legalia umbræ tantùm ſint ſacrificij Chriſti, non ipſum ſacrificium, proindeque non eiuſdem eſſe efficaciæ & virtutis cum Chriſti ſacrificio, quo ſolo expiantur peccata noſtra.

Denique ad argumentum reſpondeo ex ipſomet Bellarmino. Nam is lib. 2. de effectu Sacrament. cap. 17. diſertè fatetur, Sacrificia legalia non valuiſſe ad expiationem peccati. *Et paulò pòſt:* Ezech. 18. cùm de remiſſione, *inquit,* peccatorum agitur, nuſquam fit mentio ſacrificiorum. Imò Prophetæ, & Paulus diſertè docent, non poſſe ſacrificijs expiari culpas animorum.

SECVNDO, *probat Miſſam eſſe propitiatorium Sacrificium verbis Inſtitutionis.* Illa verba, *inquit:* Hic eſt ſanguis, qui pro vobis funditur in remiſſionem peccatorum: apertiſſimè docent, Chriſtum obtuliſſe in Cœna ſacrificium pro peccatis Apoſtolorum. Idem autem eſt ſacrificium noſtrum cum illo, quod in Cœna oblatum fuit. Iuſſit enim Dominus Apoſtolis, ut idem poſtea frequentarent. *Argumentum ſic formari poteſt: Si in prima Cœna ſanguis Chriſti fuit effuſus pro peccatis Apoſtolorum, ſeu in remiſſionem peccatorum illorum, etiam id fit in Miſſa, quæ idem eſt cum illa prima Cœna. Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens, & proinde Miſſa eſt propitiatorium ſacrificium. Reſpondeo ad aſſumptionẽ: Chriſtus in prima Cœna ſan-*

sanguinem suum non effudit, nec seipsum obtulit pro remissione peccatorum Apostolorum, vel aliorum hominum, sed tantùm panem & vinum benedixit, ut ex hac mystica benedictione dignè & cum fide manducantes vitam æternam ex morte Christi consequerentur. Quarè si eadem est Cœna prima cum nostra, vel si idem est sacrificium nostrum cum illo, quod in prima Cœna oblatum fuit, non erit sacrificium, sed Eucharisticum & sanctificatorium. Et illa verba, quæ Christus de poculo mystico pronuntiauit, non seruiunt Cœnæ ut sacrificio, sed ut sacramento: neque enim dicta sunt ad Deum, sed ad Apostolos. Nec dixit Christus: Hic est sanguis quem pro vobis obtuli in remissionem peccatorum: *sed,* Qui pro vobis funditur. *Denique verbum* Funditur, *pro futuro* Effundetur, *nimirum in Cruce, non iam in Cœna, accipiendum est, ut suprà pluribus indicauimus. Aut si Christus in Cœna perfectè & absolutè immolatus fuit, quid opus erat posthac die denuò immolari? Perfectò enim quid potest esse perfectius? At nisi Christus in cruce mortuus esset, illa superior immolatio perfectam nobis redemptionem non attulisset. Quare certum est, illud sacrificium non idem fuisse quod Christus obtulit in cruce, sed tantùm illius perfecti sacrificij sacramentum & memoriam. Sed tali hunc locum syllogismo concludo. Si sacrificium quod Christus in Cœna obtulit, idem fuit, quo mundi peccata expiantur, tum & Christus in eo mortuus est, & illi postero die mori superuacaneum fuisset, quia iam antea redemptio perfecta erat: At consequens absurdum & blasphemum est: Ergo & antecedens.*

TERTIO, *probat ex cap. 5. Epistolæ ad Hebr. ubi Apostolus sic loquitur:* Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deũ, vt offerat dona, & sacrificia pro peccato. Hic videmus, *inquit Iesuita,* præcipuum munus Sacerdotis cuiuslibet esse offerre pro peccato. *Loqui autem hic Apostolum de Sacerdotibus legalibus tantùm, suprà solidè probauimus.*

Soli Deo Gloria per Dominum ac Seruatorem nostrum & unicum Sacrificium, in omnem æternitatem pro peccatis nostris efficax, Iesum Christum, AMEN.

FINIS.

ADDENDA.

Ad pag. 460. lin. 13. a. fin. post hæc verba: *commixtione intelligi. Affirmamus etiam nos cum Cyrillo, non tantùm Spiritus Christi sed per Spiritum, etiam carnis Christi veram communionem nobis contingere, & Christum se non tantùm Spiritu suo, sed etiam corporaliter, ut Cyrillus loquitur, id est, corporetenus, siue quoad substantiam corporis sui, se nobis communicare, non quidem ita, ut corpus ipsius per os nostrum, aut quocunque alio modo, aut via, intra corpora nostra recipiatur, sed ut per Spiritum suum in nobis habitantem nos membra sui corporis faciat, ei nos tanquam membra capiti, tanquam vites palmiti, inserens, ut ex ipso vitam, & salutem æternam hauriamus, ipse in nobis, & nos in ipso viuamus, sicut Cyrillus se ipsum declarat, ex cap. 6. & 15. Ioan. & 1. Cor. 6. & 10. In quibus nihil est de orali esu. Vox enim* corporaliter *Cyrillo rem communicatam significat, non communicationis modum, usurpat enim pro eodem has loquendi formas,* corporaliter, & secundùm carnem nobis communicari, communicatione carnis, naturali participatione Christum in nobis esse, & habitare: secundùm carnem etiam Christum esse vitam nostram, nos palmites ipsius. *Item non dicit: Christum, in pane habitare, vel, panem esse Christum,* sed Christum in nobis corporaliter habitare. *Ore autem corporali corpus Christi accipi propriè loquendo, Patres nusquam dicunt.*

Aliter Corporaliter *intelligit Cyrillus non de modo, sed de Obiecto communicationis. Id est, intelligit nos non solùm secundùm Spiritum, sed etiam secundùm corpus uniri cum Christo, idque sine corporali mixtione corporum.*